00079422

BOMBAY BRANCH

OF THE

Royal Asiatic Society.

Digitized with financial assistance from the

Government of Maharashtra

on 18 July, 2018

LILII

GREG. GYRALDI

FERRARIENSIS

Operum quæ extant omnium

non minus Eruditæ quàm Elegantis literaturæ Studioſis & expetitorum hactenus & deinceps expetendorum

TOMI DVO.

Cum ELENCHO *Librorum, & locupletiſſimo Rerum atque Verborum* INDICE.

P-a-31

79422

Caroli Macignij

P. a. 31

BASILEAE

Per Thomam Guarinum.

M D LXXX.

00079422

ILLVSTRISSIMO AC EXCELLENTISSIMO HERCVLI ESTENSI II. FERRARIEN. DVCI IIII.

CYNTHIVS IOANNES BAPTISTA Gyraldus S. P. D.

LILIVS Gregorius Gyraldus, gentilis meus, vir totius eruditionis gnarus, Excellentiſsime Princeps, ob tua egregia in ipſum, & in omnem Gyraldorum familiam beneficia, tibi adeò addictus fuit, ea te obſeruantia proſecutus eſt, vt omnia ipſius ingenij monumenta tibi, veluti numini cuipiam, vouerit, ac dicauerit. Homo enim omnium gratiſsimus, ſemper aliquod grati animi teſtimonium apud te reponere ſtudebat. Ne verò hæc grata ipſius mens vel morte deſineret, cum extremum vitæ diem ſibi imminere cognoſceret, poſtremis tabulis, quibus me & Proſperum Paſethum, iuris vtriuſque conſultiſsimum, & in humanioribus literis optimè verſatum, hæredes ex aſſe reliquit, mandauit, quaſcunque ipſe lucubrationes reliquiſſet, ſiue denuò cõpoſitas, ſiue compoſitis additas, quæ adhuc vulgatæ non eſſent, nos hæredes tibi ſuo nomine offerremus. Nos verò, qui optimi ac doctiſsimi viri manes ſumma colimus pietate, & poſtremæ eius voluntatis cùm in omnibus, tũ hac in re maximè rationem habemus: quæ ipſe vulgatis operibus ſuis, & præſertim Hiſtoriæ de Dijs gentium (variæ ſanè, & ad totam antiquitatem noſcendam admodum neceſſariæ) longo ſtudio & multis vigilijs elaborata addidit, tibi offerimus. Sic enim & illius, & noſtram etiam erga te voluntatem apud te teſtatam fore cẽſemus. Tu verò, Princeps optime, hoc quicquid eſt muneris boni conſule, vt Lilius noſter ab alto Cœli loco, vbi omnia tibi, generiq; tuo fauſta, felicia ac fortunata precatur, ſibi gaudeat, te defuncti ciuis munus non aſpernari: Nos verò, qui munus hoc tibi offerimus, nobis gratulemur, eam

beneuolentiam, qua ipſum, dum viueret, complectebare, ipſo licet extincto, in te ſuperuixiſſe. Ea etiam ſuperſunt edenda, quæ carmine compoſuit: Epigrammatum ſcilicet libri duo, Funebrium vnus: Hymnorum item in Chriſtum & cœlites, vnus: quæ omnia propediem ſub tuis etiam auſpicijs in lucem prodibunt. Interea verò nos Deum optimum maximum rogamus, vt tibi ſemper, rebusque omnibus tuis felix adſit, votis omnibus faueat, imperium fortunet, teque nobis incolumem quàm diutiſsimè conſeruet. Vale.

Ferrariæ, quarto nonas Martij,
M. D. L V.

OPERVM LILII GREGORII GY-raldi, quæ hoc primo Tomo continentur,

ELENCHVS.

I De Deis gẽtium, varia & multiplex hiſtoria, Libris ſiue Syntagmatibus XVII comprehenſa: in qua ſimul de eorum imaginibus & cognominibus agitur, plurimaque etiam hactenus multis ignota explicantur, & pleraque clarius tractantur. Acceſsit locorum complurium in prima editione vel prætermiſſorum, vel breuius deſcriptorum, Aucterium ac plenior tractatio, ſuis locis inſerta, totiusque Operis recognitio ipſius Auctoris. pag. 1

II. Syntagma de Muſis. 531

III. Herculis vita, ad Illuſtriſsimum principem Herculem, Ferrarienſium ducem. 545

IV. Libellus de re Nautica, admiranda quadam & recondita eruditione refertus, recens & natus & editus. 517

V. De Sepulchris & vario ſepeliendi ritu: ad Carorum Milthzienſ. Germanum. 640

LILIVS GREGORIVS GYRALDVS D. HERCVLI DVCI FERRARIAE FELICITATEM, & S. P. D.

MIRVM eſt, Dux Maxime, quantum ab interitu Pici & Manardi, virorum in omni diſciplinarum genere ſine controuerſia eminentiſs. me ſenſim & indies ſentiam deficere, & paulatim interire. qua ex re fit, vt hac tam imbecilla omnium articulorum valetudine oppreſſus, nunquam ne tantulum quidem temporis à meditando, vel aliquid in literarum ſtudijs moliendo quieſcam, vt me poſteritati vtcunquè vixiſſe oſtendam: atque adeò omnium quæ habere poſſum, non modò veterum, ſed noſtrorum etiam temporum ſcripta auidus & curioſus euoluo. quorum equidem nonnullorum quædam ita perfecta, ac ſummo ſtudio elaborata conſpicio, vt proximè ad Antiquitatis elegantiam & doctrinam accedere videantur: quorum ego non modò aſſequi cultum & elegantiam non confido, ſed neque æmulari, nedum imitari præſumo. Alios verò video ex eloquentiæ viretis frondes, ac floſculos adeò ſtudioſe colligere, vt aliud nihil in his offendas, quàm foliorum & florum verſicolorum meram luxuriem: & ſi quando ex his fructus decerpere hi velle videntur, eorum tantummodo colores, & exteriorem corticem excerpant, nihil certè ſaporis, aut interioris & maturi ſucci vt guſtaſſe, vix libaſſe videantur. At plerique alij huc illuc vagantes, id agunt, vt monſtroſas quaſdam animalium formas effingant, quæ nuſquam ſint: vt mihi perſimiles videri poſſint Chimæris & Hippocentauris: vel pictæ illi tabulæ, qua Hercules Ioue ſatus monſtra vitæ domare ac propellere fingitur. Inter hos & alij ſunt, qui verſus & poemata pangunt, non theatris, aut illorum tabulis minus varia & prodigioſa: qualis certe Anthropographia, vel Zodiacus illorum, qui omnem vitam ſuis poematibus complecti voluerunt. Sed fortaſſe dicas, Princeps doctiſſime: Hui ſenex & æger Lilius delirat: quorſum nunc iſta? Dicam ſanè: Ego quoque dum volo hoc quicquid eſt reliqui cadentis ac propè iacentis vitæ producere, non valde horum diſſimile Opus hoc tempore confeci: quo opere ſum omnes omnium penè gentium de Deis ſuperſtitioſas religiones complexus, non genealogias Deorum dico, ſed & nomina & cognomina, effigiéſque, inſigniáque, & quæ patria cuique eſt, ſacra quoque atque cerimonias. Quod opus (quoniam illud tibi offerimus) ſi ita tibi viſum fuerit, vt exſcriptum edatur, & ſub tuo nomine in vulgus appareat, in lucem dabo: vel ſupprimam potius, vt cum lucifugis blattis & tineis conquieſcat. Vtcunque, neſcio an hoc multi quidem

ſtudij

ſtudij, iugis lectionis, & laboris immenſi libro teſtatus ero magis, me vixiſ-
ſe, an potius eo citius celeriúſque interijſſe. Sed res cedat quomodocunque: li-
ber tibi dicatus eſt. Igitur Princeps optime, hoc accipe qualecunque tuo nomi-
ni munus oblatum, nec ex re illud, ſed ex voluntate, & animi in te mei pro-
penſione metire, magnum certè & ingens, ſi minus precioſum, ea ratione
perpendes. Non illud tamen in hoc libro mireris volo, Dux eruditiſſime,
quòd non à Demogorgone illo famigerato meam de Deis narrationem ſum
ſcribere exorſus, quem vetuſtiſſimum Deorum putauit Buccatius, vnum
(vt puto) ſecutus Lactantium, ſeu Lutatium grammaticum: nam quos
cæteros citat, non minus mihi ignoti, quàm ipſe eſt Domogorgon. Ergo
Lactantius in commentario libri quarti Statianæ Thebaidos, ita ſcribit ſu-
per ea poetæ verba: Et triplicis, inquit, mundi ſummum: iuxta picturam
illam veterem, in qua hæc tormenta deſcripta ſunt, & aſcenſio ad Deum:
Deum dicit Demogorgona ſummum, cuius nomen ſcire non licet: infiniti au-
tem philoſophorum magnorum per ſe etiam confirmarunt, reuera eſſe præter
hos Deos cognitos, qui coluntur in templis, alium principem, & maximè
dominum, cæterorum numinum ordinatorem, de cuius genere ſunt ſoli Sol
atque Luna: cæteri verò qui circunferuntur, Aſtra nominantur, quæ eius
clareſcunt ſpiritu, maximis in hoc auctoribus Pythagora & Platone,
& ipſo Tagete conuenientibus. hæc quidem Lactantius. Quibus verbis mo-
tus ipſe mecum ſæpe & diu cogitaui, quis hic magnus Deus Demogorgon,
quem nuſquam gentium inuenio, præterquam apud hunc vnum gramma-
ticum, & illum ſecutum Buccatium, & poſt hos, recentes quoſdam & mi-
nutos ſcriptores: cum tamen ideo omnes vel Latinè vel Græcè qui de Deis &
Deorum natura ſcripſerunt, euoluerim, & in primis Marcum Tullium, &
Phurnutum, & cùm his Platonis Dialogos, & ſimul noſtros ſcriptores, qui
contra gentium Deos ſcripſere, ſi qua fortè tam magni Dei ſeſe mihi noticia
offerret: nuſquam Demogorgon iſte, nuſquam inquam apparuit. Quare
mihi potius viſum eſt Demogorgonis vocem in δημιουργον conuertere, qua vo-
ce Plato cæteríque viri magni vſi ſunt, Deum ſummum & opificem cun-
ctorum ſignificantes, cuius etiam Dei nomen & Hebræorum religio occul-
tum, nec vulgatum eſſe volebat. nam quòd Buccatius Gorgon ait terram ſi-
gnificare, & Demon Deum, ſua eſt ipſius Buccatij interpretatio, partim
vera, & partim falſa, ſed tota præpoſtera. Quo fit, vt ſæpe miratus ſim ne-
ſcio quos, qui tantam illius Genealogijs auctoritatem impenderint, vt non
illas modo in teſtimonium citent, ſed etiam (vt audio) interpretati ſint.
Non tamen equidem inficias ierim, Ioannem Buccatium hominem fuiſſe
ſtudioſiſſimum, & elegantis ingenij, vt ea ferebant tempora, ingenioſum e-
tiam & eruditum. ſed non in latinis, & eo minus in græcis is fuit, qui in pro-
prio idiomate, hoc eſt in Hetruſcis, patrio ſcilicet & vernaculo ſermone, in
quo ſoluta oratione omnes ante & poſt eum qui ſcripſerunt, magno poſt ſe
interuallo reliquit: vt veras illas eſſe credam ætatum conuerſiones, & tem-
porum periodos, quas philoſophi quidam prodiderunt, quibus ad ſummum

quæque perueniunt, & dein in præceps paulatim dilabuntur & corruunt: quod non modò de cæteris rebus omnibus, ſed & in bonis artibus, & litera, rum, militiæqúe, planè contigiſſe videmus. Sed de his ſatis. Certè Demiurgum, non Plato ſolùm & Triſmegiſtus Hermes, Irenæus, & alij, verum etiam Latini vocem illam interpretantes, principem Deum, & opificem & fabricatorem Deum appellarunt, alijſqúe huiuſmodi nominibus. Sed de his hactenus, mi Princeps optime, ne te pluribus obtundam. Vale.

LECTORI.

Si tibi profuerint lector ſtudioſe libelli,
In medium pridem quos mea Muſa dedit:
Gaudeo, non fuerit noſter labor irritus omnis,
Quòd ſic accendit noſtra lucerna tuam.
Sin ſecus acciderit, fructus nec carpſeris vllos,
Gaudeo ſic etiam: nam voluiſſe ſat eſt.
Hac ratione etiam hæc de Dis Syntagmatà prodo,
Ne podagra ingenium, ceù mea membra, ſecet.

DIALOGISMVS VNICVS LAVRENTII FRIZZOLII SOLIANENSIS AD CLARISS. V. ACHILLEM BOCHIVM EQVITEM Bononien. de Lilij operibus deq́ eius vita breuiter.

INTERLOCVTORES,

EMPTOR ET BIBLIOPOLA.

CVm ſuperioribus diebus Ferrariam veniſſes, Achilles Bochi eques ornatiſſ. téque ad Lilium Grego. Gyraldum vnà cum Io. Baptiſta Pigna contuliſſes, ac cum eo de multis varijſqúe rebus eſſes collocutus, rogaſti eum, vt iuberet aliquem amanuēſium ſuorum, vitæ ſuæ capita, vt ſic dicam, exſcribere, habere enim aiebas in animo eam velle te literarum monimentis poſteritati commẽdare, quod cùm tibi ipſe, ſicut & ſuiipſius effigiem, qua Academiam tuam exornare cupiebas, vt alijs pleriſq́, abnegaſſet, ego qui tunc ibi aderam, tui pro ſingulari virtute, pro dignitate tua, ac ſapientia (tametſi ignotus tibi) obſeruātiſſimus, quęqúe de eo colligere potui, vt eo præſente me rogaſti, nunc ad te mitto, ne eius ipſius Lilij modeſtia meáq́ negligentia te ab honeſto ac laudabili huiuſcemodi inſtituto deflectat, & eò maximè cùm me tibi gratum facturum exiſtimem. Vale ac Dialogiſmi collocutores Emptorem cum Bibliopola attende.

EMPTOR.

Nunquid habes noui mi lepidiſſime Bibliopola? BIBLIOP. Nihil præter quoſdam Lilij Gregorij Gyraldi annotationum Dialogiſmos. expectabam quidem Iouij hiſtorias, ac conuerſum in Latinum Pauſaniā, aliáq́ nonnulla. EMP. tu interim ne graueris hos mihi Dialogiſmos oſtendere. BIB. quid obſtat? en accipe & lege. E. nunquid Lilium hunc noſti? B. noui & quidem vt magis neminem. E. nunquid aliud præter quàm has annotationes compoſuit? B. plura quidem. E. & quonam titulo circunferūtur? B. dicam ſi rectè inſcriptiones meminero, primúmq́ mihi ſuppetit eum edidiſſe ſyntagma quoddam de muſis dein Herculis vitam, tum demum Sepulchralia, & de vario ſepeliendi antiquorum ritu. Tranſtulit poſtea è Græco in Latinum, quin corruptum emendauit potius, ac amiſſum bibliothecis reſtituit Symeonis Sethi medici Antiochenſis libellum περὶ τροφῶν δυνάμεως, hoc eſt de facultate cibariorum. Sed prius hymnos quoſdam heroico carmine conſcriptos, & alia quæpiam ediderat. Dedit poſtea librum de nauigijs, in quo de nauium inuentu, earum generibus, & de nauigandi ratione plurima non indigna ſcitu connumerat. Sequitur poſt hunc alius liber quem de Annis, menſibus, diebus, & horis compoſuit, cui ſubdidit antiquos faſtos, hoc eſt calendaria, tum Græcè tum Latinè. Collegit præterea decem dialogis Græcorum & Latinorum antiquorum omnium poetarum vitas, opus ingens & variū. Scripſit deinde Parænesim aduerſus ingratos, cui ſubiunxit remedium De crimine ingrati & nomine vitando. Sed ne ipſe ingratus cuiquam videri poſſet, ſicut de antiquis Græcis & Latinis omnibus poetis benemeritus erat, hiſtoriam duobus dialogis De poetis noſtrorum temporū confectam ſuperiori anno edidit, ac vnà cum ijs epiſtolam heroico carmine conſcriptam eiuſdem ferè argumenti, vbi agit de incommodis, quæ in direptione paſſus fuerat Vrbana, cum qua exhibuit & Progymnaſma aduerſus literas & literatos, quod iuuenis confecerat declamando. EMPT. nunquid plura? B. nunc meminero. hem exciderat volumen illud ingens de Deis gentium quod ante

duos dialogos de poetis noſtrorum temporum compoſuit, ſeptendecim ſyntagmatibus diſtinctum, in quo deorum omnium nomina, cognomina, in quibus colerentur templis, ſtatuas, cæremonias cogeſſit. EMP. in eo plurimum quidem puto ineſſe eruditionis. BIB. non id ego iudicarim, vnum illud ſcio, nobis æra meruiſſe. paucis verò antè diebus exijt eiuſdem quidam libellus, in quo antiquorum ænigmata ac Pythagoræ ſymbola puer collegit, ac interpretatus eſt: ea neſcio quo fato in manus hominum deuenerint, ſed puto ab amicis extorta. Nunc verò has annotationes dedit, quæ apud me venales his diebus extitere. quid verò tibi de his videtur? EMP. Rectè quidem. ſed nonnulla me tamen cepit admiratio, quòd cùm præter alios Latinos auctores Ciceronem maximè & Vergilium meritò extollat, & imitandos præcipiat, ex annotationum harum capitibus parum vel nihil videam ſuper eos ab ipſo annotatum. BIB. Sui mihi conſilij rationem ſæpius aperuit. Amicos habet quamplures Ciceronianos, & ex his præcipuè, qui Ciceronis animam in ſe more Pythagorico transfuſam putent, quique ſuper omni Ciceronis verbo fortè oggannuerint, ne annotauerint aliquid dicam. Maluit igitur annotationes ſuas perire, quàm eos quos amat, & quibus aduerſari noluit, offendere. De Vergilio verò alia eſt ratio, ſed huic ferè conſimilis. EMP. Beaſti me mi Bibliopola. Sed Lilius an veſtrâs eſt, & Ferrarienſis? BIB. Et quidem noſtrâs, & Ferrarienſis. EMP. Quot annos natus? BIB. Tres & ſeptuaginta. Natus eſt enim Lilius Gregorius Gyraldus iſte, vt ex eo ſæpius audiui, hîc Ferrariæ, anno à Verbo Dei corporato MCCCCLXXIX. Idibus Iunij, ſub Herc. I. Eſtenſi Ferrarienſi principe. EMP. Et quibus nam parentibus? BIB. Ingenuis ſcilicet, patre Gyraldo, quod cognomen fuerat antiquum maiorum ſuorum, matre verò Sancta. EMP. Perge quæſo aliqua de eo. B. Is puer prima elementa à M. Vergnanino & Luca Ripa grammaticis Rhegienſibus didicit: mox adoleſcens ſub Bapt. Guarino, viro doctiſſimo atque optimo, bonis literis operam dedit, dein peregrè profectus eſt, & Carpos primum ad Albertum Pium Carporum, necnon & Io. Franciſcum Picum Mirandulæ principes, apud quos nactus librorum copiam, multa legendo collegit. Fuit & hoc tempore Mediolani, vbi per annum ſub Demetrio Chalcondylo publicè ibi docente, ac in vtraque lingua eruditiſſimo, Græcis literis operam nauauit. Deinde Mutinæ cum Rhangonijs Comitibus manſit, donec Romam ſe contulit: vbi ipſe tantiſper fuit cum Herc. Rhangonio Card. ampliſſimo, dum Cęſariani milites vrbem diripuerunt. in qua quidem vrbis direptione multa paſſus, Hercule immaturo interitu vnà cum ampla librorum cæterarumque rerum ſupellectile erepto, omni ſpe & facultatibus ſpoliatus, ſe ad Picum recepit. Sed heu, ecce Picus à fratris filio vita & Mirandula impiè priuatus eſt. Ille Picus, inquam, qui (vt te audiuiſſe puto) ſemper honeſtiſſimè vixerat: qui non doctrina modò, qua omnes longè ſuperabat, ſed morum ſanctitate lumen quaſi cæteris extinctis elucebat, tam indignè trucidatur. Lilius verò pedibus æger, multo grauiora ab ipſis coniuratoribus quàm in vrbana paſſus direptione, vix, rebus omnibus iterum exutus, eorum manus euaſit. tandem in patriam reuerſus, cum Manardo & Cælio Calcagnino, viris doctiſſimis, ac veteribus amicis aliquot annos coniunctiſſimè vixit. ſed eo magis articulari morbo afflictatus à Manardi interitu, nunquam ſuis pedibus iuit, cæterùm mula vel ſella curuli vehebatur. Sed tanta, ingruente bruma, vis morbi creuit, vt neque vehi amplius neque ſtare poſſet. Sedebat igitur in lectulo, ac ſcribebat aliquid ſemper, vbi Deorum gentium ac Poetarum noſtrorum hiſtoriam contexuit. Tandem ab atrociſſimo articulorum morbo oppreſſus, ab hinc ferè ſexennio decumbit, omni manuum ac pedum cæterorúmque membrorum priuatus munere: vt non modò ori manus admouere, ſed nec ſe abſque famuli obſequio, ac tantillum quidem in grabato excutere poſſit. E. Doleo quidem ac-

dem acerbiſſimo eius caſu: ſed dic quæſo mi optime Bibliopola, nunquid habet in manibus quod edere velit amplius? B. Habet ſchedas multas, & opiſthographorum libellorum volumina: verùm cum ea ipſe euoluere nequeat, ob infirmas manus, iacent cum eo, ac cum ſitu blattiſq; luctantur. Scribit quandoq; epigrammata, vbi amicis gratias agit, aut ſi ab eis vel epitaphia vel alia huiuſcemodi elogia efflagitantur. E. Quid eſt quòd de eius verſibus nihil agis? Plura apud eum carmina eſſe, cum quotidie ferè aliquid ſcribat, opinor. B. Sic eſt, vt inquis, & vt mihi ab eo ſæpius audire contigit, ſua carmina in tres tomos diſtinxit: iuuenilia, ſenilia, & ſacra, quæ ipſe Herculi II. principi huic noſtro dicauit. E. Nunquid eſt aliud quod me de eo audire fas ſit? B. Eſt quidem, quod te audire non diſpliceat, eius modeſtiæ & grauitatis amplum teſtimonium, Epitaphium quod ipſe in paruo ſuo ſepulchro conſcribi iuſſit, quod tale eſt:

D. M.

Quid hoſpes aſtas? tymbion
Vides Gyraldi Lilij,
Fortunæ vtranq; paginam
Qui pertulit: ſed peſſima
Eſt vſus altera, nihil
Opis ferente Apolline.
Nil ſcire refert amplius
Tua, aut ſua: in tuam rem abi.

LILIVS Greg. Gyrald. Proton. A poſt. mortalitatis memor,
Ann. ag. LXXIIV. S. P. Cur. MDL.

Spirat verò adhuc Lilius (vt eius verbo vtar) non viuit, ſeq; adeuntibus peramanter exhibet, & memoria pollens locos perdifficiles auctorum omnium explicat. E. Id audire mihi pergratum fuit, tibiq; gratias ingentes habeo. ſed quanti conſtant hi Dialogiſmi? quanti alios vēdidiſti? B. Drachma herculea. E. Cariotis hercle quàm putaram. ſed drachmam accipe, ego mecum Dialogiſmos auferam. Tu vale.

AVTORVM, QVIBVS IN OPERE de Deis Gentium L. Gyraldus vtitur, Catalogus.

Aceſtor
Acron
Actius Sannazarius
Acuſilaus
Aelianus
Aelius Stilo
Aemylius Probus
Aeneas Syluius
Aenopides
Aeſchylus
Agatharchides
Agathius
Aglaoſthenes
Agretas
Agretius grammat.
Albricus
Alcæus
Alciatus
Alexãder ab Alex. ſiue Neopolitanus
Alexander Aphrodiſ.
D. Ambroſius
Ammianus Marcell.
Ammonius
Amphitheus
Anacreon
Anaxagoras
Anaxarchus
Annius
Anthes
Antimachus
Antipater
Apollodorus
Apollonius
Apollophanes
Apoſtolius
Appianus
Apuleius
Archematus
Archeus
Aratus, eiusq; interpres
Archilochus
Arctinus
Arethus
Ariſtagoras
Ariſtarchus
Ariſtides Mileſ.
Ariſtippus
Ariſtodemus
Ariſtophanes
Ariſtoteles
Armenidas
Arnobius
Arpocration
Arrianus
Artemidorus
Aſclepiades
Aſconius
Athanaſius
Athenagoras
Athenæus
Athenocles
Atteus Capito
Aufuſtius
D. Auguſtinus
Auſonius
Autocrates
Bacchilides
Bandelus
Baptiſta Leo
Baptiſta Mantuanus
Beda
Beroaldus
Bebius Macer
Bembus
Beroſus
Beſſarion
Boccatius
Boethius
Budæus
Cælius Aurelianus
Cæcilius Minutianus
Cælius Calcagninus
Cælius Rhodiginus
Cæſar
Caius Iuriſconſultus
Callixenus
Callias
Callimachus
Callinus
Calliſthenes
Calliſtratus
Capitolinus
Carbilius
Caſsiodorus
Caſsius Hemina
M. Cato
Catullus
Cebes Thebanus
Cenſorinus
Cephiſiodotus
Ceſellius
Chalcidius
Charax
Chares Mitylenæus
Charicides
Charon Lampſac.
Cheræmon
Cherilus
Chryſermus
Chryſoſtomus
Chryſippus
Cicero
Cincius
Claudianus
Cleanthes
Clearchus
Clemens Alex.
Clemens Pont.
Cleomedes
Clinias
Clytonymus
Cloacius
Columella
Conon
Conſtantinus Cæſar
Cornelius Labeo
Cornelius Tacitus
Cornificius
Cornutus
Cratinus
Cratinus iunior
Crinitus
Critolaus
Cteſias
Cyprianus
Cyrillus Alex.
Dantes Algerius
Democlides
Democritus
Demoſthenes
Demoſtratus
Dicearchus
Didymus
Dinarchus
Diodorus Siculus
Diodorus Sinopæus
Diogenes Laert.
Diogenetus
Diogenianus
Diomedes grammat.
Dion
Dionyſius Afer
Dionyſius Halicarn.
Dionyſius Mileſius
Diophantus
Dioſcorides
Domitius
Donatus
Dracon Corcyræus
Drepanus
Durides
Duris Samius
Egnatius
Empedocles
Ennius
Ephorus
Epicharmus
Epiphanius
Eraſmus Rot.
Eratoſthenes
Eſaias propheta
Eualces
Euclides
Eudoxus
Euhemerus
Eumelius
Euphorion
Euphronius
Euripides
Euſebius
Euſtathius
Fabius Pictor
Fabius Quintilianus
Feſtus
Firmicus
Florus
Frontinus

Fulgen-

Fulgentius
Galenus
Gaza
Gellius
Georgius Valla
Germanicus Cæſar
Gilius
Granius
Gratius
Greg. Nazianzenus
Harpocrates
Harpocration
Hecatæus
Heliodorus
Helius Lampridius
Hellanicus
Heraclitus
Heraclides Pont.
Hermes Triſmegiſtus
Hermeſianactes
Hermippus
Hermogines
Hermolaus Barbarus
Heron
Herodianus
Herodotus
Heſychius
Heſiodus
Hieremias propheta
Hierocles
D. Hieronymus
Hippocrates
Homerus
Horatius
Hyginius
Hyllus
Hyperides
Iamblichus
Ioannes Annius
Ioannes Zezes
Ion
Ioſephus
Irenæus
Iſaacius Zezes
Iſidorus
Iſocrates
Iſſæus
Iſter
Iuba
Iulius Capitolinus
Iulianus Cæſar
Iulius Firmicus
Iulius Modeſtus
Iulius Obſequens
Iulius Pollux
Iulianus Aegyptius
Iuſtinus
Iuuenalis
Labeo
Lactantius
Laertius
Lampridius
Laſus Hermion
Leon philoſoph.
Leonicus
Libanius
Licinius Imbrex
Liuius Andronicus
Liuius Patauinus
Lucanus
Lucas Euangeliſta
Lucianus
Lucilius
Lucretius
Luctatius
Lycurgus orator
Lyſimachus
Lycophron
Macrobius
Manethus
Manilius
Marcellus
Marlianus
Marſilius
Marſus
Martialis
Martianus
Marullus
Maſſurius Sabinus
Maximus Tyrius
Megaſthenes
Menander
Menechmus
Menippus
Merula
Metagenes
Metaſthenes
Methodius
Minutianus
Minutius Fœlix
Mnaſeas
Mneſimachus
Mombritius
Moſes Aegyptius
Muſæus
Myrſilus
Myrtilus
Naugerius
Nazianzenus
Nearchus
Nehumius
Neoptolemus
Neuius
Nicander
Nicanor
Nicephorus
Nicoſtratus
Nigidius
Niſus Chius
Nonius Marcellus
Numenius
Nymphiodorus
Olen Lycius
Origenes
Orpheus
Ouidius
Pacuuius
Palephatus
Pamphus
Paniaſis
Parmeniſcus
Parrhaſius
Parthenius
Paulus Aegineta
Paulus Apoſtolus
Paulus Diaconus
Pauſanias
Pecellides
Pediaſimus
Perſius
Petronius Arbiter
Phauorinus
Phænodemus
Pherecides
Pherenicus
Pheſtus
Philarchus
Philemonax
Philochorus
Philon Byblius
Philoſtratus
Phœdimus
Phornutus
Picus Mirandula
Pindarus
Plato
Plautus
Plinius
Plotinus
Plutarchus
Polemon
Polyanthus
Politianus
Polybius
Polycharmus
Polymantes
Sext. Pompeius
Pomponius Lætus
Pontanus
Porphyrius philoſoph.
Porphyrion Horatij interpres
Poſidippus
Poſſidonius
Priſcianus
Probus grammat.
Proclus
Procopius
Prodicus
Propertius
Prudentius
Pſellus
Ptolemæus
Pythagoras
Quintilianus
Q. Calaber
Q. Curtius
Rhabanus Hebræus
Rhianus
Riccius
Ruellius
Ruffinus
Sachoniachthon
Saluſtius
Sammonicus Serenus
Santra
Sceptius
Scopas
Sedulius
Sempronius

Seneca

AVTORVM CATALOGVS.

Seneca
Serenus
Seruius gram.
Sextus Clodius
Sidonius
Silius Italicus
Simonides
Simplicius
Siſides
Socinus
Socrates
Solinus
Sophocles
Sophronius
Soſibius
Soſicrates
Soſtratus
Sozomenus
Spartianus
Speuſippus
Statius
Staphylus
Steſimbrotus
Stephanus
Steſichorus
Steuchus Eugubinas
Stobæus
Strabo
Suetonius
Suidas
Syneſius
Syrianus
Tacitus
Tarquitius
Tarrhæus gram.
Tatianus
Telechides
Teleſarchus
Terentius Comicus
Terentius Varro
Tertullianus
Themiſon
Theocritus
Theodoretus
Theognis
Theon
Theophilactus
Theophilus
Theophraſtus
Theopompus
Thomas Morus
Thucydides
Tibullus
Timæus Tauromin.
Timoſthenes
Thimotheus poeta
Thimotheus theolog.
Tireſias
Trebatius
Trimatius
Trapezontius
Tyberianus
Tyrius philoſophus
Valerius Antias
Valerius Flaccus
Valerius Max.
Valerius Probus
Valerius Soranus
Valturius
Varro Vegetius
Velleius
Vergilius
Verrius Flaccus
Vibius Sequeſter
P. Victor
Victruuius
Villius
Vlpianus
Vopiſcus
Xanthus Lydius
Xenagoras
Xenophon
Zenobius
Zenodotus
Zezes grammat.
Zoroaſtres.

RERVM QVAE IN HISTORIA DE DEIS GENTIVM CONTInentur, Catalogus.

Tota de Deis Gentium hiſtoria XVII Syntagmatibus diſtinguitur, & Primo quidem ſummatim hæc continentur.

De Deis in vniuerſum, & qui primi deos colere inſtituerunt, & quàm variè de deis philoſophi ſenſerũt. Tum de deis Miſcellaneis & Topicis, demum quàm varia & diuerſa à priſcis pro deis culta ſunt. Syntagma primum.

De Ioue, Belo, Ammone, & cæteris. Syntag. II.

De Iunone, Hymenæo, & Talaſſio. Syntag. III.

De Cælo, Saturno, Rhea, Magna matre, de Bona dea, de Veſta, de Iano & Vertuno deis. Syntag. IV.

De Neptuno, & vxore, & alijs deis aquaticis, itémq; de Nymphis, déque Aeolo & ventis. Syntag. V.

De Plutone & Proſerpina, cæteríſque Inferorum deis. Syntag. VI.

De Apolline, & varijs diuinationum generibus, & de Aeſculapio & Muſis, & Aurora. Syntag. VII.

De Baccho, & Oſiride, & Priapo. Syntag. VIII.

De Mercurio, & Somno, &c. Syntag. IX.

De Marte, Bellona, Victoria, de Hercule, déque Martis & Herculis vxoribus. Syntag. X.

De Minerua. Syntag. XI.

De Diana, & Iſide, & Latona. Syntag. XII.

De Venere, Cupidine, Gratijs, Adonide & Vulcano. Syntag. XIII.

De Cerere, & Triptolemo. Syntag. XIV.

De Dæmonibus, Genijs, Lemuribus, Laribus, Laruis, Pane, Satyris, Themide, Lamijs, cæteris. Syntag. XV.

De Fortuna, multiplicíque eius numine ac poteſtate, de Nemeſi Rhamnuſia, & Adraſtea. Syntag. XVI.

De ſacrificijs, de templis, ſacerdotibus, & feſtiuitatibus: item de expiationibus, ſupplicationibus, lectiſternijs, alijſqúe eiuſmodi: de mortuorum inferijs: demum particularis Sacrificiorum deſcriptio. Syntag. vltimum.


HISTORIAE DEORVM GENTILIVM SYNTAGMA PRIMVM, LILIO GREG. GYRALDO AVTORE.

AD D. HERCVLEM ESTENS. II. Ferrariæ Ducem IV.

INTER multos qui hac tempeſtate ſe Theologos nuncupari volunt, conſtans ſanè opinio inualuit, vt eorũ nullus qui ſe manſuetioribus Muſis, hoc eſt, humanitatis ſtudiis addixerit, habeat verus ac ſincerus Chriſtianæ pietatis & religionis cultor: cùm tamen & hoc ipſo tempore & eſſe pleroſq;, & anteactis ſeculis plurimos fuiſſe videamus, qui huiuſmodi profeſſioni cùm addictiſſimi fuerint, in præclaros tum morũ, tum ſanctimoniæ ſplendore viros euaſerunt. Sed ego cùm eius impietatis notam ne ſubirem, à teneris vſq; annis omni niſu conatuq; laborauerim: tũ maximè nunc mihi cauendum video in hac mea iam ingraueſcente annis & affecta morbis ætate, & hoc iniquo præſertim tempore, atq; adeò hac ſcriptionis parte, qua Gentilium deorum nomina & cognomina & imagines ſtatáſq; cæremonias rudi admodum & tumultuoſo ſtilo, meo ſcilicet, collectas perſequi inſtitui: quam quidem impietatis calumniam me duobus his argumentis facilè euaſurum ſum arbitratus. Et primò, quod tibi, Hercules, omnium quos nouerim principes, Chriſtianæ religionis obſeruantiſſimo, noſtram hanc qualemcunq; lucubrationem dicamus, cuius vel ſolum nomen mihi erit pro Mineruæ clypeo: altero, quod paucioribus quàm per me fieri potuit, in prima libri fronte meam aſcripſi, quam erga vnum Deum ſententiam fidémq; & nunc habeo, & ad vltimum vſq; ſpiritum ſum habiturus: quam etiam (quoniam homo ſum) nihilominus moderandam corrigendámq; cenſuræ piorum patrum, id eſt Pontificum, ſubiectam eſſe volo.

Neminem adeò rudem, adeóq; feris moribus, & ab omni cultu tam alienum eſſe puto, qui in hoc omne quod cernit oculos attollens ac intuens, Deũ vnum, ſempiternum increatúmq; eius totius conditorem & opificem gubernatorémque non eſſe fateatur, ipſúmq; eundem vi ſua ſua ac immenſa poteſtate cuncta regere & moderari: vnúmque potius ad totius ipſius moderationẽ & regimen, quàm plures, quem Deum omnes vocauère: Deum inquam, qui mens eſt æterna, perfectæ abſolutæq; virtutis, cui nihil accedere, nihil decedere poteſt ad perfectionem, proptereáq; illum optimum maximum, & omnipotentem & eſſe, & quotidie pio inſtituto inuocari videmus. Et cùm vnus ſit, nefas eſt exiſtimare, alios apud alios eſſe deos, ſeu barbaros illos, ſeu Græcos atq; Romanos. Sed vti Sol, Luna, Cœlum, Terra, Mare, cõmunia ſunt omnibus, licet aliјs apud alios nominibus appellent: ita eadem ratione vnus eſt Deus, cuius vbiq; vis eſt & prouidentia, omnia alit, ſuſtinet, exornat: alij tamen apud alios ſunt ritus legibus inſtituti, aliæ cæremoniæ, alia nomina, alia ſymbola, obſcurè quidem à primis auctoribus condita & conſecrata, vni tamen ſupremo & prępotenti, quæ aptari & conuenire debent, quorum omnium interpretationem & explicationem nõ facilè, nec ſine periculo quilibet diſquirere, vel præſumere poteſt: quod non pauci freti ingenio facere volentes, in varias ſuperſtitiones inciderunt. & vt huius ætatis ne meminerim, plures antiqui Deos confinxère, ita vt vſque ad triginta

milia haberi prodiderint, & inter hos 300 Ioues. Hinc meritò Dionyſius & Euſebius, aliíq; per modum negandi Deum definiunt, vt nulla dicant mundi opera Deum eſſe, hoc eſt, neq; Cœlum, neq; Aethera, neq; Solem, neq; Lunam, neq; Stellarũ fulgores, neq; Elementa, neq; vniuerſum deniq;, & quæ in eo ſunt, mundum Deũ eſſe, ſed Dei ipſius eſſe opera. Alij rurſus πολυθεότητα, id eſt, plurium deorum impietatem fugientes, nimio inquirendi ſtudio in ipſam impietatem, quaſi in voraginem quandam delapſi ſunt. Hoc certè modo Euhemerus, Meſſenius an Tegeates, nunc non quæro, & Abderites Protagoras, ſimili modo & Theodorus Cyrenaicus, & Melius Diogoras peccauêre, & alij apud antiquos, vtinã & non plurimi hoc noſtro quoq; tempore. Hunc igitur ego vnũ Deum, quem dixi, qui totã molem iſtã cum omni elementorũ inſtrumento, corporum, ſpirituum, verbo quo iuſſit, ratione qua diſpoſuit, virtute qua potuit de nihilo expreſſit, & colo & veneror. vnum inquam Deum, æternum patrem, poteſtate, ſapientia æternum filium à patre genitum, amore æternum ſpiritum ab vtroque procedentem, illúmq; ipſum trinum & vnum, vel, vt ἐμφατικωτέρως & expreſſius dicam, ἕνα θεὸν ἐν τριάδι, καὶ τριάδα ἐν μονάδι pio ac ſanctorum Chriſtianorum conſenſu tota anima & mente, & prędicabo, & continuè adorabo. Huius vnius Dei nobis nomen ſufficit ad diuinitatem, eiúſque maieſtatem implorandam & celebrandam: niſi cùm diſtinctionis interdum cauſa perſonas ipſas nuncupamus, Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum, quod nomen CHRISTVS in ſacra expiationis ablutione diſcipulos inuocare docuit. nec Deo nos noſtro, vt gentes, tot nomina & numina impoſuimus: Vnus inquã, vnus Deus eſt: nec quòd nos πατέρα, καὶ λόγον, καὶ ἅγιον πνεῦμα dicimus, plures deos intelligimus, vt aduerſus nos calumniantur Hebræi. Vnum deinde nomen filij veneramur, per cœleſtem nuncium matri Virgini ſignificatum, IESV: à ſacra & cœleſti regia vnctione Græcè CHRISTVS appellatus, à quo Chriſtianum nomen propagatum eſt: Hebraicè verò Meſſias, ſeu Meſchias. Sed quoniam deos Gentium ſcripturi ſumus, par videri poſſet, vt hoc loco ſubſignaremus, qua ratione noſtra religio ſanctiſsimæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus ſancti nominibus vti conſueuit. Sed quoniam hæc à plerisq; prodita ſunt, & inter eos Iſidorus lib. Etymolog. 7. commodè colligit, ea ipſe miſſa faciam: Hebræa tantum, & pauca quidem attingam, idq; breuiſſimè, ne duris & ſtridentibus verbis te faſtidio afficiam, & quòd ante me & alij hoc fecêre. Primum ergo et ſanctiſsimum Dei nomen apud Hebręos, ex quatuor eorum literis conſtat יהוה, id eſt Iheuhe, quod nomen Hebræis nefas eſt ore pronunciari: ſed pro eo illud ſimiliter quatuor etiam literarum enuntiare ſoliti ſunt אדני, id eſt Adonai, quod numero plurium effertur ab Adon, id eſt Dominus. Verum enimuero ſanctum illud nomen & eſt & vocatur τετραγράμματον, ineffabile & inexplicabile: noſtra voce, id eſt humana, minus poteſt. quo enim modo Iheuhe in articulatam noſtram loquendi normam deducere poſſumus? Quidam tamen Ioua pronunciant, vnde & Iouis nomen volunt eſſe deriuatum: quos iurè & meritò ſanioris capitis homines rident. Alij rectius Iehoua enunciant, quod apud antiquos quoſdam Hebræos legimus hac figuratione notatum, tribus videlicet iod literis, quæ circulo concludebantur, ſuppoſito puncto, ſeu accentu chamez, hoc modo,



Sed poſtquàm de hoc nomine tetragrammaton aliquid dicere cœpimus, libet hîc tibi quædam afferre, quæ etſi neſcio quo modo ſuperſtitioſa videntur, quoniam tamen non ſunt à noſtris penitus aliena, non indigna viſa ſunt relatu. Antoninus vrbis Romæ Cos. an is poſtea Imperator fuerit ignoro, Rhabbenũ quendam Haccados, tunc celebrem Hebręorum doctorẽ rogaſſe fertur, vt de quatuor literarũ Dei nomine, et de duodecim, ac item de quadraginta duab. quid ſentiret exponeret. illi Rhabbenum reſpondiſſe ferunt, vt ſcribit doctor Nehumias Haccanæ filius, in epiſtola Arcanorum ad filium: Quod Antonine petis de veritate inſtrui, eius ſcilicet quod ſignificat

nomen

nomen quatuor literarũ, nomen duodecim, & nomen quadragintaduarum, tibi ſignifico: hæc ſcias velim arcana & diuina eſſe, quæ omnibus hominibus clàm eſſe debent. Sed quoniam te ex iis eſſe intelligo, cui tutò arcana creduntur, conſentaneum ratus ſum, tui ſimilibus huiuſcemòdi res patefacere (neq; enim talibus hominibus arcana hæc occultanda ſunt.) Quare ſic habeto, Deum nomen non habere, cuius notionẽ nos mortales habere poſſimus: eius enim ſubſtãtia nomen eſt ipſius, atq; etiã è contrario. nam ſicut eius ſubſtantiæ notitiã habere nõ poſſumus, quoniã ſi eam cognoſceremus, ei ſimiles efficeremur: ita nec eius nominis cognitionem habere poſſumus. Scito tamẽ, eius nomina attributa eſſe: nomen enim quatuor literarũ operationibus eius peculiare eſt, ideóq; oſtendit eius notitiam neſcio quo pacto perfectiorem, illiq; magis accommodatam, prout noſter intellectus cõcipere facilius poteſt: quare ex hoc ipſo nomine, eius omnia procedunt nomina. Ideóq; etiam Hebræo nomine Semhammemphoras vocatum eſt, non quòd nomen ſit ex ipſius ſubſtantia, ſed quod nos ita vocamus, prout noſtra facultas comprehendere poteſt, cùm altiùs penetrare nõ poſſit. Scire igitur debes, duodecim, & quadragintaduarum literarũ nomina propriè non eſſe nomina, quæ illarũ literarum numero conſtent, ſed quodlibet eorum ſunt verba diuerſa, quæ verum quidem oſtendunt. atq; hactenus Rhabbenus. Moſes verò Aegyptius in lib. More inſcriptus, Omnia (inqt) nomina creatoris & opificis in libris omnibus inuenta, ab effectibus deriuata ſunt, præter vnum illud Iehuhe, quod eſt nomen peculiare creatori altiſſimo: & propterea vocatur Semhammemphoras, id eſt, nomen expoſitũ. Sed hoc planius idẽ qui ſuprà Rhabbenus in eo qui inſcribitur, Arcanorum reuelator: Attende, inquit, nomen quatuor literarum, prout eius eſt ſcriptio (ſic enim noſtra Hebraica litera ſcribitur יהוה) Iehoua, vel Iehuhe, ipſum Deum generantem ſignificare. & quia nõ poteſt eſſe generans abſq; eo qui generatur, neceſſariò amor à generante in generatum eſt, & contrà procedere debet: quoniam ſi hoc non eſſet, nõ generaret: & ſi non procederet amor à generato in generantem, & ſi diſtingueretur generatus à generante, duæ ſubſtantiæ eſſent. propterea nos volumus generantem & generatum vnam eſſe ſubſtantiam: et perinde neceſſe eſt, ex altero in alterũ procedere amorem. Ea propter ex hoc Semhammemphoras deriuatũ eſt nomen duodecim literarũ, eſtq; Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, quod nomẽ in lingua noſtra Hebraica duodecim literis ſcribitur. Quoniam verò nõ inuenitur aliquid in Deo, quod non ſit Deus, ex nomine duodecim literarum emanat nomen quadragintaduarum literarum, quod eſt, Pater deus, Filius deus, Spiritus ſanctus deus, Trinitas in vnitate, & vnitas in trinitate (quæ in Hebræo, non Latino ſermone, ſunt quadragintiduæ literæ.) Notare autem debebis, hæc nomina eſſe ex diuinis arcanis, quæ à quibuſcunq; occultari debent, quouſque veniat Meſſias, iuſtus noſter. Illa tibi patefeci, tu verò fortiter occule. hæc Rhabbenus. Sed enim apud Hebręos nomen duodecim literarũ hoc modo profert, Ab ben veruah haccados. quod ſic interpretatᷓ, Ab pater, Ben filius, Veruah haccados et Spiritus ſanctus: vel vt alij pronunciãt, veruah haccades, hoc eſt ſpiritus ſanctitatis: genere neutro. vt & Gręci ἅγιον πνεῦμα. Verùm enimuero, vt nomine 12 literarum, quatuor literarũ nomen exponere conſueuerũt antiqui Hebræi, ita nomen ipſum 12 literarum, exponebant nomine 42 literarum: id quod Moſes Aegyptius Maymonis filius pluribus oſtendit, ſed nos paucis contenti erimus, inter quæ & hoc ait: Nouit autem quicũq; intellectu viget, nõ poſſe aliquo modo fieri, vt verbum vnum cõſtet ex 42 literis. & paulò pòſt idem ſubdit: Dicebantur verò iſta verba multarum literarũ vnum nomen, propter vnã rem quam ſignificabant. & mox idem: Erant autem hæc duo nomina magno adiumẽto homini ad cognoſcendũ Creatorem. tum deinde ſubiũgit: Quicũq; eius nominis ſcientiam habet, & ſibi in illo cauet, mira ſortitur: quæ non eſt cur ego hîc repetam, Porrò nomen quadragintaduarum literarum quidam ſic interpretati ſunt,

Pater Deus, Filius Deus, Spiritus ſanctus Deus, tres in vno, & vnus in tribus. Sed hāc de ſumma trinitate ſententiam ex his ſacris nominibus Athanaſium in Symbolo expreſſiſſe, veriſimile videtur. Habent præterea Iudæi & alia Dei immortalis nomina quatuor literarum, inter quæ & iſta ſunt: Adonai, vt diximus: Ehie, id eſt, qui fui, ſum & ero, licet noſtri aliter interpretentur: Agla, & alia quę dam, ſed non arabaha othioth, vt ipſi dicunt, id eſt, non tetragrammata. Scribit præterea Algazelus librum de nominibus Dei, aliiſque.

Eſt & Dei nomen Hebræis El, Eloha: vnde eſt Elohim in plurali, id eſt Dei, vt ſæpe in ſacris literis legimus, quo trinitatis myſterium planè confirmaт. nam & cum ſingulari verbo coniungitur, vt illud ſtatim in fronte Geneſeos: In principio creauit Elohim, id eſt, Dij. ſed & huiuſmodi plura extant exempla in ſacra Hebræorū ſcriptura. Eſt & Μακομ Dei nomen, & locum ſignificat: quia Deus immortalis vbique locorum præſens eſt. Dayyan etiam Deus, id eſt iudex, appellatus eſt: & Czędik, hoc eſt iuſtus: item ſadai, id eſt, qui ſufficit, & nullo indigeat, omnibúſque ſuppetat: Hannum, hoc eſt gratioſus & pius vocatus eſt. Sed huiuſmodi ſylua Hebræorum nominum adeò eſt aſpera & ſenticoſa, vt admodum difficilis videatur noſtris hominibus: quare pauca de multis ſatis erit hic tibi annotaſſe. Sunt & 72 Dei nomina, quæ iidem ipſi Hebręi ſe eliciuſſe gloriantur ex tribus Exodi verſiculis, cap. 14. vbi legitur, Et mouit ſe angelus deorum: vel vt alij conuerterunt, Et profectus eſt angelus Dei: vel vt vulgata habet editio, Tollénſq; ſe angelus Domini, qui præcedebat. at verò Septuaginta interpretes ita, ἐξῆρε δὲ ὁ ἄγγελος τοῦ θεοῦ ὁ προπορευόμενος. Sed enim de 72 his nominibus nos non loquemur, quoniam eorum magis mihi commenta videntur, qui Cabalæ operam nauant, quàm eorum qui piè Deum colunt, ac ſimplici caſtáque & pura mente venerantur. Nam & decem eorum modos & figuras comminiſcuntur, ita vt penè in infinitum procedant, adeò (ſi fari liceat) vt magis inſanire, quàm Deum docere velle videantur: quibus etiam 72 nominibus & Dauidis regis pſalmorum verſiculos ſingulos ſingulis annectunt. Quo mihi magis mirum videtur, nonnulla bene nata ingenia etiam nunc eſſe, & ſuperioribus annis fuiſſe, qui in huiuſcemodi pluſquàm labyrintheis Mæandris, vt ſic dicam, deſipere ſtudeant, niſi quatenus Iudæis per ſuamet arma reſpondere poſſint. Sed iam mittamus has Hebræorum de Dei nominibus, vt aiunt ipſi figurarationes: & quanquam videretur fortè non abs re mihi Chriſtiano, & ſacris Chriſti, vtinam non immeritò, initiato, non alienum eſſe diuina nomina recenſere, quibus noſtra eccleſia vti conſueuit, in præpotentem Deum appellando. Sed adeò in eis recenſęndis ſudaſſe videmus, vt alios nunc mittam, Dionyſium magnum illum Areopagitam, vt omnino mihi abſtinendum duxerim. Te igitur, ſi curioſius fortaſſe ſcire deſideras, ad ipſius Dionyſij volumina, & eorum qui illa tum Græcè tum Latinè interpretati ſunt, relego. Sed vnum illud præcipuum & myſticum eſt nomen apud nos tetragrammaton IESV, in quo omnis poteſtas et vis diuina ſignificatur, cui omne genu flectitur, vt ait veritatis præco, cœleſtium, terreſtrium & inferorum.

Porrò nec illud latêre velim, non modò Hebræis, barbaris & Græcis, ſed & Latinis & Chriſtianis, & quibuſque fermè nationibus, Dei nomē τετραγράμματον eſſe. & de Hebræis iam quidum dictum eſt, & Chriſtianis: nunc pleroſque cōmemorabo. A' Latinis primùm Deus appellatus eſt, à Græcis Θεός, ab Aegyptiis Θωὺθ & Θεὺθ, & per contractionem nonnunquam trium literarum Θωθ, vt etiam apud Hebræos aliquando obſeruatum eſt. Perſæ Σύρη Deum vocant: Tyrrheni, ſeu Hetruſci ἐσὰρ, tametſi quidam cum diphthongo ſcribant, vt Heſychius & Annius. Magi ὀροὶ, Arabes ἀλλὰ, Aſſyrij ἀδὰδ, Mahometes & Turcæ ἀγδὶ. Populi nuper reperti Ζιμὶ. & ſi qui alij fortaſſe ſunt, quorum nomina ad meam nondum notitiam peruenerunt. Cæteris ergo miſſis, par eſſe videtur, noſtram & Græcam vocem, hoc eſt Deus & θεός, breuiter interpretari. Deum

ex Latinis nonnulli à dando deductum nomen arbitrantur, quòd ſcilicet Deus omnia det. Alij, quòd ei nihil deſit. Sunt qui ἀπὸ τοῦ δέους, hoc eſt à metu & timore inflexum velint: id quod Statius Papinius in Theb. & in Satyrico Petronius Arbiter innuere videntur, cùm ita canant: Primus in orbe Deos fecit timor, ſeu metus, vt alij legunt. Alij à Græca voce, id eſt θεός, deflexum putant. Sed enim θεὸν Plato in Cratylo, & eius interpres Proclus, ἀπὸ τοῦ θεῖν, hoc eſt à currendo deduci arbitrantur. nam cùm homines viderent Solem, Lunam, Aſtra, Cœlum ipſum, currendo ſemper circumuolui, Deos eſſe arbitrati ſunt: hoc eſt, vt Plato ait, ἀπὸ ταύτης τῆς φύσεως τῆς τοῦ θεῖν, θεοὺς αὐτοὺς ἐπονομάσθαι: hoc eſt, ab hac ipſa tali currendi natura deos nuncupauêre. Moſchopolus ex Ariſtotelis ſententia, ab eodem verbo deducit θέω. ſed elementa ait ſemper currere. Alij θεοὺς παρὰ τὸ θέομαι, quod ſpeculor ſignificat, quoniam in Deo ipſo & diuinitate tanquam in ſpeculo cuncta cernantur. Cornutus, ſeu Phornutus, ἀπὸ τῆς θέσεως deriuari ſcribit, hoc eſt, à poſitione. D E V S ergo, vt Seruius etiam notat, generale nomen eſt omnibus. nam, inquit, quod Græcè δέος, Latinè timor vocatur: vnde Deus dictus eſt, quòd omnis religio ſit timori. Nam cùm Dei nomen expoſuerim, addendum tibi, quibus vocabulis diuinitatis cultus appelletur, vt res tota conſtet. A Latinis primùm Religionem vocatam videmus: quod nomen, ſi M. Tullium ſequamur, à relegendo deducitur, id eſt diligenter retractando: ſi Lactantium audiamus, à religando, quòd obſtricti & religati Deo ſimus. Si verò Aur. Auguſtinum audire malumus, à religando, quaſi probè eligentes. Quòd ſi Maſſurio Sabino et Gellio ſtemus, à relinquendo deducitur, nam id religioſum eſſe ſtatuunt, quod propter ſanctitatem remotum ac ſepoſitum à nobis ſit. id quod & Macrobius aſſerit, ex Ser. Sulpitij ſententia: A relinquendo, inquit, religio dicta, vt à carendo ceremonia: tametſi ceremoniæ ab aliis à Ceretanis dicantur. Transfertur hoc religionis vocabulum ad alia quæque, quæ ſumma animi integritate peraguntur, ad exceſſum vſque. Vocatur & ſanctitas, & pietas, vt eſt in primo apud Ciceronem de Nat. deorum. hæc Græcè & εὐσέβεια & θρησκεία dicta eſt, vtpote à Thracibus Orpheo ſcilicet primùm in Græciam aduecta: quæ & à furore, notiſſima voce Orgia dicuntur, ab Orphicis primum & Bacchicis vſurpata. Sed & ex noſtris quidam deorum cultum vocauêre, Græcam illam vocem referentes θεοσέβειαν. Eſt & vocabulum illud iam æquè Latinis & Græcis Chriſtianis vſitatum, λατρεία, quæ Deo ipſi tantummodo debetur: apud gentes verò & profanos λατρεία & δουλεία eodem ſenſu, pro ſeruitute capiuntur. has Theologi noſtrates diſtinxêre, & λατρείαν, ὑπερδουλείαν & δουλείαν dixerunt, primam Deo attribuentes: alteram, id eſt hyperdulian, Virgini matri: reliquam diuis, & ſanctis. Eſt & Græcis frequens τελετὴ, qua voce & Latini nonnunquam vſi ſunt. Eſt & noſtris veneratio, & adoratio, & ſi quæ alia eiuſmodi ſunt. Sed iam quod inſtat agamus.

Cùm deos Gentium, & eorum cognomina hoc libro complecti propoſuerim, quantum imbecilles & animi & corporis vires patientur, viſum eſt non incongruum, nec abs re fore, ſi quædam altius repetam, quæ de Deis antiqui viri doctiſſimi ſtatuerunt, vt facilior via præparetur ad ea quæ deinceps tractanda ſunt. Diligentiſſimus ac probatiſs. omnium Græcorum conſenſu hiſtoriæ ſcriptor Diodorus Siculus: De deis, inquit, & qui eos primi colere docuerint, & quid de illorũ immortalitate ſenſerint, paucis propter rei difficultatem exprimi non poteſt. Veriſſimè quidem illi Diodoro & gentili, & in errorum tenebris verſanti: ſed verum Deum colentibus non ita difficile, vt ex iis quæ Chriſtiani noſtri ſcriptores contra gentium religiones pridem docuerunt. Scribit D. Cyprianus in eo, quòd idola Dei non ſint: Hoc (inquit) ita eſſe, Alexander magnus inſigni volumine ad matrem ſuam ſcribit, metu ſuæ poteſtatis, proditum ſibi à piis hominibus, à ſacerdote ſecretum: quòd maiorum Regum memoria ſeruata ſit, inde colendi & ſacrificandi ritus inoleuerit. Hæc ille.

Cùm igitur deorum Gentilium nomina & cognómina non tam interpretari, quàm ridere vanitatem meditarer, varię eorum opiniones ſeſe mihi offerebant: quarum hîc nonnullas breuiter afferre placuit, ab eâq; exordiri, quam in Aſclepio Aegyptius ille Hermes ter maximus attulit, qua alios ait deos à Deo illo maximo & ſummo factos, alios ab hominibus: quę verba qui audit, vt à me poſita ſunt, putare poſſet, dici de ſimulachris deorum: quia opera ſunt (vt magnus vates & rex canit) manuum hominum. at ille viſibilia & contrectabilia ſimulachra, velut corpora deorum, eſſe aſſerit, in quibus ineſſe quoſdam ſpiritus inuitatos, qui aliquid valeant ſiue ad nocendum, ſiue ad deſideria eorum nonnulla complenda, à quibus eis diuini honores & cultus obſequia deferebantur. Sed hæc ab Aur. Auguſtino in 8. de Ciuit. Dei redarguta & explicata ſunt. quare nos Aegyptiorum theologia quid hac de re ſentiret, potius afferamus: Aegyptiorum inquam, qui Platone teſte, ſe aliorum antiquiſſimos haberi volunt. tametſi non deſunt, qui id inficiantur, Græcóſq; in Aegyptum cùm alluuionis & cataclyſmi temporibus, tum aliarum cladium cauſa tranſmigraſſe prodiderunt. Hi ergò, vt Diodorus & Euſebius tradunt, deorum genus primùm apud ſe extitiſſe volunt, duóſq; deos in primis affirmabant, Oſirin & Iſin: illum ſolem, hanc lunam interpretantes. dein eorum cæteram turbam commenti, adeò vt non modò homines & rationis expertes animantes, ſed & hortenſia ipſa & holera pro deis habuerint & coluerint. Non diſſimilia à Lactantio in ſecundo, & Herodoto, & Strabone, & Iuuenale, vt alios mittam, traduntur.

Aethiopes, qui & ipſi antiquiſſimi feruntur, ſe primos etiam deos coluiſſe affirmabant: quod veriſimile etiam Diodoro videtur, quòd eorum ſacra omnibus gentibus grata extiterint: atq; ideo Homerus quoq; Iouem & deos cęteros induxit ſuo carmine, tum ad ſacra quæ eis de more fiebant, tum ad odorum ſuauitatem commigrare ſolitos. Eadem ſacrorum ratione illis a deis conceſſum exiſtimabatur, vt ſemper liberi fuerint, neq; vnquam bello victi, nec ab exteris regibus ſubacti. Sed quoniã Aethiopum fuit regio ampliſſima, varij idcirco apud ipſos deorum cultus & ſacra fuêre. quidã enim apud eos ſempiternos deos, alij mortalis & corruptibilis naturæ participes eſſe putauêre. mitto, qui nullos eſſe deos credidêre, vt præſenti noſtro negotio alieni.

Ad hæc Phœnices de deis & rerum principio miranda tradiderunt, quæ in eorum theologia leguntur, quam primùm Phœnicum lingua exquiſitiſſimè cònſcripſit Sanchuniathon Berytius, vir inter antiquiſſimos connumeratus: quem vel ante tempora Troiana floruiſſe, prodiderunt Porphyrius Tyrius philoſophus, in 4 eorũ quos aduerſus Chriſtianos lib. euomuit, & Euſebius Pamphili libro primo Præparat. euang. Eam theologiam Philon Byblius, non ille Hebræus, in Græcam linguam tranſtulit: licet Cyrillus Alexandrinus in 6 eorum quos contra Iulianum Cæſarem ſcripſit, non Philonem, ſed Ioſephum Hebræum ſcribere videatur. verùm librariorum hoc erratum, non auctoris putauerim. Certè multos Phœnicum deos legimus, Dagona, Chamum, &c.

Atlantides etiam, qui (vt notiſſimum eſt) Africæ populi ſunt, tum pietate & religione inſignes habiti ſunt, tum & erga aduenas & peregrinos hoſpitalitate commendati fuerunt. hi ab ſe deorum genus manaſſe aſſerebant, idq; credi volebant. Primum verò deum οὐρανὸν, id eſt Cœlum, apud ſe regnaſſe prædicabant: & plures duxiſſe vxores, ex quibus 45 liberos ſuſtulit, præcipueq; ex Titea 17, qui à matre Titanes vocati ſint. Sed horum Atlantidum reliquam theologiam in 4 à Diodoro, & in 2 de Præp. euang. ab Euſebio leges, nos, vt contigerit toto hoc libro, nomina & cognomina recitabimus.

Augilæ, & ipſi Africæ populi, nullos deos putarunt præter defunctorum manes, à quibus reſponſa petere ſolebant, ſepulchris incubantes, vt Mela aliique prodiderunt.

Phrygum item theologia de Deorum origine, his non valde abſimilia aſſe-

rebat.

rebat, eodem Diodoro & Euſebio teſtibus: de qua, cùm Cybelis cognomina interpretabor, plura referam.

Perſarum quæ de Deis fuerit ſententia, afferamus. Perſæ nec ſtatuas, nec aras erigebant: deos verò, vt Strabo ſcribit, putabant, Cœlum, quem Iouem exiſtimabant: Solem colebant, quem Mithran vocabant: de quo in Apolline, quæ multa collegimus, recitabimus. colebant item Lunam & Venerem, & Ignem, & Tellurem, & ventos, & aquam: quibus quomodo rem ſacram facerent, cùm de ſacrificiis agemus, pluribus diſſeremus.

Iudæi quoq;, vt Cornelij Taciti verbis agam, mente ſola, vnúmq; numen intelligũt: profanos, qui deûm imagines mortalibus materiis in ſpecies hominum effingant: ſummum illud & æternũ, neq; mutabile, neq; interiturum. igitur nulla ſimulachra vrbibus ſuis, nedum templis ſunt: non regibus hæc adulatio, non cæſaribus honor. Sed quia ſacerdotes eorum tibia tympaniſq; concinebant, hedera vinciebantur, vitiſq; aurea templo reperta, Liberum patrem coli, domitorem orientis, quidam arbitrati ſunt, nequaquam congruentibus inſtitutis: quippe Liber feſtos lætóſq; ritus poſuit, Iudæorum mos abſurdus ſordidúſque. hæc quidem Tacitus, mendaciorum (vt ait Septimius) loquaciſſimus: cui & Plutarchum in Sympoſiacis paria ſcribentem videmus, rectè nec ne, nunc non eſt diſcutiendi locus.

Cæterum & Germani priſco tempore, vt idem etiã Tacitus ſcribit, nec deos cohibere parietibus, neq; in vllam humanioris ſpeciem aſſimilare, ex magnitudine cœleſtiũ fas arbitrabant. Sed de his hactenus. nimis quippe longus ſermo foret, ſi omnium nationum omnes ſentẽtias hac in re afferre vellemus: & propterea nos incœpta noſtra ſequamur. Scribit Iſidorus, apud Græcos Cecropen primum omnium Iouem appellaſſe, ſimulachra reperiſſe, aras ſtatuiſſe, victimas immolaſſe, viſis (inquit) nequaquam iſtiuſmodi rebus in Græcia. At verò Didymus in libris ἐξηγήσεως πινδαρικῆς, colendorũ deorum auctorem primum fuiſſe Meliſſea Cretenſium regem ſcribit, qui & illis primus ſacrificauit, ac ritus nouos ſacrorum ac pompas induxit. Hic autem Meliſſeus duas filias habuit, Amaltheam & Meliſſam, quæ Iouem infantem aluerunt: & dein Meliſſam Magnæ matri ſacerdotem à patre cõſtitutam, vnde & eiuſdem matris antiſtes Meliſſea veteribus nuncupabatur. hæc quidẽ & Lactantius. de Meliſſa tamen, dum Nymphas ſcribemus, plura dicturi ſumus. Alij Iouem ipſum fuiſſe volunt, qui rerum potitus in tantam inſolentiam venerit, vt ipſe ſibi fana multis in locis conſtituerit: vt eſt in ſacra Ennij hiſtoria traditum. Nam cùm ipſe Iupiter terras circumiret, in quamcunque regionem veniret, reges & principes, vt eorum populos hoſpitio ſibi & amicitia iungeret, cum ab eis digrederetur, iubebat fanum cõſtrui hoſpitis ſui nomine, quaſi ita poſſet amicitiæ & fœderis memoria conſeruari. Sic conſtituta ſunt multa templa, ab amicis & hoſpitibus cognominata, vt Ioui Atabyrio, Labradæo, Laprio, Caſio, & alijs, vt mox referemus. atque ita ille ambitioſus ſibi diuinos honores comparauit, quæ copioſius à Lactantio prodita ſunt,

Hoc quoq; loco id tibi ſignificandum duxi, quinam deorum filij à gentibus vocarentur: nam & in ſacra Moſis hiſtoria, deorum filij dicuntur, & Dei filij, vario licet modo, quem nobis ingenioſè & piè explicat Auguſtinus vltimo cap. lib. 11. de Ciuit. Dei. Scribit verò Lactantius, de iis qui montium fluuiorúmve dicti ſunt filij, non videri conſentaneum, ex rebus ſenſu carentibus poſſe generari: ſed eos potius ſignificari, qui nati ſunt ex his hominibus, qui vel montibus, vel fluuiis, & locis nomina indiderunt. id enim fuit apud veteres maximè vſitatum. Hinc Atlas, Auentinus, Tiberinus, Inachus, & ſimilia.

Fuerunt &, qui hos in dæmonas ſuccubos & incubos retulerũt, quòd ſcilicet poteſtas ea malis ſpiritibus ante CHRISTI aduentum permiſſa eſſet: ſed et poſt Chriſtum, vt aliqui aſtruunt, de Merlino, aliíſque nonnullis. Minutius Felix

in eo lib. qui Octauius inſcribitur. Qui nuper impreſſus Romæ, ſub nomine Arnobij perperam nũcupatus eſt. quod liquidò is cognoſcet, qui Hieronimum, & Sophronium de viris illuſtribus, & Lactantium legerit. eos ille ait, quorum virtutes miramur, ac eos qui repentinè aduenerint, de cœlo cecidiſſe dici: terræ autẽ, quòd ignotis parentibus natos, Terræ filios nominemus. quod & Tertullianus, & Fabius Quintilianus, aliiq; tradũt, variè licet, vt Politianus & Merula. Gellius præterea præſtantiſſimos virtute, prudentia, viribus, appellatos Iouis filios: ferociſſimos & immanes, & ab omni humanitate alienos, tanquam è mari genitos, Neptuni filios. Sed & Seruius Neptunum prodigiorum omnium patrem ſcribit: Hinc etiam fit, ait, vt quotieſcunq; deſunt parẽtes, redeatur in generalitatem. Sic & peregrinos, Neptuni filios dicimus, quorum ignoramus parentes. Vnde autem ſinguli deorũ extiterint, an cuncti ſemper fuerint, aut qua ſpecie, hactenus (ſcribit Herodotus) ignoratum eſt, niſi nuper atq; heri, vt ſic dicã. nam Heſiodus atq; Homerus, quos 400 non amplius annis ante me (ait Herodotus) opinor extitiſſe, fuère, qui Græcis deorum ſobolem introduxerũt, eiſque & cognomina & honores & diuerſa officia & figuras attribuerunt: alij Orpheum exiſtimauerunt, qui hos ætate anteceſſerit. Scribit D. Epiphanius, non modò vir ſanctitate inſignis, ſed & eruditione, cum primùm falſa religio per dæmonum maleficia innouata eſt, & deorũ ſimulachra expreſſa, quemq; pro artificij ſui materia deos ſibi effinxiſſe: figulum ex luto & argilla, fabrum lignariũ ex ligno, aurificem ex auro, argentarium ex argento, & cæteros ſimili ratione: amplius verò vnumquenq; proprium affectum ad formæ oculorum ſimilitudinem deſcripſiſſe: ſanguinarium quendam virum, Martem: adulterum & adulteram, Pandemum Venerem, id eſt communẽ & vulgarem: tyrannum, Victoriã deam extuliſſe: ſordidum autem, & huiuſmodi rebus inhiantem, Saturni imaginẽ præſcripſiſſe: effæminatos & molles, Cybelem & Rheam, propter fluxus multiplicis mixturæ à corporibus: guloſum verò, aut guloſam, Dianam venatricem propoſuiſſe: bibacem & ebrioſum, Bacchum: ærumnoſum, Herculem: ſectãtes promiſcuos coitus, Iouem & Apollinem, & eiuſmodi reliquos.

Sed cùm eos nos qui ſe deos primùm coluiſſe exiſtimauerunt, attulerimus, de induſtria ſilui, quæ in ſacra hiſtoria Hebræorum & noſtrâ pariter traduntur, ne fontanam limpiſsimam cloacæ immitterem. Noſtræ verò huic tractationi conuenire videtur, vt philoſophorum etiã & eorũ qui ſapientes habiti ſunt, ſententias de deis breuiter receſeamus. Scribit Origenes libro aduerſus Celſum quinto, Mundum quoſdam vniuerſum, deum eſſe affirmaſſe: & Stoicos quidem primum Deum eſſe mundum, & Platonicos ſecundũ, ex cæteris Græcis aliquos tertium mundum dixiſſe. At nos hîc potius ſingulorum philoſophorũ quas opiniones & ſententias legimus, afferamus.

Inter hos primus habitus Thales Mileſius, qui Deum dixit mentem, qui ex aqua cuncta formauerit, nec principium nec finem habiturus. Huius Thaletis ſententiam ſic exprimit Minutius Felix in dialogo: Thales, inquit, rerũ initium aquam dixit: Deum autem eam mentem, quæ ex aqua cuncta formauerit, & altior & ſublimior aquæ & ſpiritus ratio, quàm vt ab homine poterit inueniri, à Deo tradita.

Anaximander, & ipſe Mileſius, Praxiadæ filius, ſtellas & âſtra deos eſſe cœleſtes putauit. nihil hic diuinæ menti attribuit, vt ait Auguſtinus. Sed Cicero in primo de Nat. deorum, eius ait opinionem fuiſſe, natiuos deos eſſe longis interuallis orientes, occidenteſq;. Vt verò ait Epiphanius, infinitum voluit eſſe vniuerſorum principium: ex hoc enim omnia fieri, & in ipſum reſolui.

Anaximenes, Euryſtatæ filius, & ipſe Mileſius, infinitum aera dixit, cui omnes cauſas attribuit, & deos ex aere ortos, vt ait Auguſtinus. At M. Cic. Aera ipſum Deum ſtatuiſſe ſcribit, alij æthera dixère.

Democritus Abderites Deum exiſtimauit mentẽ eſſe igneam, & mundi ani-

mam.

mam. Sed ab his diuerſa Tullius, imagines & earum circuitus in deorum numero refert, ita vt imagines atomos intelligat. Democritus (inquit Arnobius) quamuis atomorum primus inuentor, nónne plerunque naturam quæ imagines fundat, & intelligentiam, Deum loquitur?

Pythagoras, Mneſarchi filius, Deum ita definiuit: animus, qui per vniuerſas mundi partes, omnémque naturam commeans atque diffuſus, ex quo omnia quæ naſcuntur animalia vitam capiant. Sunt qui ſcribant, ipſum vnum tantùm principium, & Deum ipſum eſſe. Plutarchus in Numa: Pythagoras, inquit, primum principium, neque ſenſui, neque perturbationi ſubiectum, ſed mentē inuiſibilem & increatam eſſe cenſuit. Eius quoque diſcipuli, Lyſis & Philolaus, diuerſa dixêre: alter numerum ineffabilem, alter (vt ſic dicam) maximi intimique numeri ſummitatem. communis certè omnium opinio tenet, eum in numeris Deū cōſtituiſſe, & vt Origenes ſcribit, monada Deum putauit, & ſine hac nihil factum eſſe.

Archelaus Apollodori, vel vt alij dicunt, Miltonis, Athenienſis phyſicus, ex terra omnia facta dicit, vt ait Epiphanius: eamque voluit vniuerſorū eſſe principiū.

Pherecydes quoque, eodem auctore tradente, terram dixit ante omnia factam fuiſſe.

Heraclitus Epheſius, deos ex igne credidit, vt Varro & Auguſtinus tradunt. Origenes intelligibilem dixit ignem. Simplicius idē ſenſiſſe Hippaſum Metapontinum tradit.

Anaxagoras, Hegeſibuli filius, Clazomenius, diſcipulus Anaximenis, homœomerias rerum principia putauit, vt Lucret. cecinit, & notant cum Epiphanio alij plerique. hic & diuinum animum ſenſit omnium rerum quas videmus eſſe ctorem: ita quidem Auguſtinus. alij verò infinitam mentem Deum ſtatuiſſe ſcribunt, quæ per ſeipſa moueatur. Hunc tamen, quod Solem lapidem ignitum dixiſſet, morte mulctarunt Athenienſes.

Prodicus Ceus quatuor elementa deos ſtatuit, & Solem & Lunam, vt Epiphanius ſcribit. ex iis enim vitalem virtutem exiſtere credebat.

Diogenes Apolloniates, Anaximenis alter auditor, aerem quidem dixit rerum eſſe materiam, de qua omnia fierent: ſed aerem ipſum compotem diuinæ rationis, ſine qua nihil ex eo fieri poſſit: Auguſtinus, plura Simplicius. At verò Diogenes Babylonius, exponendi curam habuit: ante Iouis partū, & exortum Mineruæ: & hoc genus cæterarum rerum vocabula eſſe ait, non deorum, vt auctor eſt Arnobius.

Cleanthes Aſſius, Stoicus, æthera eſſe ſtatuit ſummum Deum: vt verò Arnobius ait, mentem modò, animum modò, modò æthera, plerunque rationē Deum eſſe diſſeruit. Straton, Naturam ſtatuit deum, vt idem prodit Arnobius.

Antiſthenes Athenienſis, multos quidem eſſe ait populares deos, vnū tamen naturalem, ſummæ totius artificem.

Chryſippus Cilix (nam à quibuſdam Solenſis, ab aliis Tarſenſis dictus) Stoicus, nunc naturalem vim diuina ratione præditam, nunc diuinam neceſſitatem Deum prædicabat. Zeno verò Cittieus, diuinam naturalémque legem Deum eſſe putauit, & ſimul (vt Arnobius tradit) æthera: interdúmque rationem vult omnium eſſe principium. Idem, interpretando Iunonem aera, Iouem cœlum, Neptunum mare, ignem eſſe Vulcanum, & cæteros ſimiliter vulgi deos elementa eſſe monſtrando, publicum grauiter arguit & reuincit errorem. Vt verò ſcribit Origenes οἱ τῶ περὶ φιλοσοφουμένοις, hos Deum putaſſe principium omnium, corpus puriſſimum, & per omnia ipſius prouidentiam penetrare.

Xenophanes, Orthomenis filius, Colophonius, omne quod eſſet infinitum, adiuncta mente, Deum eſſe voluit. Theophraſtus, vnū & vniuerſum, omneque Deū Xenophanem dixiſſe prodidit, vt pluribus oſtēdit Simplicius in Phyſicis.

Parmenides, Pyretis filius, Eleates, commentitiū quiddam coronæ ſimilitudine efficit, quam στεφάνην appellat, continentē ardorem lucis, orbem qui cingit

cœlum

cœlum, quem Deum vocat, in quo neq; figuram diuinam, neq; ſenſum (ait Cic.) quiſquam ſuſpicari poteſt. nam bellum, diſcordiam, & cupiditatem, cæteráq; generis eiuſdem ad Deum reuocat, quæ vel morbo, vel ſomno, vel obliuione, vel vetuſtate delentur. Sed de Parmenide & Meliſſo ferè conſentanea affert Simplicius in primo Phyſicorum, eorum etiam verſus & verba aſcribens. Idem & ex Alexandro ait, à Parmenide libros duos cōſcriptos, in altero de ente vno intellectibili obſcurè & iuxta veritatem, in altero iuxta vulgi opinionem plura ſtatuit. Epiphanius Parmenidem ait ſtatuiſſe, infinitum vnum eſſe omnium principium. Idem verò de Meliſſo ita retulit: Meliſſus, inquit, Ithagenis filius, Samius genere, vnum infinitum eſſe vniuerſum, nihilque firmum eſſe natura, ſed omnia corruptibilia in potentia. Leucippus eadem penè, omniáq; imaginaria eſſe, nihílq; verè, ſed apparere, vt remus in aqua inflexus.

Empedocles Agrigentinus, quatuor naturas, ex quibus omnia conſtare cenſet, diuinas eſſe voluit, quas & naſci & extingui perſpicuum; & ſenſu omni carere, vt in primo de Nat. deorū tradit Cicero. Origenes verò ait, Empedoclem conſtituiſſe litem & inimicitiam, & vnitatis intelligibilem ignem, vniuerſi principia. Simplicius vtraq; commiſcuit, hoc eſt, quatuor elementa, & litē & concordiam: quo loco & eius verſus affert Cicero, & Plato in Theæt. Eadem Diogenes Smyrnæus, vel Cyrenæus, vt ait Epiphanius. Idem & Theodorus, qui ἄθεος cognominatus eſt. dicebat enim nugas eſſe, qui de deis ſermones habentur, nec eos eſſe: quare omnes ad furta, periuria & rapinas hortabatur. ac ne quidem pro patria mori: vnam enim patriam mundum eſſe. & felicem, bonum dicebat: infelicem fugiendum eſſe, etiam ſi ſit ſapiens: & fatuum diuitem præferendum. hæc Theodorus, vt ait Epiphanius.

Protagoras Abderita, negabat ſeſe omnino habere de deis quid liqueat, ſint, non ſint, qualéſve ſint.

Xenocrates Chalcedonius libros ſcripſit de Natura deorum, in quibus nulla ſpecies diuina deſcripta eſt. Deos octo eſſe prodidit, quinq; in ſtellis vagis, vnum qui ex omnibus ſideribus, ſeptimum Solem, octauum Lunam conſtituit. Ex Pyrrhone Elienſi nihil certi haberi poteſt, nec ab eius ſectæ philoſophis.

Plato Athenienſis, qui omnium eius ſectæ philoſophorum ſapientiſſimus iudicatus eſt, planè monarchiam defendit, nec æthera, nec rationem, aut naturam, ſed vt eſt, Deum appellat, ab eóque mundum hunc perfectum, mirabilémque eſſe fabricatū. quem noſter eſt ſecutus M. Cicero, & imitatus, vt alicubi de Nat. deorū, & de Legibus. quin & in conſolatione ſua de morte filiæ Tulliæ, Deum ita definit: Nec verò Deus ipſe, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi poteſt, niſi mens ſoluta quædam & libera, & ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens, & omnia mouens. Nihilominus Platonis quoq; ſententiam variam fuiſſe cùm alij, tum in iis quæ Philoſophumenon inſcripſit, oſtendit Origenes: certè & in Dialogis varius eſt, pro varietate loquentium.

Xenophon Socraticus formam Dei veri negabat videri poſſe, & ideo quæri non oportere, vt prodit Arnobius: qui & Ariſtonē Stoicum ſimiliter ait, Deum omnino comprehendi non poſſe, affirmaſſe.

Ariſtoteles Stagirites, non eſt Platonem doctorem ſecutus. nam ſecum ipſe diſſidere, & ſibi inuicem repugnantia dicere & ſentire videt̃. in ſumma tamen, vnam mentem mundo præeſſe, & omnium cauſam ſtatuit. Alia quidem Cicero: ſed omnino certi aliquid de Deo, ab Ariſtotele afferre nō poſſumus, licet in hoc multi laborauerint, inter quos Fr. Picus meus in libro de Prouidentia.

Speuſippus, ex Platonis ſorore natus, vim naturalem, animalem, qua omnia regnantur, Deum eſſe ſtatuit, vt in octauo ſcribit Arnobius.

Alcmæon Crotoniates, Soli & Lunæ, reliquíſque ſideribus, animóq; præterea diuinitatem dedit: qui, vt ait Cicero, non ſenſit, ſeſe mortalibus rebus immortalitatem dare.

Ecphan-

Ecphantus Syracuſius, Deum mentem & animum eſſe exiſtimauit, vt Origenes ſcribit.

Epicurus Athenienſis, ex atomis deos ſuos conſtituit, & eos quidem corporeos putauit, ab hominibus tamen diſcretos, hominum tamen figura. Origenes ex Epicuri ſententia ſempiternos deos & incorruptos ait, ſed nihil prouidere. M. Tullius libro ſecundo de Nat. deor. de deis ab Epicuro conſtitutis: Non ſunt, inquit, de iis corporibus, vt aut caſus, aut ictus extimeſcant, aut morbos metuant, ex defatigatione membrorum: quę verens Epicurus, monogrammos deos dixit, quòd ſemper iidem ſint, nec ira lætitiáve mutari. tractum ab eo picturæ genere videtur, quod monochroma eſt, vnius ſemper coloris, de quo Plinius libro trigeſimotertio & trigeſimoquinto Natural. hiſt. vel vt Nonius Marcellus exponit, macie pertenues, ac decolores: tractum ait à pictura, quæ priuſquam coloribus corporetur, lineis ex vmbra fingitur. Lucilius, Vix viuo homini, ac monogrammo. & idem alibi, Quæ pictas monogrammi. Quaſi id dicat Cicero, Deos qui ſemper ſint eiuſdem tenoris. & de deo Epicuri canit Lucretius: Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira: & reliqua, quæ ait idem poeta. Arriſit ita hæc monogrammi vox Eraſmo, vt in ſua Prouerbia induxerit.

Brachmanæ, Indię ſapientes, Deũ lumen dicebant, non vt Solem, vel ignem, ſed rationem, qua occulta myſteria ſapientibus videntur, vt ait Origenes.

Stoici vt plurimùm Deum diuinam ſubſtantiam, intelligibilem, & igneam eſſe decreuerunt, forma carentem, ſed tranſmutari in quæcunq; velit, & aſſimilem fieri. Origenes quidem contra Celſum libro 4. videt̃ Stoicos dicere deos putaſſe corporeos. Iidem philoſophi aſtra & cœleſtia omnia quæ mouentur, deos putabant: quod & Lactantius ſcribit. M. Tullius in primo de Nat. deorũ, oſtendit quãtum inter ſe diſſiderent, nec modò Zenonem ſecũ ipſum, ſed illius ſectatores, Ariſtonẽ, Cleanthem, Perſeũ, Chryſippum, & Diogenẽ Babyloniũ.

Ariſtoteles Põticus, varia de Deo agẽs, vt ſcribit Arnobius. Sed rectius Minutius Felix, vt antè oſtendimus. nam aliàs mũdo, aliàs mẽti tribuit principatũ.

Heraclides Ponticus, Platonicus, ſuos libros fabulis referſit, & tum mũdum, tum mentem diuinam eſſe putauit, & mutabilem Dei formam eſſe voluit: quin & terrã & cœlum in deos retulit. Arceſilaus Deum ſolùm dixit aſſequi poſſe veritatem, minimè verò hominem, vt ait Epiphanius.

M. Varro Terentius, Deum ait ſe arbitrari Animam eſſe mũdi, ipſumq; mundum Deum eſſe. mox adiungit: mundum diuidi in partes duas, id eſt in cœlum & terram: & cœlum ipſum quoque bifariàm, in æthera & aera: terram verò in aquam & humum, è quibus ſummum eſſe æthera, ſecundum aera, tertiã aquam, infimam terram: quas omnes quatuor partes animarũ eſſe plenas, in æthere & aere immortalium, à ſummo autem circuitu cœli, vſque ad circulum Lunæ ęthereas animas eſſe aſtra ac ſtellas, eáſq; cœleſtes deos non modò intelligi eſſe, ſed etiam videri. Inter Lunæ verò gyrũ, & nimborum ac ventorũ cacumina, aereas eſſe animas: ſed eas animo, nõ oculis videri, & vocari Heroas, & Laruas, & Genios. hæc quidem breuiter ex Varrone. Has itaque de deis opiniones philoſophorum, ex multis paucas collegimus. Sed Tertullianus Septimius, vir acutus & eruditus, longè paucioribus in Apologetico recenſuit: Inuentum, inquit, ſolummodo Deum, non vt invenerant, philoſophi diſputauerunt, vt & de qualitate & de natura eius & de ſede diſceptarẽt. Alij (ait) incorporalem aſſeuerant, alij corporalem, vt tam Platonici, quàm Stoici, alij ex atomis, alij ex numeris, ſicut Epicurus & Pythagoras. alij ex igne, qualiter Heraclito viſum eſt. & Platonici quidem curantem rerum, cõtrà Epicurei ocioſum & inexercitum, & (vt ita dixerim) neminem humanis rebus, poſitum verò extra mundum. Stoici, qui figuli modò extrinſecus torqueat molem hanc intra mundum: Platonici, qui gubernatoris exemplo intra illud maneat quod regat.

Sed gentium deos commemorãti, liceat & Plinij ridiculam penè de deis ſententiam

tentiam aſcribere. Is igitur libro ſecundo ita propémodum ſcribit: Effigiem formámque quærere, imbecillitatis humanæ reor. Quiſquis eſt Deus, ſi modò eſt alius, quàm ſcilicet Sol, & quacunque in parte, totus eſt ſenſus, totus eſt viſus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus ſui. Innumeros quidem credere, atque etiam ex virtutibus vitiiſq; hominum, vt pudicitiam, concordiam, mentem, ſpem, honorem, clementiā, fidem, aut (vt Democrito placuit) duos omninò Pœnam & Beneficium, maiorem ad ſocordiam accedit. Fragilis & laborioſa mortalitas in partes iſta digeſſit, infirmitatis ſuæ memor, vt portionibus coleret quiſque quo maximè indigeret. itaque nomina alia aliis gentibus, & numina in iiſdem innumerabilia reperimus: inferis quoque in genera deſcriptis, morbiſque & multis etiam peſtibus, dum eſſe placata trepido metu cupimus, & cætera non minus impia, quàm ridicula. Sed hîc tibi Panegyriſtæ verba de Deo ſubſcribam, magis aliquanto pia quàm Plinij: Te, inquit, ſumme rerum ſator, cuius tot nomina ſunt, quot gentium linguas eſſe voluiſti, quem enim te ipſe dici velis, ſcire non poſſumus: ſiue in te quædam vis ménſque diuina eſt, quæ toto infuſa mundo, omnibus miſcearis elementis, & ſine vllo extrinſecus accidente vigoris impulſu, per te ipſe mouearis: ſiue aliqua ſupra omne cœlum poteſtas es, quæ hoc opus totum ex altiore Naturæ arce deſpicias: te inquam oramus. & reliqua.

Poetarum verò opiniones hîc tibi non aſcripſerim, quoniam nec fixę nec ratæ ſunt ſententiæ: nunc hanc, nunc illam, pro perſona vel tempore, aliáue occaſione, afferunt, vt ex Homero & Vergilio in primis, cæteriſque colligimus. Orpheus tamen & Muſæus, Heſiodúſque, aliique pauci, vt in Poetarum hiſtoria oſtendimus, nonnihil attuliſſe videntur, ſed ſubluſtri luce. At his omnibus mihi longè ſapientius Simonides Ceus, poeta lyricus, de Deo Hieroni Siciliæ tyranno reſpondiſſe videtur. cùm enim de ipſo Hiero quæſiuiſſet, quid, aut qualis Deus eſſet, deliberandi ſibi vnum diem poſtulauit, cùm idem ex eo poſtridie quæreret, biduum petiuit. cùm ſæpiùs duplicaret numerum dierum, admiránſque Hiero quæreret, cur ita faceret? Quia quantò, inquit, diutius conſidero, tantò mihi res videtur obſcurior. atque ita tacendo Simonides mihi videtur ſapientius de Deo ſtatuiſſe, quàm cæteri philoſophi. Hanc tamen eandem ſententiam Tertullianus in Apol. Thaleti aſcribit, his verbis: Quid enim Thales ille princeps phyſicorum, ſciſcitanti Cræſo de diuinitate, certum renunciauit? commeatus deliberandi ſæpe fruſtratus. Hactenus ille.

Sed vt inſtitutum de deis ſequamur, à me ſuſceptū, multa M. Cicero ex Stoicorum ſententia in ſecundo de Nat. deorū enumerauit: inter quæ ea eſt repoſita ratio, quæ phyſica appellata eſt, ex qua plurima deorum multitudo effluxit, qui ſpecie humana inducti fabulas poetis, ſi non & hiſtoricis, ſuppeditauerunt, & hominū vitam omni ſuperſtitione referſerunt: quæ vetus quidem opinio nō modò Græciam, ſed & noſtros, & totum denique orbem oppleuit, vt procedente Opere oſtendemus.

Martianus libro ſecundo Nuptiarum, cùm animaduertiſſet M. Tullium in ſecundo de Diuinatione, ex Hetruſcorum diſciplina cœlum in ſedecim regiones diuiſiſſe, deos deáſque pleroſque ex his 16 regionibus enumerat, quā particulam hîc ego aſcribam: aliò enim, quàm Varro, quámue Hierocles, & alij, deos recenſet. ita ille igitur: In 16 (inquit) diſcernitur cœlum omne regiones, in quarum prima ſedes habere memorantur poſt Iouem dei Conſentes, Penates, Salus ac Lares, Ianus, Fauores, Opertanei, Nocturnúſq;. In ſecunda itidem manſitabant, præter domum Iouis, quæ ibi quoque ſublimis eſt, vt eſt in omnibus prædiatus, Quirinus, Mars, Laris militaris: Iuno quoq; ibi domicilium poſſidebat, Fons, & Nymphæ, deique Nouenſiles. Sed de tertia regione vnum placuit corrogari. nam Iouis ſecundani, & Iouis opulenti, Mineruæq; domus illic ſunt conſtitutæ. Sed omnes circa Iouem fuerant in præſenti. Diſcordiam verò, ac Se-

ac Seditionem, quis ad ſacras nuptias corrogarit? præſertim cum ipſe Philologiæ ſemper fuerint inimicæ. De eadẽ igitur regione ſolus Pluton, quòd patruus ſponſi eſt, conuocatur: tunc Lympha ſylueſtris, Mulciber, Lar cœleſtis, necnon Familiaris, & Fauor, ex quarta regione venerunt. Corrogant ex proxima trãſuerſis domibus coniugum regum, Ceres, Tellus, Terræq́ pater, Vulcanus, Genius: vos quoq́ Iouis filij, Pales et Fauor, cum Celebritate Solis filia, ex ſexta poſcimini: nam Mars Quirinus, & Genius, ſuperius ſunt poſtulati: ſic etiam Liber, ac Secundanus, & Pales, vocantur ex ſeptima. Fraudem quippe ex eadem poſt longam deliberationem placuit adhiberi, quod crebrò ipſi Cyllenio fuerit obſecuta. Octaua verò tranſcurritur, quòd ex eadem cuncti ſuperius corrogati, ſolúſq́ ex illa veris fructus adhibetur. Iunonis verò Hoſpitæ Genius, accitus ex nona. Neptune autẽ, Lar omniũ cunctalis, ac Nerita, tuq́ Conſe, ex decima conueniſtis. Venit ex altera Fortuna, & Valetudo, Fauórq́ Pauore & Manib⁹ refutatis: quippe hi in conſpectũ Iouis non poterant aduenire. Ex duodecima Sancus tantummodo aduocatur. Fata verò ex altera poſtulãtur: cæteri quippe illic dei Manium demorati. Ex biſſeptena Saturnus, eiúſque cœleſtis Iuno conſequenter acciti, Veiouis ac dei publici ter quino ex limite conuocantur. Ex vltima regione, Nocturnus, Ianitoréſque terreſtres ſimiliter aduocati. Atque hactenus de 16 cœli regionibus, Martiani ipſius verbis potius, quàm vel noſtris, vel à Crinito interpolatis, vt ab eo deos quoſdam commemoratos videres, qui minimè ſunt ab aliis. Alij porrò Dei qui non eſſent in 16 his regionibus aſcripti, ab eodem Martiano & Seruio ἄζωνοι vocati fuerant, quaſi non continerentur in his 16 zonis, id eſt circulis: de quibus quidem deis alio loco non multo pòſt differemus.

Fuerunt qui deos breuius hac diuiſione notarent, Cœleſtes, Terreſtres, Infernos, Marinos, Fontanos, Fluuiales. Scæuola verò, apud Romanos vir doctiſsimus, vt Auguſtinus in 4 de Ciuitate Dei refert, deorum tria genera tradi ait: vnum à poetis, alterum à philoſophis, tertiũ à principibus ciuitatis. Primum genus nugatorium fuiſſe dicit, quòd multa de deis fingerentur indigna, &c. His commodè afferre poſſumus eam theologiæ diuiſionem, quam M. Varro in libris Antiquitatum diuinarum humanarúmq́ rerum feciſſe legimus apud Auguſtinum: Mythicon ſcilicet, hoc eſt fabuloſum: Phyſicon, id eſt naturale: & πολιτικὸν, id eſt ciuile. Primum ait mendaciſſimum, & turpiſſimum: ſecũdum à populis remotum, parietibus incluſum: tertium ciuile & populare, ab antiquis inſtitutum. primum pertinet ad theatra, ſecundum ad mundum, tertium ad vrbes & ſacerdotes.

Scribit Dionyſius Alicarn. libro 2 Antiquit. Romanos, videlicet veteres, poetarum commenta de deis eieciſſe, quibus Dei inter ſe pugnantes diſſidentéſq́, & adulteria perpetrantes, eiuſmodíq́ facere finguntur, quæ non modò de deis ipſis, ſed nec de viris quoq́ probis digna eſſent vt dicerentur. Similia his & Euſebius Pamphili ſcribit in Præparatione euang. Aegrè fert M. Cicero libro ſecundo de Nat. deorum, ſub perſona Q. Lucilij Balbi, commenticios deos ita inſtitutos. ita enim ait: Videtiſne igitur vt à phyſicis rebus benè atq́ vtiliter inuentis, ratio ſit tracta ad commenticios & fictos deos? quæ res genuit falſas opiniones, erroréſq́ turbulentos, & ſuperſtitiones penè aniles. Et formæ enim deorum nobis, & ætates, & veſtes, & ornatus noti ſunt; & cætera quæ ſubiũgit. Quin etiam Varro, Antiquos ait ſimulachra deorum & inſignia ornatúſq́ finxiſſe, quæ cùm oculis animaduertiſſent hi qui adiiſſent doctrinæ myſteria, poſſent animam mundi ac partes eius, id eſt deos veros animo videre: quorum qui ſimulachra ſpecie hominis fecerunt, hoc videri ſecutos, quòd mortaliũ animus, qui eſt in corpore humano, ſimillimus eſt immortalis animi, tanquam ſi vaſa ponerentur cauſa notandorum deorum: & in Liberi ædem œnophorum ſiſteretur, quod ſignificaret vinum: per id quod continet, id quod continetur: ita per

ſimulachrum, quod formam haberet humanam, ſignificari animam rationalem, eo quòd velut vaſe natura iſta ſoleat contineri, cuius naturæ Deum volebant eſſe, vel deos. hæc ex Varrone. Adhæc & ſuos colores deis, & ætates attribuebant, vt in ſecundo Plin. oſtendit: quo loco irriſa deorum multitudine, alios ex eis creditos ſcribit grandæuos, ſemperq; canos, alios iuuenes atq; pueros, atri coloris, aligeros, claudos, ouo editos, & reliqua. Porphyrius quoq; philoſophus, cùm Deus (inquit) lux ſit, & ignem æthereum habitet, nulloq; ſenſu capi poſſit, lucida quidem materia, aut cryſtallo, Pariòve lapide ad comprehendendum lumen ipſius excipiunt. auro verò ignis, illáq; immaculata natura intelligitur. multi autem nigris lapidibus inuiſibile illius ſubſtantiæ ſignificarũt. Hominis quidem formam deis attribuerunt, quoniã Deus ratio. Pulchros fingunt, propter eminentiſſimã & indeficientem illius pulchritudinẽ. Diuerſis prçterea figuris & ætatibus, & alios ſedentes, & alios ſtantes, mares alios, alios fœminas, aut virgines, aut coniuges: diuerſo quoque amictu ſimulachra conſtituebant, vt eorum diuerſitates ſignificarent. Quin & alio loco idem Porphyrius, quæ deis attribuantur, ea allegoricè interpretanda docet: quam rem & Euſebius Pamphili repetit. Sunt etiam qui tradant, gentes effingere ſolere ſuos deos, prout earum erant inſtituta & mores. vnde Lacedæmonij pleroſq; deos deáſq; armatos efformabant, quia ipſi armis delectarentur. Phœnices, quia mercimoniis et mercaturæ dediti erant, deos cum nummariis loculis effingere ſolebãt, eò quòd ipſi pecunioſum beatum putabant: itáque cæteræ nationes. Atque adeò hinc eſt factum, vt mihi in Syntagmatibus his nõnihil laborandum ſit, vt hæc de deorum habitu & ornatu, picturáque antiquorum, figmenta patefacerem, irridendi ſcilicet & exſibilandi cauſa: quanquam & vereor, ne & aliqui mihi (vt hoc nunc tempore permulti ſunt, qui aliò res transferunt piè inſtitutas) vitio vertant, tot diuorũ diuarúmq; imagines, tot effigies, nõ in templis modò, & ſacrarũ ædium parietibus parum honeſtè & ſanctè confictas, ſed paſſim etiam locis publicis & profanis, & irreligioſis. At de iſtiuſmodi magis mutire poſſumus, quàm palàm loqui: & idcirco ſatius ea fuerit Harpocrati & Angeronæ conſignare. Illud certè non prætermittam, nos, dico Chriſtianos, vt aliquando Romanos, fuiſſe ſine imaginibus in primitiua, quç vocatur, eccleſia. Nam Varrone teſte, & Auguſtino referente, Romani pluſquàm centum & 70 annos, deos ſine ſimulachris coluêre: quod & Plutarch. in Numa ait. id quod tamen mihi non ſit veriſimile, ſi vera ſunt quæ de Iani ſtatua à ſcriptoribus Plinio, Macrobio & Suida traduntur. Sed & Origenes libro aduerſus Celſum 7 ſcribit, Perſas, Scythas & Lybicos, atq; Syros, neq; ſtatuas aráſq;, ſed nec templa & ſimulachra intueri ſolitos: quo loco multa acutiſſimè diſſerit. At verò & illud quidam quærunt, quo pacto vana hominibus irrepſerit religio, quæ homines deos & nominarit & coluerit. & quanquam alibi attigi, paucis tamẽ & hoc tibi loco aſcribendũ duxi, quòd eam Græci & Latini pluribus ſunt executi. Rudes ergo & ſimplices homines cùm quoſdã inter ipſos cernerent, qui magna & admiranda vel virtutum, vel cęterarum rerum prçclara facinora efficerent, illos ipſos pluſquàm homines, hoc eſt deos putabant: vel vt fieri ſolet, interdum in admirationem prçſentis potẽtiæ ac fortunæ, ſiue ob beneficia etiam quibus erant affecti, ac bene ad humanitatem compoſiti. deinde cùm reges ipſi his chari fuiſſent, quibus vitam cõpoſuiſſent, magnum ſui deſiderium mortui reliquerũt. vnde & ſimulachra primùm eorum finxerunt ad ſolatium. inde etiam defunctorum memoriam colere cœperunt, vt etiam in Sepulchralibus oſtendimus. hinc M. Cicero de Nat. deorum, inter alia & hoc: Suſcepit autem vita hominum, conſuetudóq; communis, vt beneficiis excellentes viros in cœlum fama ac voluntate tolleret. Hinc (inquit) Hercules, hinc Caſtor & Pollux, hinc Aeſculapius, hinc Liber. Hæc Cicero.

Sed illam quoq; ethnicorũ ſuperſtitionẽ tibi ſignificandam, antequàm cętera aggrediar, duxi, qua exiſtimabãt ſingulas in homine partes, & mẽbra, ſingulos

deos

deos obtinere,vt ait Placiades Fulgentius:Iouem caput,Mineruam oculos, Iunonem brachia,pectus Neptunum: cinctum Martem, renes & inguina Venerem, pedes Mercurium, ſicut Democritus in Phyſiologumenis ſcripſit. vnde Homerus ait,

ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ,
ἄρει δὲ ζώνην, στέρνα δὲ ποσειδάωνι. hoc eſt,

Oculos & caput ſimilis Ioui terpſicerauno, Marti cingulum, & pectus Neptuno. Nam & Tyberianus poeta in Prometheo fabula ait, deos ſingula ſua homini tribuiſſe. Quin & Seruius in Bucolic. Virgilij etiam illud obſeruat, ideo à poeta dictum, Cynthius aurem vellit, quia auris Memoriæ cōſecrata ſit, quod & Plin. ſcribit: quam auris partem anteſtantes, ſeu atteſtantes (vtroq; enim modo legimus) reo attingere ſolebant, dum in ius vocabant. quod apud Horatium notāt grammatici, ſuper eo verſu, Magna Exclamat voce: & licet anteſtari? ego verò Oppono auriculam, rapit in ius. Meminit & Plautus in Perſa & Gurgulione. nos plura in annotatione oſculi chytræ, quo aures attingebantur: quare ad noſtra redeo. Conſecrata & frons Genio. Hinc Deū venerantes frōtem tangere, & ad frontē manu indita, numina adire ſolebant. Dextra Fidei conſecrata eſt, vt in Fidei imagine dicam. Digiti Mineruæ, genua Miſericordiæ: vnde hæc rogantes tangimus. quæ idem repetit in tertio Comment. Aeneidos, ex Phyſicis excerpta. hinc etiam ſupplicantes, ad ea procūbere & amplecti moris fuit. quanquam & Græcos mentum attingere vna, & altera manu genua apprehendere aliquando ſolitos, accepimus. Sed enim alio modo Aſtrologi, hominum membra ſignis cœleſtibus aſſignant, vt Firmicus, & M. Manilius. Sed & hunc & illum mecum rideas licebit. Verſus hi ſunt Manilij:

Nanq; Aries capiti, Taurus ceruicibus hæret,
Brachia ſub Geminis cenſentur, pectora Cancro,
Te ſcapulæ Nemeæe vocant, teq; ilia Virgo,
Libra colit clunes, & Scorpius inguine regnat,
Et femur Arcitenens, genua & Capricornus amauit,
Cruraq; defendit iuuenis, veſtigia Piſces.

Sic autē Firmicus attribuit, caput quidem Arieti, & ceruicem Tauro, humeros Geminis, cor Cancro, pectus Leoni, ventrem Virgini, renes Libræ, inguina Scorpio, femur Sagittario, genua Capricorno, tibia Aquario, pedes Piſcibus. Addam & hoc curioſitatis gratia, quod ab Higino de hominis formatione ſcribitur, in libro Fabularū quod Mythologicon poeticon inſcribit, cap. 120. Cura, inquit, cū quendam fluuium tranſiret, vidit cretoſum lutum. Suſtulit cogitabunda, & cæpit fingere hominem. Dum deliberat ſecū, quidnam feciſſet, interuenit Iupiter. rogat eum Cura, vt ei daret ſpiritum. quod facile ab Ioue impetrauit. Cui cum vellet Cura nomen ſuū imponere, Iupiter prohibuit, ſuūmq; nomen ei dandum eſſe dixit. Dum de nomine Cura & Iupiter diſceptarent, ſurrexit & tellus, ſuūmq; nomē ei imponi debere dicebat: quandoquidē corpus ſuum præbuiſſet. Sumpſerunt Saturnū iudicem. quibus Saturnus ſecus videtur iudicaſſe: Tu Iupiter, quoniam ſpiritū dediſti, corpus recipito: Cura quoniam eum prima finxit, quamdiu vixerit, Cura eum poſſideat. Sed quoniā de nomine eius controuerſia eſt, Homo vocet, quoniā ex humo videtur factus. Licet Lactantius Firmianus non ab humo, ſed à ſimilitudine hominē dictum arbitretur. Potuiſſem hoc de hominis formatione, cū de Prometheo & Vulcano agendū eſſet, ſcribere: verùm iam hoc loco appoſuerā. Sed de his hactenus, licet etiam videri poſſint addita: quare iamdudū in viam redeo. Illúdq; primùm tibi dixerim, Deū Iunoni innominabilē ab antiquis nuncupatū: hoc eſt, vt Plato ait, θεὸς ἀσώματος, καὶ ἄῤῥητος, καὶ ἀνώνυμος. hoc eſt, vt Apuleius interpretat, incorporeus, indicibilis, & innominabilis. Eum etiā literis ſcribi nō poſſe, Martianus oſtendit, qui ἀγράμματος

illum appellat. Plato etiam in Parmenide, ait nullum Deo nomen eſſe inditum, non definiri poſſe, nō ſcientia capi, non in ſenſus noſtros incurrere, nullā de eo haberi opinionē: quocirca neq; nominari, neq; dici, neq; cogitatione coprehendi, neq; cognoſci, neq; ab vllo ente ſentiri. quin & ante Platonem Hermes Triſmegiſtus, & ipſe θεὸν ἀνώνυμον dixit. ita enim ſcribit, ὁ δὲ θεὸς εἷς, ὁ δὲ εἷς ὀνόματος οὐ προσδεῖται· ἔστι γὰρ ὁ ὢν ἀνώνυμος. hoc eſt, Deus vnus, hic autē vnus nomine nō eget, eſt enim ens ſine nomine. Idem Triſmegiſtus alibi, οὗ τὸ ὄνομα οὐ δύναται ἀνθρωπίνῳ στόματι λαληθῆναι. hoc eſt, Cuius nomen non poteſt humano ore efferri. qua ex re & Apollinis Delphicum oraculum ita cecinit, οὗ τὸ ὄνομα μηδὲ λόγῳ χωρούμενος. hoc eſt, Cuius nomen nec oratione capi poteſt. Lactantius autē Firmianus: Deo, inquit, nomen non eſt, quia ſolus eſt. & paulò pòſt: Deo autem, quia ſemper vnus eſt, proprium nomen Deus eſt. D. Dionyſius verò, ἄρρητον τι λόγῳ παντὶ τὸ ὑπὲρ λόγου, ἀγαθόν. hoc eſt, omni ſermone ineffabile, ſuper omne verbum, bonum. & huiuſmodi mille alia. Libet hîc rem miram tibi afferre, fides ſit penes auctorem. Lactantius quarto Theb. comment. Hetruſcos confirmare ait, nympham, quæ cùm nupta fuiſſet, prædicaſſe, maximi Dei nomen exaudire hominem per naturæ fragilitatem pollutionémq; fas non eſſe: quod vt documentis aſſereret, conſpectu cæterorum ad aurem tauri, Dei nomen nominaſſe, quem illicò vt dementia correptum, & nimio turbine coactum exanimaſſe: & reliqua. Sed vt rem noſtram planius patefaciamus, altius aliquanto repetam. Varro in iis libris quos Rerum diuinarū & humanarū inſcripſit, deos diuiſit in certos & incertos. nam trium extremorum librorum primum de deis certis abſoluit, alterū verò de deis incertis. In iis igit ita ſcribit: De deis populi Romani publicis, quibus ædes dedicauerunt, eóſq; pluribus ſignis ornatos notauerunt, in hoc libro ſcribam: ſed vt Xenophanes Colophonius ſcribit, quid putē, non quid cōtendam, ponam. Hominis enim eſt, opinari: Dei, ſcire. Sic Varro. Horum verò Deorum etiā mentio facta eſt à Septimio Tertulliano, lib. primo. aduerſus Marcionē. Benedictus Aegius. Patet igitur, deos incertos vocaſſe, quorū certa ratio reddi non poſſit, qui ſint: certos verò, de quibus nullo modo dubitari poteſt, Solem, Lunam, Cœlum, Terram, & cætera. vnde Lucanus in Pharſalia, de Hebræorum deo, Incerti Iudęa dei, dixit. Nec tamen incerti dei, & incogniti dei, iidem habebantur, qui à Græcis θεοὶ ἄγνωστοι vocati ſunt, quorū Pauſanias in Attica meminit, eorumq; aras celebrat, hoc eſt, θεῶν ἀγνώστων βωμούς, quæ arę Epimenidis vatis Cretenſis ſuaſione erectæ fuerunt. Cùm enim terra Attica peſtilentia laboraret, cōſultum eſt ab Athenienſibus oraculum, quibus Pythia reſpondit, vrbémq; & agros expiari oportere, non expreſſo cui Deo ſacra res eſſet facienda. Epimenides ab Athenienſibus per Niciam Nicerati filium accitus, iuſsit per agros oues nigras dimitti ſacerdotéſq; eas ſubſequi, & quo quæq; loco cōſtitiſſent, ibi Deo ignoto propitio immolari debere. Itaq; ex eo tempore, vt ait Diogen. Laertius, frequēs per agros Atticæ, aræ ſine nomine Dei videbantur. id actum eſſe 27 Olympiade, idem ſcribit Diogenes: Suidas 42, niſi fortè duæ fuerint expiationes: nam ſenem Epimenidem eo fuiſſe tempore, Suidas ait, & Athenas expiaſſe ab ſcelere Cylonio, de quo ſcelere hiſtoriam recitat Thucydides, & poſt eum Heſychius, aliíq;. Meminit & de deis ignotis Pauſanias in Eliacis. & poſt eum Cicero, Heſychius, aliíq;. Ait enim, cùm de aris magnis & paruis in Olympia, et Ioue Olympio, πρὸς αὐτῷ δ' ἐστὶν ἀγνώστων θεῶν βωμός. Apud hunc, inquit, deorū ignotorū ara. Meminit & D. Lucas in Actis apoſtolicis, cap. 17, ita de Paulo loquēs: Præteriēs & conſpiciens veſtros cultus, inueni & aram in qua erat inſcriptum, ἀγνώστῳ θεῷ, id eſt, Ignoto Deo. Meminit & de deis ignotis Tertullianus aduerſus Marcionem. Sed nec illud intactum relinquā, deos nullis cognominibus cultos fuiſſe à Pelaſgis, vt Herodotus in ſecundo ſcribit. Nec id prætерea te lateat velim, peregrinos & hoſpites deos, ipſos etiam Athenienſes (adeò erant religionibus addicti) coluiſſe, & iis aras feciſſe, quos & θεοὺς ξενικοὺς vocabant, vt Apollophanes ſcri-

nes ſcriptis prodidit, & notat Heſychius. Hos verò Deos Latinè Cicero alienigenas vocat. Suidas etiam de Xenicis cùm alibi, tum in Hye deo, quem ait ab Ariſtophane inter eos deos connũeratum. Meminit & Cicero ſecũdo de Legibus. Sed iã cætera exequamur. Cœlites dei ij dicti fuère, qui à ſuperiore ęthere ad Solem vſq; demeant, & cauſarum latentium arcana componunt, ἀπαθεῖςq; perhibentur. Dei autem ſecundi, à Sole ad Lunam vſq;: hi vaticiniis, ſomniis ac prodigiis, cæteriſque ſimilibus præeſſe credebantur. Fuerunt & ei reputati Maiorum gentium, vt eſt apud M. Tull. in Tuſc. & Lactantium in primo: qui & Maiores dei dicti fuerunt, vt puto, vt eſt apud D. Auguſt. ſicut etiam Minuti, qui & Minores, & Minorum gentium vocabantur: qui & Minuſcularij dicti ſunt, vt eſt apud eundem Auguſtinum legere ex Varrone. tametſi in pleriſq; exemplarib. non Minuſcularios, ſed Munuſcularios legatur, quaſi à Munuſculis, id eſt paruis muneribus quæ hominibus præſtent, appellent. Alij ſunt Auguſtini codices, qui neutram prædictorum habent lectionem, ſed Numuſcularios habẽt, vocẽ (vt videtur) à numo deductam: quæ mihi vtcunq; ſuſpecta eſt, donec apud idoneum aliquem ſcriptorem eam comprobem. Minorum verò gentium quos appellabant, ex hominibus in deorum numerum tralatos, qui & Aſcriptitij dici poſſunt. Hos Græci παρεγγεγραμμένους, & μετοίκους: illos verò, id eſt maiorũ gentium, ἐγγεγραμμένους vocitabant. nam & Lucianus ἐγγεγραμμένον Apollinem ait, id eſt ſcriptum in 12 deorũ albo. Conſentes & dei fuère, quorum crebra mentio apud auctores: vnde & ſacra Conſentia, quæ tamen Feſtus exiſtimat cõſentientium eſſe. Conſentas quidẽ deos, eos dicebãt veteres, vt Auguſtinus in 4 de Ciuit. Dei ſcribit, qui in conſilium Iouis adhiberi putabantur. Hi & Penates, & Vrbani etiam dicti. duodecim hi fuęrunt, ſex mares, & ſex fœminæ: quorũ imagines auratæ ſtabant apud forum, vt Varro ait lib. 1. de Re ruſtica. Hos Ennius, vt Apuleius & Martianus ſcribunt, duobus verſibus complexus eſt:

Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Dicti Conſentes, quaſi conſentientes. De 12 his deis, quos in conſilium habet Iupiter, Anneus Seneca meminit lib. 2. Quęſt. nat. ex Hetruſcorũ diſciplina. Quod autem hi 12 dei, 12 menſibus præſiderent, docuimus in lib. de Annis & menſibus. Siquidem Ianuarij tutelam, vel (vt aiunt) pontificium habere Iuno credebatur, Februarij Neptunus, Martij Minerua, Aprilis Venus, Maij Apollo, Iunij Mercurius, Iulij Iupiter, Auguſti Ceres, Septembris Vulcanus, Octobris Mars, Nouembris Diana, Decembris Veſta. M. quoque Manlius mathematicus libro Aſtronomicõn ſecundo, eoſdem 12 deos ſignis cœleſtibus eorundem menſium his verſibus aſſignat:

His animaduerſis rebus, quæ proxima cura
Noſcere tutelas, adiectáq; numina ſignis,
Et quæ cuique Deo rerum natura dicauit,
Cum diuina dedit magnis virtutibus ora,
Condidit & varias ſacro ſub nomine vires,
Pondus vti rebus perſona imponere poſſit.
Lanigerum Pallas, Taurum Cytheræa tuetur.
Formoſos Phœbus Geminos, Cyllenia Cancrum.
Iuppiter & cum Matre deûm regit ipſe Leonem.
Spiciferæ eſt Virgo Cereris, fabricatáq; Libra
Vulcano, pugnax Mauorti Scorpius hæret.
Venantem Diana virum, ſed partis equinæ
Atq; anguſta fouet Capricorni ſidera Veſta,
Et Iouis aduerſum Iunonis Aquarius aſtrum eſt,
Agnoſcitq; ſuos Neptunus in æquore Piſces.

Hæc bis vates cecinit Manlius. Sed & 12 deos alios Conſenteis agricolarum duces, hos Varro enumerat: primò Iouem & Tellurem, qui & parentes magni dicuntur, Iupiter ſcilicet pater, & Tellus mater: ſecundò Solem: & Lunã, quorum tempora obſeruantur: tertiò Cererem & Liberũ, quòd ab his cibus & potio venit è fundo: quartò Robigum & Floram, quibus propiciis neq; rubigo frumenta, neq; arbores corrumpit, neq; non tempeſtiuè floret, vnde Robigalia & Floralia: tum Mineruam & Venerem, quarũ vnius procuratio oleti, alterius hortorum, vnde & ruſtica Vinalia inſtituta: demum Lympham & Bonũ euentum, quoniam ſine aqua & ſucceſſu miſera eſt agricultura, & fruſtratio quędam. Duodecim præterea deorum apud Græcos crebra eſt mentio, Herodotũ, Strabonem, Pauſaniam, alios. quin & eis 13 adiectum, Alexandrum Macedonem, refert Diodorus Siculus in Alexandro, hoc eſt 17 lib. Bibliothecæ, quibus lib. (vt ait Plin.) deſiit apud Græcos nugari Diodorus. Quidam hos maiorum gentium deos crediderunt. Sanè & hos duodecim deos in Italiam deportatos quidam ſcribunt, & Piſis aram habuiſſe communem, quæ δώδεκα θεῶν βωμός, id eſt 12 deorum ara vocaretur.

Semidei etiam fuerunt, quos Græci ἡμιθέους vocabant. hi animas cœleſtes credebantur gerere, ſacráſq; mentes, atq; ſub humana effigie in totius mundi commoda procreatos antiquitas exiſtimauit. Hi quidem ab Heroibus, teſte Labeone apud Aurel. Auguſtinum, diuerſi, & antè poſiti putabantur. Heroes verò dicti ſunt ἀπὸ τῆς ἥρας, id eſt Iunone, vt communis opinio tenet. Auguſtinus libro 10, cap. 21. ita ſcribit: Heroum nomen ab Iunone dicitur tractum, quòd Græcè Iuno ἥρα appellatur: & ideo neſcio quis filius eius ſecundum Græcorum fabulas Heros fuit nuncupatus. Martianus tamen: Heroes, inquit, nũcupati, quòd Heram veteres terram dixerunt. Idem & Græcus Theophilus, item Iamblichus, & vetus Homeri interpres, ἔρα ἡ γῆ, κατὰ διάλεκτον. ἐκ δὲ τῆς γῆς ἐπλάσθη τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων. Heram inquit terram, ſecundum linguæ proprietatem: ex terra enim humanum genus effictum eſt. Plato tamen in Cratylo, ἀπὸ τοῦ ἔρωτος heroas vocatos ait, id eſt ab amore: quòd videlicet heroes, vel ex amore eorum erga mulieres humanas, vel amore virorũ erga deas ſunt geniti: vel, vt idem ait, ſi ſecundum priſcam Atticorum linguam hoc conſideremus, reperiemus parum mutatum eſſe nominis gratia ex ἔρωτος, id eſt amore, vnde ſunt heroes geniti. vel dicti, inquit, Heroes παρὰ τὸ ἔρειν, quod dicere ſignificat, quòd Heroes facũdi fuerunt, & ad interrogandum dicendúmq; paratiſſimi. & reliqua, quæ ſummus philoſophus exequitur, & quæ ex Proclo excerpta, Græca dicuntur ſcholia. Fuêre demùm qui Heroes ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, hoc eſt, à virtute nuncupatos dicerent, quòd ſcilicet virtute Heroes præditi eſſent. Hierocles quidem inſignis philoſophus, & ipſe ἀπὸ τοῦ ἔρωτος, vt Plato, heroas denominatos ait, non quòd amore ſint geniti, ſed quòd ipſi planè amore pleni eſſent. Grammaticus porrò Seruius, poteſtates ſupernas exiſtimauit corporibus ſeſe humanis infundere, vnde procrearentur Heroes.

Indigetes dei antiquis vocati: Seruius in 12 Æneid. duplici ratione indigetes dici aſſeuerat: vel ſecundum Lucret. quòd nullius rei egeant, quaſi Nihil indiga curæ: vel certè (ait) indigetes dei ſunt ex hominib. facti, & dicti indigetes. Alij, quaſi in deis agentes, qui ex hominibus ad diuinitatẽ perueniſſent. Fuêre qui indigetes putarent eos, quos indigitari, hoc eſt, vocari & nuncupari nefas eſſet: atq; hos eos deos fuiſſe, in quorũ cuſtodia eſſent vrbes gentesq;. Alij dicũt, ſi indigitare inuocare eſt, deos illos indigetes eſſe potuiſſe, qui inuocati faciles ſint, & pręſtò adſint. Alij ſunt qui putãt indigetes appellari, quaſi in loco vel geniti, vel degẽtes, & magis propitij patriæ, loco & ciuibus. Verg. Dij patrij indigetes, &c. Lucanus, Indigetes fleuiſſe deos. Lege Decij deuotionẽ apud Liuiũ. Hinc & Aeneas Iupiter indiges dictus eſt, vt ait Liu. in 1. lib. Ouid. in 14. Metamorph. de ipſo eodẽ Aenea à Venere genitrice expiato, et deo facto, ita cecinit:

Luſtratum

Luſtratum genitrix diuino corpus odore,
Vnxit, & ambroſia cum dulci nectare mixta
Contigit os, fecitq; deum, quem turba Quirini
Nuncupat indigetem, temploq; ariſq; recepit.

Tibull. lib. 2. ad Aeneam loquens:

Illic ſanctus eris, cùm te veneranda Numici
Vnda deum cœlo miſerit indigetem.

Aeuiterni dei appellantur, quòd æuo ſempiterno permaneant: qualis Iupiter, quem ſic vocauit Ennius. Apuleius: Aeuiternos deos in ſublimi ętheris vertice locatos, ab humana contagione procul diſcretos: & cætera. Seruius videtur Aeuintegros ab Ennio vocatos dicere. Elogium antiquũ legitur, D. POT. ET GEN. AEVIT. D. quod Pet. Crinitus & Cœlius noſter ita interpretati ſunt: Deis potentibus & Genio Aeuiterno dicatum. Sed & Plin. de Aeuiterno deo meminit, in cuius ſacris fururum bouem immolari mos fuit, quòd eſt à Verrio Flacco notatum.

Selectos deos vocabant Romani præcipuos, & ſummates, qui habebant ampliorem poteſtatem, quiq; celebriores, & in maiori haberentur cultu ac veneratione. à D. Auguſt. ex Varrone viginti numerantur, duodecim videlicet mares, & 8 fœminæ: Ianus, Iupiter, Saturnus, Genius, Mercurius, Apollo, Mars, Vulcanus, Neptunus, Sol, Orcus, Liber pater: Tellus, Ceres, Iuno, Luna, Diana, Minerua, Venus, Veſta. Certè ſelecti alij erant à Conſentiẽtibus, de quibus iam egimus, quod & Auguſtinus notauit in 4. ne & tu fortè fallaris, vt plerique, quos honoris cauſa non eſt cur nominem.

Semones deos dici voluerunt antiqui, vt ad Chalcidium ſcribit Fulgentius, quos nec cœlo dignos putabant, ob meriti videlicet paupertatẽ, ſicut Priapus, Hippona, Vertumnus: nec terrenos eos reputare volebant, propter gratiæ venerationem. ſicut Varro in Myſtagogorũ lib. ait: Semoneq; inferius derelicto, Deum depinnato attollam orationis eloquio. Liuius dixiſſe videtur, Semoni Iano templum à Romanis dicatum fuiſſe: etſi ſunt codices, qui Semonilano coniunctim, & per L. proferant. verba Liuij hæc ſunt lib. 8. ab V. C. Vitrubiũ in carcerẽ aſſeruari iuſsit, quod ad Cos. rediiſſet, tum verberatũ necari: ædes eius quæ eſſent in Palatio, diruendas, bona Semoni Iano cenſuerunt conſecranda: quódque æris ex eis redactum eſt, ex eo ahenei orbes facti, poſiti in ſacello Semoni Iani aduerſus ædẽ Quirini. Porrò Alexander Semoni Sango, alij Sabino Sango, vel Sancto legunt: de quo plura alibi dicturus. Legi & qui Semones interpretarentur quaſi ſemihomines, quæ ſpecioſa quidem interpretatio videtur. Porrò & Macrobius Semoniam inter eas, quæ ferias nominatæ facerent, reponit. D. Auguſtinus Semonem Ianum præeſſe ſeminio, innuere videtur, cùm infans concipitur. Sunt qui & hos Patellarios vocent, quorũ mentio apud Plautum: Dei me omnes magni minutiq; & patellarij. Hi etiam dici videntur parui dei, ab Horatio lib. 3. Carm. Patellarios, eruditi dictos exiſtimant à pateris, vel patellis, quibus veteres deis his ſacra faciebant. Ouidius in Faſtis:

Fert miſſos Veſtæ pura patella cibos.

Seruat ad nos vſq; Patenæ nomen. Quidam & iis Medioximos conferunt, de quibus nobis agendum eſt copioſius in Geniis. A Semonibus deis alij ſunt Sumanes, dei inferni, quorum meminit Martianus in ſecundo.

Nouenſiles dei à Sabinis Romam deducti exiſtimantur, atq; iis à Tatio rege ex voto ædes dicatæ fuerunt, quibus indigitamenta hæc aſcribit Varro: Herculem, Veſtam, Salutem, Fortunam, Fortem, Fidem: quæ voces quanquam Sabinorum linguã ſapere vident, ad Romanę tamen linguæ ſpeciem adornatæ ſunt. Non deſunt qui Nouenſiles hos deos appellatos putãt, quòd nouiſſimè in deorum numerum recepti ſint, quaſi nouiſſimè, id eſt nuper ſaliẽtes: hoc eſt, in deorum numerũ aſcendentes. Sunt qui Nouenſides appellent. De his poſt Var-

ronem de lingua Latina, & T. Liuius meminit libro octauo ab Vrbe condita, in Decij pro legionibus Pop. Roman. deuotione: & Martianus in Nuptiis, eos in ſecunda regione cœli collocat, vt ſuprà meminimus. Sed de his deis libet aliquanto, quàm adhuc cæteri, locupletius diſſerere, vt videas quàm ingenioſa fuerit antiquitas in falſis ſuis aſſerendis deis. Nouenſiles Piſo deos eſſe credidit nouem, in Sabinis apud Trebiam conſtitutos. Hos Granius Muſas putat, conſenſum accommodans Aelio. Nouenarium numerũ tradit Varro, quòd in mouendis rebus potentiſſimus ſemper habeatur, & maximus. Nouitatum, ait Cornificius, præſides, quòd curantibus his omnia nouitate integrentur & conſtẽt: deos nouem Manilius, quibus ſolis Iupiter poteſtatem iaciendi ſui permiſerit fulminis. Cincius numina peregrina, nouitate ex ipſa appellata pronũciat. nam ſolere Romanos, deos omnes vrbium ſuperatarum partim priuatim per familias ſpargere, partim publicè conſecrare: ac ne aliquid deorum multitudine aut ignorantia præteriretur, breuitatis & compendij cauſa vno pariter nomine cũctos Nouenſiles inuocari. Sunt præterea nonnulli, qui ex hominibus diuos factos, hac prædicant appellatione ſignari: vt eſt Hercules, Romulus, AEſculapius, Liber, AEneas. atque hactenus inuenio diſſentiẽtes de deis his auctores, contra quos Arnobius in tertio aduerſus gentes diſputat.

Diuipotes dei, quos vt Varro ſcribit, Augurũ libri ſcriptos habent, ſunt pro his quos Samothraces vocabant, θεοὶ δυνατοὶ, vel vt Latini codices habẽt, Theœdynatœ: hęc duo, cœlum & terra, anima & corpus, humidum & frigidum.

Materas deas cultas ab antiquis legimus quibus haſtæ dicarentur, affigerẽturque. AEgyon quippe, ſiue AEngyon in Sicilia vrbs fuit, non magna, ſed valde vetuſta & celebris, harum dearum religione: quarum templum à Cretẽſibus poſitum fuiſſe ferunt, vbi haſtæ quædam oſtendebantur, & ex ære caſſides: & hæ quidẽ Merionis, illæ verò Vlyſſis inſcriptiones habebãt, vt Plutarch. in Marcello prodidit. Materes quoq; Gallorũ tela fuère, vt in Annotationibus oſtẽdi.

Appiades deæ quæ dicantur ab Ouidio libro de Arte amandi tertio, video à multis quæri:

His Venus è templis multo radiantibus auro
Læta videt lites, Appiadéſque deæ.

In ſecundo autem de Remed.

Turpe, vir & mulier iuncti modò, protinus hoſtes:
Non iſtas lites Appias ipſa probat.

Quidam deas quæ habebant templa apud aquam Appiam prope forum Cæſaris, & Venerem in primis intelligunt, Pallada, Pacem, Concordiam & Veſtã. nec tamen facit, quod affertur ab aliquibus ex epiſt. in tertio Famil. Ciceronis: Non ſolùm Pallada, ſed etiam Appiada nominabo. Illud verò Plinij ex 36, Entochi Appiades & Hermerotes: Herm. Barbarus ſe neſcire fatetur. Hippiades ſtatuæ mulierum equeſtres, cuiuſmodi Amazonum: alij Hippadas. Hippades ſacrificia quædam Athenis, quæ mittebant equites, hoc eſt ἱππεῖς. Ego puto omnino ab Ouidio Viriplacã deã deſignari: ſed quare Appiades, adhuc nos latet.

Ζωγόνοι, id eſt, animales geniti dei exiſtimari, teſte Proclo in Heſiodi commẽtariis, vitæ productores, quibus perennes aquæ & fluuij ſacrati credebãtur. De deis quidẽ animalibus ego alias plura, cùm de dæmonibus agam, quin etiã Iouẽ ζωογόνον legi apud Heſychium, qui & eundem Phytalmion vocat, vt alibi dicã.

Prodromei dei, προδρομέοι θεοὶ Dei qui in pręſtructionibus ædificiorum ab antiquis colebantur, de quibus mentio eſt apud Pauſaniam in Attic. vbi de Megarenſibus agit, ait enim: Oſtenduntur foci deorum προδρομέων, qui à Domitio veſtibulares, à Romulo præſtructores appellantur: quibus cùm Alcathous murum condere inciperet, ſacra feciſſe dicit. Hinc & Prodromia Iuno, apud Sicyonios culta. hanc Phalces dedicauit, Temeni filius, ducem ſibi deam Sicyonem proficiſcenti futurum ſperans.

ἀζώνους θεοὺς,eoſdem & communes deos Latini vocauerũt, de quibus ex Martiano antè meminimus.Sic verò de his propémodum Seruius:Dei,inquit, communes ſunt,vt alij dicunt,Mars,Bellona,Victoria,quòd ij in bello vtrique parti poſſunt fauere. Vt autem altioris ſcientiæ hominibus placet, dei communes ſunt, qui ἄζωνοι dicuntur: id eſt,qui cœli certas non habent partes,ſed generaliter à cunctis coluntur.vbiq; enim eos eſſe manifeſtum eſt:vt Mater deûm,cuius poteſtas in omnibus zonis eſt. Alij communes deos volunt, Solem,Lunam, Plutonem, Martem. hi enim apud omnes inueniuntur, & ſunt in omnibus terris.hæc fermè Seruius.Vergilius:

In medioſq; focos, & dis communibus aras.

Quare vero ſit communis deus Mars dictus, ſuo loco copioſe dicemus. Sed & hoc Eraſmus dixit in Prouerbiis.

Potniades deæ dictæ fuerunt, furorẽ facientes,hoc eſt μανιοποιοί. Non procul verò à Potniis Bœotiæ vrbe, puteũ fuiſſe legimus, ex quo ſi aqua hauſta fuiſſet ab equis indigenis, furore agitabantur: vnde dearum nomen. Sed Heſychius Bacchas & Mænadas hoc vocari nomine ſcribit. A Potniis autem, vel Potnia ciuitate,Potniades equæ dictæ ſunt Vergilio in Georg.quem locum tamen velim conſideres,ân rectè ſuccedat,vt Probus & Seruius comminiſcuntur. Verſus Vergilij hi ſunt in tertio Georg.

Scilicet ante omnes furor eſt inſignis equarum,
Et mentem Venus ipſa dedit,quo tempore Glauci
Potniades malis membra abſumpſere quadrigæ.

His Deabus ſtato tẽpore, vt ſcribit Pauſanias,& alia patrio ritu ſacra faciunt: & intra eas ædes quæ Megara vocant, lactantes ſues mittunt:eas exacto anno, iiſdem ferè anniuerſariis diebus, apud Dodonem paſcere aiunt.

Pattaicos, ſiue Patæcos,vt ab aliquibus ſcribitur, deos Phœnices vocabant, quos in triremium proris circumferre ſolebant,Pygmæorum quadã(vt ait Herodotus)imagine. Sed Heſychius non duplici tt,ſed ſimplici enũciare videtur, & item Herodotus in Thalia.Ita verò ſcribit Heſychius: Pataici dei Phœnices ſunt,quos ij conſtituunt in proris nauium.Pitaici perperàm in Vallæ codice legitur:vnde anſa fuit,vt quidam malè enunciarent. Porrò & χυτρεὺς θεός etiã vſq; in prouerbium deductus eſt, hoc eſt ollaris deus,in contemptibiles & humiles. meminit Ariſtophanes in Nubibus. Sumptum opinor ab antiquorum deis,qui vel Plin.teſte fictiles fuerunt,vel patellarij.Eraſmus in minutos deos,quales Silenos,Priapóſve,deflexit.Prouerbij meminit & Zenodotus.

καθαροὶ θεοὶ,id eſt,puri dei colebantur ab Arcadibus,quorum templum erat in colle Pallantio:ad quorum numen iuſiurandum Arcades habere ſolebant.Horum deorum nomina ſe neſcire fatetur Pauſan.

Cabiri dei habiti,vel miniſtri potius deorum, alij dæmonas exiſtimarunt: de quibus tam frequens eſt mentio Græcis, Orpheo, Apollonio, Straboni, cæteris.Fuêre qui Cabiros eoſdem & Corybantes facerent,vt in decimo docet Strabo.Steſimbrotus Thaſius hos in Samothrace ſacra feciſſe ait, & dictos à Cabero Berecynthiæ monte. Cabirorum in Aegypto templum celebre legimus, quod ingredi quempiam fas non erat, ſacerdote duntaxat excepto:quod Cambyſem ingreſſum,prodit Herodotus,& omnia euertiſſe:quin & illud incendiſſe tradit. Fuit & Cabirorum ædes in agro Thebano, & item Caberiæ Cereris, quorum ea fuit religio, vt qui illi manus intuliſſent, deorum iram euadere non poſſent: id quod pluribus Pauſanias oſtendit, Mardonij Perſæ & Alexandri militum exemplis. quorum & Cereris ſacra ne proderet, religione ſe prohibitum ſcribit.Ad Promotheum tamen,& Etnæum eius filium,Cabirorum gentis Cererem quondam accedentem, quædam illi tradidiſſe & apud illos depoſuiſſe dicit, ſed quæ neſciantur, nec fas ſit ea eloqui: tantùm ait, Cabirorum iras ac indignationem hominibus eſſe inexorabiles. Pherecydes verò monumentis

literarum

literarū ꝓdidit, ex Cabera Protei filia, & Vulcano, tres Caberos & tres Caberidas nymphas procreatas, & vtriſque fuiſſe templa dicata: in Lemno verò & Imbro Caberos præcipuo honore habitos. Fuerunt & ſacra & telete Caberorū in Samothracia: nomina Mnaſeas memorat quatuor, Axieros, Axiocerſa, Axiocerſos, & Caſmilus. Alij Caberos appellatos putant à Cabiris Phrygiæ montibus, atque inde traductos. Quidam duos Cabiros tantummodò putauêre, Iouem & Dionyſium. Alij filios Electræ & Iouis, Dardanum & Iaſiona: quidam Iouis & Alliopes, vt Strabo. Acuſilaus Argiuus ortum Cabira & Vulcano Camillum refert, ex quo nati tres Caberi, & tres Caberides nymphæ, vt ex Pherecyde recitauimus. Mirãdum illud de Cabiris traditur, ſi credere dignū eſt, quòd qui eorum ſacris initiati eſſent, omnem maris tempeſtatem euadere crederetur. Plura ex Græcis commẽtariis congerere poſſem, niſi me Cœlij dialogus Equitatio, quo etiam me loquentem hac de re introduxit, ab hoc labore ſuperſedere moneret: ad quem te legendum hortor, vt inde multam frugem colligas.

Curetes qui fuerint, vnde dicti, quæ primùm loca incoluerint, in quæ migrarint, longa narratione & docta Strabo in decimo exequitur. Eos enim quidam Acarnanes, alij Cretẽſes, nõnulli Aetolos, aliqui ex Eubœa genus duxiſſe prodiderunt: qua de re idem Strabo Homeri carmen altius & reperit, & exponit. Arthemathus, quidem Eubœus Curetas Chalcidem incoluiſſe voluit, vnde & ipſi χαλκιδέες vocati, ab armis æreis. Cùm verò Eubœi de Lelanto campo aſſiduè pugnarent, & hoſtes anteriorem captarent cæſariem, eóſq; diſtraherẽt, ab occipite capillatos extitiſſe, à fronte detonſos, inde ἀπὸ τῆς κουρᾶς, id eſt tonſura, Curetes, hoc eſt detonſi appellati ſunt. Autumãt quidã dictos, quòd velut κόραι, id eſt puellæ, muliebres & longas ſtolas induerent: eo enim habitu cum primis Aetolos vſos fuiſſe legimus. Alij, quod κόροι, id eſt curatores, κουροτροφεῖν, id eſt, educarent Iouem. Sunt qui ab heroe quopiam denominatos putent. Sunt qui à Curio monte Pleuroni adiacente. Sunt & qui Theſtium Curetum ductorem tradant, qui Pleuroniam tenuerit. Alij Curetas dæmonas quoſdam fuiſſe opinantur, deorúmq; miniſtros: inde & Iouis educatores traditi ſunt. Sunt qui eoſdem fuiſſe credant Curetas, Cabiros, Telchinas, Corybantes, & Idæos dactylos. Sũt & qui cognatos exiſtiment, nonnihilq; differre, omninóq; furore quopiam motos: quin & eoſdem nõ in Creta ſolùm, & Phrygia, ſed & in Samothrace fuiſſe, et Lemno, perhibent. Diodorus ait quoſdam exiſtimaſſe, Curetas progenitos ex Idæis dactylis: alios ex terra, & eos in montibus & conuallibus, tectáq; ac indumenta quæ natura præberet habuiſſe, nondum repertis domibus. Sanè & Curetas Enopliam, id eſt armatam ſaltationem, & Pyrrhichiam induxiſſe, teſtis eſt Strabo: & ἐνθουσιασμόν, & cerimoniarum ritum, quæ myſticè figurabant armiſona ſaltatione, qua fingebãt Saturnum filios vorare ſolitum, & Rheam cùm id noſſet, partus dolores diſſimulaſſe: & vt in lucem infans editus eſſet, illum per hos Curetas in loca abdita ablegaſſe: hos tympanis armorúmq; inſtrumentis, ne infans agnoſceretur, abſtuliſſe, & in Ida monte nutriſſe ferunt. Fuêre qui Curetas luſores & ſaltatores dixerũt, alij tibicines & Phryges: alij terrigenas, & Chalcaſpidas, hoc eſt, qui ſcutis æreis vterent. Eſt quoq; in fabulis legere, Rheã in Idã montem ex fuga delatam, cùm puerperij tempus inſtaret, primam montis partem manibus apprehendiſſe, atq; ita partu ſolutam: ex impreſſione verò palmarum Curetas prodiiſſe, qui & Idæi dactyli nominati: ſicut à pupillis oculorum, quas Græci κόρας appellant, vel à galearum cono Curetas. Sunt qui non à Rhea, ſed ab Anchiale nympha id factum tradunt, vt Varro Attacinus canit:

Quos magno Anchiale partus adducta dolore,
Et geminis capiens tellurem Oaxida palmis, &c.

Porro Curetas Diodorus ait, cùm prudentia eminerent, permulta ad vitã vtilia excogitaſſe. nã primi omniũ greges coegerunt, reliquáq; mãſuefecêre pecora: mellis inſuper vſum, & ſagittandi venandiq; modũ induxiſſe perhibẽt, homi-

númq;

númq; cœtus ad communem vitæ & legum diſciplinam inſtituiſſe, cæteráque quæ in Telchinis ſtatim referemus.

Telchines, vt Strabo in 14. tradit, ex Creta primùm in Cyprum venerunt: poſtmodum Rhodum, vnde & Rhodus ipſa Telchinis aliquando vocata eſt. hinc Ouid.7.Metamorph.

Phœbeamq; Rhodon, & Ialyſios Telechinas.

Telchines verò faſcinatores fuiſſe ferunt, & maleficos, quòd Stygiam aquam animalibus & ſtirpibus perniciei gratia inſpergerent: qua ex re calamitates, peſtes & fames conſequerentur. Horum nomina fuiſſe perhibentur, Actæus, Megaleſius, Ormenus, Lycus, Nicon, Mimon. quidam & hos Alaſtoras dixére, & Palamnæos. ἄλη enim βλάβη, hoc eſt nocumentum: & παλάμη palma, quòd palmis & manibus Stygis aquam terris inſpergerent. Nonnulli tamen contrarium ſentiunt, & artibus illos excellentes & præſtantes fuiſſe volunt: atq; ideo ab artificibus, qui ſimilia tentarent, inuidia habiti, qui eis hanc notã inuſſerunt. hi ferrum primi & æs fabricati ſunt, quin & falcem Saturno fecere. Sunt qui in Rhodo Telchines nouem Rheæ comites ſtatuant, vt Strabo refert. Diodorus Telchinas ait primos Rhodum habitaſſe, Maris filios: eoſdem cum Calphurnia Neptunum nutriuiſſe. Datum illis ab Rhea fuiſſe, vt artium inuentores quarundam eſſent, permultáq; vtilia excogitarent. nam & deorum ſtatuas primi fabricarunt, & ſigna quædam, eorũ nomine appellata ſunt. Apud Lydios enim ideo Apollo Telchinius, & nymphæ Telchiniæ apud Ialyſios, & Iuno Telchinia apud Camiræos Rhodios appellata fuit. Sunt qui tradant Simonem & Niconen appellatos: & inde prouerbium ductum, Noui Simonem, & Simon me: hoc eſt, οἶδα σίμωνα, καὶ σίμων με: Suidas & Zenobius auctores. ab his Telchines Cretenſes dicti ſunt, & Creta ipſa Telchiona.

Idæi Dactyli, Magnæ matris miniſtri & aſſeſſores dicti fuerunt: ea autem ratione nuncupati, quòd ſub Ida habitarent. extremæ enim montium partes infrà pedes, ſuprà vertices dicunt. omnis quippe mons Ida Matri deûm dicatus credebat, vt ait Strabo. Idæos dactylos decẽ Sophocles exiſtimauit: quinq; mares primùm natos, qui ferri fabricã excogitauêre, aliáq; permulta: quinq; horũ fuêre ſorores, ab hoc numero dactyli, id eſt, digiti nuncupati. horum nomina, Hercules, Pæon, Epimedes, Iaſius, Idas. Iulius Pollux de manu loquens, libro ſecundo: Corybantes, inquit, dactylos etiam nuncupari tradũt pleriq;, propter numerum, quòd ſcilicet quinq; ſint: alij autẽ, quòd Rheæ adminiſtrarẽt omnia. Indéq; manus dactyli, id eſt digiti, artifices, & omnium rerum opifices dicti ſunt. Sunt qui Idæos quatuor tantùm numerent, Salaminum, Damnaneum, Herculem, & Acmonem. Leguntur Phoronidis carmina, quæ ab Apollonij enarratoribus afferunt, in quibus tres tantùm Dactyli Idæi commemorantur, Celmis, Damnameneus & Acmon: qui fabricam ferream, & alia plura repererũt. Sed Celmis ab aliis reiectus dicitur, quòd Rheam deorũ matrem violare voluiſſet. Scribit Zenobius in Prouerb. prouerbium apud antiquos fuiſſe, κέλμις ἐν σιδήρῳ: de iis qui ſibiipſis nimiũ credunt, ſeq; fortes & manu agiles eſſe exiſtimant. Celmin in ferrum mutatũ fabulæ ferunt, cuius rei Sophocles in Satyris meminit. Ouidius verò in libris Metamorphoſeôn, in adamantem conuerſum cecinit, hoc carmine,

Te quoq; nunc adamas, quondam fidiſſime paruo Celme Ioui.

De hoc plura in Prouerbiis, tum Græcis, tum Latinis legere poteris. Scribit Plutarchus in lib. qui inſcribitur, Quomodo quis ſentiat ſe in virtutem proficere, hæc fermè verba: Nonnulli propriorum nomina digitorum ediſcunt, eiſque contra pauores vtuntur, tanquam ad auertenda mala remedium habeant, paulatim ſingulos recenſentes. quo loco Cœlius noſter nõ proprios digitos interpretabatur, ſed Idæos dactylos. Porrò quidã quinq; & viginti Dactylos Idæos fuiſſe cõmemorãt. Pherecydes verò duos & quinquaginta exiſtimauit, & ex iis duos & triginta læui dicti ſunt faſcinatores: reliqui autem dextri, dicebantur fa-

ſcinatoribus

ſcinatoribus contrarij,vtpote qui maleficia diſſoluerent. Alij Idæ habitatores & inquilinos,magóſq; & incantatores ac veneficos fuiſſe: quidam ab his ortos Curetas & Corybantes prodidêre.& in Creta centũ fuiſſe Idæos dactylos,Strabo.Diodorus quidem hos primùm circa Idam habitaſſe ſcribit.Ephorus ipſe fuiſſe ait,ſic appellatos ob parem numerum digitorum manus. Alij cum Mygdono volunt ex Phrygia in Europam deueniſſe,qui & in Samothrace fuêre,vbi miranda fecerunt: à quibus Orpheus edoctus myſteria, & ſacras initiationes. Addit his Diodorus & ignis vſum,& ferri æriſq; fabricam.

Corybantes,vt diximus,quidã Curetas,& Capiros, & Telchinas eoſdem putauêre:inter quos Sceptius,vt ſcribit Strabo in 10. qui in Matris deûm ſacrificiis armati ſaltantes,caſti & puri ſunt aſſumpti.Pherecydes verò ex Apolline et Rhetia nouem Corybãtes genitos prodidit. Alij Corybantes dæmonas quoſdam fuiſſe tradiderunt, Mineruæ & Solis filios: alij Saturni,quidã Iouis & Calliopes.Diodorus Corybantum Iaſionis & Cereris filium tradit, qui cum Dardano ſacra Matris deûm in Phrygiam detulit. Corybantes autem ſic appellati, quia inter ſaltandum capita iactarent. hoc eſt, κορύβαντες ἀπὸ τοῦ κορύπτοντας βαίνειν. hinc qui capita iactant,& furiis ac numine agitant̃,κορυβαντίζοντες dicuntur. Aliqui hos dictos arbitrantur à vigilantia:quòd patentibus oculis dormirent,dum Iouem cuſtodirent infantem,παρὰ τὸ κορυβαντιᾶν. Sunt qui à galea dictos arbitrentur,quæ Grecè κόρυς dicitur.Obſeruat Suidas aliquos,hos decem voluiſſe:alios nouem, vt modò dicebam. Corybantes, βητάρμονες ab Homero vocantur, vt etiam Strabo notauit. Homerus,

δεῦτ' ἄγε Φαιήκων βητάρμονες ὅσοι ἄριστοι. hoc eſt,

Phæacum quicunque boni Betarmones adſint.

Corybantes, inquit Plato in Euthydemo, in myſteriis ſuis illum quem in ſacris initiaturi erant,in ſolio collocabant,variiſq; iocis applaudebant,& choreas ducebant ac ſaltabant,eo modò expiantes,ac ſacris initiantes.

ἀποπομπαῖοι θεοί, hoc eſt Emiſſarij dei, quidã à Græcis appellati ſunt,de quibus Apollodorus libro ſexto de Deis meminit. & Phauorinus, ij & Pompæi, teſte Heſychio,vocati ſunt:vnde dies in quibus eis ſacra fiebant,iiſdem ſcriptoribus tradentibus,hoc eſt Heſychio & Phauorino, ἀποπομπαὶ nuncupati ſunt. horum & Iſocrates meminit.Sedenim dei mala auertentes, his etiam nominibus appellabantur,ἀλεξίκακοι,ἀποτρόπαιοι,λύσιοι,φύξιοι:hoc eſt, depulſores malorum,auertentes,ſoluentes,fugantes mala.Iulius Pollux auctor.Sũt quidã ἀποτρόπαιοι dei, qui mala auerruncant.Apud Pauſaniam verò ἀποτρόπαιοι θεοί, Auerrunci à Romulo interpretati ſunt.nonnulli eos deos exiſtimant, qui à Latinis depellentes & depulſores dicuntur.Perſius in Satyra, Diis depellentibus agnam.quo loco Cornutus grammaticus ſeu Probus,nihil amplius ait,quàm deos depellentes amorem. Viri tamen quidã probè eruditi,ἄνακες,id eſt, Caſtores in eo Perſei loco intelligũt.vnde & τὰ ἀνάκεια celebritas,id eſt, depulſoria dicebatur:de quibus cùm de his agemus,plura dicturi ſumus.Hinc & depulſoria ſacra in vigeſimoquinto Ammiani Marcellini appellantur,quę deis depellentibus & mala auerruncantibus fiunt.Hos deos & Auerſorios tranſtulit interpres Dionyſij Alicarn.libro decimo:Apotropæorum verò deorũ crebra mentio.Lyſij verò dæmones et dei dicebantur, mala ſoluentes, vnde & Lyſius Bacchus, de quo in Bacchi cognominibus agemus. hinc & λυσιῳδοί, mimorum genus,vt in Poetis diximus. Lyſij autem vocati,quòd à Naxiis Thebani vitem redemerunt,quod ait Ariſtophan. vt eſt apud Athenæum.Sanè deos mala inferentes, Polluce auctore, Græci his nominibus appellãt,ἀλιτήριοι,ἀλιτηριώδεις,προστρόπαιοι,& παλαμναῖοι: hoc eſt,exitiales, peſtilentes,malitioſi,& homicidæ.

τεράστιοι θεοί,Heſychius ait,dei ſunt ſignorum ac prodigiorum effectores.

ὁμοχέτας θεὺς,antiqui deos homochetas appellabant,qui in tẽpli eiuſdẽ ac ſacrorum venirent participatum, meminit in quarto hiſt.Thucydides.

Δεύας

Δεύας, Deuas deos Magi vocabant, non malos, vt Heſychius ait.

Δριοδόνες, Driodones deos quoſdam coluere Lacedæmonij. Heſychius.

ἄωοι dei, ex curſu traiicie͂tes in Samothracen ſtagnum, & Cilices, ab Aoo, Cephali præterfluentis fluuij. auctores Heſychius & Phauorinus. mihi verò hi parum comperti ſunt dei.

Anculi & Anculæ, dei deæq; ancillarum putabantur, vt ait Feſt. quin & veteres Anculari, pro miniſtrare dixerunt, eodem Feſto auctore. vnde forte etiã ancillarum nomen.

Antithei quidam mali dei, quos à magis confingi ait Arnobius, hique ſpiritus eſſe dicuntur, qui in actionibus humanis ſæpe obrepant, ſeq; deos fingant, & inſcios mendaciis & ſimulationibus deludunt.

DEI EX HVMANIS ACTIONIBVS.

HIS ita in vniuerſum à me commemoratis, ſingulos iam deos deáſve exiſtimatos ſubiungere par eſſe videtur: & eos in primis, qui vel à virtutibus in nos ipſos aliquid efficere, vel extra & circa nos putabantur. atque à Virtute ipſa, & Veritate, exordiemur.

Virtutem deam fecêre Romani, vt ſcribit Auguſtinus, cui ædem vouiſſe ſuo primo conſulatu M. Marcellum legimus. eius filius ad portam Capenam dedicauit: Liuius, Val. Max. Plutarch. & Lactantius, auctores. Alteram C. Marius ſummiſſiorem extruxit, ne publicis auſpiciis forte officeret, & eam ideo Augures demoliri iuberent. Sed & M. Tullius lib. de Legib. ſecundo, Virtutem coli iubet. Iuuenalis, vt alibi citauimus,

Vt colitur Pax atque Fides, Concordia, Virtus, &c.

Plaut. in Amphit. prologo, in quo Mercurius introducitur, Virtutem deam commemorat: Neptunum, (inquit) Virtutem, Victoriam, Martem, Bellonam, &c. Sanè virtus à viro dicitur, quòd (teſte Cicerone) viru͂ virtus maximè honeſtet. Eſt autem virtus, vt Lactantius ſcribit, perferendorum malorum fortis ac inuicta patientia. Apud quem & illa Lucilij leguntur carmina:

Virtus eſt homini, ſcire id quod quæque habeat res.
Virtus, ſcire homini rectum, vtile, quid ſit honeſtum:
Quæ bona, quæ mala, quid ſit inutile, turpe, inhoneſtum.
Virtus, quærendæ rei finem ſcire, modumq;:
Virtus, diuitiis pretium perſoluere poſſe:
Virtus, id dare, quod reipſa debetur honori:
Hoſtem eſſe atque inimicum hominum, morumq; malorum:
Contrà, defenſorem hominum morumq; bonorum.

Hæc Lucilius. Breuis multò Horatius: Virtus eſt vitium fugere. Sed dies me deficiat, ſi philoſophos, poëtas, vel cæteros ſcriptores memorem, de virtute loquentes. Illud tãtùm ex Claudiani Panegyrico quodam, cognitione digniſſimum aſcribam:

Ipſa quidem virtus precium ſibi, ſoláque latè
Fortunæ ſecura nitet, nec faſtibus vllis
Erigitur, plauſúve petit clareſcere vulgi:
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Diuitiis animoſa ſuis, immotáque cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.
Attamen inuitam blandè veſtigat, & vltrò
Ambit Honor: docuit toties à rure profectus
Lictor, & in mediis Conſul quæſitus aratris.

Breuius ante Claudianum Silius, hoc verſu,

Ipſa quidem virtus ſibimet pulcherrima merces.

Virtutis verò delubrum antè poſitum fuiſſe,& pòſt inde Honoris, vt oſtenderetur,aditum non patêre ad verum honorem conſequendum, niſi per virtutem ipſam,cuius illud tantùm & eſt & habetur precium ac præmium, Honor ſcilicet:vnde & virtutem alatam interdum effinxêre,propter gloriam & honorem,qui ex ea oriuntur. Sed hoc minimè te ignorare velim,deum non modò Honorem habitũ, verùm illud etiam obſeruatum à Plutarcho in Quæſt. quòd hònori cum diuinam rem Romani facerent,aperto fuiſſe capite:& honorem δόξαν, ἢ τιμὴν Græcè eſt interpretatus. An,inquit,quòd ſplendidum quiddam ſit honos,atq; ob id etiam honeſtis viris & illuſtribus caput aperire ſolemus, & perinde ei deo caput aperiendum,cùm ſacrificamus. Scribit Plinius de Viris illuſtribus,q Fab.Rutilianus primus inſtituit,vti equites Romani, idibus Quintilibus,ab æde Honoris equis inſidentes in capitolium tranſirent: id quod & in Calendario noſtro ex aliis auctoribus annotaui. de Honore verò planiùs infrà agemus. Sed enim virtutem variis imaginibus conformatam ab antiquis fuiſſe aduertimus:nunc enim matronali habitu honeſto,inaffectatóque,nunc quadrato ſaxo inſiſtentem. Vidi & ipſe in M. Val. Acilij triumuiri peruetuſto nomiſmate,hac forma: Mulier erat columnæ læuo nixa cubito,dextera ſerpentem tenebat. Vidi & in alio maſculam Virtutem hoc pacto,in vno quidem Gordiani imperatoris,in cuius altera parte imago erat ſenis barbati, ſtantis, nudi, clauæ innitentis,cum leonis pelle brachia aduoluta, cum hac inſcriptione, VIRTVTI AVGVSTI. In altero verò Numeriani nomiſmate, eadem prorſus fuit imago ſenis,cum inſcriptione: VIRTVS AVGG.

Extat porrò Luciani dialogus, ſi modò Luciani, in quo Virtus à Fortuna malè habita deſcribitur,lacera & mœrens,vt quæ nec ad Iouis aſpectum admitteretur:quæ profectò virtutis ſpecies noſtræ ætati conuenire videtur, vt etiam hi ferendi ſint qui peregrino eam habitu effinxêre. Porrò cùm à noſtris vna voce animi & corporis virtus dicatur, à Græcis diſtinguuntur,altera ἰσχὺς, altera ἀρετὴ nuncupatur.

Veritas dea exiſtimata à gentibus, ἀλήθεια à Græcis vocata. Fingebatur,vt Philoſtratus in Amphiarao ſcribit,virgo niueis induta veſtibus:quin & eodem authore in Heroicis,Virtutis mater effingebatur. Hippocrates verò in quadam ad Philopœmenẽ epiſtola hoc modo deſcribit:Mulierem pulchram, magnam, ſimpliciter ornatam,illuſtrem,ac ſplendidam,cuius oculorum orbes puro lumine nitebant,vt aſtrorum ac ſtellarum fulgorem imitari viderentur. Idem ibidem & Opinionem,ſeu opinationem mauis dicere,deſcribit hoc pacto:Mulierem,quæ non mala videatur,ſed audacior aſpectu,& concitatior. Veritas temporis filia,& Virtutis mater dicta. Plutarchus in Quæſt.ait, Veritatis parentem ac deum Romanos Saturnum habuiſſe. Subdit cauſam: An inquit,quòd vt plerique philoſophi putant, Κρόνον χρόνον, hoc eſt,Saturnum tempus eſſe: veritas verò tempore inuenitur. an illud potiùs,quòd Saturnus iuſtiſſimus fuerit, & veritatem in primis etiam, quod veriſimile eſt,coluerit. Hanc in putei fundo deliteſcere ſcripſit Democritus. & ab eo Lactãtius. Gellius verò ex Plutarcho, ſolùm tẽporis filiã. nam vt eſt Græca ſententia, ἄγει δὲ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος. hoc eſt, In lucem agit veritatem dies. Pindarus tamen in quodam ad Ageſidamum hymno in Olymp. Iouis filiam facit. In ſepulchro præterea Simandij inſculptum fuiſſe iudicẽ legi, & primatum conuentum,ſacris indumentis veſtitos, ex quorum collo ad pectus pendebat ſuſpenſa Veritas,clauſis ſubnutans oculis, & cætera quæ ex Diodoro Bapt. Leo in ſeptimo, ſcripta reliquit. Porrò ne ſuperſtitioſa ab hæreticis quibuſdam,vti à Marco conficta,conticeam, Veritatis imago effingebatur ex literis Græcis,eius videlicet caput α,& ω,collum verò β & ψ, & ſic deinceps. Quæ ſuperſtitioſa ſi cui arrideant,legat Epiphanium: mihi hæc oſtendiſſe ſatis ſupérque fuerit.

Prouidentia, quam Stoici πρόνοιαν, anum fatidicam faciebant, dea putabat, vt Cicero de Nat. deorum meminit, & Martian. hæc mundum & mundi partes adminiſtrare tradebatur, vt optima & frugi materfamilias. Scribit Phurnutus, Prometheum ideo exiſtimatū hominem è terra finxiſſe, quòd Prometheus prouidentia animæ vniuerſalis appellaretur, quam iuniores vocarint πρόνοιαν.

Mens à Romanis, vt Liuius & Cicero tradunt, conſecrata, vt mentem ea bonam concederet: quod & D. Auguſtinus non ſemel aſſeruit, & ante eum Lactantius. Ouid. in Faſtis.

Mens quoque numen habet, Menti delubra videmus
Vota, metu belli perfide Pœne tui.

Propertius:

Mens bona, ſi qua dea es, tua me ſacraria dono,
Exciderant ſurdo tot mea vota Ioui.

Philoſophi quoque plerique νοῦν, hoc eſt, mentem, deam fecerunt, ſed nō eodem modo. nam Plato animatum eſſe mundum ſtatuit, animámque illam & mundum eſſe deum: vt & Varro, teſte Auguſtino in ſeptimo de Ciuit. Dei, credidit. Sed alium deum, quem mentem vocauit, hoc ipſo priorem facit, & animæ mundi parentem. Stoici ferè cum Platone conueniebant, niſi quòd varia inter ſe ſentiebant: vt alibi dixi, cùm philoſophorū de deo opiniones recenſebam. Sanè illud hoc loco admonere par eſt, quod à Lucilio Balbo dictum eſt apud Cic. in ſecundo de Nat. deorum, vt ea ipſa res deus nominetur, in qua vis eſt maior aliqua, & tanta eſt, vt ſine deo regi non poſſit: vt Mens, vt Fides, quas in Capitolio (ait) dedicatas videmus proximè à M. AEmilio Scauro, vt idem Balbus ait, & Plutarch. de Fortuna Romanorum. T. Liuius: Menti, inquit, vouit Attilius prætor. Porrò mens nomen eſt tetragrammaton, vt νῦς Græcis.

Iuſtitia, quam Aſtræam Græci à patre nuncupant, iuxta illud,

Vltima cæleſtum terras Aſtræa reliquit.

Δίκη etiam vocatur, teſte Polluce, qui & deam & iudicium ea voce dici affirmat: vnde fortè & Latini Dicam dixerunt. Iuſtitiæ duos hymnos Orpheus compoſuit, alterum quidem δίκη, alterum δικαιοσύνη, & vtriq; adolet λιβάνοις, id eſt thus. Sed hac de virtute nihil hîc à me expectes: à philoſophis hanc require, ego inſtitutum meum ſequar. Hanc finxerunt Aſtrologi ſignum in cœlo, Virginem: & Aratus in primis, quo in loco Græcus interpres ſuper ea verba quibus ait, Spicam in manibus ferre ſplendentem: Quidam inquiunt, Aſtræum antiquū fuiſſe mathematicum, qui primus aſtrorum inuenerit appellationes, vnde & ſiderum pater dicitur. alij Aſtræam Iouis & Themidis filiam, vt Heſiodus. alij Aſtræi, & Hemeræ, id eſt, diei filiam putauêre: vel ἡμέρας, id eſt deæ manſuetudinis, quia iuſtitia mortales prima manſuetos reddiderit. Dea hæc ita deſcribitur à Chryſippo in lib. περὶ καλοῦ καὶ ἡδονῆς, hoc eſt, de honeſto & voluptate, primò (vt à Gellio li. 14. ſcribitur, qui & Græca ipſius verba ponit: nos ipſius Gellij, quia breuius ea collegit, hîc apponemus) Imaginem, inquit, iuſtitiæ fieri ſolitam, forma, ait, atq; filo virginali, aſpectu vehementi & formidabili, luminibus oculorū acribus: neque humilem, neque atrocem, ſed reuerendæ cuiuſdam triſtitiæ dignitate. Hæc Gellius, quæ pluribus Chryſippus diſſerit. Pauſanias verò ita depictam ait in arce Cypſeli: At formoſa, inquit, illa mulier, quæ fœda facie alterā ſiniſtra obſtricto collo trahit, dexterā fuſte cædit, Iuſtitiā ſignificat, qua iniuriā malè mulctat. Iuſtitiam apud AEgyptios ſine capite fuiſſe, Alexander ſcribit. Eam autem effingebant per manum ſiniſtram porrecta palma diſcapedinatā, propterea quòd ſiniſtra, genuina pigritia, nulla calliditate prædita videt, & ideo æquitati aptior quàm dextera, vt Philippus ait in Symbolis. Noſtri nunc pictores examine lancis, vel ſtateræ, nunc & ſecurium ac virgarum faſce, nunc his vel illis inſigniunt. Vidi & qui iuſtitiam hoc modo effingeret, nudam virginem quadratum ſuper lapidem ſedentem, & æquatam manu altera bilancem tenentem, exertum altera ſub ala enſem quodāmodo occulentem. quod figmētum cùm mihi arriſiſſet,

propter eius ſignificationem hîc tibi quoque aſcribendum duxi.

Fides dea à Romanis culta, teſtibus Cicerone, Lactantio, & Auguſt. Fidei ędes in Capitolio fuit, vt Plin. 35. Nat. hiſt. innuit. Mar. Cicero de Officiis libro tertio, Fidem ait vicinam Ioui in Capitolio. in ſecundo verò de Nat. deorum, ab Attilio Calatino conſecratam ait. Sextus Pomp. ante etiam Romulum conſecratam prodit, ab Aenea in Palatio: idq; refert ex Agathocle. Dionyſ. Alicarn. in ſecundo Hiſt. libro, de Numa ſcribẽs: Primus, inquit, ipſe omnium templum Fidei publicæ erexit, ſacrificiáque ei ſtatuit ſumptu publico, ſicut de alijs. Idem ferè Plutarchus. Eiuſdem Fidei maximum ſtatutum iuſiurandum, cuius & Cicero in Officiis meminit. Tit. Liuius in primo, Numam Fidei ſolenne inſtituiſſe ſcribit, ad quòd ſacrarium Flamines rem diuinam facerent. ipſum lege. Meminit & Cyrillus Alexandrinus contra Iulianum Imperatorem. vnde eſt Plauti illud in Aul. Nũc hoc mihi factu ſt optumum, vt te auferam aula in Fidei fanum, ibi abſtrudam probè, &c. Sine cæde verò & ſanguine ipſi Fidei, velati Flamines albo panno, ſacra faciebant. quin illuc curru arcuato, manu ad digitos inuoluta deferebantur, ſolenni pompa: quo argumento fidem dextris tutãdam, & ſacratam eſſe ſignificabant, quod & dextra dextræ iuncta denarium numerum efficit, qui ſacratiſſimus ſit, & perfectiſſimus. Sanè Fides fingebatur duabus iũctis manibus, interdum imagunculis duabus dextram dextræ iungentibus, vt in Cõcordia dicam. Stat. 1. Thebaid.

Iam pariter coeunt animorum in pignora dextræ.

Sic & Vergil. & T. Liuius: Dextra data fidem futuræ amicitiæ ſanxerũt. Cor. Tacitus lib. 17. Miſera ciuitas Lingonum veteri inſtituto dona dedit legiõibus, & dextras hoſpitij inſigne. Deſcribitur fides, & templum eius, à Silio poeta lib. Punic. ſecundo ita,

—*Ad limina ſanctæ*
Contendit Fidei, ſacrataq; pectora tentat,
Arcanis dea læta, &c.

Et paulò pòſt ad ipſam Hercules loquens, ait:

Ante Iouem generata, decus diuûmq; hominumq;,
Qua ſine non tellus, pacem, non æquora norunt,
Iuſtitiæ conſors, tacitumq; in pectore numen. & reliqua.

Seruius verò in primo, & item in octauo commentario Aeneidos ſcribit, ꝙ Fidei albo panno inuoluta, vel velata manu ſacrificabatur: per quod oſtẽdebat, Fidem debere eſſe tectam & ſecretam. vnde & Horatius: Et albo Rara Fides colitur velata panno. Et ideo Cana Fides à Vergil. dicta cana, ꝙ in canis hominib. eſſe ſoleat: vel propter candorẽ. Acron verò ait, Albo panno caput velaſſe eos q̄ Fidei ſacrificarẽt. Plura ſcribit Porphyrion, ſed quæ noſtro nõ ita cõueniant inſtituto. Canis itẽ albus ſymbolũ eſſe putatur Fidei. vnde Picus meus cecinit,

Signa quibus ſubitò viſum eſt oſtendier albis
Ex villis animal, dominis domibusq; fidele.

Sic & Horatius catulos fideles in Odis dixit. Mira de fide canũ Aelianus, Plinius, Solinus, cæteri naturæ interpretes prodiderunt. Nec nos pauca, vbi de Sacrificiis in vltimo Syntagmate agemus.

Spes etiam, vt dea à Romanis eſt culta, cuius ædes fuit in foro olitorio. Tit. Liuius in primo tertiæ Dec. ædem Spei, quæ in foro olitorio fuit, fulmine ictam fuiſſe. Idem libro quarto, Q. Fabio Cos. fil. & T. Sempronio Graccho Coſs. incendio ait conflagratam. M. Cicero, Spem à Collatino conſecratam, in Legibus prodidit. P. quidem Victor, ſeu quicunque tandem eſt, Spei nouum templum in ſeptima Vrbis regione ſtatuit, hoc eſt, in via lata. Origenes libro quarto aduerſus Celſ. cùm Heſiodi Pandoram rideret: Ridiculum, inquit, quod de dolio dicitur, quòd olim viuerent in terra hominum tribus ſine malis, & ſine graui labore, & grauioribus morbis, quæ Parcæ mortalibus dederant: ſed fœmina ma-

nibus

nibus magnum dolij operculum auferens, diffudit hominibus, & partita eſt curas malas: ſola autem ibi Spes in tutiſsimis domibus intus relicta eſt ſub dolij labris: nec extrà euolauit: prius nanque impoſuit operculum dolio. & hæc Origenes. At verò Spei effigiem in Adriani Imperatoris aureo nomiſmate aliquando conſpexi. Fœmina fuit ſtans, inſtitæ laciniam ſiniſtra manu nonnihil attollens: dextra in cubitum elata pateram proferebat, in qua repoſitum inerat velut ciborium, id eſt vas in floris ſimilitudine, cũ hac inſcriptione, SPES P. R. Quidam etiam Spem deam viridi inductam palla effinxerunt, & ſedentem ſupra dolium cum cornice: quidam etiam cum Nemeſi, de qua ſuo loco plura dicemus. Spei templum demum etiam incenſum ſcribit Dion, Hiſt. libro 50. ante bellum Actiacum, cum alijs pleriſq; ædificiis: quod factum quidam crediderũt libertorum opera. Pindarus, vt eſt apud Iuſtinum, philoſophum & martyrem, itémque Platonẽ, Spem γηροτρόφους appellauit, qđ etiam nos ſenes alat. Vnde ego meo quodam ad B. Riccium amicum chariſſimum Hendecaſyllabo ita cecini:

Ricci viuere quo putas tenorẽ
Me, quem deſtituit virens dea illa,
Quam Dircæus olor canit ſenectæ
Altricem & comitem, aſſeclamq; vitæ,
Et ſemper meliora polliceri?

Theogonis quoq; ait, Spem inter homines remanſiſſe, cæteris ſororibus in cœlum fugientibus. vnde ex Theognide amicus noſter:

Alma fides dea magna abijt, Pietasq;, Pudorq;,
Cum Nemeſi Charites, Pax bona, nudus Amor.
Spes dea, quæ gentes falſa dulcedine ſemper
Paſceret, in terris ſola relicta fuit: &c.

Pietas dea quidem & ipſa culta, qua & cæteros deos colebant antiqui: cuius ſacellum ab Attilio dicatum, in quo mulier habitaſſe dicitur, ea quæ vberib. patrem in carcere aluit: Feſtus. Ibiq; imago factum hoc indicans oſtendebatur, vt eſt in quinto apud Valerium Maximum. Plinius tamẽ libro ſeptimo, capite trigeſimoſexto, non patrem, ſed matrem à filia nutritam ait: cuius verba libet afferre, ob pietatis ſingulare exemplum: Pietatis, inquit, exempla infinita quidem toto orbe extitêre, ſed Romæ vnum, cui comparari cuncta non poſſint. Humilis in plebe, & ideo ignobilis puerpera, ſupplicij cauſa carcere incluſam matrem, cùm impetraſſet aditum à ianitore, ſemper excuſſa ne quid inferret cibi, deprehenſa eſt vberibus ſuis alens eam: quo miraculo matri ſalus donata filiæ pietate eſt, ambæqúe perpetuis alimentis, & locus ille eidem conſecratus eſt deæ, C. Quintio, M. Attilio Coſſ. tẽplo Pietatis extructo in illius carceris ſede, vbi nũc Marcelli theatrũ eſt. hæc Plinius. Sanè B. Aegius me monuit, in ſua acceſſione, ſic eſſe legendũ: Imò, inqt, ab Acilio, prænomẽto Mario & L. Quinctio Flaminino, q fuere anno V. C. DCIV. Flaminino, nõ Flaminio: quod eſt nomẽ, nõ cognomẽ. Sic ex marmorib. nuper in via effoſſis, vbi legiť L. Quinctius L. F. L. N. FLAMININ. id eſt, Flamininus: quod à familię nomine eſt diuerſum, vt Craſſinus, & multa huiuſmodi. M. autem adiecta lineola, Manius interpretantur veteres grammatici, ad M. id eſt Marci differẽtiã. Sicut K. Pro Cęſone: vt diuerſum ſit à C. quod Caium indicat. Solinus tamen, quem videmus omnia fermè à Plinio ſuppilatũ, patrem (vt Feſtus etiam ait) vberibus à filia nutritũ. huius hiſtoriæ varietatem ex Valerio prouenire arbitramur, qui duo exempla hac eadem de re libro quinto adducit: Latinũ quidẽ alterũ, à quo Plinius penè etiam verba deſumpſit: Græcũ alterũ, vt & nomen oſtendit. Idem prædicatũ, inquit, de pietate eius exiſtimet, quæ patrem ſuum Cymona conſimili fortuna affectũ, parique cuſtodiæ traditũ, iã vltimæ ſenectutis, velut infantẽ pectori ſuo admotũ aluit. Et mox ſubdit, tanquã ante oculos picturã: Hærent ſtupentqúe omniũ oculi, cùm huius

facti pictā imaginē vident, caſúsq; antiqui conditionē præſentis ſpectaculi admiratione renouāt, in illis mutis mēbrorū liniamentis viua ac ſpirantia corpora intueri credentes. quod neceſſe eſt animo quoq; euenire, aliquāto efficaciore pictura literarum, vetera pro recentib. admonitos recordari. & hæc Val. Max. Iulius itē Obſequens in Prodigiis, Pietatis ædem fuiſſe ait in circo Flaminio. Pietas, ait M. Cicer. 1. de Nat. deor. iuſtitia adverſus deos eſt, & cultus erga maiores, aut ſanguine coniunctos. D. Auguſt. Chriſtiano more loquens ita, in quarto de Ciuit. Dei: Pietas eſt verax veri Dei cultus, non cultus tot falſorum deorū quot dæmoniorum. T. Liu. lib. 10. quartæ Decad. ſcribit: In foro olitorio ædem Pietatis dedicauit M. Attilius Glabrio duumuir, ſtatuámq; auratam, quæ prima omniū in Italia eſt ſtatua aurata, patris Glabriōis poſuit. is erat, qui eā ædē vouerat, quo die cū rege Antiocho ad Thermopylas pugnaſſet, locauerátq; idē ex S. C.

Pax, hoc eſt εἰρήνη, culta ab antiquis. Iuuenalis: Vt colitur Pax, atq; Fides, &c. Scribit Plutarchus in Cimone, Athenis Pacis aram dicatam, cùm conditiones pacis Athenis Callias legatus à Perſis attuliſſet. Templum Pacis Romæ fuit magnificentiſſimum, foro proximum, quod Veſpaſianus à Claudio inchoatum cōſtruxit: vt auctores ſunt Ioſephus, Plinius, Suetonius, & Dion.

In hoc tēplo ſunt qui tradāt, D. Hieronymū ſecuti, vaſa & donaria tēpli Hieroſolymitani à Tito & Veſpaſiano repoſita fuiſſe. Frequētari verò aſſiduè ab ægrotis tēplū illud, vel è Galeno colligimus, ita in libro de Pulſib. ſcribente, cùm de vehemēti agit: Quā cenſes pugnā fore? anné talē, qualē frequenter in tēplo Pacis, & inter ipſos ægrotos cōſpicimus, adeò vt etiā ad manū res veniat: tantū abeſt, vt turpi dicto abſtineant. Illud hoc loco nō mirū videatur, q tēpla ab ęgrotis & mendicis frequētarent, cùm & hodie Romæ, & vbiq; gentiū cernat: ne te videlicet admiratio ſubeat, vt perito cuidā medico, ſe plus nimio angenti in his Galeni verbis exponēdis, qui aliàs in re medica & cæteris diſciplinis Lynceo ipſo eſt oculatior. Scribit Herodianus, Cōmodo imperāte Pacis templū incendio cōſumptū, illúdq; ſupra cætera maximū fuiſſe ædificiū, pulcherrimū ac opulentiſſimum. Coluerunt & Pacem Athenienſes, vt cùm alibi Pauſan. oſtendit, tum vbi de Prytaneo agit. Pacis quoq; ſimulachrum ita effictum legimus, vt puerum Plutum manu geſtaret: quod ſymbolum videri poteſt, non ex bello, ſed ex pace diuitias & opes comparari. Effingebatur verò Pax cum ſpicis. Tibul.

Interea Pax alma veni, ſpicamq; teneto,
Profluat & pomis candidus antè ſinus.

Interdum etiam cum oliua, & nonnunquam cum lauro coronabatur: quin & cum roſa, vt in aliquibus veteribus nummis vidimus. Sed & nonnunquam ſolo caduceo ſignificabatur. Ariſtophanes in fabula Acharn. Pacem pulchram deſcribit aſpectu, ſociam verò Veneris & Charitum. Sed in eius nominis fabula lōgè plura, atq; inter cætera ſacrificium, cum ſuis ceremoniis.

Cōcordia dea, id eſt ὁμόνοια, ab antiquis culta, ſed in primis à Romanis qui & eius diuerſa templa habuêre, vt planè ex hiſtoriis cognoſcimus. Vnum Furius Camillus vouit, vt Plutarchus auctor eſt. meminit in Faſtis Ouid.

Furius antiquum populi ſuperator Hetruſci
Vouerat, & voti fecerat ille fidem.

Poſtea verò Flauius ſcriba Appij Cæci, Annio libertino patre genitus, qui dies faſtos publicauit, æream fecit, in Græcoſtaſi, quæ tunc ſupra Comitium erat, inciditq; in tabula ærea. eam ædem 304. annis poſt Capitolinam, dedicatam tradunt: ex quo apparet, ædem illam Concordiæ Capitolinam fuiſſe eam, quā iuxta templū Iunonis Monetæ Camillus vouerat, de qua Ouidius, vt ſuprà memini:

Candida te niueo poſuit lux proxima templo,
Qua fert ſublimes alta Moneta gradus.

T. Liuius prope finem noni libri ab v. c. Flauius, inquit, ciuile ius repoſitum in penetralib. pontificū euulgauit, faſtósq; circa forū in albo propoſuit, vt quādo agi

do agrlegē poſſet,ſciretur. Aedem Concordiæ in area Vulcani ſumma inuidia nobilium dedicauit. Alteram priorem idem Liu.lib.2.tertiæ Dec.votam ait à L. Manlio præt.in Gallia,ob ſeditionem militarem,quam biennio pòſt ſenatus locandam curauit. Certè & D. Auguſtinus in tertio libro de Ciuit. Dei, ait ædem diuæ Concordiæ poſt Gracchorum tempora conſtructam fuiſſe. Legimus & tēplū hoc inſtauratū fuiſſe ab Opimio Cos.ſummo populi dolore:vnde noctu inſcriptū fuit, Opus Vecordiæ templū Concordiæ fecit. M. Tullius in Orat. pro domo ſua ad Pontifices: Q. Martius,inquit,cenſor ſignū Cõcordiæ fecerat, idq́; in publico collocarat:hoc ſignū C. Caſſius cùm in curiā tranſtuliſſet, collegium veſtrum conſuluit,nunquid eſſe cauſæ videretur,quin id ſignū curiámq́; Concordiæ dedicaret:& cætera. Meminit & huius deæ Val.Max. Semproniū,inqt, Aſellionē pro æde Concordiæ ſacrificium facientem, ab ipſis altaribus fugere extra forum creditores coegiſſe. Collapſam inſuper Concordiā,& à Conſtantino reſtitutā,antiquum epigrāma oſtendit,quod & hodie legitur in Lateranenſi baſilica: DN. Conſtantino Pio felici ac triumphatori ſemper Aug. ob amplificatam toto orbe rempublicā,factis conſiliis S.P.Q.R. ædē Cõcordiæ vetuſtate collapſam,in meliorem faciē,opere & cultu ſplendidiore reſtituit. Sed & aliā Concordiæ ædem Tiberius Cæſar dedicauit,quā eius mater Liuia conſtituerat, vt ex Ouidio & Suetonio liquidò colligimus. Dion quoq́; libro 56. Inſequenti anno Concordiæ deæ templum à Tiberio dedicatum eſt,in quo ſuum & fratris Druſi vita functi nomen inſcripſit. & Ouid. quidem de Tiberio ita:

Templáq́; feciſti,quam colis ipſe, deæ.
Hæc tua conſtituit genitrix,& rebus & ara. Idem:
Te quoq́; magnifica Concordia dedicat æde
Liuia,quam charo præſtitit illa viro.

Sed de ædibus Concordiæ iam nimis. Concordiæ ſacrificium Seneca in Medæa his verſibus explicat,

——Et aſperi
Martis ſanguineas quæ cohibet manus,
Quæ dat belligeris fœdera gentibus,
Et cornu retinet diuite Copiam,
Donetur tenera mitior hoſtia.

De Concordia dea & Iuuenalis ita meminit:

Quæq́; ſalutato crepitat Concordia nido.

Quo in loco grammatici diuerſa ſentiūt. Et Probus quidem vetus interpres: In tutela,inquit,Concordiæ ciconia eſt. Templum Cõcordiæ vetus fuit, in quo ciconia multa,&c. Merula de ciconia & ipſe multa affert,vt hoc aſtrueret,& eū ſecutus Britannicus,item Valla Georg. Politianus verò in Miſcellaneis cornicem,non ciconiam intelligit:idq́; tum Aeliano auctore de Animalibus, tū quibuſdam antiquis nomiſmatibus affirmat,quorum etiam ego nonnulla conſpexi. Sanè & in nuptiis,earum auium vocem hominis gratia repetitam, idem eſt auctor Aelianus,qui fermè ita ſcribit: In nuptiis olim veteres audio poſt Hymenæum,cornicem inuocare ſolitos fuiſſe,hócq́; Concordiæ ſignum dare iis, qui liberûm quærendorum gratia conueniſſent.

Sed & apud antiquos mala punica Concordiam ſignificabant,vt Hebræorū ſcriptores tradunt,in veſtibus ſacerdotalibus. Deam autem Concordiam præterea effingebant,dextra craterem tenentem,& læua nunc Cornu copiæ, nunc ſceptrum,ex quo fructus exire videntur:ſed & imaginibus duab. dextram dextræ iungentibus,vt in Aur. Vero. Nunc duabus tantùm dextris,vt in quodam Neronis,id quod Fidei attribuunt alij,vt notant grammatici. Diodorus Siculus in hiſtoria Philippi: Dimiſſo,inquit, Theſſalioni dextram porrexit, quæ res apud Perſas pro firmiſſima fide habetur. Ariſtides in oratione pro Concordia,

Rhodienſi-

Rhodienſibus ita hanc effinxit:Decoram,compactam,bene coloratam, gratiôſam,& vndiq; per omnia ſibi quadrantem & congruentem,deorúmq; diligentia ac benignitate in terram delapſam.Hanc eandem deam idem orator ait ab Ioue horas confirmare,ſolam obſignare cuncta,agros cultibus exornare, ſuarũ cuiuſq; rerum fructus aliarúmq; poſſeſſionem præſtare,res vrbanas gerere pro voto,perquàm maturè nuptias tum dare tum accipere in quos & à quibus libeat,liberos educare atq; erudire:& reliqua,quæ idem ſcriptor ſubiungit.

Diſcordiam deam exiſtimatam à gentibus,Concordiæ coniungimus,etſi diſiunctiſſimæ ſunt.Hanc in morem furiæ formauit antiquitas. Deſcribitur à Petronio Arbitro in Satyrico, cuius pars libri extat,quo loco bellum ciuile inter Cæſarem & Pompeium eruditè deteſtatur.ita enim de Diſcordia canit:

Intremuêre tubæ,ac ſciſſo Diſcordia crine
Extulit ad ſuperos Stygium caput.huius in ore
Concretus ſanguis,contuſaq; lumina flebant:
Stabant irati ſcabra rubigine dentes,
Tabo lingua fluens,obſeſſa draconibus ora,
Atq; inter toto laceratam pectore veſtem,
Sanguinea tremulam quatiebat lampada dextra.

Atq; hæc Petronius. Vergilius verò in ſexto ait:

—Et Diſcordia demens
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.

Idem in octauo:

Et ſciſſa gaudens vadit Diſcordia palla,
Quam conſanguineo ſequitur Bellona flagello.

Ariſtides etiã ita deſcribit,his ferme verbis:Diſcordia & Seditio,inquit, ſupino eſt capite,labris liuẽtib.oculis ſtrabis,putridis,tumefactis, lachrymis ſubinde fluẽtib.manib.incõtinẽtib.mobilibúſq;,gladiũ intus ad pectus ferẽs,tenuib. & obliquis innixa crurib.& pedib.eã,ceu rete,caligo & tenebræ circũuolãt: & reliqua,q̃ idẽ ſcripſit.Illud quidẽ de hac ipſa dea notiſſimũ,vt ſcilicet in cõuiuio pomũ iniecit in nuptiis Pelei & Thetidis,cùm ad eas nuptias ipſa nõ vocata fuiſſet:in quo pomo id erat inſcriptum,Pulchra capito:hoc eſt,ἡ καλὴ λαβέτω.

Furorem Diſcordiæ iure ſubdidimus,quoniam ex diſcordia furẽtes fieri mortales videmus.Finxerunt verò antiqui Furorem,nunc vinctum cathenis, qualem his verbis P.Maro lib.1.Aeneidos,Iouem inducit loquentem:

—Diræ ferro compagibus arctis
Clauduntur Belli portæ,Furor impius intus
Sæua ſedens ſuper arma,& centum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis,fremit horridus ore cruento.

Interdum fingebant ſolutis vinculis & cathenis, qualis deſcribitur à Petronio Arbitro in eodem Satyrico,cùm ita canit:

Quos inter Furor abruptis ceu liber habenis,
Sanguineum latè tollit caput,oraq; mille
Vulneribus confoſſa,cruenta caſſide velat.
Hæret detritus læua Mauortius vmbo
Innumerabilibus telis grauis,atq; flagranti
Stipite dextra minax terris incendia portat.

Honor etiam deus putatus,vt eſt apud Lactantium & Auguſtinum, tametſi quidam Auguſtini codices Honorinum perperàm habent.De hoc deo M.Cicero ſecundo de Nat.deorum:Vides templum Honoris à M.Marcello renouatum,quòd multis antè annis erat bello Liguſtico à Q.Max.dedicatũ. T.Liu.li.7.Decad.3.Marcellũ ait,aliæ atq; aliæ obiectę animo religiones tenebant,in q̃bus ꝙ cũ bello Gallico ad Claſtidiũ ædẽ Honori & Virtuti vouiſſet, dedicatio

eius à pontificib. impediebatur, quòd negabant vnam cellam duobus deis rectè dedicari, &c. C. etiam Marius & ipſe ædem conſtruxit Honoris & Virtutis, de qua, vt nunc alios mittam, ita Victru. in 7. Caius, inquit, Mutius magna ſciētia confiſus, ædes Honoris & Virtutis Marianæ cellæ, columnarúmque & epiſtyliorum ſymmetrias legitimis artis inſtitutis perfecit. id verò ſi marmoreum fuiſſet, vt haberet quemadmodum ab arte ſubtilitatem, ſic à magnificētia & impenſis auctoritatem, in primis & ſummis operibus nominaretur. Ego aliquando rogatus, quo modo effingerem deum Honorem, ita reſpondi: quòd deam Virtutem ipſe fingerem præcedere, & dein ad eam Honorem à Cupidine duci. idque ex reipſa elicui. Nihil enim aliud eſſe videtur honor, quàm quem ex virtute ipſa aſſequimur. nam & vidimus Honoris ædem poſt Virtutis templa poni ſolere. Alciatus tamē in Fidei ſymbolo, Honorem purpurea veſte depingit, laurea coronatum. ita enim cecinit:

Stet depictus Honor, tyrio velatus amictu.

Et hactenus quidem de Honore. nam de virtute iam dictum eſt, cum qua etiam & de Honore nonnulla.

Miſericordiam cultam legimus: vnde ἐλαίου βωμὸς, id eſt, Miſericordiæ aram Athenienſes habuêre, vt Pauſ. aliíque tradunt. Romani etiam Miſericordiæ tēplum aſylum vocauêre, de quo hîc mihi non eſt dicendi locus. nam quo verè loco Romæ fuerit, video variè tradi à ſcriptoribus. Seruius quidē in octauo AEneidos: Poſtquam Hercules migrauit è terris, nepotes eius timētes inſidias eorum quos auus afflixerat, Athenis ſibi primum aſylum, hoc eſt templum Miſericordiæ collocarunt, vnde nullus poſſet abduci. quod etiam Statius dicit, Herculeos fama eſt fundaſſe nepotes, &c. à cuius ſimilitudine & Romulus acer aſylum retulit, vt ait Vergilius.

Clementiæ etiam numen venerati ſunt antiqui. vnde Plutarchus ſcribit in Cæſare, eius Clementiæ templum non ab eius moribus abhorrens decretum fuiſſe. Cui deæ his proximè diebus, inſigne ſacrum HERCVLES Princeps feciſti, iudicio omnium bonorum, non Ferrariæ modò, ſed totius Italiæ, cum ſumma tua clementia Maphronio ignouiſti, qui toties capiti tuo & tuorum inſidias ſtruxerat, & nonnullorum etiam neces fecerat, pro fermè tuæ vrbis mœnibus. De hac dea ita Claudianus cecinit:

Principiò magni cuſtos Clementia mundi,
Quæ Iouis incoluit zonam, quæ temperat æthram
Frigoris & flammæ mediam, quæ maxima natu
Cœlicolum: nam prima chaos Clementia ſoluit,
Congeriem miſerata rudem, vultúque ſereno
Diſcuſſis tenebris in lucem ſæcula fudit.
Hæc dea pro templis, & thure calentibus aris,
Te fruitur, &c. Idem alibi:
Nonne vides vt noſtra ſoror Clementia, triſtes
Obtundat gladios? &c.

Pudicitia dea culta eſt ab antiquis, cuius Romæ ædes fuit in foro boario, & hæc quidem patricia vocata: altera fuit plebeia, cuius ædicula in vico longo à Virginia poſita: cuius, quia eſt cognitione digna, hiſtoriam à Liuio deſumptā, hîc tibi aſcribam. Inſignem, inquit, ſupplicationem fecit certamen in ſacello Pudicitiæ, quæ in foro boario fuit, ad ædem rotundam Herculis inter matronas ortum. Virginiam Auli filiam, patriciam plebeio nuptam, L. Volumnio Cos. matronæ, quòd è patribus nupſiſſet, ſacris arcuerāt. breuis altercatio inde ex iracundia muliebri in contentionem animorum exarſit: cùm ſe Virginia & patriciam, & pudicam, in patriciæ Pudicitiæ templum ingreſſam, & vni nuptam, ad quem virgo deducta ſit, nec ſe viri honorúmve eius ac rerum geſtarum pœnitere verò gloriaretur. Facto deinde egregio magnifica verba adauxit. In

vico longo, vbi habitabat, ex parte ædium, quod ſatis eſſet loci modico ſacello excluſit, arámque ibi poſuit: & conuocatis plebeijs matronis, conqueſta iniuriã patriciarum: Hanc ego aram, inquit, Pudicitiæ plebeiæ dedico: voſque hortor, vt quod certamẽ virtutis viros in hac ciuitate tenet, hoc pudicitiæ inter matronas ſit: detiſque operam, vt hæc ara, quàm illa, ſi quid poteſt, à ſanctioribus & caſtioribus coli dicatur. Eodem fermè ritu & hæc ara, quo illa antiquior culta eſt, vt nulla niſi ſpectatæ pudicitiæ matrona, & quæ vni viro nupta fuiſſet, ius ſacrificandi haberet. hæc Liuius. Hinc etiam Val. Maximus de Inſtit. libro ſecundo: Quæ vno contentæ matrimonio, corona pudicitiæ honorabantur: & reliqua. Feſtus pudicitiæ ſimulachrum Fortunæ exiſtimauit. ait enim: Pudicitiæ ſignum in foro boario eſt, vbi familia ediſſet Herculis: eam quidem Fortunam eſſe exiſtimant. Item via Latina ad miliarium, illic Fortunæ muliebris ſimulachrum nefas eſt attingi, niſi ab ea quæ ſemel nupſit. Plebeiæ etiam Pudicitiæ ſacellum Romæ, vt cætera colebatur. hæc Feſtus. Propertius:

Templa Pudicitiæ quid opus ſtatuiſſe puellis,
Si cuiuis nuptæ quidlibet eſſe licet.

Salus à Romanis dea, vt Græcis Hygeia, culta fuit: quin & Macrobius ſcribit, ferias antiquitùs fuiſſe, quoties quis ſalutem deam nominaſſet, cùm Semoniam, Segetiam, & cæteras. Inde vocati ſalutigeri dei, ab Apuleio, qui Græcè σωτῆρες vocantur: etſi alios aliter ſentire ſcio. Ædes Salutis à C. Iunio Bubulco cenſore locata fuit, vt in 9 ab Vrbe cond. prodit Liuius, quã Coſ. bello Sãnitum vouerat, mox idem dictator eam dicauit: eam ædem à Fabio Pictore depictam legimus. Mirum nonnullos pro Bubulco Bibaculum literis mandaſſe. Salutis tẽplum P. Victor in ſexta Vrbis regione, hoc eſt in Quirinali ſtatuit. Scribit Feſtus, Salutarem portam Romæ appellatam, quòd prope ædem Salutis eſſet. Salus verò effingebatur ab antiquis, mulieris forma, in ſolio ſedentis, pateram tenentis, penes quam ara erat: aræ anguis inuolutus, caput attollens. Hygeiæ verò ſimulachrũ apud Sicyonios deſcribit Pauſan. vix videri potuiſſe, ad quod mulieres capillos dicabant, & in eius honore eos ſibi reſecabant: verùm de Hygeia & ſororibus in Aeſculapio agam. Porrò & ſalutis augurium apud Romanos celebrabatur, quod intermiſſum, Auguſtum renouaſſe legimus. De hoc Salutis augurio M. Cicero, Suetonius, Cornelius Tacitus, Feſtus, & Dion lib. Hiſtor. 38. & Liu. Porrò & Antiochus, qui cognominatus eſt Soter, cùm aduerſus Galatas pugnaret, nec ſatis pro voto res ſuccederet, eſſetq́ in diſcrimine, vel vidit, vel vidiſſe ſimulauit per quietem, vt militum animos ſpe erigeret, Alexandrum Magnum illum, qui moneret vt Sanitatis ſymbolum proponeret, idqúe pro teſſara tribunis daret, eorumqúe veſtibus inſueret: ea re fore, vt victoria poteretur. Vnde & huius rei ſignum in veteribus Antiochi nomiſmatibus adhuc cernitur. Eſt autem triangulus triplex, inuicem inſertus, ex lineis quinq; cõſtans, in quibus ὑγίεια inſcribitur. Huius figuræ & Lucian. meminit in eo libello, vbi agit de eo qui lapſus erat in verbo inter ſalutandum. Hæc autem talis eſt figura. Græcè verò hæc figura, ſeu ſchema, πεντάγωνον dicitur, qua voce & noſtri vtuntur. Sed & Auxilium deum etiam legimus, quin ipſum Plautus inducit in Ciſtell. prologo.



Occaſionem Latini deam fecére, ſicut Græci deum καιρόν: qua ex re illi maſculi nomine, vt nos fœminæ vtimur. Simili modo noſtri Inuidiam, vt illi τὸν φθόνον. καιρὸν minimum filiorum Iouis ſcripſit Ion Chius poeta, in hymno quem in ipſum condidit, vt Pauſanias in Eliacis tradit. Quare cùm Poſidippus καιρὸν pulchrè Græcè deſcripſerit, & ab eo Auſonius Gallus Latinè Occaſionem, viſum eſt mihi vtriuſque deſcriptionem hac noſtri libri parte apponere, vt qui eorum imagines habere voluerint, habeant vnde facilè excerpere poſſint. Intelligo enim, illuſtres quoſdam Principes his diebus id meditari. Hoc eſt ergo Poſidippi

epigramma,

epigramma,quod poſt Th.Morum,& Eraſmum, viros ſummè doctos, ideo eſt à me ita conuerſum,vel concinnatum potius, quòd Eraſmus quidem quatuor addiderat verſus,Thomas duos dempſerat.Græcùm ſi cupis,in 4 Epigrammatum leges,quod ita eſt à me refectum:

Vnde hic eſt plaſtes? Sicyonius.Ede age nomen.
Lyſippus.Tu quis? Cærus ego,omne domans.
Cur ſummis inſtas pedibus? Semper rotor. Alas
Cur plantis geſtas?Vt leuis aura feror.
Dextræ eſt cur inſerta nouacula?Signum homini hoc eſt,
Vis conferri acie quòd mihi nulla poteſt.
Cur coma fronte iacet?Venientem vt prendere poſsis.
Parte eſt cur caluum poſteriore caput?
Quòd poſtquam leuibus præceps effugero pennis,
Ne valeat tergo qui reuocare velit.
Talem vos propter me plaſtes finxerat hoſpes,
Pro foribus poſitus qui documenta darem.

Hoc Poſidippi.nunc Auſonij ſubſcribo:in quo ille,vt ſibi viſum eſt,ingenioſus eſſe voluit,ita vt etiam ſibi non in nomine tantùm plaſtæ,ſed & in ſyllaba quoque nimis indulſerit.quis enim Phidiam non norit,prima intenta diphthõgo pronunciandum? Epigramma hoc eſt:

Cuius opus? Phidiæ,qui ſignum Pallados,eius
Quique Iouem fecit,tertia palma ego ſum.
Sum dea,quæ rara,& paucis Occaſio nota.
Quid rotulæ inſiſtis? Stare loco nequeo.
Quid talaria habes? Volucris ſum:Mercurius quæ
Fortunare ſolet,trado ego,cùm volui.
Crine tegis faciem? Cognoſci nolo.Sed heus tu,
Occipiti calua es? Ne tenear fugiens.
Quæ tibi iuncta comes? Dicat tibi.Dic rogo quæ ſis?
Sum dea,cui nomen nec Cicero ipſe dedit,
Sum dea,quæ facti non factique exigo pœnas,
Nempe vt pœniteat:ſic Metanœa vocor.
Tu modò dic, quid agat tecum? Si quando volaui,
Hæc manet:hanc retinent,quos ego præterij.
Tu quoque dum rogitas,dum percunctando moraris,
Elapſam dices me tibi de manibus.

Hoc quidem Auſonij eſt. Porrò & Calliſtrati legimus ecphraſin, qui cum Poſidippo de Cæro deo,& de loco conuenit,puerúmque ipſum deum facit florulentæ pubertatis,formoſum crinibus ſparſis Zephyro,cæteráq; corporis ſpecie,vt Dionyſio maximè ſimilis eſſe videretur:& cætera denique fermè,quæ Poſidippus.Sed de Græco Cæro hactenus,& Occaſione Latina ſatis:cùm & Eraſmus in Prouerbiis nonnulla,& ante illum Politianus in Miſcellaneis non inſcitè ſcripſerint.

Fraus ita effingitur à Dante Alligerio,& à Buccatio in Geneal.Faciem illius iuſti hominis aiunt videri,corpus reliquum ſerpẽtinum,variis & maculis & coloribus diſtinctum:eius caudam terminari in ſcorpionis aculeum. Fraudẽ porrò per Cocyti vndas innare,nec eius niſi faciem apparere.

Calumniæ,quam Græci διαβολὴν nominãt,& Impudẽtiæ aras Athenienſes cõſecraſſe,teſtis eſt Theophraſtus apud Diogenianũ.ita verò Apellẽ aliquãdo effinxiſſe Calumniam,teſtis eſt Lucianus in eo qui inſcribitur, De non calumniæ

temerè credendo. Cùm enim Antiphilus Apellis quidam æmulus, apud Ptolemæum Apellem eſſet calumniatus, quòd cum Theodota conſenſiſſet, qui à rege rebellionem fecerat, & à quodam coniurationis conſcio, qui capitis pœna tenebatur, regi innotuiſſet, Apellem omnino facinoris ignarum, & iniquè illum inſimulari: tum Ptolemæus poſito furore, ſententiam mutauit: Apellem talentis centum donauit, eiq́ in ſeruitutem calumniatorem Antiphilum addixit. Tunc Apelles periculi memor, tali pictura Calumniam vltus eſt. In dextra quidem ſedet vir permagnas habens aures, quales fermè Midæ ferũtur: manum longè ille ꝑtendit accedẽti Calumniæ: circum ipſum verò ſunt mulieres duæ, ἄγνοια ſcilicet, & ὑπόληψις: hoc eſt, Ignorãtia & Suſpicio. Ex aduerſo Calumnia, διαβολὴ videlicet, mulier ornata & pulchra, ſed aſpectu ardens, & in iram & rabiem concita: læua facem accenſam præferens, dextra adoleſcentem quendam per capillos trahere videbatur, qui manus ambas ad cœlum tendebat, ſuperóſque obteſtabatur. Præcedebat vir pallidus, impurus, acutè intuens, his propemodum ſimilis qui longiori morbo ſunt confecti. hunc φθόνον eſſe, hoc eſt, Inuidiam, vel Liuorem, facilè cognoſcas coniectura. Ponè duæ alię erant mulieres, Calumniã dirigentes & adornantes: altera quidem ἐπιβουλὴ, hoc eſt Inſidia: altera verò ἀπάτη, id eſt Deceptio, vel Fallacia, ſeu Fraus. à tergo ſequebatur Pœnitentia, hoc eſt μετάνοια, pullas lacerasq́ veſtes induta, quæ retrò caput inflectens, flens ac lugens, pudore venientem Veritatem excipere videbatur. Hac igitur pictura Apelles pictor Epheſius, eleganter ſuum eſt vltus periculum, vt Lucian. idem eſt pluribus executus. De Contumelia in Pudore etiam agemus.

Felicitas, quam Græci εὐδαιμονίαν vocant, etiã antiquis dea exiſtimata eſt. Plin. libro 35. huius deæ ſimulachrum Archeſilao plaſtæ locatũ à L. Lucullo HS. LX, cui mors vtriuſque inuidit. meminit huius deæ ædis alio loco & his verbis D. Auguſt. Quid quòd & Felicitas dea eſt, ædem accepit, aram meruit, ſacra ei cõgrua perſoluta ſunt: &c. & alibi: Si Felicitas dea eſt, cur non ipſa vna quæ coleretur conſtituta eſt, quę poſſet vniuerſa conferre, & compendiò facere felicem? & paulò pòſt: Cur denique tam ſerò huic tantæ deæ, poſt tot Romanos principes, Lucullus ædem conſtituit? Lucius enim Licinius Lucullus anno ab V.C. DCLXVI. Cos. cum M. Cotta, cõſtrui curauit. Vidimus & ipſi in nomiſmatib⁹ antiquis Felicitatis effigiẽ, & pręcipuè in Iuliæ Mammææ Aug. in cuius tergo fœmina erat, in ſolio ſedens, dextera caduceũ, ſiniſtra grãde cornucopiæ tenens, cum hac inſcriptione, FELICITAS PVBLICA. Scribit Dion. libro Hiſt. 44. C. Cæſari dictatori ſenatum conceſſiſſe, vt ſenatum nouum conſtrueret, quamuis cui ia Hoſtilia inſtaurata fuiſſet, & eius vicę Felicitatis templũ, quod etiam Lepidus magiſter equitum fecit. Cebes verò Thebanus in Tabula hoc modo deſcripſit: In eminenti quopiam arcis veſtibulo Felicitatem in ſolio ſedere, liberali ornatu (ait) comptam, ſed non accuratè, & florẽtiſſimo ſerto coronatam. Sanè & Macariam Herculis filiam apud Græcos cultam legimus, quæ cùm oraculum redditum fuiſſet, Athenięſes victoriam habituros, ſi ex Herculis liberis aliquis ſponte oppeteret, Macaria id intelligens, ſeipſam iugulauit, qua ex re victoria Athenienſibus, & diuinitas ipſi Macariæ eſt comparata. Lege Euripidis tragœdiam Heraclides, & Platonem.

Libertas in primis à Romanis dea habita & culta eſt, vt qui maximè ei ſtuderent, ab eo videlicet tempore, quo in libertatem ſeſe vendicauêre. Libertatis tẽplum P. Victor in Auentino conſtituit, & ibidem atrium Libertatis, cuius crebra apud ſcriptores mentio. Templum Libertatis Liuius ex mulctatitia pecunia cum æreis columnis, & ſtatuis pulcherrimis à patre Tiberij Gracchi & cõditum & dedicatum: cuius atrium ab AElio Pæto & Corn. Cethego cẽſoribus inſtauratum & auctum, demum & à Pollione reſtitutũ, Suetonius ſcribit. At M. Cicero pro Domo ſua ad Põtifices, ſcribit domum ſuam à Clodio Libertati cõſecratam, immò religionibus religaſſe: quo loco multa diuinitùs perorat. Dion Hiſto-

Hiſtoriarum libro 43, Poſt victoriam, ait, Cæſari ſenatum tribuiſſe inter alia, vt patriæ liberator appellaretur, & publico decreto Libertatis templum conſtruxerunt. Nec minus & Græci Libertatem, & Libertatis deos coluêre, ἐλευθερίους, & θεοὺς ἐλευθέρους, de quibus ſæpe in hoc libro, & præcipuè in Ioue. atq; idem Liber, & Libera, à noſtris. Sanè notatum legimus, libertatis indicium pileum fuiſſe: vnde & qui ſerui libertate donabantur, pileum geſtabant capite raſo, vt notũ eſt. hinc & legimus Brutos monetã cudiſſe cũ pileo duob. pugionib. impoſito.

Pecunia dea. Auguſtinus: Deæ Pecuniæ commendabantur, vt pecunioſi eſſent. idem alibi: Pecunia dicta eſt dea, quæ dat pecuniam. Iuuenalis tamen ait in prima ſatyra.

—Et ſi funeſta Pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras.

Quo modo hoc verum? ſi non modò Pecuniam colebant antiqui, vt ait Auguſtinus, ſed etiam, eodem teſte, Aeſculanum, & eius filium Argentinum, deos habebant, vt ſcilicet haberent ipſi ęream argenteámq; pecuniam? Nam ideò Argentini patrem Aeſculanum poſuerunt, quia prius ærea pecunia in vſu eſſe cœpit, pòſt argentea. Subdit irridens Auguſtinus: Miror autem, quòd Argentinus non genuit Aurinum, quia & aurea moneta ſubſecuta eſt: & cætera. Sed quo tẽpore huiuſmodi pecuniæ apud Romanos primùm excuſæ fuerint, Plinius in primis docet, & ab eo cæteri, ne ab Hebræis & Græcis iſta petamus. Libet tamẽ hoc loco tibi recitare elegantes quoſdam Menandri ſenariolos, quos in quapiam ille fabula protulit, quoquo modò à me conuerſos. ita enim ait:

Epicharmus eſſe dixit hos quidem deos,
Ventos, Solem, Terram, Ignem, Stellas, Aquam.
Ego vtiles verò deos eſſe arbitror
Noſtros, & Argentum & Aurum maximè:
Iſtos quidem ſi dedices tua in domo,
Quicquid voles roges, tibi omnia aderunt,
Ager, domus, ſeruiq; & argyromata,
Teſtes, amici, iudices, tantùm dato:
Ipſos habebis vel miniſtrantes deos. Hactenus Menander.

Sed quoniam Græcè venuſtiores ſunt, hos ſi cupis, tibi habe ex Stobæi oratione, quæ inſcripta eſt Pluti laus. Conſonat his Petronij Arbitri pulchrum carmen, cui tale eſt initium:

Quiſquis habet nummos, felici nauiget aura, &c. quod videtur è Menandro deſumptum. Fuerunt ad hęc Lucri dei, lucris prępoſiti, vt aduerſus Gentes prodit Arnobius, à lucro denominati: quemadmodum apud Græcos κερδῷος Mercurius & Apollo, à lucrò, vt ſuo loco dicam, denominati.

Inuidia etiam dea, quæ hominum peſtis acerrima & acerbiſſima eſt. Græci hanc maſculam effingunt, quippe qui hominis effigie malè habiti, & ex morbo nondum planè conualeſcentis effingant, vt videmus ex dialogo Luciani διαβολῆς, id eſt Calumniæ. Noſtri verò, fœminæ forma formarunt, vt pulcherrimè Ouid. in ſecundo Metamorph. oſtendit, vbi & Inuidiæ domum deſcribit, & Inuidiam ipſam his verſibus:

Pallor in ore ſedet, macies in corpore totò,
Nuſquam recta acies, liuent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno:
Riſus abeſt, niſi quem viſi fecère dolores.
Nec fruitur ſomno, vigilantibus excita curis:
Sed videt ingratos, intabeſcitq; videndo,
Succeſſus hominum, carpitq; & carpitur vnà,
Suppliciumq; ſuum eſt.

Sed & Plutarchus in libello de Inuidia,multa,& elegans Hendecaſyllabum inter poematia Vergilij:Liuor tabificum malis venenum:&c. Sanè antiqui Inuidiam anguilla deſignabant,quando ea natura eſſe feratur anguilla, vt omnib. piſcibus inuideat,vt Contumeliam perdice,quæ ſit contumelioſa valde. Illud quoq; notandum,deorum eorundem genus variari à Græcis,& à noſtris interdum,vt in hoc.Græci enim maſculam Inuidiam pingunt,quoniam Græcè ὁ φθόνος.Itidem & καιρὸς,iuuenem marem:noſtri Occaſionem fœminam faciunt, vt ſuprà diximus.Sic & alios nonnullos non notaui.

Fama ab Athenienſibus,teſte Pauſan.culta:dea verò deſcribitur ab Heſiodo in ἔργοις καὶ ἡμέραις,Eſt dea Fama quidem,ſunt ipſi numina famæ:hoc eſt, θεός νύ τίς ἐστι καὶ αὐτή.Scribit & Plutarch.in Camillo, templũ etiam Famę conſtructũ fuiſſe. Sed enimuero copioſius Vergilius in quarto Aeneidos Famam ita deſcribit:

Extemplò Lybiæ magnas it Fama per vrbes,
Fama malum,quo non aliud velocius vllum,
Mobilitate viget,vireſq; acquirit eundo,
Parua metu primo,mox ſeſe attollit in auras,
Ingrediturq; ſolo,& caput inter nubila condit.
Illam terra parens,ira irritata deorum,
Extremam(vt perhibent)Cœo Enceladoq; ſororem
Progenuit,pedibus celerem,& pernicibus alis:
Monſtrum horrendum,ingens,cui quot ſunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi ſubter(mirabile dictu)
Tot linguæ,totidem ora ſonant,tot ſurrigit aures.
Nocte volat cœli medio,terræq; per vmbram
Stridens,nec dulci declinat lumina ſomno.
Luce ſedet cuſtos,aut ſummi culmine tecti,
Turribus aut altis,& magnas territat vrbes:
Tam ficti prauiq; tenax,quàm nuncia veri.

Quis pictor quæſo,aut plaſtes expreſſius effinxiſſet?ſi tamē & amplius quęras,quas ædes incolat,& quas mundi partes,lege primam partem duodecimi Metamorph.Ouidij.Fames verò deſcribitur ab eodem in octauo. Porrò quoniam & mala eſt Fama,& Rumor,ideo eam antiqui aliquando alis nigris effinxerunt,iuxta illud Claudiani contra Alaricum,

Famáq; nigrantes ſuccincta,pauoribus alas.

Pudor,& Fama,& Miſericordia ab Athenienſibus cultæ,& Impetus. ipſi enim αἰδοῦς,φήμης,ἐλαίου,καὶ ὁρμῆς βωμοὺς habuêre, quod Pauſan. in Atticis in primis oſtendit.ijdem etiam & ὕβριν καὶ ἀναίδειαν, id eſt Contumeliam & Impudentiam coluerunt,vt idem Pauſan.docet:M.Tullius lib.2.de Legibus: Nam illud, inquit,vitioſum Athenis,quòd Cylonio ſcelere expiato,Epimenide Cretēſi ſuadente,fecerunt Contumeliæ fanum,& Impudentię. Idem & Theophraſtus in libro de Legibus,& Iſter lib.4.Quare mirum illud eſt, quod ſcribit Xenophon in Sympoſio,Pudorem ſcilicet eſſe deum,nō Impudentiam,cùm de adoleſcentum amoribus ageret.quin Zenobius & Diogenianus, quos Eraſmus ſequitur,Impudentiam & ipſi deam faciunt,notiſſimo illo Græcorum prouerbio, θεὸς ἡ ἀναίδεια:id eſt dea Impudentia. Sanè perdice deſignabatur, quia impudens admodum ipſa eſt auis.Sed enim Pudorem cum Nemeſi in cœlum euolaſſe canit Heſiodus,ęneo ſeculo.Pudoris ara Athenis fuit in Acropoli,vt ait Heſychius : qui & illud addit, Pudoris & φιλίας aram eſſe. niſi fortè legendum ſit,pro φιλίας, ὕβρεως. Pudorem vir doctiſſ. Alciatus in quodam Emblemate ita deſcribit:

Ergo ſedens velat vultus,obnubit ocellos,
Iſta verecundi ſigna Pudoris erant.

Queis

Queis ſibi prælatum Icarius cognouit Vlyſſem,
Hocq́; Pudori aram ſchemate conſtituit.

Atq; hactenus Alciatus. Id verò totum ſumtum eſt ex Pauſaniæ lib. III. qui Laconica inſcribitur. Decenter quidem à Græcis Pudor muliebri effictus eſt forma, vel propter Penelopes fabulam, vel quia apud Græcos generis eſt fœminini. Ego certè pueri forma effinxi, ob rationem quam in Occaſione oſtendi.

Caca dea culta Romæ, quæ Caci ſoror fuit, vt ſcribit Lactantius, quæ de furto boum Herculi fecit indicium. vnde etiam ſacellum meruit, in quo ei per virgines Veſtales res ſacra fiebat, vt Seru. ſcribit lib. 8. Aeneid. quod & ego in vita Herculis ſcripſi.

Tutullina dea celebrata à Varrone & Auguſtino, ad tutandas & cuſtodiendas ſegetes collectas. Scriptum eſt apud Macrobiũ in Satur. apud veteres quiſque qui nominaſſet Tutullinam, ferias obſeruabat. Non. Marcellus, Tutanum & Tutellenam, ex Varrone citat. Tutanus in periculoſis & ſubitis rebus inuocabatur, quòd is præſidium atq; opem afferret, à tutando dictus. meminit idem Varro de Lingua lat. Regionem Portius deſignat, cùm de Ennio ſcribens dicit, eum coluiſſe Tutullinæ loca. Tutellina, à tuendo quidam, & Tutullinam ſcribunt, vt in pleriſq; exemplaribus obſeruauimus. A tuendo quoq;, vel tutando, Tutelares dei dicuntur, qui vrbium & locorum patrocinium & curam gerere credebantur, quorum eſt crebra mentio: de quibus alibi.

Sũt & Dei Securi, ſi modò inſcriptionibus antiquis ſtamus, qui ſecuritatem afferre putarentur. Vnde Romæ in regione columnæ, in ædibus vrſorum hæc adhuc inſcriptio viſitur: DIVIS SECVRIS.

Seia dea fuit, vt ex Varrone tradit Auguſtinus, præpoſita quàm diu ſegetes ſub terra eſſent: cùm verò iam eſſent ſupra terram, & ſegetem facerẽt, deam Segetiam vocabant. Sed enim Seiam, ait Plin. lib. 18. à ſerendo, Segeſtam à ſegetib. appellabant, quarum ſimulachra in circo videmus. Sed idem lib. 36. cap. 22. quidam Fortunam Seiam à Nerone appellatam, malè interpretantur, vt in Syntagmate de Fortuna dicemus. Segetiam verò Auguſtinus ait appellatam, cùm ſegetes iam natæ ſupra terram eſſent. Hæc eſſe videtur, quam Segeſtam vocat Plinius: meminit & Macrob. lib. 1. Sat. Apud veteres, inquit, quiſq; qui nominaſſet Salutem, Semoniam, Seiam, Segetiam, Tutullinam, ferias ſeruabat. Hîc addamus quod in primo Georgicorum ſcribit etiam Seruius, ex Varronis ſentẽtia: Nomina numinum in indigitamentis, id eſt, in libris pontificalibus inueniuntur, qui & nomina deorum & rationes ipſorum numinum continent: verbi cauſa, vt Occator deus ab occatione dicatur, à ſarritione deus Sarritor, à ſtercoratione Stercutius, à ſatione Sator. hæc Seruius. Arnobius verò Putam deam putationibus arborum præfuiſſe ſcribit, vt Petam rebus petendis. De Ope conſiua, in Ope ſuo loco agendum.

Ruſina dea fuit, cui rura committebant antiqui, vt ait D. Auguſtinus. quidã hanc Rurinam potius vocarunt.

Mellona dea mellificationis: idem in quarto Auguſtinus. Mellonia hæc ab Arnobio dicitur, quo loco de ea pluribus agitur.

Fornax dea etiam exiſtimata, quoniam ante triticum, & eius vſum, farra fornacibus torrebantur. vnde eſt dea Fornax conſtituta, vt Feſtus & Lactantius. plura in Faſtis Ouidius:

Facta dea eſt Fornax, læti Fornace coloni
Orant, vt vires temperet illa ſuas:
Curio legitimis tum fornacalia verbis
Maximus indicit: nec ſtata ſacra facit.

Videtur tamen alibi, hoc eſt lib. 6. Fornacalem appellare, cùm ait:

Et Fornacali ſunt ſua ſacra deæ.

Hinc ſacra Fornacalia dicta ſunt,de quibus cùm alij,tum Feſtus,nec ſemel.Ipſe quoq; in vltimo,vbi de Sacrificiis & celebritatibus plurima collegi.Budæus in lege,Si fornicarius,legit & corrigit Fornacanus,à Fornace:& putat ſignificare ſeruum piſtrinarium,vel piſtorem.Ego hac de re nil ſtatuo.

Collina dea fuit,cui colles attribuebant:& Vallonia,cui valles & conualles,vt eſt apud Auguſtinum.Non ab his abſimiles nymphæ,de quibus omnibus in Neptuni Syntagmate agemus.

Proſerpina dea credita,quæ germinantibus ſegetibus præfecta putabatur,vt Varro & Auguſtinus tradunt.Sed plura,cùm de Plutone agemus.Sit vna,non ſit,nunc non quæro.

Nodotus deus dictus ab Auguſtino,ab alijs Nodinus,qui nodis geniculisq; culmorum præfectus putabatur.

Lactucinam etiam deam colebant veteres,quæ lacteſcentibus frumentis ac ſegetibus præeſſet.Sunt qui Lacturnum apud Auguſtinum legant.Seruius certè lib.1.Georgicor.Lactentem deum ex Varrone commemorat.

Patalenam,eam deã exiſtimabant,quæ præeſſet ſegetibus,cùm ſpicæ & folliculi pateſcunt,vt ſcilicet ſpicæ exire poſſint.Auguſtinus ex Varrone. Arnobius Patellanam vocare videtur,& Patellam,ex quibus vna eſt patefactis,altera patefaciendis rebus præſtituta.

Hoſtilina dea colebatur,cùm ſegetes nouis ariſtis æquantur,vt Auguſtinus ait:quia hoſtire veteres æquare dixerunt.vnde & hoſtimentum,& hoſtorium:vt Priſcianus,& alij obſeruant.

Runcina dea tum placabatur,cùm frumenta runcanda eſſent,id eſt,à terra auferenda.Auguſtinus,& Varro de Lingua latina.

Spinenſis autem deus,vt ſpinas ex agris eradicaret.idem Auguſt.

Nemeſtrinus verò deus nemorum præpoſitus,vt notat Arnobius.

Flora dea,florentibus frumentis præpoſita,ait Auguſtinus,& Varro.Fabula variè narratur.quidam in æditũum Herculis & ſcortum referunt:alij in Larentiam.& quanquam in noſtro Hercule hanc recitaui,nihilominus hoc loco afferam,quid Lactant.lib.1.cap.20.hac de re ſentiat.Floram & Faulam Lactantius diſtinguit.ita enim,cùm de Laurentia Fauſtuli locutus fuiſſet: Nec hanc ſolam Romani meretricem coluerunt,ſed Faulam quoq;,quam Herculis ſcortum fuiſſe,Verrius ſcribit.mox paulò ſubiungit:Flora cùm magnas opes ex arte meretricia quæſiuiſſet,Po.Rom.ſcripſit hæredem,certamq; pecuniam reliquit,cuius ex annuo fœnore ſuus natalis dies celebraretur,editione ludorum quos appellabant Floralia:quod quia Senatui flagitioſum videbatur,ab ipſo nomine argumentum ſumi placuit,vt pudendæ rei quædam dignitas adderetur,deam finxerunt eſſe quæ floribus præeſſet,eámq; oportere placari,vt fruges cum arborib. aut vitibus bene proſperéq; floreſcerent.Eum colorem ſecutus in Faſtis poeta,non ignobilem nympham narrauit,quæ Chloris vocitata:eámq; Zephyro nuptam,quaſi dotis loco id accepiſſe muneris à marito,vt haberet omnium florũ poteſtatem.Lactantius ita. Romani igitur Floram deam finxerunt,quæ floribus præeſſet:eámq; placabant,vt fruges cum arboribus & vitibus bene floreſcerent:& ludi ipſi Florales & Floralia nuncupati,in quibus omnes nequitiæ & laſciuiæ nudis mulieribus peragebantur. Notiſſima eſt hiſtoria de Catone,Florales ludos ingreſſo,qui ob ſeueritatem ac grauitatem eſt abire compulſus,à Fauonio monitus,non à Cotta,vt vir doctus memoria lapſus ſcripſit:Varro,& Martialis in primo,

Noſſes iocoſæ dulce cùm ſacrum Floræ,
Feſtosq; luſus,& licentiam vulgi,
Cur in theatrum Cato ſeuere veniſti?
An ideo tantùm veneras vt exires?

Sed hiſtoriam hanc copioſius in ſecundo libro recitat Val.Max.Floralia quarto Ca-

to Calend.Maij celebrabantur,& Cal.ipſis.vnde inſtitutum adhuc viget vbiq; ferè gentium,vt eo Calend. die floribus omnes Maiuma celebrent,vt vocant Græci,& iureconſulti:hæc eſt Maij menſis celebritas,de qua etiam plura Suidas.Quidam eruditi cum Floralibus,ἀνθεστήρια Athenienſium coniungunt, non ſanè rectè,ſed de his,pluribus ſcripſi in lib.de Annis,menſibus, &c. P. Victor Floræ templum & circum,& Floralia in ſexta vrbis regione collocat, hoc eſt, Quirinali.Fuit,teſte Plutarcho,ſimulachrum Floræ in ęde Caſtoris & Pollucis, à Praxitele ſumma induſtria formatum,multis coloribus,tunica indutum,in cuius deæ dextra flores fabarum & ciceris fuerunt.Scribit Porphyrion, in Floralibus Aediles cicer & fabã populo ſpargere ſolitos.Verſicolor colos ideo Floræ attribuebatur,quia nullus color eſt qui in Florib.non reperiatur. Sanè Chloris,quam Ouid.Floram ait,meminit & Catullus,& ante hos Homerus in Odyſ. Sunt item qui Laurentiam & Larentiam diſtinguant,vt altera Acca Fauſtuli fuerit,altera etiam meretrix:ambas tamen Firmianus ſub vna recitat Lupa, Romuli & Remi nutrice.Certè Varro ab Acca Laurentia,Laurentalia celebritatẽ dictam ait.Angeronalia,inquit,ab Angerona,cui ſacrificium fit in curia, & cuius feriæ publicæ Laurentinæ:is dies,quem diem quidam in ſcribendo Laurentalia appellant, ab Acca Laurentia nominatus,cui ſacerdotes noſtri publicè parent an.6.die qui Acca dicitur,vel Atra,vt legitur.hæc Varro,& quę ſequuntur, parum mihi comperta.Feſtus & ipſe:Laurentalia,ait,Laurentiæ Fauſtuli coniugis,Romuli Remiq; nutricis feſta fuere.Ouid.verò in Faſtis,

Non ego te tantæ nutrix Laurentia gentis,
Nec taceam veſtras Fauſtule pauper opes.
Veſter honos veniet,cùm Laurentalia dicam,
Acceptus Genijs illa December habet.

De Faula porrò Herculis ſcorto,quam ex Verrio,ſeu Ennio,deam nominat Lactantius,in Hercule diximus:licet Fauola ſit ſcriptum ibi.

Pomona dea,quæ pomis & fructibus præerat,de qua Ouid. in Metamorph. in fabula Vertuni,& item Propertius in eadem fabula.Hanc deam ſumma religione coluerunt gentes,vt poma & fructuum fœcunditas afforet:à qua flamen Pomonalis.Pomonal,ait Feſtus,fuit in agro Solonio,via Hoſtienſi,ad lapidem 12.diuerticulo à milliario octauo.Sed de Pomona etiam in Vertuno agendum, ea parte qua Ianus deſcribendus.Porrò cum Pomona,Fructeſam deam connumerat D.Auguſt.propter fructus.

Terram,& Tellurem,& Tellumonem,terræ deos,conſecrauêre Romani: & Græci γῆν,γαῖαν,& αἶαν appellantes.hinc & ædes & templa eorum in hiſtorijs, cæteriſq; ſcriptis ſæpe legimus.Hymnum deæ Terræ Orpheus compoſuit, cui omne genus ſemen pro ſuffimento adolet,præter fabam, & aromata. Alterum hymnum Terræ Statius concinuit:O hominum diuûmque ęterna creatrix,&c. Terram verò etiam primam oracula dediſſe,in Hiſtoria poetarum tradidimus. ſed & Matrem deûm eandem dixerunt,vt ſeorſum,cùm de ea ſuo Syntagmate agemus,dicturi ſumus.Quin & Seruius in 10.Aeneid. Terram, inquit, conſtat eſſe Matrẽ deûm:vnde & ſimulachrũ eius cum claui pingitur. nam aperit verno,hyemali clauditur tempore.Ea & Ops dicta,vt Varro ait de Lingua latina, quòd hîc omne opus,& hîc opus ad viuendum:ideo dicitur Ops mater,& Terra mater.Hæc enim terris gentes omnes peperit,& reſumit denuò. Tellurem deam Scythæ ſua voce Apiam appellauêre,vt Herodotus docet in quarto. De æde verò Telluris Romæ,quoniã frequenter à ſcriptoribus fit mentio, hîc breuiter agendum.P. Victor eam ſtatuit in quarta Vrbis regione.Seruius,nõ à Carinis procul. Val.Max.in area ædium Sp.Caſsij,eius qui regnum affectauit. M. Cic.ꝑ domo ſua:Sp.Caſſij domus ob eandem cauſam euerſa eſt,atq; in eodẽ loco ædes poſita Telluris.Idem innuit Dionyſ.Alicarn. Porrò & Telluris ædem Sempronium vouiſſe,his verbis L. Florus oſtendit:Domiti hinc(ait)Picentes,

ſed caput gentis Aſculum Sempronio duce,qui tremente inter prælium campo Tellurem deam promiſſa æde placauit.Sed & Tellurem & Tellumonem, Proſerpinam quidam & Plutonem interpretantur.Auguſtin.lib.7.Tellurem, inqt, à vi fœminæ,Tellumonem à vi maſculi dixerunt. Coniungit cum his Altorem & Ruſorem:& Altorem quidem,quòd ex terra aluntur omnia quæ nata ſunt: Ruſorem,quòd rurſus cuncta illuc reuoluuntur.& hæc ex Varrone.Noſter verò Cœlius Rurſorem hunc deum nuncupabat,præſidemq; deum putabat rebus reſtituendis,reparandiſq;.

Pales,teſte Feſto,& Seruio,dea paſtorum vel pabuli habebatur, cuius feſta dicebantur Palilia:vel vt alij volunt,dicta Parilia,quoniam pro partu pecorum eidem ſacra fiebant.Lege in Faſtis Ouidium.Virgilius,Te quoq; magna Pales, & te memorande canemus Paſtor ab Amphryſo,&c.Tibullus,Et placidam niueo ſpargere lacte Palem. Ouid.Et tepido lacte precare Palem. Palilia,inquit Varro,dicta à Pale,quod & feriæ ei deæ fiunt:vt Cerealia,à Cerere.Scribit Seruius,Palen ab alijs Veſtam,ab alijs Matrem deûm exiſtimatam: itémq; genere fœmineo appellari,ab alijs maſculino,vt Varrone.idē Arnobius,vt in dijs Pœnatibus repertam.huic deæ ſacra ſoluebantur 11.Calēd.Maias:vel melius vt alij, 12.vt in Faſtis notauimus.

Carna dea,quæ antiquis Romanis culta fuit,quam vitalibus humanis præeſſe putabāt,vt ex Macrobio in libro de Annis,menſibus,diebus,&c.ſcripſimus. ab eáq; petebatur,vt iecinora,& corda,quæqúe ſunt intrinſecus viſcera,ſalua cōſeruaret. cui templum pulſo Tarquinio Iunius Brutus in Cœlio monte conſtruxit,Calendiſq; Iun.ſacrum voti reus fecit.huic deæ pulte fabacea & larido res ſacra fieri ſolebat.quin & Calendæ ipſæ Iuniæ,Fabariæ dicebantur.Cardinum etiam deam fuiſſe legimus,de qua in Faſtis fabuloſè Ouid. D.Auguſt.Cardeam hanc appellare videtur,vt paulò pòſt dicemus.

Rubigus deus,vt M.Varro de Re ruſt.& de Lingua latina,& Rubigalia dicta.Huic deo res diuina fiebat,ne rubigo occuparet ſegetes. Meminère Plin. Feſt.Ouid.Seruius & Auguſtin.Dicimus & Robigo genere fœmineo, & Robigus genere maris.Gellius lib.4.cap.6.Verba S. C. Si quid ſuccidaneis opus eſſet,Robigus accederet.Idem lib.5.cap.12.In his autem deis,quos placari oportet,vti mala à nobis,vel à frugibus natis amoueantur,Arungus quoq; habetur, & Rubigus.hæc Gellius.Sanè eruditi quidam pro Arungo hoc loco Auerruncum legunt,de quo deo à me alibi actum eſt.hinc inſtituta ſunt Rubigalia, quæ celebrabantur ad auertendam rubiginem mēſe Aprili,hoc eſt,vt Feſt.ait,7. Cal. Maias,vt diximus de Annis,menſibus,diebus,&c. Sanè eorum inanis videtur eſſe obſeruatio,qui rubiginem ferri dicunt,robiginem verò ſegetum:hoc eſt, alterum per o,& alterum per u:ita quoq; de vtraq; re canente in Faſtis Ouidio, ad ipſam,

Parce precor,ſcabraſq; manus à meſſibus aufer,
Néue noce cultis,poſſe nocere ſat eſt.
Ne teneras ſegetes,ſed durum amplectere ferrum.

Vtrunq; enim vno vocabulo comprehendit.Rubigo genus etiam vitij, obſcœnæ libidinis dicitur,vt ex Varrone Seruius ait in primo Georg.

Terminus deus:Numa Pompilius ſecundus Romanorum rex, cùm publicū agrum pop.Rom.& priuatum certis limitibus terminiſq; definiuiſſet,ſacellum erexiſſe Termino deo traditur in colle Tarpeio,cui nihil animatum ſacrificaretur,ſed liba tantùm,pultes,& frugum primitiæ,qua de re Dionyſius Alicarn. li. 2.Statuit,inquit,Numa,vt ſuo quiſq; contentus eſſet,nec aliena appeteret: hinc de definitionibus poſſeſſionum conſtitutio.Iuſſit enim vnumquenq; fundos ſuos circumſcribere,ſacroſqúe finibus lapides apponere,lapides ipſos ſacrauit Ioui Terminali,ſtatuitqúe eis ſacra quotannis omnes die ſtata & cōſtituta facere, ſuper locū ipſum coeuntes; feſto etiā die conſtituto valde honorifico,Termi-

nalium

nalium deorũ.Feſtum Romanè Terminalia,ἀπὸ τερμῶσι,id eſt terminis vocant: fineſq; ipſos vnius literæ mutatione à Græca noſtra lingua proferentes, Terminos appellant.quos ſi quis occuluiſſet, aut tranſtuliſſet,ſacrum eum eſſe Dei lege ſtatuit,ita vt volenti eum occidere tanquam ſacrilegum,& ſecuritas adeſſet, & pollutionis expiatio.Eſtq́ue ius hoc non in priuatis modò poſſeſſionib. ſed in publicis quoq; conſtitutũ.& idem Dionyſius paulò pòſt:Sacrificántq; adhuc eis non animatũ aliquid,(neq; enim pium eſt cruentare lapides)ſed pultes & liba,atq; alias quaſdam fructuum primitias.Cauſam Plutarch.inquirit: An, inqt, Numa Pompil. vir ciuilis ac iuſtus,& ſapiens in primis,agri terminos cum finitimis conſtituit,& ipſis finibus Terminum ominis cauſa nominans , quaſi ἐπισκόπους & inſpectorem amicitiæ,& pacis cuſtodem,ab omni cæde & ſanguine incontaminatum conſeruari oportere exiſtimauit?Termino,inquit Feſtus, ſacra faciebant,quòd in eius tutela fines agrorum eſſe putabant.Denique Numa Pomp.ſtatuit,eum qui Terminum exaraſſet,& ipſum & bouem ſacros eſſe. Saxum verò fuit hic deus,vnde & termini agrorũ publicorũ & priuatorũ tales fuerunt:licet & poſtea ſtipes,& arbor,& tegula etiã pro termino poſita.Sed mox cùm Tarquinius Priſcus templũ vouiſſet in Tarpeia rupe anguſtũ Ioui, Iunoni & Mineruæ,ac eius iacere fundamenta vellet, inuenit ibi deos alios dicatos à Numa & à Tatio,& alijs:vſus ipſe cõſilio Accij Nauij auguris,reperit reliquos omnes deos Ioui cedere,præter Terminum & Iuuẽtam,vt Plutarch.& Dionyſ. ſcribunt.Liuius,& Florus,& Seruius,à Tarquinio Superbo inaugurationem factam tradunt,non à Priſco.Exiſtimat Lactantius in primo,Terminum eũ fuiſſe lapidem,quem pro Ioue deuorauit Saturnus(quem Græci βαιτύλους vocãt,Abadir Latini,vt Priſcianus & alij ſcribunt.Priſcianus:Abadir,inquit,deus eſſe dicitur,& lapis,quẽ Saturnus deuoraſſe dicitur pro Ioue , quem Græci βαιτύλους dicunt.nam,vt Heſychius ait,βαίτυλος dicitur ſaxum illud faſcijs reuinctum,qđ pro Ioue deuoraſſe dictus eſt Saturnus.Sachoniachthon in theologia Phœnicum,Bætylon nõ ſaxum tradit,ſed Cœli & Rheæ filium.Bętylus poſteą τέρμων, id eſt Terminus dictus eſt.)Subiungit Lactantius eodem loco,Tarquiniũ,cùm Capitolium facere vellet,& multorum deorum in eo loco ſacella eſſent, conſuluiſſe,vtrũ Ioui cedere vellent: & cedentibus cæteris,ſolus Terminus manſit, qui noluit cedere.vnde illum poeta Maro,Capitoli immobile ſaxũ dixit,& pluribus Seruius.D.Auguſt.in 4.de Ciuit.Dei,aliter recitat fabulam,quid enim dicam,hiſtoriam?Cùm rex,inquit,Tarquinius Capitolium fabricare vellet, cumq́ue locum qui ei dignior aptiórq; videbatur, à deis alienis cerneret præoccupatum,non audens aliquid contra eorum facere arbitrium,& credens eos tãto numini ſuóq; principi voluntate ceſſuros,quia multi erant illic,vbi Capitolium conſtitutum eſt,per augurium quæſiuit,vtrum concedere locum vellent Ioui, atq; inde ipſi cedere?omnes voluerunt,præter Martem,Terminum, & Iuuentatem.Atq; ideo Capitolium ita conſtructum eſt,vt etiam iſti tres intus eſſent, tam obſcuris ſignis,vt hoc vix homines doctiſſimi ſcirent.hæc quidem Auguſtinus,qui eiuſdem lib.cap.29.Nam,inquit,illud quale eſt,quod paulò antè commemoraui,pulcherrimum auſpicium fuiſſe dixerunt,Martem & Terminũ & Iuuentatẽ nec Ioui regi deorum loco cedere voluiſſe.ſic enim(inquiunt)ſignificatum eſt,Martiam gentẽ,id eſt Romanam,nemini locum quem teneret daturã: Romanos quoque terminos,propter deum terminum,neminem commoturũ: Iuuentutem etiam Romanam,propter deam Iuuentatem nemini eſſe ceſſuram. Sed ex alijs addamus cætera.Facto Iouis templo,ſupra ipſum Terminum foramen fuit in tecto relictum,vt libero cœlo Terminus frueretur:quod & Seruius in nono Aeneid.cõmentario,& fabuloſè in Faſtis.Ouid.tradiderunt.Aenigma eſt de Termino ex Varrone apud Gellium, quod inenarratum cùm reliquiſſet Gellius,Politianus me iuuene in ſua Centuria eſt interpretatus,& ab eo ego in meis Aenigmatib.Huic porrò deo ſacrificabatur publicè ac priuatim,quaſi deo

cuſtodi finium,vt dictum eſt:qui non tantùm ſaxum & lapis fuit, ſed interdum ſtipes,vel tegula.Ouid.in Faſtis:

Termine,ſiue lapis,ſiue es defoſſus in agris
Stipes,ab antiquis tu quoq; nomen habes. Tibullus:
Nam veneror,ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
Seu vetus in triuio florida ſerta lapis.

Huius dei ſacra Terminalia, quæ menſe Februario agebantur, res eſt nota. Græci quoque Iouem Horium,id eſt Terminalem coluerunt. de quo in Ioue pluribus agemus.

Pitho,perſuadendi dea ab antiquis Græciæ ſcriptorib.celebrata:Latini quidam Suadam,& Suadelam,quidam & Lepôrem dixêre.huius deæ ſacellum fuit apud Sicyonios,etſi nullum ibi ſimulachrum cerneretur,vt autor eſt Pauſan. qui in Corinth.pluribus hiſtoriã recenſet Apollinis & Dianæ:qui poſt interfectũ Pythona purgationis gratia Aegialeam contenderunt.ſed cùm in ijs locis peſtilentia eſſet coorta,conſulti vates quid facto opus eſſet,reſponſum datũ eſt, placandos eſſe Apollinem & Dianam:tum Aegialenſes ſeptenos pueros puellásq; ad Sythan fluuiũ miſerunt,qui deos placarẽt.id cùm factũ eſſet,Pithus deæ ſacellum conſtructum fuit.Sedenim & antiquis ille mos fuit,vt cum Venere & πειθὼ & χάριτας,id eſt Suadã & Gratias,effingerent, vt ſignificarent quale eſſe deberet connubiũ.Sed quod Pythò dea ſeſſitare inPericlis labris à ſcriptoribus dicta ſit,& Cethegus Suadæ medulla ab Ennio vocatus,plurib. in Miſcellanea Politianus.Illud quoq; apud Græcos vſurpatur,non aliud eſſe Suadelæ ſacrum, præter orationem:quod Græcè dicitur,οὐκ ἐστι πειθοῦς ἱερὸν ἄλλο πλὴν λόγος. Legimus porrò apud Pauſan.deam quandam conſolandi cum Pitho factam fuiſſe à Praxitele,quę παρήγορος,id eſt conſolatrix dicta fuit,& in Attica poſita fuit.Sed & Diana πειθοῦς cognomine dicta eſt,vt alibi prodemus.

Momus deus conuicij & maledicentiæ ac reprehenſionis,Liuorem & Inuidiam Latinè dicere poſſumus.Momum Heſiodus in Theogon.natum ex Nocte cecinit,vnà cum Morte & Somno & Inſomnijs,cæteriſq;. Momum Lucianus inducit,nec ſemel taxantem cùm alia,tum deos ipſos: vt minus mirum ſit, & illum ſandalia & crepidas Veneris vituperaſſe: adeò vt inter prouerbia iam Momo locus ſit.Apologus ille certè in omnium eſt ore,Momum reprehendiſſe Vulcanum,quòd non fęneſtratum hominis pectus feciſſet,quò eius cogitatus planè viderentur.res eſt nota,præcipuè apud Lucianum in Hermotimo & deorum concilio.Libet hîc Heſiodi verſus apponere,vt videas à ſcopo quantũ deuij ſint,qui antehac tranſtulêre.ita enim Heſiodus:

Οὔ τινι κοιμηθεῖσα τέκε νὺξ ὀρεβεννή.
Δεύτερον αὖ μῶμον,καὶ ὀϊζὺν ἀλγινόεσσαν. hoc eſt,
Nox obſcura parit,nulli commixta deorum,
Poſt primos Momum ſimul, Aerumnamq; dolentem.

Deſcribitur Momus in quarto Græcorum epigrammatum.meminit & Pindarus in Olymp.

Hipponam deam equorum & ſtabuli,antiqui venerati ſunt.de hac dea Plutarchus in Parallelis meminit,& Apuleius libro tertio Aſini aurei, & Tertullianus in Apologetico,& Fulgentius ad Chalcidium.eam enim inter deos Semones,qui vocantur,commemorat.Item & Hermolaus Barbarus lib.5.Plin. caſtigat.cap.4.Iuuenalis quoque eandem intellexiſſe à pleriſque putatur,in illo: Iurat Solam Hippò,& facies olida ad præſepia pictas:vt ſcilicet Hippò, & Hippona dicatur.Narratur hiſtoria de Fuluio quodam,qui equæ amore captus, cũ ea rem habuerit,vnde nata ſit puella formoſiſſima,quæ Hippona appellata fuerit:quam tamen quidam,vt puto perperàm,Eponam vocitarunt. Porrò Ariſtocles libro Paradoxorum ſecundo,cõſimilem hiſtoriam ſcribit de Onoſcelia.

ait enim,

ait enim, nobilem quempiam iuuenem Epheſium Martis filium, Demoſtrati tamen exiſtimatum, cùm muliebrem ſexum eſſet exoſus, noctu ad paterna armenta profectum cum aſina concubuiſſe, quæ puellam pulcherrimam peperit, Onoſceliam ex re nuncupatam. Idem Stobæus repetit.

Comus, id eſt κῶμος, deus fuit conuiuiorum & comeſſationum. quidam ex Græcis ſcriptoribus cum Dionyſio coniungunt. eius imago à Philoſtrato deſcribitur pluribus. eum enim coronatum effingit, quo loca pleraque ſcitu iucunda ſubiungit.

Zephyrus ab eodem Philoſtrato in Hyacinthi imagine deſcribitur. illi enim humeros ſeu ſcapulas alatas attribuit, facie & aſpectu molli: coronam omnium florum genere ei in capite fuiſſe ait.

Myiagrus deus muſcarum dictus, cuius Pauſanias in Arcad. ita meminit, cùm agit de celebritate quæ Palladi Tritoni apud Arcadas agebatur: ἐνταῦθα, ait, τῇ πανηγύρει μυιάγρῳ προθύουσιν. hoc eſt, In ea celebritate antè Myiagro ſacrificant: preces inter ſacra heroi effundunt, Myiagrum inuocantes: atque ita facientibus, nihil præterea moleſtiæ muſcæ inferunt. Mentio quoque eſt Myiagri in caſtigatis Solini exemplaribus, in quibus ita legitur: Sacellum (inquit) Herculis in foro Boario eſt, in quo argumenta conuiuij lætæ maieſtatis ipſius remanent. Nam diuinitùs illò neque canibus, neque muſcis ingreſſus eſt. etenim cùm viſcerationem ſacricolis daret, Myiagrum deum dicitur imprecatus: clauam verò in aditu reliquiſſe, cuius olfactu refugerent canes. hactenus Solinus. Idem ſcribit & Plinius, ſed dei nomen non apponit, id quod & in pleriſque Solini codicibus deeſſe videmus. Plinius li. 29. cap. 6. dum de alopeciæ remediis agit, non Myiagrum hunc deum, ſed Myiodem vocauit, ita de muſcis loquens: Nullum, inquit, animal minus docile exiſtimatur, minoriſue intellectus. quo mirabilius eſt, Olympiæ ſacro certamine nubes earum immolato tauro, deo quem Myiodem vocant, extra territorium id abire. hæc ibi Plinius, qui tamen libro octauo capite vigeſimooctauo ſcribit quoque, Cyrenaicos inuocare ſolitos Achorem deum muſcarum, multitudine peſtilentiam afferente, quæ protinus intereunt quàm litatum eſt. Greg. Nazianz. in prima in Iulianum Cæſarem oratione, non Achorem, ſed Acaron vocare videtur: Non amplius, inquit, muſcæ quærent deum Acaron, aut ſi quid muſca eſt ridiculoſius. hoc tamen planè ipſe non aſſero, quando mihi in præſentia non ſuppetit Græci codicis facultas. Alibi tibi retuli, apud Græcos Iouis eſſe cognomen ἀπόμυιος, quem colebant, à fugandis muſcis appellatum. Sed & deum muſcarum Hebræi Beelzebub vocarunt, quòd mali dæmonis nomen Chriſtiani exiſtimant. Porrò Myiagrum, ſeu Myiodem vocitari ab aliquibus videmus Myiagirum, hoc eſt muſcarum cõgregatorem. atque hactenus quidem hac de re tibi, vt ne quid vanitatis gentilium præteriremus. Myiagrus etiam ſcriptor Phoceus fuit, cuius Victruuius in tertio meminit.

Praxidicen dæmona quandam appellabant gentes, vt Heſychius tradit, quę non modò ijs quæ dicantur, ſed & quæ agantur, finem imponat: & propterea capita habebat, & miracula. Suidas verò huius deæ ſolùm caput conſtitui ſolitum tradit. Soteren autem ex ſorore Praxidice filium habuiſſe finxêre Creſium, ac filias Homonœã & Areten, quæ & à matre Praxidicæ dictæ fuerunt. Pauſan. in Bœoticis, Praxidicas ait deas ab Haliartijs vocatas fuiſſe, quarũ templum erat ſub diuo, Tilphuſium montem verſus. Idem Pauſan. in Laconic. Menelaum ſcribit in Græciam reuerſum poſt Troiam captam, Praxidicæ erexiſſe ſimulachrum non procul à Veneris Migonitidis templo. Praxidicæ meminit & Orpheus in Argonauticis. Idem & in Hymno ad Proſerpinam, eam hoc eodem vocat nomine πραξιδίκην. Praxidicẽ Aelianus vnam ex filiabus Lei vel Leontis dixit, vnde Leocoriũ delubrum dictum fuit, quod alibi plurib. dicemus. De Venere Praxis cognominata, in Venere dictũ. Porrò & Praxiergidę orgia antiq menſe Februario peragebant, arcano ritu, deiecto prorſus vniuerſo tẽpli ornatu, & ſimula-

ſimulachro obtecto: quali ſcilicet nos paſſionis Dominicæ tempore facere conſueuimus.

Ogenus præterea deus neſcio quis, priſcus & peruetuſtus fuit, à quo & priſci & peruetuſti homines ὠγενίδαι & ὠγένιοι dicuntur. Licet aliqui Ogygidæ & Ogygij libentius legant. mecum tamen facere videtur Eraſm. in Prouerb.

MISCELLANEI DEI.

NVNC ad aliam deorum claſſem me conuertam, in qua miſcellaneos deos commemorabo, & eos in primis qui ad hominum generationem, aliásque actiones quaſdam pertinere ab antiquis putabantur. Nam & Varronem à conceptione hominis narrare cœpiſſe legimus, & ad decrepiti vſque hominis mortẽ pertinentem perduxiſſe. Nos ergo à Virginenſi dea hanc Syntagmatis partem exordiemur.

Virginenſis dea adhibebatur in nuptiis à Romanis, quę Virgini zonam ſolueret, vt Græcis Lyſizona Diana. De Virginenſi diuus Auguſtinus in ſexto de Ciuitate Dei. Ad hanc alluſit Catullus, cùm ait: Quòd zonam ſoluit diu ligatã. Sane & Perficam & Pertundam deas etiam ſtatuerunt, vt Arnobius docet: & hanc quidem, quòd in cubili præſtò eſſet, dum virginalem ſcrobem effoderẽt mariti: illam, quòd voluptates perficeret inoffenſa dulcedine.

Subigus deus pater vocatus, qui adhibebatur, vt virgo à viro ſubigeretur.

De Hymenæo & Thalaſſio, ſimul alio loco agam.

Prema dea mater, culta, vt ſubacta virgo, ne ſe commoueret, cùm premitur.

Partunda dea parientium, Lucinam alio loco leges.

Vitunnus, & Sentinus, dei fuere obſcuriſſimi, vt ait Auguſtinus libro ſeptimo, quorum alter vitam, alter ſenſus à puerperio largiri credebantur. meminit & alibi, cùm ſcilicet de deis ſelectis ageret. Sẽtia etiam dea exiſtimata, quæ ſententias inſpirare dicebatur, vt idem Auguſt. ſcribit. Sunt qui hanc Sentam fuiſſe autument, quæ Pici filia fuerit.

Vagitanus deus, qui infantum vagitibus præeſſe credebatur, vt ex Varrone Auguſt. refert. Gellius tamen, hunc, neſcio an alium, Vaticanum nominare videtur, cuius hæc ſunt verba ex decimoſexto Noct. Att. Et agrum, inquit, Vaticanum, & eiuſdem agri deum præſidem appellatum acceperamus à vaticiniis, quę vi ac inſtinctu eius dei in eo agro fieri ſolita eſſent Sed præter hanc cauſam M. Varro in libris Diuinarũ, aliam eſſe tradit iſtius nominis rationẽ. nam ſicut Aius, inquit, deus appellatus, aráque ei ſtatuta eſt, quæ eſt intima Noua via, quòd eo in loco diuinitùs vox edita: ita Vaticanus deus nominatus, penes quem eſſent vocis humanæ initia: quoniam pueri ſimulatque parti ſunt, eam primam vocem edunt, quæ prima in Vaticano ſyllaba eſt. idcirco vagire dicitur, exprimente verbo ſonum vocis recentis. Non me præterit, quoſdam hîc Gellium accuſare, quoſdam alios interpolare voluiſſe. Feſtus, Vaticanum collem dictum ait, quòd pulſis Hetruſcis, eo potitus ſit pop. Rom. vatum reſponſis.

Cunina dea, quę infantes in cunis tueri credebatur, & faſcinum ſummouere: Lactantius: eadem penè Auguſt. ex Varrone, nec ſemel.

Leuana dea, quæ natos de terra leuat infantes: Auguſtinus. Moris verò fuit, vt natus infans ab obſtetrice in terra ſtatueretur, vt Macrobius ex Varrone docet. Seneca: Omnes infantes terra nudos excipit. Plin. Natura hominem tãtùm nudum, & in nuda humo natali die abijcit. Statius in Syluis: Tellure cadentem Excepi, fouíque ſinu. Idem alibi, & à Statio Claudianus:

—Quem prima meo de matre cadentem
Suſcepi gremio.

Rumina, vel Rumia dea, quæ mãma paruulo, vt ait Auguſtinus, immulgere dicebatur, quia rumam dixere veteres mammã. Idem Plin. & Feſtus ante Auguſtinum.

ſtinum. Varro item de Re ruſtica, & de Liberis educandis, apud Non. Marcellum: Hiſce manibus lacte fit, non vino, Cuninæ propter cunas, Ruminæ ꝓpter rumam. Idem quoq; Varro de Re ruſtic. ſecundo, Non negarim, inquam, ideo apud D. Rumiæ ſacellum à paſtoribus ſatam ficum. ibi enim ſolent ſacrificare lacte pro vino, & lactentibus. Plut. in Probl. Quid eſt quod Ruminæ rem diuinã facientes, hoſtijs lac ſpargere & libare conſueuerunt, vinum autem non adhibent? an quod Latini rumam, mammam nominant: & ficum Ruminalem ideo dixerunt, quòd ſub ea lupa Romulo & Remo lac exhibuit? & cætera, quæ toto Problemate leguntur. Idem repetit in Romulo, niſi quòd deam ῥυμιλίαν vocat. de Ruminali verò ficu, varia legito apud Seruium lib. 8. Aeneid.

Eduſa, & Potina, deæ præſides exiſtimatæ edulijs & potionibus infantum, vt Non. ex Varrone legere videtur. Alij verò non Eduſam, ſed Edulicam deã hanc appellant, vt Auguſtinus, qui ait Edulicam deam vocatam, quæ eſcam præberet. Aelius verò Donatus in Terentiana Phormione, Edulicam & Poticam has deas vocauit. ita enim ſcribit: Vbi initiabunt quidam cibo & potu, quidam ſacris: vbi legitur apud Varronem initiari pueros Eduliæ & Poticæ & Cubæ, diuis edendi & potandi & cubandi, vbi primùm à lacte & à cunis transferunt. vt Vergilius: Nec deus hunc menſa, dea nec dignata cubili eſt. hoc annotauit Probus. Sed Terentius Apollodorũ ſequitur, apud quẽ legitur, in inſula Samothracum à certo tempore pueros initiari, more Athenienſium: quod vt in palliata, probandum eſt magis. hæc Donatus. Sed Edulicam potius, & Potinã, legit Auguſt. in quarto & ſexto de Ciuit. Dei. Sunt qui apud Donatum Educam legant, & Poticam. Arnobius tamen libro tertio contra Gentes: Victuam & Potuam ſanctiſſimas victui potuíq; procurant. ô egregia numinum, & ſingularis interpretatio poteſtatum: niſi poſtes virorum adipali vnguine oblinerentur à ſponſis, niſi virginalia vincula omnia feruentes diſſoluerent, atq; imminentes mariti niſi potarent & manderent, homines dei nomina non haberent. & hæc quidem Arnobius. vt videas, quantum gentes inſanierint.

Statilinus, vel vt aliqui legunt, Stabilinus, & Statanus, dei præſides & aſſiſtẽtes: Lactantius. alij educationi aſcribunt, eo videlicet tempore, cum ſtandi & cõſiſtendi poteſtatem habere incipiunt: Statanus, inquit, puerorũ deus apud Nonium. Varro lib. 1. de Pueris educandis.

Fabulinus deus dicebatur, cùm fari pueri auſpicabantur.

Naſcio, ſeu vt alij tradunt, Natio, dea quæ naſcentibus præeſſe credebatur, de qua ſic Cic. in 3. de Nat. deorũ: Naſcio quoq; dea putanda eſt, cui cùm fana circuimus in agro Ardeatino, rem diuinam facere ſolemus: quæ quia partus matronarum tueatur, à naſcentibus Naſcio nominata eſt.

Pauentiam deam antiqui conſtituerunt, vt auerteret ab infantibus pauorẽ: atq; inde etiam appellata, autore Auguſtino.

Timorem quoq; Lacedæmonij coluerunt, vt Plutarchus in Cleom. oſtendit. apud eos enim non Timori tantùm, ſed Morti etiam & Riſui, aliíſq; huiuſmodi affectibus templa dicata fuerunt. Timorem verò non ſicut alios dæmonas venerabantur, quos tanquam noxios abeſſe procul à ciuitate volebant. Sed hoc Rempub. maximè contineri arbitrabantur, &c. vbi multa de hoc deo Timore exequitur, quæ omnino diligenter in Republic. adminiſtranda obſeruanda ſunt.

Formido, ſeu Timor, hoc eſt φόβος, pingebatur cum capite leonino, vt in ſcuto Agamemnonis: Pauſan. Legimus apud Lacedæmonios, Ephoros Timoris ſacellum conſtruxiſſe prope triclinium, quo ipſi tribunal habebant, vt eſſent cęteris maiori formidini.

Volupia dea exiſtimata, quę à voluptate (vt Auguſtinus ait) appellata eſt. de eadẽ Varro & Macrob. meminêre. In Volupiæ ara ſimulachrũ fuit Angeronię, quæ dea ſilẽtij apud Romanos habita eſt. Vidi qui Volupiã in throno effingeret, vt

ret, vt reginam, ſed pallidiorem aſpectu, & quæ Virtutes ſubtus pedes habere videretur. Sed quantum ſcriptori illi, qui hoc literis mandauit, fidei habeam, nõ eſt vt hoc loco tibi prodam.

Libentina dea fuit, cui nomen factum à libidine, ait Auguſtinus. Varro tamẽ de Lingua lat. à libendo deducit, & Venerem eſſe ſignificat, quæ & Lubentina dicta eſt: vt in Venere planius oſtendam. Arnobius, Libentinam & Burnum, libidinum præeſſe tutelis ſcribit. ex his melius expones illud in ſecundo de Nat. deor. Ciceronis, Quo ex genere Cupidinis & Volupiæ & Lubentinæ Veneris vocabula conſecrata ſunt: quàm ab ijs fieri ſoleat, qui illud Ciceronis opus interpretati ſunt. Plautus etiam Lubentiam dixit, vt in Aſinaria: Vt ego illos lubentiores faciam quàm Lubentia eſt. Idem in Sticho: Itaq; occluſum pectus porto lætitia, Lubentiáq;.

Nixi dei dicti fuere ab enitendo, id eſt pariendo, de quibus Feſtus ita (licet perperàm in pleriſq; codicibus legatur, Noxij dei) Nixi dei tria ſigna appellantur in Capitolio, ante cellam Mineruæ genibus nixa, velut præſidentes parientium nixibus: quæ ſigna, ſunt qui memoriæ prodiderint, Antiocho rege Syriæ ſuperato, M. Attilium ſubtracta populo Romano deportaſſe, atq; ibi poſuiſſe.

Proſa, vel Prorſa (vt legi contendebat Cœlius) & Poſtuerta, deæ fuere apud Romanos celebratæ, quibus & aræ & ſacra fuerant conſtituta, ob ſcilicet pariendi diſcrimina. Proſa enim præeſſe illis exiſtimabatur, quæ rectum ac legitimũ partum ederent: Poſtuerta verò, ab ægris & infirmis, & cùm præpoſterè partus edebatur. Sed & Poſtuerta à Macrob. & Anteuerta, alia ratione referũtur, quas libentius nonnulli antiquè pronunciant, hoc eſt Anteuortam & Poſtuortam. has enim ideo veteres coluêre, quòd ea omnia intelligi oportere exiſtimarent, quæ præterita ac futura eſſent. qua ex re comites diuinitatis eas appellauerunt, non ſecus ac Conſilium & Prouidentiam, quibus humana omnia & diuina expenduntur & præuidentur.

Oſſilago dea ſolidatrix oſſium, vt ait Arnobius lib. 4. qui & hoc addit: Nam quæ durat & ſolidat infantibus paruis oſſa, Oſſilago ipſa memoratur.

Mens dea fuit, quæ fluoribus menſtruis mulierum præeſſe putabatur, vt Auguſtinus docet in ſeptimo. Iouis filia hæc Luna credita, quippe Græcè μήνη Luna dicitur. Menam idem Auguſtinus priuignam Iunonis dixit.

Næniam deam funerum commemorat Feſtus. & Auguſtinus ex Varrone ita ait: Deniq; & ipſe Varro commemorare & enumerare deos cœpit à conceptione hominis, quorum numeros exorſus eſt à Iano, eamq; ſeriem perduxit vſque ad decrepiti hominis mortem, & deos ad ipſum hominem pertinentes clauſit ad deam Næniam, quæ in funeribus ſenum cantatur. Sed & ego in Vario ſepeliendi ritu de hac dea locutus ſum, itémq; & Libitina, & Epitymbia. Porrò Nęnię ſacellum extra vrbem fuiſſe, non longè à Viminali porta, autores tradũt. Sed & Mortem deam veteres fecêre, quam variis modis effinxêre. Stat. In ſcopulis mors ſæua ſedet. Idem:

—Stygiis emiſſa tenebris
Mors fruitur cœlo, bellatoremq; vocando
Campum operit, nigroq; viros inuitat hiatu,
Nil vulgare legens, ſed quæ digniſſima vita
Funera, præcipuos annis animiſq; cruento
Angue notat, &c.

Virgilius in vndecimo Aeneid.

Multa boum circà mactantur corpora Morti,
Setigeroſq; ſues, raptaſque ex omnibus agris
In flammam iugulant pecudes. Lucan.
—Ipſamq; vocate
Quem petat è vobis Mortem, tibi coge fateri.

Eadem

Eadem penè forma & poetæ Græci οἶτον dixere, vt eſt apud commentatores Apollonij in 4. Argonauticôn, vt obſeruauit B. Aegius,

Quin & apud Gades templum Morti dicatum, Aelianus in Varia hiſtoria & ab eo Bandelus, prodidere. Extat Mortis etiam, id eſt θανάτου hymnus apud Orpheum, cui adoletur manna thuris.

Meditrina dea ab antiquis culta, vt Varro & Feſtus teſtãtur, à medendo denominata: vnde & Meditrinalia, vt de Annis, menſibus, & diebus docuimus. Nam vt Varro & Flaccus tradunt, flamen Martialis dicere erat hoc die ſolitus, Vinum nouum & vetus libari & deguſtari medicamenti cauſa: quod, inquit Varro, facere ſolent etiam nunc multi, cùm dicant: Nouum vetus vinum bibo, nouo veteri morbo medeor.

Nundina dea antiquorum, vt ſcribit Macrobius, à nono naſcentium die nuncupata, qui dies luſtricus nuncupabatur, quo ſcilicet infantes luſtrabãtur, & nomen imponebatur: quod & Feſtus ſcribit, & Plutarchus in Quæſtionibus, & nos vt ſuprà.

Febri etiam, vt deæ, multas aras Romani erexerunt, vt ex M. Tullio, Val. Maximo, Liuio, Plinio, Auguſtino, aliiſq; obſeruauimus. Tullius quidem in tertio de Nat. deorum, & ſecundo de Legibus. Febrem verò, ait Val. Maximus, ad minus nocendum templis colebant, quorum vnum adhuc in Palatio, alterũ in arce Marianorum, tertium in ſumma parte vici Longi: in eáq; remedia quæ corporibus ægrotorũ innexa fuerant, deferebantur. Sanè illud ſciendum eſt, quod apud Lactantium, Seruium, & Porphyrium philoſophũ legimus, aliquos deos cultos à veteribus vt prodeſſent, alios ne nocerent: vt Febris, Robigus, Orbona: quæ dea erat, ne nos orbos faceret. In huius Orbonæ tutela fuiſſe ait Arnobius, orbatos liberis parentes: cuius deæ ara fuit, teſte Plinio, ad Lariũ ædem. Larium verò ædes erat in ſumma ſacra via, vt Solinus ſcribit. Et Auerruncus, qui auerruncaret, id eſt auerteret mala. Itẽ Deuerra, & reliqui. Audi quæſo quid de hac etiam re ſuperſtitioſa ſcribat M. Tullius: illud, inquit, profectò confiteamini, longè aliter rem ſe habere, atq; hominũ opinio ſit. eos enim qui Dei appellantur, rerum naturam eſſe, non figuras deorum: qui tantus error fuit, vt pernicioſis etiam rebus non tantùm nomen deorum tribueretur, ſed etiam ſacra conſtituerentur. Febris enim fanum in Palatio videmus. hæc quidem Cicero. Sed me pudet pigétq; dicere, nos quoq; diuos quoſdam hac ratione colere, quos magis plerĩq; omnes venerantur quàm Chriſti proceres.

Aegeria dea à mulieribus colebatur, quòd eam opitulari credebãt partu egerendo, vt ait Feſtus. Aegeriæ nymphæ prægnantes ſacrificabant, quòd eã putabant facilem conceptũ aluum egerere. Sed de hac, plura in Nymphis agemus.

Iuturna etiam nympha culta, & à iuuando appellata, vt Varro & Seruius tradunt: de qua lege noſtras Nymphas.

Quietem deam coluère Romani, vt teſtis eſt Auguſtinus in quarto de Ciuitate Dei, quæ dea homines faceret quietos, vel quietem afferret. hæc dea extra portam Collinam ædem habuit Romæ. T. Liuius in quarto, Quietis fanũ fuiſſe via Labicana prodit. Orcus etiam Quietalis dictus, vt alibi dictum.

Murcea, vel Murcia, dea deſidiæ exiſtimata: de qua plura dicturus ſum in Murtia Venere. Huic contraria eſt habita,

Strenua dea, quæ & Strenia dici videtur, ſi codicibus credendum eſt. nam D. Auguſtinus à ſtrenuè faciendo denominatam ait. Varro de Ling. lat. Hinc oritur caput ſacræ viæ, ab Streniæ ſacello.

Minutius etiam deus apud Romanos legitur: qualis autem fuerit, quod recorder, non legi Feſtus quidem, deum ipſum commemorat. idem & alibi: Minutia, inquit, porta Romæ appellata, eo quòd proxima eſſet ſacello Minutij. Hinc & Lampridius in vita Commodi imp. Herculis ſignum, inquit, ſudaſſe in Minutia per plures dies. quo loco vir doctiſſimus hoc parum obſeruauit.

Pellonia dea, vt ſcribit Arnobius, pellendorum hoſtium potens credebatur, quo loco deos gentium irridet.

Agenoriam deam vocauerunt antiqui, quæ ad agendum excitaret, ab agendo dicta: Auguſt. de Angerona alio loco dictum eſt. Inuenio & Agonium deum dictum, qui præeſſet rebus agendis: & Agonalia feſta, de quibus in ſacrificiis plura dicemus.

Horta dea, cùm viueret Herſilia, nuncupata, vxor Romuli, quam ab hortando & incitando dictam, Labeo, vt Plutarchus docet, exiſtimauit. Huius deæ ædem nunquam claudi ſolitam, idem Plutarchus tradit: ea ſcilicet cauſa, quòd ſemper aliquid præclari fieri hortaretur, nunquámq; ceſſandum. Hæc mox vocata Hora, vt quidam putant, prouidentiæ dea, quæ negligentes ſecordéſq; eſſe non pateretur: atq; ideo ab hortando & incitando Labeo denominatam putauit, vt Græca voce Plutarchus ait παρορμᾶς. Quidam hãc Hortam & Stimulam appellatam dixerunt, de qua diuus Auguſtinus, quæ putaretur vltra modum ad agendum ſtimulare, de Hora Quirini, Ouidius, Gellius, & nos alibi.

Catius deus antiquorum, qui catos, id eſt eſt acutos homines faceret: Auguſtinus in quarto. Sunt qui libentius Cautium legant, quòd ſcilicet cautos homines faceret.

Volumnus deus, & Volumna dea, à volendo, vt reor, dicti, quòd bona vellent: dei nuptiales, vt bene coniungerentur. ſunt qui coniugales deos exiſtimẽt. ſunt qui abſq; litera m, Volunus & Voluna legant: quorum ſententiam nõ improbo. Fuit & Voltumna dea Hetruſcorum, ad cuius fanum frequens Hetruſcorum concilium aliquando factum, legimus apud T. Liuium. Videndum tamen, an potius Vertuna legendum ſit, vt Vertunus. eius deæ non ſemel idem Liuius meminit. Fuit & Volutina dea, folliculorum inuolucris & inuolumentis ſegetum præpoſita: Auguſtinus.

Adeona, & Abeona, deæ cultæ fuerunt ab antiquis, quæ adeundi & abeundi facultatem præſtarent. meminit Auguſt. in 4. & in 7. lib.

Vacuna, vacandi dea ab aliquibus dicta, ab aliis victoria: & propterea nos de ea in syntag. Martis, vbi de victoria, pluribus agemus.

Numeria dea, quæ numerare docere credebatur, vel ad numeros pertinere. autor D. Auguſtinus.

Populonia, & Fulgora, nomina dearum apud Senecam in libro de Superſtitione. meminit Auguſtinus libro 6. hæc, ſi coniectari licet, adhibebantur, ne populationes & fulgura fierent. nam & Fulgur Iupiter, & Populonia Iuno dicebatur, vt dicturi ſumus.

Lateranus deus focorũ creditus, & Genius: adauctúſq; hoc nomine, vt prodit Arnobius, quòd ex laterculis crudis antiquiſs. aut ex quacunque materia focos fabricarent.

Panda dea dicta, vt idem ſcribit Arnobius, quòd Romulus, id eſt Quirinus, in iaculi miſſione cunctorum præſtiterit viribus. Pandam quoq; deam, ſeu Panticam apud eundem legi, quòd T. Tatio Capitolinum vt caperet collem, viam pandere atq; aperire permiſſum fuerit.

Arculus deus, arcis & capſis præeſſe exiſtimabatur.

Lauerna dea furum, qui (vt Feſtus ait) ob id lauerniones dicuntur. in huius deæ loco obſcuro abditóq; furta prædáſq; diuidere ſolebant: hinc & Lauernalis porta vocata eſt. Lauernæ meminit Horatius primo Epiſtolarũ ad Quintium: Pulchra Lauerna da mihi fallere. Auſonius Gallus:

Hic eſt ille Theon, poeta falſus,
Bonorum mala carminum Lauerna.

Non. Marcellus: Lauerna dea, cui ſupplicant fures. Plaut. in Aulul. Ita me bene amet Lauerna, te iam, niſi reddi mihi vaſa iubes, Pipulo hic differã, ante ędes. Lucilius libro 18. Si menſes facis muſas, ſi uendis Lauernæ. Meminit & Varro

deæ, &

deæ,& portæ in libro de Ling.lat. Acron verò: Lauerna ait, via Salaria locũ habet. eſt autem dea furum, & ſimulachrum eius fures colunt, aut qui conſilia ſua volunt eſſe tacita: dicta à lauando. nam fures Lauatores dicuntur. cum ſilentio preces eius exercentur. hæc ille. Porphyrion autem: Lauerna, inquit, dea furum, & latêre volentium. Quare videndum apud Acronem, ne potius legendum ſit, dictam deam à latendo, quàm à lauando: & Laueniones, non lauatores. B. Aegius potius ἀπὸ τοῦ λαβεῖν, hoc eſt ab accipiendo dictam putat.

Furina dea ab antiquis culta, in cuius honorem feriæ Furinalia dicuntur: cui deæ flamen etiam Furinalis attributus fuit. vide Feſtũ, & Varronem, qui ait vix ſuo tempore notam fuiſſe. Furinæ meminit & Martianus in ſecundo, & M. Cicero in tertio de Nat. deorum, Eumenidas commemorans: Quæ, inquit, ſi deæ ſunt, quarum & Athenis fanum eſt, & apud nos, vt ego interpretor, lucus Furinæ, Furiæ deæ ſunt ſpeculatrices (credo) & vindices facinorum & ſceleris. meminit & ad Atticum.

Bonus euentus ab antiquis cultus. Plin. 35. ſcribit: Euphranoris ſimulachrum Boni euentus, dextra pateram, ſiniſtra ſpicam ac papauer tenens. Boni euentus meminit Varro in primo de Re ruſtica, inter Conſentes diuos agricolarum, vt iam antè notaui. Praxitelem ſcribit Plinius huius ſimulachrum in Capitolio feciſſe. Templi Boni euentus quædam etiam nunc veſtigia Romæ cernuntur, inter Mineruam & S. Euſtachium, vt à pleriſq; creditur.

Feſſoria dea colebatur, vt feſſos iuuaret. & vt hoſtes depellerentur, Pellonia diua placabatur. vtriuſq; Auguſt. in quarto meminit.

Bonus deus, apud Græcos ἀγαθὸς θεός, cuius templum Pauſan. in Arcad. commemorat, ad ſiniſtram viæ quæ in Mænalum montem ducit. eſt & in poculis illud poſt cœnã, quod ἀγαθοῦ δαίμονος dicebatur, quod meracius erat cæteris, quem dęmona vel deum quidam Fortunam interpretantur. alij Liberum patrem: alij non vltimum poculum, ſed primum ſcripſerunt ἀγαθοῦ δαίμονος. ſicuti etiam nonnulli, vltimum poculum non meracius, ſed dilutius. ſed hac de re & ego alias in Grypho ternario, & alij plura annotarunt.

Pœna & Beneficium, duo numina deorum, inſtituta à Democrito.

Neceſſitatis & Violentiæ ſacellum in Acrocorintho, Pauſan. quod ingredi nefas fuit, ἀνάγκης καὶ βίας ἱερόν.

Riſus ſimulachrum, vt dei, Lycurgum apud Lacedęmonios erexiſſe, teſtis eſt Plutarch. Putâbat enim ille, Riſum laboris & modeſti victus eſſe condimẽtum. Apud Apuleium quoq; Riſus, quod etiam interpres notat, mentio eſt. Hypatenſes Theſſali huic deo quotannis rem diuinam in ſumma lætitia faciebant. γέλωτος θεοῦ, id eſt dei Riſus Pauſan. meminit. Legitur encomion Riſus Cælij noſtri Calcagnini: quod cùm multa eruditione ac hilaritate refertũ ſit, hîc dignum duxi vt aſcribatur.

Mœror abi, ſubeat Riſus, mihi pectora Riſus
Impleat, & læto ſaliant præcordia riſu.
Riſus enim diuûm atq; hominum eſt æterna voluptas.
Nam ſi quid fidei magno præbemus Homero,
ἄσβεστος δ' ἄρ' ἐνῶρτο γέλως μακάρεσσι θεοῖσιν.
Quin etiam fuerat ſancitum lege Lycurgi.
Vt Lacedæmonij poſt bella exhauſta litarent
Lætitiæ, atq; bono facerent ſolennia Riſu:
Illius & lapide è Pario ſubſtruxerat aras,
Hic vbi poſt Mauortis opus gens aſpera bello,
c *Ponebat vigiles curas, ſuetoſq; labores,*
Cùm faciem attritam galea, cùm puluere fœdos
Porrigeret vultus, & frontem nube leuaret,

Ipſa comes Riſus aderat ſine caſſide Cypris,
Et largos hilari fundebat pectore Riſus.
Vos quoq; Romulidæ, quondam vos inclyta rerum
Imperio ſoboles, genitabilis aura Fauoni
Cùm primùm duro concretas frigore terras
Laxabat, vernis intexens floribus arua,
Ardua magnarum ſoluiſtis pondera rerum
Riſibus, & grandes mirata eſt Roma cachinnos:
Scilicet hæc populos, hæc magnum continet orbem
Temperies, grauitas ſimul, & laſciuia vitæ,
Et Riſus curis & nexa Modeſtia luxu.
Hæc quoq; me procul à patria, aſpectuq; meorum
Per maria & terras tot tempeſtatibus actum
Soletur, diriq; leuet diſpendia fati,
Donec & optatos poſt longa incommoda riſus. Hactenus Cœlius.

Amicitiam etiam deam, quam Græci φιλίαν vocãt, iure inter ſua numina gentes collocauêre. & quamvis eius aras non legamus, nec imagines, nuper tamen cùm Hebræas quaſdam ſententias interpretatas additis ſcholiis euoluerem, in hæc verba incidi: Apud Romanos, inquit, Amicitiã pictura antiquitùs pulchrè demonſtrabat. Pingebat enim iuuenis forma, detecto capite, quæ erat tunica rudi induta, in cuius fimbria ſcriptũ erat, Mors & Vita: in frõte, Aeſtas & Hyems: habebátq; latus apertũ vſq; ad cor, & brachiũ inclinatum, digito cor oſtendens. ibi ſcriptũ erat, Longè & Propè. Suberat & picturæ explicatio, quæ ita legitur: Forma iuuenilis indicat amicitiã ſemper recentem, nullâq; temporis diuturnitate tepeſcentẽ. nudum caput, vt omnibus pateat, & amicus nullo vnquã tempore amicũ publicè ſuum fateri erubeſcat. Rude autem indumentum oſtẽdit, vt amicus nulla ardua, extremámq; inopiam pro amico ſubire non recuſet. Vita & Mors in veſtimento ſcripta, quòd qui verè diligit vſq; ad mortem amat. Aeſtas Hyems, quia & in proſperis & in aduerſis æquè amicitiã ſeruat. Latus apertum habet vſq; ad cor, quia nihil amico celat. Brachium inclinat, & digito cor oſtendit, vt opus cordi, & cor verbis reſpondeat. Longè & Propè, quod ſcriptum eſt, quia vera amicitia nullo tempore aboletur, nec locorum intercapedine diſiungitur. Hæc fermè totidem verbis aſcripſi, quæ exoticam ſcilicet ſapientiam ac peregrinam redolere videntur. Porrò & Amicitiam poſt mortem durare, elegans Græcum epigramma oſtendit, in quo Vlmus deſcribitur arida, quam vitis opaca viridi coma complectitur: docétq;, homines debere officij memores eſſe:

Exemploq; monet, tales nos quærere amicos,
Quos neq; diſiungat fœdere ſumma dies.

Fauorem deum etiam ab Apelle pulchrè effictum legi, quam picturam quia à neſcio quo non infœliciter carmine deſcriptã inuenio, hîc illam tibi aſcribam:

Pictor Apellea qui pingis ab arte Fauorem,
Vnde illi generis ſemina nota parum?
Hic genitum Forma, Fortunæ hic tractat alumnum:
Caſu ille, ille animi dotibus eſſe ſatum.
Qui comes aſſiduus lateri? Aſſentatio, & ecquæ
Ponè ſubit lentis paſſibus? Inuidia.
Ecqui circumſtant? Opulentia, Faſtus, Honores,
Leges, & ſcelerum ſæpe Libido parens.
Cur facis aligerum? Fortunæ elatus ab aura
Aduolat alta, imo neſcius eſſe gradu.
Quare oculis captum pingis? non nouit amicos,
Improbus ex humili cùm petit alta loco.

Quid

Quid rotulæ inſiſtit? Fortunam imitatur, & infert
Se ſocium, inſtabiles quà tulit illa pedes.
Cur timet, atq; extrà ſeſe ambitioſius effert?
Occæcare animos fata ſecunda ſolent.

Preces etiam, hoc eſt, τὰς λιτὰς, Homerus poeta libro Iliados nono, his fermè verſibus expreſſit:

Nanq; Litæ, ſoboles magni Iouis, & pede claudo,
Rugoſæ, obliquoq; oculo medeantur vt illi,
Terga ſequuntur Ates, celeri præuertitur omnes
Illa gradu, & paſsim damnum mortalibus affert.
Hæ verò actutum ſarturæ damna ſequuntur,
Conciliantq; ſuis cultoribus optima ſemper
Commoda, at exercent iram genitoris in hoſtes.

Eaſdem et Quintus Calaber in Paralipomenis commemorat. Sunt qui ita interpretentur: Deas quidem eas claudas, quòd qui precentur, genua flectant: item rugis obſitas, ad imbecillitatem deſignandam. ad hæc & ſtrabis eſſe luminibus, quòd conniuere videantur ad aliqua, ſed poſtremò neceſſitate ad ſupplicationes deflecti. demum poeta Preces, vt ait Phurnutus, deas quaſdã claudáſque vocauit, quòd tardè & vix accedant ad eos ſupplicandos, quos antè iniuria affecerint. At verò rugoſas & ſtrabis luminibus, quòd grauiter & ore parũ hilari intueri queant, quos offenderunt, & à quibus veniã deprecentur. Iouis porrò filias ait, quòd venerabiles ſint. & hactenus fermè Phurnutus. Cæterùm & Orpheus in Argonaut. οὐ γὰρ ἄτιμοι ἱκεσίου ζηνὸς κοῦραι λιταί. hoc eſt, Non etenim ſine honore Iceſij Iouis puellæ Preces: &c.

Pauor, & Pallor, dei à Tullio Hoſtilio figurati & culti, vt Lactantius ſcribit, & Auguſtinus his verbis: Hoſtilius certè rex deos & ipſe nouos Pauorem atq; Pallorem propiciandos non introduceret, ſi Felicitatem deam noſceret & coleret, & cætera. ita verò accidit, cùm commiſſo inter Romanos & Veientes prælio, nunciatum eſſet Tullio Hoſtilio regi, Albanos deſciſcere, pallereq; & pauere Romanos ob eã rem videret, ipſe in re trepida templum vouit Pauori & Pallori. lege & Liuium in primo.

Pauorem quoq;, hoc eſt τὸ δεῖμα, à Corinthiis cultum fuiſſe, ſcribit Pauſanias in Corinthiacis. nam cùm Marmeros & Phares Medaæ filij lapidibus obruti fuiſſent à Corinthiis, propter ea quæ à matre Glauce munera attuliſſent, vnde ex oraculo poſtea eis ſacra facta ſunt ſolennia, & Pauoris ſeu Terroris, hoc eſt δείματος imago dedicata muliebri ætate, habitu ad terrorem quàm maximè efficta.

Viriplaca dea culta à Romanis, quæ nomen à placandis viris aſſecuta fertur. nam vt Val. Maximus libro 2. ſcribit, quoties inter virum & vxorem aliquid iurgij interceſſerat, in ſacellum deæ Viriplacæ, quod etiam P. Victore teſte in Palatio fuit, veniebant: qui ibi inuicẽ locuti quæ voluerant, contentione animorum depoſita, concordes reuertebantur. digniſſimũ ſanè inſtitutum. Quis ergo miretur, vnde tanta fuerint populo Romano incremẽta? nonnihil antè meminimus.

Forculus, vel vt alij, Forulus, & Cardea, & Limentinus, tres fuerũt exiſtimati dei, ianuis ac hoſtiis præfecti: & Forculus quidem foribus datus, vt ait Auguſtinus: Cardea verò cardini. hanc quidam libentius Carnam vocant, quæ (vt canit in ſexto Faſt. Ouid.) ab Iano compreſſa, acceperit cardinum poteſtatem, prius Crane nuncupata, dein per antiſtichon Carna. Hanc & Cardineam viri alioquí eruditi, inter quos Sipontinus, appellarunt. Verùm de Carna quæ putabatur vitalibus præeſſe, & exta intranea conſeruare, cuiq; in monte Cœlio ſacrum conſtitutum, plura paulò antè attulimus.

Cloacinam deam T. Tatius rex conſecrauit, cuius ſimulachrum (vt Lactantius ſcribit) in cloaca repertũ. Cloacinæ meminit Cyprianus, & D. Auguſtinus

nec ſemel, T.Liuius libro tertio ab V.C. Ac nutricem, inquit, propè Cloacinæ ad Tabernas.ſed melius fortaſſe ſi Cluacinæ legeretur,& Venerē intelligamus, de qua ſuo loco, hoc eſt in Venere agemus.Nam quidam alioqui eruditi,Cluacinam,& Cloacinam confundunt.

Proteruiam ſunt qui deam,& qui ſacrificium potius fuiſſe dicant,cùm in conuiuio aliquid ſuperfuiſſet quod combureretur. plura Macrob.in Satur.vnde iocus ille Catonis, in eum qui bona conſumpſiſſet,eum proteruiam feciſſe.Auſonius in Moſella:

Capripedes agitat cum læta Proteruia Panes. Tametſi hoc loco poteſt intelligi pro laſciuia.

Picus Saturni filius, vt poeta in 7 Aeneid. rex Latij, ab vxore Circe in auem ſui nominis conuerſus, quòd Pomonam amaret: à Romulo inter deos connumeratus,vt Auguſtinus in 4. docet.vide Ouidium in Metamorph. Plutarchum in Quæſt. Seruium grammaticum: qui ait, quòd ideo fingitur in picū Martium conuerſum, quia augur fuerit,& domi picum habuerit, per quem futura noſcebat:quod & pontificales indicant libri.Curinum & Verrundum deos Varro de Ling.lat.commemorat:ſed nihil vltrà de his ſcribit,niſi quòd à T.Tatio cum cæteris deis Sabinis conſtituti ſint.

Bubona dea nuncupata à bobus, vt ſcilicet boues fortunaret. Auguſtinus meminit.

Auerruncus deus, qui auertere credebatur mala. de quo Varro: Auerruncare,auertere.Pacuuius:Deus qui meis rebus præeſt, Auerruncus. itaq; ab eo precari ſolent, vt pericula auertat.hæc fermè Varro de Lingua latina.

Intercido deus, licet quidam Intercidonam legant, apud Auguſtinum libro ſexto,ab intercidendo ſecuri.

Pilumnus deus,à pilo,quòd far ſine pilo non conficiatur,ait Auguſtinus.meminit & D.Cyprianus. Sed de Pilumno Seruius in nono Aeneid. commentario:Pilumnus,inquit,deus dictus,qui pilendi frumenti inuenit vſum.vnde à piſtoribus colitur,& ab ipſo Pilum dictum eſt.Martianus libro ſecundo:Comminuendæ frugis farriſq; fragmēta Pilumno ſignat Italia. Non.Marcellus,Pilumnum & Picumnū deos vocat præſides auſpiciis cōiugalibus. Varro de vita pop. Rom. lib.2. Natus ſi erat vitalis, ac ſublatus ab obſtetrice ſtatuebatur in terra vt auſpicaretur rectus, deiſq; coniugalibus Pilumno & Picumno in ædibus lectus ſternebatur.Pilumni fratrem Picumnum (ſi modo exemplar incorruptū eſt)facit,loco quo ſuprà.Pilumnus,inquit, & Picumnus,fratres fuerunt.horū Picumnus ſtercorandorum agrorum inuenit vſum, vnde & Sterquilinus dictus eſt: hunc tamen Lactantius & Tertullianus Sterculium nuncupare videntur, qui ſtercorandi agri rationem primus induxit. Macrobius Saturnum Sterculium à Romanis vocatum ait, vt in Saturno dicetur, alij etiam Stercutum vocauêre. Plinius quidem libro decimoſeptimo Stercutium: Stercutius,inquit, Fauni filius Italiæ rex, ſtercorationis agrorum in Italia inuentor, ob id donatus immortalitate.

Deuerra dea, à ſcopis deuerrendo,quia fruges non coaceruantur ſine ſcopis. vide quæ in Syluano deo ſcribemus, ex Varrone & Auguſtino.

Iugatinus deus,vt in ſexto de Ciuit.Dei,ex Varrone ſcribit Auguſtinus,cùm mas & fœmina coniungebantur,colebatur:vel vt idem in quarto ait,quòd coniuges coniungeret,vel quòd iuga committebantur.

Domiducus deus,eodem teſte, cùm domum ducenda erat quæ nubebat,colebatur: quamuis & Domiduca eadem cauſa Iuno vocabatur, vt dicemus.

Domitius quoq; deus apud antiquos celebrabat, vt eſſet in domo noua nupta. Idem autor Auguſtinus, qui & illud etiam ſcribit.

Manturna dea adhibebatur, vt cum viro maneret. Matura verò dea fuit, quæ matureſcentibus frumentis præeſſe dicebatur: quam tamen quidam perperàm,

perám, vt puto, Matutam exiſtimant, quæ potius Leucothoe eſt, de qua Plutarchus in Camillo, & in Problem. Plura & M. Cicero in tertio de Nat. deorum. legimus præterea Matutæ ædem ancillis Romæ nephas fuiſſe ingredi. vna intrò ducebatur, & alapis cædebatur, & impellebatur, & fratrum fi'ios ante ſingulos fratres in vlnis ſub brachio ferebant, & circum ſacrificia currebãt, in ſignum eorum quæ in fabulis traduntur de Dionyſio & Ino. ab hac Rom. matronæ bona filiis non optabant, ſed nepotibus, quòd ipſa in filiis fuerit infœliciſſima. Scribit Plutarchus, Camillum templum vouiſſe matri Matutæ, ſi de Veiis victoriã retuliſſet. Notabile eſt illud in bello Latino exemplum deę Matutæ. Cùm Satricum vrbs incenderetur, vt Liuius ſcribit in ſexto ab V. C. nec aliud tectum eius vrbis ſupereſſet, cùm faces pariter ſacris profaniſq; iniicerentur, quàm matris Matutæ templum, inde eos nec ſua religio, nec verecũdia deûm arcuiſſe dicitur, ſed vox horrenda edita templo cum triſtibus minis, ni nefandos ignes procul delubris amouiſſent. Idem Liuius in quinta Decad. Eodem, inquit, anno tabula in ędem matris Matutæ cum indice hoc poſita eſt: Tib. Sempronij Gracchi COSS. imperio auſpicióq; legio exercitúſq; P. R. Sardiniam ſubegit, &c. Matutã, ait Feſtus, antiqui ob bonitatem Matrem appellabant. P. Victor in octaua vrbis regione Matutæ ædem conſtituit.

Angeroniam & Tacitam ſilentij deas cum Harpocrate Aegytiò, his deis coniungemus. Angeronam Macrob. in Satur. vbi de tutelari deo vrbis Romæ agit, inquit: Sunt qui Angeronam putent, quæ digito ad os admotò ſilentium denunciat. Angeroniæ rem diuinam faciebant Romani 12 Calend. Ianuarias, quod Solinus ſcribit. ab Angerona Angeronalia dicuntur, teſte Varrone. Macrobius verò, Pontifices ait, in ſacello deæ Volupiæ ſacrum feciſſe. hanc Verrius Flaccus Angeroniam ideo appellari prodidit, quòd angores ac animi ſolicitudines propitiata depelleret. Maſſurius adiicit, ſimulachrum huius deæ ore obligato fuiſſe, atque ſignato: in ara Volupiæ propterea collocatum fuiſſe, quòd qui ſuos dolores anxietatéſque diſſimulant, perueniant patientiæ beneficio ad maximam voluptatem. Iulius Modeſtus ideo ſacrificari huic deæ dicit, quòd popul. Rom. morbo & angina dicitur pręmiſſo voto liberatus fuiſſe. hinc Angeroniam, & Angeronam quidam diuerſas ſtatuunt. Angeronam quidem deam Plinius in tertio, & Solinus, appellare videntur. ita enim Plin. Non alienum videtur inſerere hoc loco exemplum religionis antiquæ, ob hoc maximè ſilentium inſtitutæ. nanque diua Angerona, cui ſacrificatur ad diem 12 Calend. Ianuarij, ore obligato obſignatóque ſimulachrum habet. Sempronius quoque in libro de Italiæ diuiſione, cùm de Deo egiſſet, in cuius tutela Roma eſſet: Quamobrem, inquit, & Angerona ſilentij dea ante Iani feſtos dies colitur præ foribus, vt ne cui liceat illud palàm efferre, quod ad ſalutem Reipub. veteręs ore obſignato intra pectoris arcana voluerunt cõtineri: cuius violatæ religionis pœnas primus luit Soranus. atque hac de dea, quantum memini: de Ageronia verò alibi actum eſt. Nunc addam, & quę de Tacita ſcribit in Numa Plutarchus. Cùm enim Numam Pomp. religioni ſtuduiſſe ex Pythagoræ fermè inſtituto oſtenderet, ait: Sed Numæ figmentũ deæ, vel montanæ nymphæ amor, ſecretúſque illius congreſſus, et communia cum Muſis conſortia. Plurima enim ex vaticiniis in eas referebat, quarum præcipuè vnam & inſigniter Romanos venerari docuit, quam Tacitam appellauit, οἷον σιωπηλὼ, καὶ νέαν, hoc eſt, ſilentij ſtudioſam & iuuenem: quod eſſe videtur non abſimile, à ſilentij myſterio, quod ἐχεμυθίαν Pythagoras ſuis diſcipulis præcipiebat. Mutam vero Deam matrem Larũ fuiſſe, in Laribus meminimus. cuius & Ouidius in 2. Faſt. copioſius fabulã explicat. Sed iam & Harpocraten apud Aegyptios Deũ ſilentij ſubiũgamus, qui digito os obſignare videbat. His proximè diebus Auguſtinus Rheginus magiſter theologus Frãciſcanus, mihi oſtẽdit æneã imagunculã huius Harpocratis dei, nuper effoſſam ex Mutinẽſib. ruinis, quę imagũcula ita erat effĩcta,

Puer erat imberbis, nudus, qui dextræ indice digito os obſignabat, ſiniſtra verò deorſum extenta ſuſtinebat cornu Copiæ, ſurſum ad aurem pertingẽs, frugibus refertum, inter quas eminebat nux pinea. Dei verò caput mitra Aegyptiaca redimi videbatur, quæ aliquantulum in altum erecta, deſinebat in duas quaſi volucres. Hunc ſcribit Plutarchus in libro Iſidis & Oſiridis, genitũ fuiſſe poſt interitum Oſiridis, ex Iſide, vnà cum Helitomeno, imbecilliúmq; natum membris inferioribus. alibi tamen ait idem autor, non puerum fuiſſe (vt fertur) imperfectum, neq; aliquod leguminum exiſtimandũ, ſed deum iuuenilis adhuc imperfectæ & inarticulatæ orationis præſidem ac moderatorẽ: ex quo, digito ori admoto ipſum effingebãt, vtpote ſilentij & taciturnitatis ſymbolũ. huic deo menſe Meſori, id eſt Auguſto, legumina afferentes, ita canere ſoliti erant Aegyptij, γλῶσσα τύχη, γλῶσσα δαίμων. hoc eſt, Lingua fortuna, lingua dæmon. Hunc verò deum natum, idem autor eſt Plutarchus, circa ſolſtitium hybernum & brumam, vbi pro Harpocrate Carpocraten habent exemplaria: quem locum eruditi quidam æmulantes, parum animaduerterunt. Ei igitur deo & lentes, & primitias leguminũ offerri ſolebant. Sed & perſeam arborem huic deo dicauit Aegyptus, quòd eius arboris frondes linguæ, fructus autem cordi ſit quàm ſimilimus. Sanè ridet D. Epiphanius libro tertio Contra hæreſes, ſacra quæ huic puero deo ſuis etiam temporibus fiebant in ciuitate Aegypti Buto. Nam ſacerdotes illum nutrire ſimulabant inſtar nutricum, &c. quæ ſanctus doctor exequitur. Circumſcribitur Harpocrates ab Ouidio illo verſu in Metamorph.

Quiq; premit vocem, digitoq; ſilentia ſuadet.

Sed & Apuleius, & Martianus lib. 1. Verùm, inquit, redimitus quidam puer ad os compreſſo digito ſalutari, ſilentium commonebat. Idem in 7. At tunc oborto terrigenis muſſans tibi puer ille piceus, iuſſus admonere ſilentium. vbi notandum eſt, Piceum puerũ Harpocratem deum appellatum, ex coloratis Aegyptiis. Scribit Tertullianus Septimius in Apolog. hunc ipſum Harpocratem eliminatum, & Serapidem & Iſidem, Italia, COSS. L. Piſone & Gabinio. meminit & huius dei Varro in libro de Lingua latina, & Catullus. Sed Artemidorus libro Onirocriticon. itẽ Plinius: Iam verò, inquit, Harpocraten, ſtatuáſq; Aegyptiorum numinum in digitis viri quoq; portare incipiunt. Meminit & Caſsiodorus in epiſtolis. Non deſunt inter ſcriptores, qui hunc deum Sigaleona vocari exiſtiment ab Auſonio, illo verſu:

Aut tua Sigaleon Aegyptius oſcula ſignet.

παρὰ τὸ σιγάω καὶ λεώς, id eſt à ſilendo & populo, quòd ſcilicet populis ſilentium indicat. Illud hoc tibi loco de Silentij deo non ſilendum duxerim, libellũ Cœlij noſtri extare, feſtiuiſſimum & eruditiſſimum illum quidem, in quo ille more ſuo, non modò quæ hîc ego ipſe ex hiſtoriis collegi, ſed per Apologi etiam figmenta luſit: quem vt legas, non minimum fuerit precium operæ. Viam enim ad eiuſmodi confingenda ſternet.

Aius Locutius deus à Romanis cõſecratus, de quo ſic ait M. Cicero in libro primo de Diuinatione: Non multo, inquit, ante Vrbem captam, exaudita vox eſt à luco Veſtæ, qui à Palatij radice in nouam viam deuexus eſt, vt muri & portæ reficerentur: futurum eſſe, niſi prouiſum eſſet, vt Roma caperetur. quod neglectum, tum caueri poterat: poſt acceptam illam maximã cladem, explicatum eſt. Ara enim Aio loquenti, quam ſeptam videmus, aduerſus eum locum conſecrata eſt. hæc Cicero in priore libro de Diuinatione. T. Liuius verò lib. 5. ab V. C. M. Ceditius, inquit, de plebe nunciauit Tribunis, ſe in noua via, vbi nunc ſacellum eſt ſupra ædem Veſtæ, vocem noctis ſilentio audiuiſſe, clariorem humana, quæ magiſtratibus dici iuberet, Gallos aduentare. id, vt fit, propter autoris humilitatem ſpretum. Tum mox eodem libro: Camillo, expiandæ etiam vocis nocturnæ, quæ nũcia cladis ante bellum Gallicũ audita, neglectáq; eſſet, mẽtio illata, iuſſumq; & templũ in noua via Aio Locutio fieri. Plutar. in libro de Fort. Rom.

Rom. hanc hiſtoriam recitans, Aium Locutium φήμην καὶ κληδόνα vocauit, atque ideo eum locũ Budæus ita Latinè retulit: Furius porrò Camillus cùm Celticum ignem reſtinxit, Romámq; oppenſam auri æquilibrio à librilance decuſſit, nec Prudentiæ nec Fortitudinis ædem, ſed Aij tãtùm Locutij in via noua extruxit: quò loco ante bellum Gallicum vocem à Marco Decio auditam noctu illac tranſeunte inquiũt, bellum illud inſtare denũciante. Quo loco videmus M. Decium nuncupatum, illum quem T. Liuius, M. Ceditium vocauit. de hoc eodem deo Gellius lib. 16. ex M. Varronis libro Diuinarũ: Nam ſicut, inquit, Aius deus appellatus, aráq; ei ſtatuta eſt, quæ eſt infima Noua via, quòd eo in loco diuinitùs vox edita erat, &c.

Paupertas & Ars à Gadareis cultæ, vt Arrianus ſcribit, quòd videlicet paupertas ad artes comminiſcendas induſtriam & hominum ingenium acuit. Contrà Plautus in Trinum. Luxuriam deam inducit in prologo matrem Inopiæ: Sequere, inquit, me mea gnata. & paulò pòſt: Primum mi Plautus nomẽ Luxuriæ indidit, Tum mihi hanc gnatã eſſe voluit Inopiam. Vnde & Claudianus cecinit:

Et luxus populator opum, cui ſemper adhærens
Infœlix humili greſſu comitatur egeſtas.

Ariſtophanes in Pluto πενίαν, id eſt Paupertatem ita deſcribit, vt pallida ſit, & furiæ perſimilis, niſi quòd facem non preferat.

Mephitim deam antiqui putauerunt odoris tetri, cuius templum ante Cremonenſium mœnia fuit, loco ſeu numine defenſum, quo tempore Cremona Vitellianis Flauianiſq; bellis exuſta eſt, anno poſteaquã condita fuerat 286. T. Sempronio & Corn. c o s s. Annibale in Italia imminente: Cornelius Tacitus lib. 19. Mephitis, ait Priſcianus lib. 7. nomen propriũ eſt, à Græco μεσίτης, vt quibuſdam videtur, mutatione σ in φ. Verg. in ſeptimo: Sæuãq; exhalat opaca Mephitim. vbi Seruius incertus fertur, nunc deum coniunctum Leucothoæ, vt Virbius & Adonis Dianæ & Veneri: nunc Iunonem ait, quia ex aere odores. tandem concludit, deam eſſe odoris grauiſſimi nam propriè Mephitis eſt terræ putor, qui naſcitur ex aquis ſulphuratis. Perſius in Satyris:

——Atq; albo ventre lauatur,
Gutture ſulphuream lentè exhalante Mephitim.

Anna Perenna dea fuit à Romanis culta: quidam fabuloſe Annam ſororem Didonis putant. de qua Vergilius, & in Faſtis Ouid.

Ipſa loqui viſa eſt, Placidi ſum nympha Numici
Amne perenne latens, Anna perenna vocor.

Sunt qui Lunam putarint, quæ Anna vocaretur, quòd annus ex menſibus fiat. Alij vnam Atlantidem dixerunt, quæ Ioui vbera præbuerit. Alij Iò, quidam & Themin. Nonnulli hanc hiſtoriam recitant: Cùm plebs in Auentinum feceſſiſſet, Annã quandam vetulam ferunt quæ Bouillis oriunda erat, placetas quaſdam ruſticas plebi detuliſſe, cui commeatus defecerat. mox pace ſecuta, beneficij memores ſtatuerũt, vt perenne nomen eius colerẽt: & Anna Perenna nuncupata. vtcunq;, ſcribit Macrobius, primo menſe, hoc eſt Martio cõſueuiſſe Romanos publicè & priuatim ad Annam Perennam ſacrificatum ire, vt annare & perennare commodè liceret.

Aeternitatem vt deam coluerunt antiqui, cuius imaginem tempus eſſe dixerunt Pythagorici, Plato & Hermes Triſmegiſtus. eam enim per tempus intelligimus. Deſcribitur verò copioſè & luculenter à poeta Claudiano in Panegyr. de laudibus Stiliconis:

Eſt ignota procul, noſtræq; imperuia menti, &c.

Boccatius carmen interpretatur in ſuis Genealogiis. legitur & paſſim in hãc eandem M. Marulli hymnus cognitione digniſsimus.

Tempeſtatis etiam ædes M. Marcello extra portam Capenã conſtructa fuit. cum

cùm enim in Corſicam & Sardiniam nauigaret, & tempeſtatem paſſus eſſet, liberatus ædem hanc conſtruxit. Meminit Ouid.

Te quoq; Tempeſtas meritam delubra fatentur,
Cùm penè eſt Corſis obruta puppis aquis. & reliqua.

Noctem etiam cultam legimus, quam Aratus poeta ἀρχαίαν νύκτα, id eſt antiquam noctem appellat, vt interpres ait, ex Heſiodi ſententia, quòd ſit deorum antiquiſſima. illi quoq; ſacra facta. Et vt in præſentia mittã quæ Orpheus & Heſiodus tradunt, quorum alter Noctem Chaûs filiam, matremq; Aetheris & Diei aſſerit: alter illi hymnum cum ſuffimento factum concinit, eámq; matrem vocat deorúmq; hominúmq;, & geneſim omnium. apud Latinos etiam Statius Papinius lib. 2. Theb. ad Noctem hymnum & ipſe concinuit:

Nox, quæ terrarum cœliq; amplexa labores,
Ignea multiuago tranſmittis ſidera lapſu,
Indulges reparare animum cùm proximus ægris
Infundat Titan agiles animantibus ortus,
Tu mihi perplexis quæſitam erroribus vltrò
Aduehis alma fidem, veterisq; exordia fati
Detegis, aſſiſtas operi, tuaq; omnia firmes:
Semper honoratam dimenſis orbibus anni,
Te domus iſta colet, nigri tibi nigra litabunt
Electa ceruice greges, luſtraliaq; exta
Lacte nouo perfuſus edet Vulcanius ignis.

Quo loco Lactantius grammaticus ait: Finitis annis ſingulis anniuerſarium illi ſacrũ Adraſtum polliceri, et luſtralia exta, id eſt pinguia. Noctem veteres mulieris forma effinxêre, nigris expanſis alis, quæ volare videret. Manilius. lib. 5.

Et mentita diem nigras nox contrahit alas,

Noſtro verò tẽpore, ſtellatũ cœlũ obſcuratũ cum Luna effingunt, quę noctis ſymbolum putat. Pulchra eſt apud Pauſ. in Eliacis deſcriptio Noctis, Mortis, & Sõni, his verbis: In altero verò arcæ latere, quod eſt à lęua, ordinẽ operis in orbẽ oculis perſequenti, fœmina expreſſa eſt, puerũ conſopitum lęua albũ ſuſtinens, nigrum dextera: & hunc dormientis effigie, diſtortis vtrinq; pedibus, indicant inſcriptiones. quod facilè tamen, vt nihil ſcriptum ſit, coniicere poſſis, eorũ puerum vnũ Mortem eſſe, alterũ Somnũ: mulierem illam Noctem, vtriuſq; nutricẽ. Multis verò cognominibus nuncupata, præcipuè poetis, εὐφροσύνη, μήτηρ ὀνείρων, τερπνή, ἐγκύκλια, ὑπνοδότειρα, εὐάντη. hoc eſt, lętitia, mater ſomniorũ, iucunda, circulatrix, ſomnidatrix, & benè obuia, ſeu occurrens, appellat: & multis aliis nominibus, quorũ plura collecta leges in hymno Orphei. Phurnutus etiã Noctem ait εὐφρόνην nũcupatam, hoc eſt prudentem, proprerea quòd eo tempore melius ſapere videamur. nam & Epicharmus dixit, εἴ τί φησι ζητεῖς σοφὸν, τῆς νυκτὸς ἐνθυμητέον. & omnia etiã ſtudioſa nocte magis ſcrutant. Plaut. in Amphit. Nocturnum vocat noctis deum, cùm ait, Credo ego hac noctu Nocturnum obdormiuiſſe ebrium. niſi fortè νύχιον, id eſt Bacchũ intelligamus. Porrò et Noctis et Dei Meridiei ſimulachra ab Antiocho Epiphane facta, prodit Athenæus.

Falacer diuus pater, vt ait Varro, vnde & eius flamen (ait) à diuo patre Falacre. ego ingenuè fateor, me neſcire quis deus fuerit Falacer. Falacrem tamẽ pomorum deum ſcribit Alexander lib. 6. Sed malè Varronis verba conſiderauit, ex lib. de Ling. lat.

Herem Marteam antiqui accepta hereditate colebant, quæ à nomine appellabatur hæredum, & eſſe vna ex Martis comitibus putabatur. Feſtus.

Strata mater antiquis culta, cuius ſimulachrũ in foro colebat, poſtquàm id colluſtrauit ne lapides igne corrumperent, qui plurimus ibi fiebat nocturno tẽpore, magna pars pòpuli, in ſuos quiſq; vicos retulerũt eius deæ cultũ. autor Feſt.

Redicu-

Redículus deus à Romanis cultus, cuius extra portam Capenam fanum cõſtructum fuiſſe accepimus. nam cùm ſecundo bello Punico Vrbem oppugnaturus Annibal acceſſiſſet, à deis iniecto metu rediit, quando & campum Rediculi, & dei fanum Romani appellauerunt, vt ſcribit Feſtus.

ἄτη, Ate dea, vel dæmon potius, exiſtimata à pleriſque, ex Homeri verſibus, Iliad. 19, qui ita traducti leguntur:

Protinus abripuit ſpecioſis crinibus Aten,
Iuppiter, adiuratque inſtinctus ſanctius ira,
Haud iterum poſthac ſtellantis culmina cœli
Scanſuram eſſe deam, quoniam eſſet noxia cunctis.
Ilicet hoc dicto ſuperis ibi feruidus Aten
Sedibus exturbat, mortalia lapſa laceſſit.

Aten noſtræ religionis authores φώσφορον, id eſt Luciferum interpretantur, vt præcipuè Iuſtinus Philoſophus ac martyr, Suidas, & alij: ſed & Beſſarion in libris aduerſus Platonis calumniatorem. Solon philoſophus in elegia pulcherrima quæ apud Stobæum legitur, in oratione περὶ δικαιοσύνης, ita canit:

ἄτη δ' ἐξ αὐτῶν ἀναφαίνεται, ἣν ὁπόταν Ζεὺς
πέμψῃ, τισομένην, ἄλλοτε τ' ἄλλος ἔχει. hoc eſt,

Ex illis Ate apparet, quam vbi Iupiter ipſe
Miſerit, vltricem, tunc aliam alter habet.

Pindarus verò in hymnis Pyth. αὐάταν ἄταν nuncupauit, more AEolico, dicitur & ἀάτη, παρὰ τὸ ἀάομαι, hoc eſt lædo. ἀάτη igitur per interiectionem υ, αὐάτη, vt αὐὴρ pro ἀὴρ. Pindarus ad Hieronem, ἀλλά νιν ὕβρις εἰς αὐάταν ὑπερήφανον ὦρσε. hoc eſt, Sed ipſa Contumelia ad damnum inſigne impulit.

TOPICI DEI.

Topici denique dei vocabantur non à Græcis modò, ſed & à Latinis, qui locorum, regionum, vrbium peculiarem tutelam gerebant: quos & interdum Latinè appellatos videmus Tutelares, Genios, & cuſtodes: Vergilius: Cuſtos Soractis Apollo. Idẽ, Geniúmne loci. ſcribit Seruius ſeptimo AEneid. quòd dei Topici non transferuntur ad alias regiones: & ideò cauendum, vt de Laurente Marica, quæ Minturnenſium erat. ſed aliqui ſunt dei communes, vt dictum eſt. Tertullianus in Apologetico nõnullos commemorat, quos & ego curioſitatis cauſa non præteribo, & pleroſque addam ex diuerſis autoribus.

Fuit ergo Aſtarte Syriæ dea, Arabiæ Diaſares, vel vt apud Stephanum legimus, Duſarus. Arrianus, Arabiæ duos deos ait, Cœlum & Dionyſium. apud Noricos colebatur Tibilenus, apud Africanos Cœleſtus, qui à Lactantio dicitur Vranus. Fuere Mauritanis reguli ſui. Cruſtuminenſium deus fuit Deluentinus, Narnienſiũ Viridianus, Aſculanorũ Ancharia, Vulſineſium Nurſia, Otriculanorum Valentia, Sutrinorũ Nortia. Valiſcorũ fuit in honore pater Curis, vnde accepit nomen Iuno. Eodẽ modo Latini Faunum coluere, Sabini Sancũ, vel Sanctũ: Romani Quirinum, qui eſt Romulus. Marica dea fuit Minturnenſium, Fellenus Aquileienſiũ. Externos aliquos etiã addamus. Orchomeniorum deus Laphyſtius fuit: Molpadia, quæ & ſemidea Cherronenſium: Tenes Tenediorum, Alabandus Alabandenſiũ, Minerua Athenienſium, Samiorum & Argiuorũ Iuno, Paphiorũ & Cypri Venus. Lemniorũ Vulcanus Naxiorum Dionyſius, Delphorũ Apollo, Laginia dea Carum, Tanfana verò Germanorũ: item Velleda & Aurinia, de quibus eſt facta mentio à Tacito. Tuiſconem etiam Germanorum antiquum deum apud Tacitum & Beroſum legi, quem terra editum ferunt: & Mannum filium, à quibus vulgaria Germanorum nomina quæ nunc quoq; in vſu habentur, Tedeſcus, & Alamannus: tametſi quidã à Lemano

lacu & legant, & deriuēt. Pſaphon apud Libycos pro deo cultus, cùm deſpicatiſſimus eſſet. is vocales aues verba hęc conari edocuit, Magnus deus Pſaphon, hoc eſt, μέγας θεὸς ψάφων: quibus inter nemora dimiſſis, & à rudibus his verbis auditis, pro deo Pſaphon cultus eſt, vt Apoſtolius ſcribit. id & in Adagia traxit Eraſmus, meminit & Cœlius. Simile exemplum refert Aelianus in vltimo de Varia hiſtoria, de Annone: Annon, ait, Charthaginenſis præ nimio faſtu humanis terminis non contentus, cupiebat maiora, & quæ ſunt ſupra hominem, de ſe prædicari. Nam cùm aues multas ex iis quæ modulationibus in cantu vtuntur, emiſſet, nutriuit eas in obſcuro loco, docuítque id vnum dicere, Annon Deus eſt. Cùm autem aues vnam hanc vocem auditam percepiſſent, aliam aliò dimiſit, ratus carmen illud, quod aues edocuerat, aliis etiam in locis diuulgatum iri: quæ tamen opinio eum fefellit. nam aues ſemel ſolutæ, & ad propria & conſueta loca profectæ, priores & naturales cantus, quique ad aues ſpectant, edebant, contempto Annone, & iis diſciplinis quas captiuæ edidicerant.

Carmelus deus, & mons, ita libro 17. à Cornelio Tacito deſcribitur: Eſt inter Iudæam Syriámque Carmelus, ita vocant montem, deúmque: nec ſimulachrum deo, aut templum, ſic tradidêre maiores: aram tantùm, & reuerentiam, & reliqua de eius ſacerdote Baſilide, qui Fl. Veſpaſiani imperium prædixit.

Amanus, & dei & montis nomen, de quo agemus in Anaitide Venere.

Enenth ſeir, vt Græci & Latini efferunt, Enenthius deus, vel dæmō fuit Phœnicum. Lampridius in vita Heliogabali: Pallia, inquit, deo Euanthio fudiſſe, vel (vt ego legendum puto) Euenthio. huius dei Sachoniathon in hiſtoria Phœnicum meminit & Philon Byblius, vt docet Euſebius in Præp. euang. Exiſtimauit vir doctiſſimus apud Lampridium legendum, Pallia vino œnanthio, id eſt, Maroneo, ab Oenanthe Maronis patre.

Euhadnes verò, qui in Chaldæa de mari exiſſe dicitur, Aſtrologiam interpretatus eſt.

Epies, maximus deorum apud AEgyptios interpres. huic deo attribuebant accipitris caput, aliáque permulta ſuperſtitioſa, vt meminit Zoroaſtres, & pluribus oſtendit Euſebius.

Derceto dea Syrorum fuit, quam in quarto Metamorph. Ouidius ſub forma patronymica Decertis appellaſſe viſus eſt. nam Δερκετὼ quidem vocabatur, vt Διδὼ, & alia. hinc Δερκετὶς deduxit poeta. ita enim canit,

Illa quidem è multis referat (nam plurima norat)
Cogitat, & dubia eſt, de te Babylonia narret
Derceti, quam verſa ſquamis velantibus artus,
Stagna Palæſtini credunt mutaſſe figura.
An magis, vt ſumptis illius filia pennis,
Extremos altis in turribus egeret annos.

Quo loco duplicem tangit fabulæ Dercetus opinionem. Scribit igitur (vt hinc exordiar) Athenagoras philoſophus in oratione pro Chriſtianis ad M. Antonium & Commodum de Derceto, hæc verba à me è Græco ita expreſſa: Et enim, inquit, Dercetus filia fuit Semiramis, laſciua mulier, & homicida, quæ dea Syria eſt exiſtimata, & propter Dercetô & columbas & Semiramin colunt Syrij. hoc enim fieri non poteſt, vt mulier in columbam mutata ſit. fabula hæc à Cteſia traditur. & hactenus quidem Athenagoras. Dercetus meminit & Plin. 5. Natur. hiſt. libro, vt beneficio Hermolai didicimus, cap. 23. Bambyce, quæ alio nomine Hierapolis vocatur, Syris Magog: vbi prodigioſa Atergatis (Græcis hæc Derceto dicta) colitur. Strabo verò: Trans Euphratem, inquit, eſt Bambyce, quam Edeſſam, & Hierapolin vocant, in qua Atergatin Syriam deam colunt. Illud hoc loco admonendum duxi, antiqua omnia Ouidij exemplaria, non Derceti, ſed Derce habere: quæ lectio non eſt ſpernenda. quippe Theon, ſiue quiſquis alius eſt qui in Aratum Græca ſcripſit commentaria, vbi de piſcibus agit,

agit,ita ſcribit:Quidam (ait)Δέρκω Veneris filiam dixêre,quæ in mare prolapſa, à piſcibus ſeruata eſt,vnde in eius honorem deæ Syri piſcibus abſtinent. Diodorus verò libro tertio,iuxta Aſcalonem vrbem lacum eſſe ſcribit, vbi templũ inſigne fuit deæ,quam Syri Δερκετῶ vocabant,quæ dea muliebri facie fuiſſe perhibetur,reliquum autem corpus figura piſcis: cuius filia Semiramis à columbis fuit educata,quæ aues ideo Syris ſacræ.ſcribit & Strab. in 16 lib. parte extrema: Nominũ mutationes pleraſq; fuiſſe etiam antiquis,vt inquit Atergaten Atharan dictam,quam Cteſias Dercetô vocauit. Subdit eodem loco idem Diodorus, Venerem aliquando obuiam factam Dercetò,amorem cuiuſdam adoleſcẽtis ſibi ſacrificantis inieciſſe.ex quo cùm filiam dea ſuſcepiſſet,ſui erroris pudore affecta,adoleſcentem ab ſe amouiſſe,& filiam in deſerta & ſaxoſa loca,vbi columbarum erant ingentes turmæ,expoſuiſſe:quæ columbæ puellam enutriuerunt.Dercetò pudore ac dolore actam,ſe in ſtagnum abieciſſe, & in piſcem cõuerſam:quare,inquit,Syri piſcibus abſtinent,& templum in ſtagni littore conſtituerunt,Dercetò facie quidem formoſæ mulieris, reliqua parte piſcis ſimulachrum coluerunt.Porrò,quòd Syros piſcibus abſtinere ſcribant tot autores, in aliã cauſam referunt,Manilius in Aſtronomicôn lib.4.& Hyginus in Aſtronomico:ille his verſibus,

Scilicet in piſcem ſeſe Cytherea nouauit,
Cùm Babyloniacas ſummerſa profugit in vndas,
Anguipedem alatos vngues Typhona ferentem,
Inſeruitque ſuos ſquamoſis piſcibus ignes.

Et eodem libro,paulò pòſt.

Piſcibus Euphrates datus eſt,vbi piſcis amator,
Cùm fugeret Typhona Venus,ſubſedit in vndis.

Fabulam etiam Ouid.in Faſtis attigit. Hyginus quoque bis, vbi de piſcibus agit.priore quidem loco:Diogenetus,inquit,Erythracus ait,quodam tempore Venerem cum Cupidine filio in Syriam ad flumen Euphraten veniſſe, & eodẽ loco repentè Typhona giganta apparuiſſe:Venerem autem cum filio in flumẽ ſe proieciſſe,& ibi figuram piſcium forma mutaſſe:quo facto periculo eſſe liberatos.Itaque poſtea Syros,qui in iis locis ſunt proximi, deſtitiſſe piſces eſitare: quòd vereantur eos capere,ne ſimili cauſa,deorum præſidia impugnare videãtur,aut eos ipſos captare.Eratoſthenes autem ex eo piſces natos homines dicit. Idem etiam Hyginus in piſce notio:Hic (inquit) piſcis notius appellatur, qui videtur aquam ore excipere à ſigno aquario,qui laborantem quondam Iſin ſeruaſſe exiſtimatur,pro quo beneficio ſimulachrum piſcis & eius filiorum inter aſtra conſtituit.Itaque Syri complures piſces non eſitant, & eorum ſimulachra aurata pro deis penatibus colunt.Nigidius etiam aliam in Commentarijs Latinis in Arati Phænomena fabulam recitat.Hos,inquit,piſces dicit in flumine Euphrate fuiſſe,& ibi ouum inueniſſe miræ magnitudinis, quod voluentes eiecerunt in terram,atque ita columbam inſediſſe,& poſt aliquot dies excluſiſſe eam Syriæ quæ vocatur Venus,maximéq; miſericors ad homines pertinebat,quęq; multa quæ ad vtilitatem hominibus verterentur,ea dicitur inueniſſe: quæ quoniam Iupiter ſæpius à Mercurio laudari nominarique audiret, quòd in deos religioſa, in homines officioſa diligenter fuerit,rogata à Ioue,quid ſibi optãti tribui poſtularet:illa ait,vt piſces qui ſuam originem ſeruaſſent, immortali præmio afficerentur:Iupiter in duodecim ſignis piſces ſiderum ſplendore decorauit:vnde hodie quoque Syri neque hos piſces edunt;& columbas poteſtate decorant.& hæc quidem ex Nigidio in ipſis commentariis. Demum nec deſunt qui ſcribãt,piſcem boreum hirundinis habere caput,ea videlicet ratione,quòd piſcis chelidon nuncupetur,qua voce græcè hirundo, vt notiſſimum eſt, vocatur.Sunt etiam qui ſcribant,Dagon eandem eſſe cum Dercetò. vnde & eius tẽ-

plum Bethdagon dicitur. Dagon verò piſcem ſignificat. plura de Atagarte ſuo loco dicemus.

Adad nomen dei apud Aſſyrios ſummi, qui vnus interpretatur, quem ſolem eſſe Macrobius oſtendere niſus eſt. Huic deo ſubiungebant deam nomine Adargatim: quibus duobus deis omnem cunctarum rerum poteſtatem attribuebant, Solem videlicet & Terram intelligentes. ADAD ſimulachrum tale formãtes, radijs inclinatis: quibus monſtrabatur, vim cœli in radijs eſſe ſolis, qui in terram demittuntur. Adargatis verò ſimulachrum, ſurſum verſum reclinatis radiis monſtrans radiorum vi ſuperne miſſorum enaſci, quæcunque terra progenerat. ſub eodem ſimulachro ſpecies leonum ſunt, eadem ratione terram mõſtrantes, qua Phryges finxêre, Matrem deûm, vt in ea dictum eſt, id eſt terram, leonibus vehi. Hæc quidem fermè ex Macrobio. Non contraria Macrobio Phurnutus de deis ſcribit, vbi tamen aduertendum, in impreſſis, ἀρταγὰ legi pro ἀταργάτις; & ita eſt in exemplari meo manuſcripto, & caſtigato. Legitur etiam in Commẽtarijs latinis in Arati Phænomena, à nonnullis exiſtimatam Adargatin, quã Virginem inter ſigna vocamus. Virginem, aiunt, nonnulli eſſe Cererem dixerunt, eo quòd ſpicas teneret. alij Adargatin, quidam verò Fortunã, quoniam ſine capite aſtris infertur. Sed quam ij Adargatin deam, hanc Græci alij, atque in primis Athenæus, Atergatin nominant, de qua Antipater Tarſenſis Stoicus in libro περὶ δεισιδαιμονίας quarto, dici à quibuſdã ait, quòd Gatis Syrorum regina fuerit, quæ per præconem edixit, ne quis piſcem abſque Gatide veſceretur, per ignorantiamque ideo pleroſque ipſam Atergatin vocare, atque à piſcibus abſtinere, quod & in Pythagoræ ſymbolis meminimus. Mnaſeas verò in ſecũdo de Aſia: Mihi, inquit, ita videtur, Atergatin reginam adeò intolerabilem fuiſſe, & duriter multa populis ſuis imperaſſe, vt etiam lege iuſſerit, ne piſcem aliquem comederẽt, ſed ad ſe afferrent, eò ſcilicet, quòd ipſa libenter ijs veſceretur: hinc quoque in ſacrificijs ſolenne hoc permanſit, vt quoties deam precarentur, piſces illi argenteos atque aureos offerrent. at ſacerdotes tota die piſces veros in menſa deæ paratos, coctoſque, tum aſſos, tum elixos apponere, quos ſacerdotes mox ipſi abſumerẽt. Xanthus autem Lydus ait, Atergatin à Mopſo quodam Lydo captam, ſimul cũ Ichthye filio in lacu Aſcalone contumeliæ cauſa ſummerſam, & à piſcibus deuoratam fuiſſe. Iuſtinus ex Trogo, Arathen quandam Syrorum deam fuiſſe ait, quę vxor Damaſci regis fuerit: niſi ſi literæ vitio (vt putat Hermolaus) permutatæ ſunt, pro Athara, quæ (vt docebimus) Atergatis fuit. Heſychius quoque videtur falli, niſi codex ſit mendoſus. nam ἀτταγάθην legit, pro ἀτάργατιν. at verò illud rectè ſubdit, quæ ἀθάρη dicitur à Xantho, cuius modò eſt facta mentio. Alij ſunt, vt eſt apud Lucianum de dea Syria, qui rem hanc in Semiramiden & Dercetò referunt, qua de re tota iam actum in Derceto. Strabo etiam Atergatẽ deam Syriam dixit, lib. opinor 15.

Aſtarte dea Sidoniorum, vel Syriorũ, Venus à multis exiſtimata. de ea ideo in Veneris cognominibus agemus, & ſimul de Aſtroarche. fuit & ζωάνας deus Sidoniorum neſcio quis, vt Heſychius ait.

Anaitis Venus, vel Diana, apud Perſas, cuius hiſtoria in Venere deſcribetur. Variè enim refertur. cum hac dea, dei à Perſis colebantur, Amanus & Anandatus, vt ſcribit Strabo in 11.

Adramus deus in tota colebatur Siciliæ inſula, cui Adranum ciuitas ſacra fuit, vt in Parallelis autor eſt Plutarchus.

Coniſalus deus Athenienſium peculiaris. Strabo his propè verbis: Priapum, inquit, Heſiodus non nouit, & Orthanæ & Coniſalo & Tychoni, & eiuſmodi Athenienſium deis perſimilis eſt. quibus verbis videmus & hunc, & Orthonã, & Tychona deorum nomina eſſe, qui obſcœni eſſent.

Cabrus deus Phaſelitarum, quæ vrbs Pamphyliæ fuit: Suidas etiam inſulam facit. huic deo Phaſelitæ rem ſacram faciebant de piſciculis ſale cõditis. vnde prouerbium

uerbium emanauit,ſacrificium Phaſelitarum,vt Suidas & Zenobius ſcribunt. quanquam Suidas nomen dei Calabrum pro Cabro legat,& Eraſmus Caprum.

Taraxippus deus cultus ab Eleis cuius ara erat in ſtadiodromo,& quem aurigæ colebant:eius enim numen eſſe putabatur,ne turbaret equos currentes, vt vox ipſa planè indicat.author Pauſanias in Eliacis,qui ſic fermè ſcribit:In eo,ad ipſum aggeris exitum ara eſt,figura rotunda.Ad eam deus colitur,quem Taraxippum,ab incutiendo equis pauore,nuncupant.Solent enim iniecto terrore, circa aram hanc equi tam vehementer conſternari,vt,incertum vnde coorta trepidatione ſæpe illiſis curribus affligantur aurigæ.Quò igitur æquo & propitio vtantur Taraxippo,ad eam aram aurigæ vota nuncupant. Variæ verò de hoc Deo ſententiæ à Pauſ.ſcribuntur.Nā ſunt,inquit,qui indigenæ hominis ſepulchrū illud eſſe dicant,præſtantis equos regendi ſcientia.Oleniū nomen ꝓdunt, à quo ſit in Eleorū finib.Olenium ſaxū appellatū.Alij Dameonem fuiſſe,qui in Augean expeditionis Herculi ſocius,à Creato Actoris filio, vnà cū equo, quo vehebatur,ſit interfectus.Ab Eleis eo in loco & ipſi & equo inanis habitum ſepulchri honorē.Non deſunt,qui hoc inane monimentum Heroicum,illud ipſū eſſe autument,quod Mirtylo Pelops poſuerit,cum à ſe perempto parentaret,ꝗ eius iram placaret.Taraxippum verò vocaſſe,quòd Mirtyli dolo Oenomai equæ conſternatæ fuerint.Pleriq; etiā Oenomaum illū eſſe dictitant,qui in curuli certamine equos & aurigas illo exagitet pauore.Audiui etiam,qui Porthaonis filiū Alcathoum eſſe dicerent:qui cum inter procos Hippodamiæ ab Oenomao fuiſſet occiſus,& eo ipſo in loco humatus,iniuriæ ſuæ,quā in ipſo curriculo paſſus eſſet,atrox & infeſtus vindex obequitantib.exoriat̃.At Aegyptius quidam Pelopē aiebat,acceptū neſcio quid ab Amphione eo in loco defodiſſe, cuius arcana vi conterriti fuiſſent Oenomai equi,& omnes deinde equi eodē afficerent modo.& cenſebat ille quidē Amphionē & Orpheū(etſi Thrax diceretur) Aegyptios fuiſſe.Propterea verò alteri feras allicere,alteri verò ſaxa ad muros extruendos mouere attributū ꝙ vterq; magorū ſciētia excellerent.Mea verò ſententia eorū eſt maximè ꝓbabilis oratio, qui Taraxippū cognomen eſſe dicunt Neptuni equeſtris.Eſt et̃ in Iſthmo Taraxippus, ꝗ Glaucus fuit, Siſyphi filius, ab equab.diſcerptus ludis funebribus,quos patri ſuo fecit Acaſtus.In Argiuorū Nemea nullus omnino eſt herois genius,qui equis Pauorē immittat. Saxum tātū eminet in ipſo curriculi flexu.colore rutilo:cuius fulgore cōcitant̃ eq haud aliter multo,quàm ſi immiſſis ignib. iniecta eſſet trepidatio.Sed ꝗ ab olympico exiſtit Taraxippo,lōgè eſt acerrim9 terror.Et hacten9 Pauſ.ex verbis Romuli.

Tanais dea colebatur ab Armeniis,de qua Strabo in libri vndecimi calce:Tēpla,ait,ferè omnia habent,quæ Perſæ:ſed Tanaidis præcipuè in vrbe Acileſina, vbi ſeruos ſeruaſq; dedicant.quod ideo minus mirum ipſi Straboni videtur, ꝙ nobiliſſimi etiam filias ei dedicarent:quibus lex erat,vt diu apud deam proſtitutæ eſſent,donec nuptui darentur,nullo renuente talibus coniungi.Eſt & Tanais fluuij notiſſimum nomen.

Σωσίπολις dæmon,ſeu genius,cultus fuit ab Eleis,ꝙ vrbem ab Arcadibus ſeruauerit:vnde illi nomē.Pauſ.in Eliacis alteris.nam cum bellū eſſet inter Eleos & Arcadas,& Eleos Arcades vrgerent,fortè accidit imminentibus Arcadibus, mulier cū infante ſe Eleis obtulit,ſeq; monitā ait,vt eis cū infante,quem ſinu gerebat,opē ferret:eiſq; puerulū exhibuit,quē illi prima campi parte depoſuere.irruentib.verò Arcadibus,eis viſus is nō puerulus,ſed ſerpens.qui territi,retrò cedere cœperūt.Inſequentes verò Elei Arcadas fuderunt,& victoria potiti ſunt. hinc pòſt ab Eleis templū excitatū eſt,vbi ſeſe ſerpens viſus eſt recipere,& deus ab euentu liberatæ vrbis Soſipolis deus vocatus eſt.Sed & ibidē Ilithyiæ ara erecta eſt,ceu ab ipſa Soſipolis eſſet productus,quem puerili ſpecie effingebāt, chlamyde ſtellata indutum,& manu altera continens Cornucopiæ, quale ſcilicet Fortuna geſtare ſolet.Soſipoli rem diuinam eius templi antiſtes faciebāt,ca

put & faciem albo obtecta velamine,ſoláq; ipſa templi adytum ingrediebatur. Huic deniq; deo maxima omnia ſua negocia deferebant,maximúmq; eis iuſiurandum erat.Porrò de Ioue Soſipoli nũcupato,Strab.lib.14.& ipſe in Ioue agã.

Erechtheus rex cultus ab Athenienſibus,vnde & Erechtidæ ipſi vocati.Erechthei etiam filiæ in numero deorum habitæ,vt M.Cicero ſcribit.Fuit verò Erechtheus Aegyptius genere,qui ſacra myſteria & opertanea Atticos docuit,quę Eleuſinia dicta ſunt,tranſlata quidem ex Aegypto.hic quidem Proſerpinæ filias immolaſſe dictus eſt,pro Athenarum ſalute:qua cauſa pro deis & ipſæ habitæ ſunt.Eudanemi ara Athenis etiam fuit in Ceramico,& vt ait Arrianus in tertio Hiſt.quiſq; initiatus in Eleuſinijs,in Hecatompedo ſita nouit.

Canopus deus cultus ab Aegyptijs,cuius originem Suidas,& Ruffinus lib. 11.Eccleſiaſticæ hiſtoriæ commemorant.Ferunt enim,quòd Chaldæi per varias orbis regiones ignem ſuum circumferebant, & cum omnium nationum deis contendebant,vt qui deus viciſſet,ab omnibus crederetur. quare cùm dei qui ex ære,auro,argento,ligno,vel alia quauis materia cõſtabant,igne omnino abſumerentur:Chaldæorum deus locis omnibus præſtabat.hæc cùm Canopi ſacerdos audiſſet,quiddam contra ignem callidum excogitauit.Solebant in Aegypto fictilia vaſa quædam fieri, quæ hydriæ vulgò appellantur, minimis quibuſdam foraminibus pertuſæ,quibus turbida aqua limpidiſſima & defecatiſſima effluit.harum ille vnam cæra foraminibus obturatis cepit, varijs coloribus vndiq; depictam,aqua repletam,ac vt deum ſtatuit:& excidens veteris ſimulachri caput,quod Menelai gubernatoris ferebatur,imponens diligenter ſimulachro aptauit.adſunt poſthæc Chaldæi,itur in conflictum, circa hydriam ignis accenditur,cæra diſſoluitur,qua foramina erant obturata:diffluente aqua,ignis extinctus eſt.aſtu igitur ſacerdotis Canopus deus victor dei Chaldæorum euaſit,& ex eo deus cultus eſt,centúmq; & vno ſtadio diſtat à Canopo.Addit præterea Ruffinus & ipſius Canopi ſimulachrum,quod tale fuit: pedibus exiguis, attracto collo,& quaſi ſugillato,ventre tumido in modum hydriæ, cum dorſo æqualiter tereti.ex hac perſuaſione,velut victor deus omniũ colebatur ab Aegyptijs.Sed de Canabo Menelai gubernatore,qui,& quo pacto perierit, vulgatius eſt,quàm vt nunc plura ſcribam:déq; Nili hoſtio.

Palmytius etiam Aegyptiorum deus,vt eſt apud Heſychium.

Alabandus deus,quem Alabandij coluerunt.Stephanus:Alabandum, inqt, Callirrhoes filium dicũt,qui ab equeſtri pugna nomen adeptus eſt.Alam quippe Cares equum appellant,Banda verò victoriam:ex quo vocatus Alabandus, & Alabanda Cariæ ciuitas.Alabandum,ait M.Cicero, Alabandenſes ſanctius colunt,à quo eſt vrbs illa condita,quàm quenquam nobilium deorum.apud quos nõ inurbanè Stratonicus,vt multa,cùm quidam ei moleſtus Alabandum deum confirmaret,Herculem negaret:Ergo,inquit,mihi Alabandus,tibi Hercules ſit iratus.Hic autem Stratonicus citharœdus fuit perurbanus, cuius & Strabo & Euſtathius in Dionyſij commentarijs meminerunt,cùm de Caunijs agitur, peſtilenti aere notatis.

Tenes deus Tenediorum,Cicerone teſte:qui Verrem ſcribit,Tenem ipſum, qui apud Tenedios ſanctiſſimus deus habebatur,& vrbem illam condidiſſe dictus eſt,ſurripuiſſe.Tenes verò,à quo dicta eſt Tenedos, Cycni filius, qui vita functus inter deos relatus eſt.Plutarchus verò in cauſis Græcorum aliam hiſtoriam ſcribit:aitq; Tenem ipſum occiſum ab Achille.atque ideo inſtitutum, vt in Tenis templo nomen Achillis non audiretur,nec tibicen intraret:quod copioſius idem Plutarch.recitat.Strabo lib.13.putat fabulam:In hac,inquit, de Tene conficta fabula narratur, à quo inſula nominata eſt:& de Cycno, qui genere Thrax fuit,& Tenis pater,vt quidam volunt.Plura leges inter prouerbia Eraſmi,Τενέδιος ἄνθρωπος:vt Seruium mittam.

Coronis quæ dea eſſet,non explicuit Pauſan.tantùm illud ſcripſit,deam Co-

ronida

ronida in Sicyonia cultam fuiſſe, cuius ſtatua nullum habebat templum: ſed cùm eſſet ei ſacrificandi tempus, ipſam in Palladis templum deferre ſoliti erant. Nam de Coronide Aeſculapij matre non crediderim, quæ narratur duplex in Metamorph. Ouidij.

Theagenes à Thaſijs, & Cleomedes ab Aſtypalæis, athletæ pro deis culti fuêre, de quibus extant oracula apud Plutarchum, & Euſebium, & hiſtoriæ à Pauſania in Eliacis referuntur.

Damia & Auxeſia deæ fuerunt, quas peculiari religione Epidaurij coluerũt, de quibus legimus in quinto libro Herodoti, quòd cùm infructuoſa eſſet Epidaurus, in calamitate ciues Delphicum oraculum conſuluerunt. quibus Pythia reſpondit, eis tum demum bene futurum, ſi Damiæ & Auxeſiæ ſimulachra erigerent. petentibus ciuibus, Vtrúmne ex ære aut ex lapide facienda? reſponſum, E neutro, fuit, ſed ex oleagino ligno. at cùm vix vſquam gentium ea tempeſtate oleæ, præterquàm Athenis, inuenirentur, Epidaurij rogarunt Athenienſes, vt fas ſibi eſſet oleam ex eorum agro incidere. ea lege Athenienſes permiſere, ſi quotannis illi Mineruæ Poliadi & Erechtheo ſacra dona mitterent: quæ cùm perfecta fuiſſent, & Epidauria tellus fructifera, ac ſacra quotannis reddita: & cætera, quæ multa ſcribit Herodotus. Pauſan. tamen in Corinth. ait, λιθοβολίας appellatum feſtum, quod in earum dearum fieret celebritate. Nam hæ in Trœzeniorum ſeditione lapidatæ fuerunt. Illud mirum, quod apud Pauſaniam, nõ Damiam, ſed Lamiam legi: nec id à quoquam annotatum.

Drimachus dux fugitiuorum, à Chijs vt deus cultus: hic ſenex puero ſe iugulandum dedit: ſepultus à Chijs, ſacello erecto. In ſomnis ſæpe de fugitiuis Chios monuit. herois propitij fanum quidam dixerunt. Athenæus.

Amphiaraus, Argiuus vates, pro deo cultus poſt mortem, qui & oracula reddebat per ſomnum. nam poſt purgationem, & perfectis ſacrificijs ijs deis quorum in ara nomina ſculpta fuerant, & mactato ariete cuius pellis ſubſternebatur, vbi incubantes captabant ſomnia, ex quibus interpretatis futura prænoſcebant, Templum Amphiarao Oropij conſtruxerunt ex marmore cãdido, in quo nulli Thebano fas erat obdormire, aut vaticinari. Fuit in eo fons, ad quem qui accepto oraculo morbo leuati fuerant, ſignatam pecuniam mittere ſolebant: vt pluribus in Attica Pauſan. docet. Deſcribitur & Amphiarai ara apud Oropios, in hunc fermè modum, vt quinq; partes haberet. prima pars Ioui, Herculi, Apollini Pæoni dicata fuit: altera heroibus, ac heroum vxoribus: tertia Veſtæ, Mercurio, Amphiarao, Amphilochiq; liberis (nam Alcmæoni ob ſcelus in matrem, locus inter eos datus non fuit:) quarta Veneri, Panaceæ, Iaſio, Hygiæ, Mineruæ Pæoniæ: quinta Nymphis, Pani, & amnibus Acheloo & Cephiſo. Plura verò ſi de Amphiarao cupis, leges apud Statium in Thebaide. Et de Celſo philoſopho apud Origenem in tertia. Exinde non ſecus nos facere, qui comprehenſum & mortuum colimus, pro eius ſententia Celſus exiſtimat, ac Gethæ faciunt, qui Zamolxin adorant & colũt, & Cilices qui Mopſum, & Acarnanes qui Amphilochum, & Amphiaraum Thebani, & Lebadij Trophonium.

Amphilochus in Oropo Atticæ pro deo vates cultus, vt T. Liuius in quinto libro Decad. 5. ſcribit. Templúmq; vetuſtum fontibus riuiſq; habuit, ad quod viſendum Paulus Aemylius victor prodijt. meminit & Strabo, & Pauſan. qui & eius aram Athenis deſcribit. Item in Mallo Ciliciæ vrbe, cuius oraculum Pauſan. ſua ipſius ætate cætera omnia ait ſuperare. Thucydides lib. 2. Hiſt. Amphilochum ſcribit Amphiarai filium, poſt bellum Troianum cùm domum reuerſus eſſet, Argos exoſum domicilium, condidiſſe in ſinu Ambraciota vrbem, quam de nomine primæ vrbis & ſuo Argos Amphilochium appellauit.

Ogoas nomen dei apud Caras, qui Milaſan incolebant, in cuius dei templo maris fluctus, & procella apparebat, & perinde terrorẽ incutiebat. Hoc ex collectis ex Pauſan. Leonici. Idem legi fieri in nonnullis Neptuni templis.

Ariſtæus Apollinis & Cyrenes Hypſei filiæ filius, Autuchi frater, vt in ſecundo commentariorum Apollonij Rhodij legimus. Autuchus quidem in Lybia, Ariſtæus verò in Cea inſula mellificij artificiũ primus inuenit, oleiq́; confectionem. addunt & alij paſtoritiam artem, vt pluribus in Pyth. oſtendit Pindarus, & longè pluribus illius commentatores. nam & Iupiter Ariſtæus vocatus fuit, & Apollo ἀγρεὺς & νόμιος, id eſt Agreſtis & Paſtoralis. Diodorus verò Siculus: Cùm Cyrene, inquit, Hypſei filia apud Peleum virgo educaretur, Apollo eius forma captus, raptam virginem in Libyam detulit, hic vbi condita pòſt eſt vrbs Cyrene, & ex ea natum Ariſtæum nymphis nutriendum tradidit: à quibus triplici nomine vocatus, Nomius, Ariſtæus, Agreus, ab eiſdẽ nymphis didicit lactis, mellis & olei confectionem: & quoniam hæc primus in mortalium vſum exhibuit, vt deus cultus fuit. mox in Bœotiam deueniens, Autonoen vxorem duxit, ex quibus natus Actæon: qui laceratus à canibus, miſer interijt. Deinde in Ceam Ariſtæus profectus, peſtilentiam ſedauit. deinde in Sardiniam cùm iuiſſet, eam inſulam aliquandiu incoluit, & ibi filios Carinum & Callicarpum genuit. in Sicilia quoq; aliquo tempore moratus, cùm multa hominum vitæ vtilia docuiſſet, pro deo habitus, in Thraciam ad Dionyſium trãſgreſſus eſt: vbi orgia edoctus, diu ibi verſatus, tandem non comparuit, deorumq́; honores ab omnibus eſt aſſecutus. hæc & plura Diodorus. Sedenim Pindarus in Pyth. Cyrenem puellam, vt antè dixi, ait ex Apolline cõcepiſſe, & Ariſtæum peperiſſe. quo loco Scholiaſtes, & ipſe quoq; tradit, Iouem & Apollinem Ariſtæum nominatos, & vtrunque ἀγρέα & νόμιον. quam rem cùm Probus grammaticus in Georg. Vergilij attingat, in vulgatis codicibus eius perperàm Aegoros legitur, pro Agreus: id quod etiam in Ioue Icmæo oſtendemus. Iuſtinus ex Trogo libro 13. vbi Cyrenes hiſtoriam explicat, quatuor ex Cyrene filios Apollinem ſuſtuliſſe prodit, Ariſtæum, Nomium, Eutochum, Agreum. Pherecydes verò & Aræthus tradunt, puellam ipſam Cyrenam cycnis deuectã in Libyam. At verò Agrætas libro primo Libycorum, illam in Cretam Apollinem deduxiſſe, & inde in Libyam. Soror quidem Cyrenes Lariſſa, cuius cognominis eſt ciuitas in Theſſalia. Alij produnt Cyrenem filiam fuiſſe Penei fluuij: ſed ij malè ſentiunt. nam apud ipſum quidem fluuium greges pauit, non autem eius filia. Mnaſeas ex propria ſententia in Libyam profectam eſſe ait, non ab Apolline deuectam. Sedenim Aceſtor, in ijs quos de Cyrene libros ſcripſit, ait Cyrenem in Libyam delatam tempore regis Eurypyli: & cùm eam regionem leo vaſtaret, præmium Eurypylum propoſuiſſe interfectori leonis. Cyrenem leonem ſuſtuliſſe, & regnum cepiſſe. Phylarchus autem ait, ipſam cum pluribus in Libyam veniſſe, comitesq́; in venationem miſiſſe, & vnà cum eis iuiſſe, & ibi leonem interfectum, regnumq́; ea cauſa accepiſſe: duósq́; filios ex Apolline peperiſſe, Autuchum & Ariſtæum. Sunt porrò qui Ariſtæos quatuor fuiſſe tradant, vt Bacchylides: qui primum quidem Caryſti, alterum autem Cheronis, tertium Terræ & Cœli, & vltimum hunc Cyrenes filium prodidit. De Ariſtæo Vergil. in 1. Georg. intellexit, cùm cecinit:

Et cultor nemorum, cui pinguia Ceæ
Tercentum niuei tondent dumeta iuuenci.

Quod & Probus & Seruius notant. Sed & ab hac Ariſtæi hiſtoria, idem poeta vltimam Georgicorum partem commentus eſt.

Zamolxis deus cultus à Getis, quibus & leges tulit, vt in quarto Herodotus prodit: nonnulli opinantur eundem eſſe qui Beleizen. Fuit verò Zamolxis Pythagoræ diſcipulus, qui in patriam reuerſus, Thraces Ionicos mores docuit, & vitæ inſtituta, religionémq́;. de quo quoniam plura ſcripſimus in noſtris Sepulchralib. ideo hîc parcius retulimus. Fuit & per tempora Auguſti Ceneus quidã Geta, qui cùm magicis artib. deditus eſſet, diúq́; inter Aegyptios verſatus, augoriorum peritiã eſt adeptus: hinc deorũ oracula enunciabat, ideo breui in deorum numerum relatus, pro deo habitus vt Zamolxis: quod ſcribit Strab. in 7.

Heliogabalus deus peregrinus fuit in primis Phœnicũ,cuius Baſſianus Antoninus,cognominatus Heliogabalus Imp.in mõte Palatino Romæ templum conſtruxit,quo loco prius Orci ædes fuerat,in quo non modò Romanorum ſacra,ſed & Iudæorum & Chriſtianorum etiam transferre ſtudioſe curauit, vt autor eſt Lampridius.Plura Herodianus lib.Hiſt.5.qui & hoc ſcribit: Et quidem, inquit,Baſſianus annos natus erat circiter 14. Alexianus autem decimum iam annum attigerat:ſacerdotes ambo Solis,quem maximè indigenæ colunt, Phœnicum lingua Heliogabalum vocitantes:templúmq; illi maximum conſtructũ habent,auro argentóq; plurimo,ac lapidum eleganti magnificentia exornatũ: nec ſolùm indigenæ deum illum venerantur,ſed vicini quoq; ſatrapæ,regéſque Barbari certatim quotannis ſplendida offerunt munera.Simulachrum verò nullum Græco aut Romano more manufactum,ad eius dei ſimilitudinem: ſed lapis eſt maximus,ab imo rotundus,& ſenſim faſtigiatus, propémodum ad coni figuram:niger lapidi color,quem & iactant cœlitùs decidiſſe.eminent in lapide quædam,formæq; nonnullæ viſuntur,ac ſolis imaginem eſſe illam affirmant,minimè humano artificio fabrefactam.atq; hæc quidém de Heliogabalo deo. Cui deo Romæ quoq; Baſſianus,qui & Antoninus Heliogabalus,vt dictum eſt, tẽplum in Palatio conſtruxit, vt paulò pòſt idem ſcriptor Herodianus oſtendit. Sanè inter eruditos meritò pridem connumeratus Egnatius,Lunum Heliogabalum hunc deum his verbis exiſtimauit:De Luno deo, quem Heliogabalum Phœnicum lingua dicerent.

Crephagenetus,κρηφαγένητος,deus Thebæorum in Aegypto, qui immortalis colebatur.ſoli enim,teſte Plutarcho,nullum deum mortalem venerabantur.

Theleſphorus quoq; vt deus à Pergamenis cultus fuit,ex oraculo ſic nuncupatus:quem vt Pauſan.ait,Epidaurij Aceſion vocabant,Sicyonij Euameriona. non deſunt qui Teleſphorum vatem interpretentur perfectum.aut engaſtrimython,id eſt ventriloquum.de quo genere vatum alibi plura locuturi ſumus,cùm de Pythio Apolline ſcribemus.

Sangus,Sabinorum deus:Dionyſ.Alicarn.lib.2.ait, Portium Catonem ſcriptum reliquiſſe,Sabinorum gẽtem eſſe nominatam à Sabino,filio Sangi dei gẽtilis,qui etiam dictus eſt Piſtius.Sagi genij ſacellum vrbis ſeptima regione ſtatuit P. Victor.Lactantius verò:Sabini,ait,colunt Sangum, vt Romani Quirinum.Quædam Lactantij exemplaria Sancum,non Sangum habent.Sanci meminit Feſtus:Propter viam fit ſacrificium,quod eſt proficiſcendi gratia Herculi:aut Sanco,qui ſcilicet idem eſt deus.quidam non Sangum, nec Sancum legunt,ſed Sanctum,quòd ita Hercules ſit vocatus:vt in Hercule dicam.Ouid.de Fidio deo:

Quærebam nonas Sancto,Fidióne referrem,
An tibi ſemipater,tunc mihi Sanctus ait:
Cuicunq; ex illis dederis,ego numen habebo,
Nomina terna fero,ſic voluêre Cures.

Quo fit,vt non omnino illi male ſenſiſſe videantur,qui Sabinorum deũ ſanctum dixerunt.Propertius:

Sancte pater ſalue,cui iam fauet aſpera Iuno. Idem:
Sic ſanctum Tatiæ compoſuere Cures. Silius:
Et læti pars Sanctum voce canebant, • *Autorem gentis.*

Sed de Sancto in Hercule.nunc Sancum proſequamur,cuius Martianus nec ſemel meminit,à quo deo ſancire verbum,& ſagmina quidam deducunt. Dionyſ.Alicarn.libro quarto,cùm Tarquinius ſancit pacta cum Sabinis:Huius autem,ait,iuſiurandi monumẽtum Romæ poſitum fuit in templo Iouis Piſtij, quẽ Romani Sanctum vocant(ſic Lapus interpretatur)Sanctos enim deos ab antiquis vocatos legimus,vt planius in Hercule oſtendemus.Sed ſi multorũ recitandæ ſunt opiniones,& lectiões variæ,Lactãtij ex libro primo,verba quidã ita

 legunt:

legunt:Sabini colunt Sabum,vt Romani Quirinum.Sunt & alij peruetuſti codices,qui nec Sabū,nec Sangū,nec Sancū,nec Sanctum,ſed Xanthum habeāt, quo pacto & D.Auguſtin.lib.18.de Ciuit.Dei,cuius verba ex capite decimonono,ita paſſim leguntur:Sabini etiam regem ſuum primum Xanthum, ſiue (vt aliqui appellant)Xanthium retulerunt in deos.hæc D.Auguſtinus. quem Lactantij verba imitatum videmus,vel Varronis vtrunq; potius.Ego nihil ſtatuo in tanta varietate:ſatis feciſſe ratus,aliorum recitaſſe opiniones.Certè circumfertur M.Portij Catonis Originum fragmentum,in quo ita legitur:Sabini à Sabô conditi,Sabatio Sangi gentili edito.& paulò pòſt:Sangi gentilem Sabi pronūciant Sabini, Sanctum Romani, Sagam barbari, à quo & ſagi primi Thuſci,id eſt pontifices,& ſacri expiatores.quæ ſi Catonis legitima hæc ſint,omnis tollitur fermè ambiguitas.His & Silius libro Punicorum conſentit,ita canens,

—— Et læti pars Sanctum voce canebant
Autorem gentis,pars laudes ore ferebant
Sabe tuas,qui de patrio cognomine primus
Dixiſti populos magna ditione Sabinos.

Quirinus Romulus,deus peculiaris Romanorum,vnde Romani ipſi Quirites appellati. Sic verò vocatus,ſiue quòd haſta Quiris priſcis Sabinorum lingua dicebatur:ſiue quòd Romanis iunxerat ille Cures:Siue ſuo regi nomen poſuére Quirites,Multaq; Romulea bella parata manu: vt canit Ouid.Non deſūt tamen,qui Quirinum vocatum dicant,quaſi κοίρανον,id eſt dominum.Romulus autem Romus prius,vt ait Seruius,nuncupatus:vt autem pro Romo Romulus diceretur,blandimēti gratia factum eſt,quod diminutione gaudet.Vt verò putatur,dictus à ficu Ruminali. Alij, quòd lupæ ruma,id eſt mamma nutritus. quem credibile eſt à virium magnitudine,item fratrem eius,appellatos. Alij dicunt à virtute,id eſt robore: Feſtus.Sed de Romulo quid nos plura?cùm plena de eo ſint volumina Dionyſij,Plutarchi,Liuij, cæterorum. Romulus item Altellus dictus eſt,quaſi altus in tellure:vel quòd tellurem ſuam aleret, ſiue quòd aleretur telis:vel quod à Tatio Sabinorum rege poſtulatus ſit in colloquio pacis,& alternis vicibus & audierit & locutus ſit,ita vt ab alterno Altellus dictus ſit.Plura Feſtus.Iubam quoq; regem Mauritaniæ in Africa deum factum & exiſtimatum à Mauris legimus.quod cùm alij tradūt,tum ſcribit Tertullianus in Apologet.& Arnobius his verbis in vltimo:Niſi fortè,inquit,poſt mortem fingitis deos,& peierante Proculo deus Romulus,& Iuba Mauris volētibus deus eſt,& diui cæteri reges,qui conſecrantur non ad fidem numinis, ſed ad honorē emeritæ poteſtatis.

Tages deus habitus apud Hetruſcos,haruſpicinæ inuentor, vt Lucanus, & Val.Max.ac M.Cicero in lib.de Diuinatione oſtendunt.In agro enim Tarquinienſi,cùm terra ipſa paulùm araretur,ſulciq; altiores imprimerentur, Tages q̄dam repentè extitit,qui aratorem ipſum affatus dicitur.is autem Tages puerili effigie apparuit, etſi prudentia quidem ſenili fuit.verùm cùm ad eius aſpectum bubulcus obſtupeſceret, voce territa vt fit maximè inclamauit:quo euenit vt breui tempore magnò quidem concurſu permulti ex Hetruria ibidem conuenerint.tum Tages idem multis audientibus complura locutus eſt,quæ diligenti cura excepta ſunt,ac literis commendata.neq; aliud Tagetis verba continebant,quàm aruſpicinæ diſciplinam:quę multis ſubinde obſeruationibus aucta, atq; amplior facta eſt,ſic vt in ea fulminum,fulgurúmq; & oſtentorum ſcientia traderetur.quod & Plutarchus alibi,& Iſidorus,alijq́ue plures explicant. ſed & Ammianus Marcellinus Tagetis in hiſtorijs libros citat,quibus prodigia quędam ac portenta poſſent interpretari,& expiari.Scribit præterea Fulgētius Placiades,Antiſtium Labeonem,virum in iure pontificio & veterum doctrina reliqua eruditiſſimum,libros Tagetis expoſuiſſe quindecim voluminibus. Ouid. lib.15.Metamorph.de Tagete ita cecinit:

Haud

Haud aliter ſtupuit, quàm cùm Tyrrhenus arator
Fatalem glebam motis aſpexit in aruis,
Sponte ſua primùm, nulloq; agitante moueri,
Sumere mox hominis, terræq; amittere formam,
Oraq; venturis aperire recentia fatis:
Indigenæ dixere Tagem, qui primus Hetruſcam
Edocuit gentem, caſusq; aperire futuros.

Feſtus: Tages nomine, Genij filius, nepos Iouis, puer dicitur diſciplinam aruſpicij dediſſe duodecim populis Hetruriæ. Meminit & Seruius, libro præſertim octauo Aeneid. his verbis: Sciendum, ſecundum Aruſpicinæ libros & ſacra Aruntia, quæ Tages compoſuiſſe dicitur, fata differri poſſe. Quare videndum apud Arnobium l. b. 2. an Acherontios libros, an Aruncios potius ſit legendum, cùm ſcribit: Neq; quod Hetruria libris in Acheronticis pollicetur, certorum animalium ſanguine numinibus certis dato diuinas animas fieri, & à legibus mortalitatis educi.

Albunea dea fuit Tyburtinæ regionis, præſes fontis cognominis. alij nympham faciũt, vt Acron & Porphyrion Horatiani interpretes, in eo verſiculo ex primo Carminum: Quam domus Albuneæ reſonantis. Vergilius in 7. Lucusq; ſub alta Conſulit Albunea, nemorum quæ maxima. Huius inter Sibyllas memini, lib. 2. Hiſtor. poetarum. Scribit Seruius, Albuneam in altiſſimis mõtibus cultam Tyburtinis, ſic appellatam à qualitate aquæ, quæ in fonte Albuneæ eſt. vnde, inquit, etiam nonnulli ipſam Leucotheam volunt. Albionarum verò lucus trans Tyberim, vbi alba bos mactabatur.

Feronia dea, culta pleriſque in locis Italiæ, ſed in primis prope Terracinam: quæ quoniam reputata eſt à multis Iuno, ideo à me inter Iunonis cognomina referetur.

Marica dea Minturnenſium: Aur. Auguſtinus 2. de Ciuit. Dei, cap. 23. meminêre Cicero, Lactant. & Plutarch. in Mario. Seruius in 7. Aeneid. commentario, deam dicit Maricam littoris Minturnẽſium, iuxta Lirim fluuium. Horatius: Innantem Maricæ littoribus tenuiſſe Lirim. quo loco idem Porphyrion, qui & eius lucum celebrat. Vergilius,

Hunc Fauno & nympha genitum Laurente Marica.

Seruius per poeticam licentiam dictum ait Laurente, pro Minturnenſe. Sũt alij, qui per Maricam Venerem intelligant, cuius ſacellum fuit iuxta Maricam, in quo erat ſcriptum νηὸς ἀφροδίτης. Maricæ meminit & Velleius.

Palicus deus, quem perperàm, vt puto, quidam Paliſcum vocant, qui deus eſſet, doctiſſimè Macrobius oſtendit lib. 5. Sat. carmina illa Vergil. exponens ex lib. 9. Aeneid. de Arcentis filio:

——Genitor quem miſerat Arcens,
Eductum Martis luco Cymethia circum
Flumina, pinguis vbi placabilis ara Palici.

Sed enim hunc numero plurium efferunt. Colebantur verò hi dei in Sicilia, de quibus & Aeſchylus Siculus meminit, & Callias, & Polemõ, ſed & Xenagoras (quem Anagoram vocat Macrobius) in ſuis hiſtorijs. Tradũt enim, nymphã Thaliam grauidam Ioue, Iunonis metu optaſſe vt ſibi terra dehiſceret: quod & factum eſt. Statuto verò partus tempore, ex Thaliæ aluo duo infãtes emerſere, dicti Palici, ἀπὸ τοῦ πάλιν ἱκέσθαι, quaſi denuò reuerſi. nec inde longè lacus breues, ſed profundi fuère, vbi ſcaturigines ebullientes, quos crateres vocabant indigenæ, Dellos nomine. hos Palicorũ fratres putabãt: vbi fuit iuſiurãdũ maximũ, & in primis circa furta, quod periurus non euadebat. Ferunt, cùm aliquando ſterilis annus Siculis fuiſſet, Palicos cõſuluiſſe, vt heroi cuidam ſacrificiũ facerent: quod vbi feciſſent, vbertas Siculis rediit. qui beneficij memores, omne frugũ genus in

nus in ara Palicorum congeſſere:vnde etiam ex re Pinguis ara dicta eſt à Vergilio.Sedenim non Thaliam Seruius,& Lactan.in 12.Theb.ſed Aethnam appellarunt,vt etiam Silenus.& hos Seruius ait primò humanis victimis placari ſolitos:ſed poſtea quibuſdã ſacris mitigati,eorũ ſunt immutata ſacrificia.atq; ideo à Verg.Placabilis ara Palici dicta eſt.Sed & Stephan.in lib.de Vrbib.non pauca hac de re prodit,quo loco de fonte,iuſiurando,deq; tabellis quæ in aquam deijciebantur,quæ ſi non falſum fuiſſet iuramentum,emergebant:ſin minus,euaneſcebant.quod miraculum etiam Ariſt.in Admirandis naturæ recenſuit.

Antinous,ex Bithynia iuuenis formoſiſſimus,ab Adriano Cæſare admodum amatus,cùm in Aegypto perijſſet,deus eſt ab Imperatore factus, & oraculum ei conſtitutum,& vrbs de eius nomine pro ſepulchro condita, & ſtella in cœlo vel viſa,vel per adulationem conficta.De hoc plura Dion hiſtor. & Aelius in hiſtor.Adrian.ex noſtris Euſebius,Athanaſius,Hieronymus,Origenes,Prudẽtius,aliiq; permulta tradidêre.Pauſan.hunc Antinum vocare videtur, quem ſecuti ex Latinis quidam aberrarunt.

Ferentina dea fuit,vnde & Ferentini,ab oppido Latij Ferento.T.Liuius Ferentinæ meminit nec ſemel in prima Decade.Fuêre & eiuſmodi dei plurimi, q̃s omnes collegiſſe,infiniti prepémodum laboris eſſet.Sicuti & dei, qui ab hæreticis inducti ſunt,barbaris & inconditis nominibus:de quibus cùm ab alijs,tum maximè à viris ſanctiſſimis Irenæo & Epiphanio facta eſt mentio. vt deus ille Abraxas,ſeu Abraſax,quem ſpiritum ſanctum Baſilides exiſtimauit.item Iadalboth,quem Irenæus deum ſummum ab impijs hereticis exiſtimatum ait.tametſi Epiphanius Iadalbaoth,nec ſemel in ſuis de Hæreticis libris ſcriptum reliq̃t. Fuit etiam Nun,quem ab Iadalbaoth natum prodiderunt,in figura ſerpentis cõtortum.Fuit & Hyſtera,quam conditricem cœli & terræ cõfinxerunt, vt ijdem autores tradunt.Inuenio & Demiurgon deum fabricatorem appellatum. Fuit & Barbelo,& Achamoth,& Iao,& Iaioth,aliáq; huiuſcemodi plura portẽta potius,quàm nomina:quæ colligere ſuperuacaneũ eſt,minúſq; operæprecium.Nã & qui Aſtaroth deam vel deum dixerunt,variè ſcribunt.Ego id tantùm nunc affero,quod & huius mẽtio fit in ſacris literis,& ſic Epiphanius in libris de Hæreticis prodit.inquit enim,Heraclan ab aliquibus patrem vocatum eſſe Melchiſedec,matrem verò Aſtaroth,quæ & Aſteria Græcè dicta eſt.ſed de Aſteroth Hebræi plurima confingunt.Porrò de his hæreticorum deis,vel potius laruis confictis,addere voluiſſem non modò ex Irenæo & Epiphanio & Athanaſio: ſed & de noſtris latinis,Hieronymo,Auguſtino,Philagrio & alijs,longè plura connumerare potuiſſem.

Beſſas,ſiue Beſas deus,qui oracula quondam dabat,de quo his fermè verbis Ammianus lib.19.Oppidum,inquit,eſt Abidum,in Thebaidis parte ſitum extrema,hic Beſſæ dei localiter appellati oraculum quondam futura pandebat, priſcis circumiacentium regionum cærimonijs ſolitum coli,&c.Colunt Tartari pro deo,numen quoddam ab illis confictum,quod Natagai vocant:putantq́ue illud deum eſſe terræ,qui curam de ipſis,& filijs eorũ, de fructibus atq; gregib. pecorũ gerat.de quo & alia multa legunt in ijs libris qui de Nouo orbe inſcribũtur,nam & eius effigiem,& ſacra commemorãt, quæ breuitatis cauſa prætereo.

Libet verò hanc extremam huius Syntagmatis partem concludere,de ſtulto & prorſus inani priſcorum erga deos cultu,& falſa opinatione. Homines, qui antiquiſſimi fuerunt,haſtas colere cœpiſſe, aut ligna delibrata corticibus pro deis veneratos accepimus.quin etiam,vt Iuſtinus ſcribit,per tempora Romuli, reges haſtas pro diademate habuiſſe feruntur,quas Græci ſceptra dixêre. Nam & ab origine rerum pro deis immortalibus, veteres haſtas coluêre: ob cuius religionis memoriam adhuc, vt idem ait, deorum ſimulachris haſtæ addi conſueuêre.tametſi antiquiſſimos Romanorum 170.annis ſine deorum imaginibus vixiſſe,nõnulli doctiſſimi teſtati ſunt,quod & antè notauimus.Indi quic-

quid

quid colere cœperunt,præcipuè maximas arbores,deos putauerunt,illáſq; præ omnibus venerati ſunt,quas ferro violaſſe capitale fuit.Ex quibus nonnulli draconem quinq; iugerum,velut Liberi patris ſimulachrum coluerunt. Perſæ & Maſſagetæ Cœlum,Iouem:Solem verò deum maximum dixerunt, equóſq; illi ſacrauerunt:quibus interdictũ erat,ne quem præter Solem deũ colerent.Quicquid verò quernis arboribus naſcebatur,è cœlo miſſum putabãt.Iidem Soli & Lunæ,Telluri & Igni,aquæ ac ventis ſacrũ facere inſtituerunt: quos omnes deos,Ignẽ verò præcipuum duxerunt.quæ etiam Magorum opinio fuit, qui ignẽ tam religioſe coluerunt,vt cremare corpora ducerent nefas,ne contagio cadaueris deorum maximum violarent.Multos comperi perſuaſum habuiſſe, Martem peruigilem deum fuiſſe,& præſentiſſ.numen: quare Neuri,qui iuxta Boryſthenem fuere,enſes pro Martis ſimulachro adorabãt:& vt Damis ait apud Lucianum,Scythæ acinacen,cui & ſacrificabant. Cheronæi verò ſceptrum Iouis coluerunt,Aethiopes diem,Cyllenij pharetram,columbam Aſſyrij.fuere qui arbitrarentur viſco,quod in querna arbore naſcebatur,nullum præſentius numen æſtimari.hi verò fuerunt Druidæ,quorum vana ſuperſtitio inter mortales præcipua fuiſſe traditur.Alij mari porrectum collem,velut præſentem deum coluerunt, quòd eo occluſa vallis,æſtu Oceani non inundaret.Cappadocibus quoq; mons deus habitus eſt,Cilices quoq; Amanum montem coluêre, & Phryges Mæandro & Marſyæ fluuijs ſacrificabant.Saxones columnam ligneam ſub dio collocatam colebant,quam Irminſul,vel Irmenſeul dicebant:fuit enim vel Mercurij ſtatua,vel cõmune profugiũ,& omniũ aſylũ.Scythæ illi inhoſpitales, qui in intimas ſolitudines acti ſunt,ſuper ſarmentorũ faſcib.vetuſtiſſimo collato acinaci,velut Martis ſimulachro,annuis hoſtijs litabant.Apud Aethiopes gens (Nubas quidam vocant)& in Africa Ptoembari fuere,quibus regis vice canis dominabatur,quẽ mirificè obſeruabant.ex illius enim motu & nutu imperia,& quæ eſſent placita augurabantur.Perſis quoq; (vt autor eſt Ariſtophanes) aliquando gallus præfuit,& imperauit.Sed & illud à Tyrijs obſeruatum legimus, vt deorũ ſimulachris annecterent vincula,ne fortè hoſtili carmine euocari poſſent.Phœnices Solem nigro lapide effingebant,ab imo rotundo, qui paulatim in cuneum attenuabatur.Iidem ſingulis deis ſingulas alas addebant.Pæones diſcum breuem longo ligno appoſitum,pro Sole colebant.quidam humana cum brutis iungebant,& quæ in natura diſſimilia erant,vt ait D. Athanaſius, deos ſuos fecerunt:Cynocephalos,Ophyocephalos, Onocephalos, Criocephalos: hoc eſt,qui canis,ſerpentis,aſini,& arietis eſſent capitibus. alij corporis partes verendas.nec Anubin modò canis facie,ſed & canes ipſos in tota Cynopolitana præfectura coluêre:vti oxyrrhynchum piſcem,deum habuit Oxyrrhynchitana ciuitas & præfectura,latum piſcem,& lepidotum,accipitrem,lupum,murem,araneum.Fuere prætereà,qui vicatim pro deo dextrum humerum colerẽt: alijs è regione habitantibus,ſiniſter humerus deus fuit: alijs dimidia pars capitis, alijs poculũ fictile,aut tryblĩo,vel catinus,vt apud Lucianũ Damis.ne nũc commemorem hortenſia etiam culta,porrum,cepe,aliaq́ue eiuſmodi.Pœni,Soli & Lunæ vniuerſi ſacrificabant.Syri occæcatis animis,piſces & columbas deos ſibi conſecrarunt.Troglodytæ teſtudines,Heliopolitani bouem, Memphitæ vaccam,Leontopolitani leonem,capram & hircum Mendeſij, Thebani aquilam.Lycopolitani lupum,Babylonij verò cephum, ab his veluti propicio numine petita accipere arbitrantes.Cyrenaici Acorem,magnum deum muſcarum exiſtimarunt.Arabes ad Memnonium,cercopithecum cœlo dicarunt, illius opem in rebus afflictis implorantes.Mitto reliquam Aegyptiorũ ſuperſtitionẽ,& falſarũ opinionũ ineptias,qui Apim præcipuo honore venerati,ſolum reſponſa dare,& proſperos euentus aut futuras calamitates præmonſtrare fabulabantur: modò Iſim, modò Oſiridem, modò Serapin: & quod dicere piget, crocodilos,à quibus hominem deuorari,tanquam à deo expetitum, magni mu

neris ha-

neris habebatur loco:modò ichneumones,ibes,& fœda animalia,aliáque ludibria religionum,velut deorum numina colentes:ita vt gentes aliquas quæ felē auream,& alias quæ ſcarabeos pro deis habuerunt,circa Syenē fuiſſe legamus. Germani Solem, Vulcanum,& Lunam,ſolos deos quos cernebāt, opinati ſūt: quæ Anaximandri opinio fuit,vt cœleſtia ſidera deos eſſe crederet. Quinetiam Aegyptij Solis ſimulachrum diplomatibus conſignatis adorabant, quem Horum nuncupabant,illúdq; precibus & votis frequentabant aſſiduè.Arabes Iouem & Bacchum:Aethiopes ex deis vnum mortalem,alterum immortalem putabant,nonnulli Pœnam & Beneficium.Aſſyrij & Perſæ, vnum bonorum largitorem,alterum malorum:Callaici gens moribus effera,cultu inhumano & fero,neq; more,neque iure viuentes fuêre.Numidæ Ammonem in deſertis harenis,magnis honoribus frequentabant.Celtiberi cuipiam deo, cuius etiam nomen ignorabant,plena luna,nocturnum ſacrum facere,& ante cuiuſque fores ſaltibus indecoris pernoctabant.Addam & hoc loco Arnobij viri doctiſſ. verba,quæ licet parum caſtigata,cognitione tamen digna videntur.Ridetis, inqt, priſcis temporibus Perſas fluuios coluiſſe,informem Arabas lapidem, acinacē Scythiæ nationes,ramum Proconneſij * atheſpios;lignum carios pro Diana indolatum, Peſſinuntij ſilicem pro Matre deûm, pro Marte Romanos haſtam, Varronis vt indicant Muſæ:atque vt Ethedius memorat ante vſum diſciplināque fictorum,puteum Samios pro Iunone.hæc quidem Arnobius.At alij fuêre,qui nullos crederent eſſe deos:cęci illi & excordes,omniáq; agi fato,animaſque cum corporibus interire vnà.Inter hos Diagoras Melius, Theodorus Cyrenæus,Euhemerus Tegeates,Callimachus,ac Prodicus Ceus,aliíq; plures,qui ἄθεοι dicti ſunt.hæc ferè collegimus ipſi.

SYNTAGMA SECVNDVM, DE IOVE, BELO, AMMONE, &c. AD V. C. PROSPERVM PASETHVM.

CVM te,Proſper Paſethe,V.Cl.aliquo vellem noſtrorum horum de Deis gētium Syntagmatum donare,nullum mihi videbatur magis tibi conuenire,decentiusúe mitti debere, quàm hoc,quo de Ioue egimus.nam ſi illum veteres à iuuandis rebus, Latinè Iouem dici voluêre: & Græcè ζῆνα quòd vitæ autorem eſſe putarent:iurè & meritò tibi, qui imbecillam hanc meam valetudinem(quid enim vitam dicam?)foues,aſſiduéq; iuuas, hoc de Ioue Syntagma dicamus. quod eâ ſaltem ratione accipias, velim, vt tibi me memorem beneficiorum vtcunq; eſſe declarem. Vale.

IVPITER.

CVm ſuperiore libro,ſeu,vt magis appellare libuit,Syntagmate, qđ de Deo vno præpotenti & immortali ipſe ſentirem,breuiſſimè docuerim,mi Paſethe:déq; ipſius Dei nomine quę noſtri & Gręci Hebræiq́ue tradant,& an ſcribi poſſit,nõnulla attulerim:philoſophorum quoque antiquorum de deis opiniones,ſententiáſq;, déq; varijs deorum appellationibus multa collegerim:& miſcellaneos præterea deos, &,topicos,aliáq; plurima,vt mediocres ingenij vires tulerunt,ne imbecillis corporis dicam,quo continuè morbis articularibus ita affligor,vt non modò è cubiculo,ſed nec è cubili exire,aut pedem efferre detur:in hoc ſecūdo Syntagmate de Ioue agam,déq; eius imaginibus & cognominibus.Igitur ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, vt Aratus ait:quem noſter æmulatus Maro,Ab Ioue principium,dixit.ita & nos hoc Syntagma exordiemur ab Ioue,ſiquidem Iouem vniuerſitatis rectorem gētes exiſtimabant.Quinimò,vt Cornutus ait,ſicut anima corpus regit,ita Iupiter mundum.atq; ideo eum mundi ſapientes cùm vnum quidem putarent, plurib.

tamen nominibus cognominibúsq; appellabant. Iouem quippe Latini à iuuandis rebus vocabant: Græci ζῶα, quod vitæ auctorem eſſe putarent. Dictus item alijs pené infinitis cognominibus, quæ tibi hoc noſtro libro pro viribus & ingenij mediocris facultate explicabimus. Principio igitur de Ioue ſcripturus, M. Tullij Ciceronis verbis vtar, quæ in tertio de Nat. deorum leguntur: Ioues, inquit, tres numerant ij qui Theologi nominantur. ex quibus primum & ſecundum, natos in Arcadia, alterum patre Aethere, ex quo etiam Proſerpinam natam ferunt, & Liberum: alterum patre Cœlo, qui genuiſſe Mineruam dicitur, quam principem & inuentricem belli ferunt: tertium Cretenſem, Saturni filiũ, cuius in illa inſula ſepulchrum oſtenditur. & hæc quidem apud M. Tullium pontifex Cotta. Verumenimuerò, non tres tantùm Ioues, vt Cicero, Varrò, & à Varrone alij, ſed trecentos memorant: adeò in confingendis deis fœcunda fuit antiqua ſuperſtitio. Scribit enim Euſebius Cæſarienſis lib. Euang. præpar. III, nationes fermè omnes deum ſibi Iouem conſtituiſſe, diuerſe nominibus nuncupatum, eundémq; apud ſe natum dixiſſe: quod idem Phœnicum theologi tradunt, idem & Aegyptij, idem & Cretenſes, idem & Atlantes, quod & ante Euſebium oſtendit Diodorus Siculus. Sed his in præſentia omiſſis, præſtat verſus quoſdã Orphicos aſcribere, quos ex Apuleio, Proclo, & alijs collegimus. hos igitur ſic Latinè vertit Apuleius, quibus multiplicem Iouis poteſtatem declarat:

Iuppiter omnipotens, eſt primus & vltimus idem,
Iuppiter eſt caput, & medium: Iouis omnia munus,
Iuppiter eſt fundamen humi, ac ſtellantis olympi,
Iuppiter & mas eſt, & neſcia fœmina mortis.
Spiritus eſt cunctis validi vis Iuppiter ignis,
Et pelagi radix, Sol, Luna, eſt Iuppiter ipſe.
Omnipotens rex eſt, rei omnis Iuppiter ortus,
Nam ſimul occubuit, rurſum extulit omnia læto,
Corde ſuo è ſacro, conſultor lumine rebus.

Hos verſus cùm Græcè apud Apuleium probè legi non poſſe viderem, neq; in ijs quæ Orphei nomine in manibus habentur, inueniantur, eos ego longo demum ſtudio apud Euſebium Pamphili comperi, & in Græcis quibuſdam commentarijs: quare eos hîc tibi aſcripſi.

Ζεὺς πρῶτος γένετο, Ζεὺς ὕστατος ἀργικέραυνος.
Ζεὺς κεφαλὴ καὶ μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται.
Ζεὺς πυθμὴν γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος.
Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη.
Ζεὺς πνοιὴ πάντων, Ζεὺς ἀκαμάτου πυρὸς ὁρμὴ,
Ζεὺς πόντου ῥίζα, Ζεὺς ἥλιος, ἠδὲ σελήνη.
Ζεὺς βασιλεὺς, Ζεὺς ἀρχὴ πάντων, ἠδὲ τελευτή.
πάντας γὰρ κρύψας αὖθις φάος ἐς πολυγηθὲς,
ἐξ ἱερῆς κραδίης ἀνενέγκατο μέρμερα ῥέζων.

Citantur porrò & alij verſus his conſimiles à Proclo, alijſq; Platonicis, quos curioſitatis gratia aſcribam. nam plerifq; mecum ſentientibus, quid de huiuſmodi Orphicis ſtatuẽdum, parum adhuc liquet: præſertim cùm neq; Ariſtoteli, nec M. Ciceroni ſatis notus fuiſſe Orpheus videatur, vt qui de eo ambiguè ſtatuant. Verſus verò hi ſunt:

Οὕνεκα σὺν τῷ παντὶ Διὸς πάλιν αὐτὸς ἐτύχθη,
αἰθέρος εὐρὺς, ἠδ' οὐρανοῦ ἀγλαὸν ὕψος,
πόντου τ' ἀτρυγέτου γαίης τ' ἐρικυδέος εὐρὴ,
ὠκεανός τε μέγας, καὶ νείατα τάρταρα γαίης,
καὶ ποταμοὶ, καὶ πόντος ἀπείριτος, ἄλλα τε πάντα
πάντες τ' ἀθάνατοι μάκαρες θεοὶ, ἠδὲ θέαιναι,

ὅσσα τ' ἔην γεγαῶτα, ἠδ' ὕστερον ὅσσα ἔμελλεν
γίγνεσθαι, Ζηνὸς δ' ἐν γαστέρι σύρρα πεφύκει.
Ζεὺς πρῶτος γένετο, Ζεὺς ὕστατος, ἀργικέραυνος,
Ζεὺς κεφαλὴ καὶ μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται.
Ζεὺς πυθμὴν γαίης τε, καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος.
Ζεὺς βασιλεύς, Ζεὺς αὐτὸς ἁπάντων ἀρχιγένεθλος.
ἓν κράτος, εἷς δαίμων γένετο μέγας ἀρχὸς ἁπάντων,
ἓν δὲ δέμας βασίλειον, ἐν ᾧ τάδε πάντα κυκλεῖται,
πῦρ καὶ ὕδωρ, καὶ γαῖα, καὶ αἰθὴρ, νύξ τε καὶ ἦμαρ.
πάντα γὰρ ἐν Ζηνὸς μεγάλου τάδε σώματι κεῖται. Hoc eſt:

Intra nanq; Iouem cum toto conſtitit ipſe
Aether, quàm latus, ſublimi & vertice cœlum,
Immenſiq; maris tractus, terræq; iacentis,
Ingensq; Oceanus, depreſſaq; Tartara terræ,
Fluminaq;, & Pontus ſine fine, & cætera cuncta,
Immortales omnes diiq; deæq; beati,
Quæq; fuere exorta, & quæ ventura ſequentur.
Hæc in ventre Iouis rerum compago manebat.
Iuppiter ipſe fuit primus, ſupremus & idem.
Iuppiter eſt caput, & medium. Iouis omnia munus.
Iuppiter eſt fundamen humi, ac ſtellantis Olympi.
Iuppiter idem rex cunctorum, principiumq;,
Vna poteſtas, & deus vnus, magnus & autor:
Vnum & regale eſt corpus, quo cuncta tenentur,
Ignis, aqua, & tellus, ac æther, noxq;, diesq;:
Omnia nanq; Iouis ſunt ædibus iſta repoſta,

Hæc quidem nos vtcunq; ex Orpheo vertimus. Nunc quædam de eius pictura ac imagine ſubiungam. Iouem varijs modis antiqui effingebant, pro diuerſa illi poteſtate attributa. Sed eius illud in primis ſimulachrum ſedere fingebatur, vt ſtabilis virtus & incommutabilis oſtenderetur. nuda verò ſuperiora & aperta habere videbatur, quoniam ipſum conſpicuum eſſe exiſtimabant, in intelligentijs quæ dicuntur, & cœleſtibus mundi partibus: inferiores autem Iouis partes velatas, & obtecta τὰ πρόσθια, quia minus apparêre, nec planè videri putabant, ab ijs ſcilicet qui creati ſunt in partibus inferioribus. Continebat verò læua ſceptrum, quia in ſiniſtra corporis parte, vt volunt Phyſici, extum maximè princeps & ſpiritale ſubſiſtit, Cor. Rex enim mundi, & opifex νοῦς, hoc eſt intellectus, vel mens. Dextra verò nunc aquilam protẽdere videbatur, nunc Victoriam. Et quidem aquilam, quòd Iupiter ita ſuperioribus & cœleſtibus imperet, vt aquila cæteris auibus: Victoriam verò, quoniam omnia ei ſubiecta atq; deuicta ſint. hæc quidem partim ex Porphyrio & Phurnuto philoſophis, partim ex Euſebio, & Græco deorum imaginum ſcriptore, itémq; ex Theophilo, & Suida. Pauſanias verò in Eliacorum priore, Olympium Iouem ſic deſcribit: Sedet in ſolio ex auro & ebore factus. corona capiti impoſita eſt, ad oleagineæ frondis imaginem. dextera victoriam, & ipſam ex ebore & auro præfert, cum tænia & corona. Læua ſceptrum tenet affabrè expolitum, & omnium metallorum varietate diſtinctum. quæ auis ſceptro incumbit, aquila eſt. Aurei ſunt Deo calcei, pallium item aureum. in eo cùm diuerſa animalia, tum ex omnibus florum generibus lilia in primis cælata ſunt. Solium ipſum auro & precioſis præfulget lapidibus, neq; in eo vel ebur vel ebenum deſideratur. animalium verò formis intercurrente pictura exornatur. Alia addit Pauſ. quæ ad ornatum potius quàm ad ſtatuam pertinent. Nonnihil quoq; in Olympio Ioue nos dicturi ſumus. Sed enim aquilam Ioui attributam fabuloſe Lactantius Fir. & Latinus Arati interpres,

pres, ſeu hic ſit Baſſus, ſeu Cæſar, ex Aglaoſthene ita tradunt. Cùm Iupiter ex inſula Naxo contra Titanas proficiſceret, & ſacrificium faceret in litore, aquilam ad eum aduolaſſe ferunt, auſpiciúmq; feciſſe. Hinc ergo victor, bono omine aquilam acceptam tutelæ ſuæ Iupiter ſubiugauit. Quin & ſacra etiam hiſtoria gentium, illi quoq; in capite conſediſſe refert, Iouíq; regnum portendiſſe. Seruius verò ait, quod dimicanti Ioui contra Gigantes, fulmina miniſtrarit aquila. quod ideo fictum eſt, quoniam ales ipſa calidiſſima ſit, adeò vt & oua quibus incubat, coquere poſſit, niſi lapidem admoueat, quem alij Gagaten, alij Aetitē vocant, qui ſit frigidiſſimus: vt teſtatur Lucanus, Fœta tepefacta ſub alite ſaxa, &c. ne hoc loco tibi fabuloſum catamiti raptum commemorem. Illud certè mirum eſt, quod Aelianus prodit, inter aquilarum genera vnum eſſe, quod Iouis aquila appelletur, nec carnes voret, nec attingat, ſed ei ad victum herba ſufficiat. Mirum & id quod ſcribit Plutarch. in Iſidis & Oſiridis libro, Cretenſes Iouis ſimulachrum effinxiſſe, quod auribus careret, & ijs mutilum eſſet: id ſignificantes, dominatorem omnium audire debere neminem, ſed æquè omnibus patulas offerre aures. Contrà Lacedæmonij, ſummum Iouem cum quatuor auribus depingere ſolebant, eum vndique & omnia audire innuētes. Heliopolitæ quoque Iouem Heliopoliten cognominatum ita formabant, teſte Macrobio: ſimulachrum aureum effingebant, ſpecie imberbi, dextra inſtans eleuata cum flagro in aurigæ modum, læua tenebat fulmen & ſpicas. ſic Iouem Heliopolitæ. Phurnutus verò ait, Iouem effingi ſolere ætate hominis perfecta, non efflorescente, nec deficiente: vnde & illi τέλεια, id eſt perfecta & adulta ſacrificare ſolebant. ſceptrúmq; illi attribuit, quod poteſtatis eſt ſymbolum: & aquilam. Anaxarchus ſophiſta apud Arrianum in quarto Hiſt. antiquos ait Ioui aſſiſtentem Iuſtitiam feciſſe, ea ratione, quod quæcunque reges facerent, vt iuſta & æqua putarentur: tametſi eam interpretationem Arrianus ipſe non ſatis approbet. eadem ratione Phurnutus, Iouem iuſtitiæ patrem creditum ait, Gratiarúmq; & Horarum. Martianus libro primo de Nupt. ita in ſenatu deorum Iouem effinxit: in capite flammantem coronam habuiſſe ait, & ſuper ea velamen rutilum Mineruæ manibus confectum, & veſtem candidam habuiſſe, indutum hyalinos amictus crebris quibuſdam ſtellis interſtinctos: manu dextera duos orbes porrigentem, aureū alterum, ex electro alterum. qua figura, rotunda ſcilicet, virtutem prouidentem atque viuificam ſignificari, teſtis eſt Porphyrius. Læua verò chely enneaphthōgo inniti videbatur, calceos in pedibus habere virides, & calceis fuſcinam premere. hac figuræ imagine Martianus totius naturæ præſidem Iouem ſignificaſſe videtur. Sed enim & pro varia illius, quam habere veteres poteſtate exiſtimabant, variè formabant. aliter enim Fulgens & Fulgurator Iupiter: aliter Tonās, & Fulminator, & Stator, effingebatur: & plerunque pro arbitrio principum, vatum, & pictorum. Quos ego non inficias ierim, aliquando me, vt videbis, inter ſcribendum eſſe ſecutum. Coronabatur porrò interdum Iupiter quercu, aut olea. vnde etiam factum, vt inuicem inter ſe hæ arbores inimicitias exercere dicantur. Phurnutus, òliua tantùm Iouem coronari ait, quòd ea ſit ſemper virens, id eſt, ἀειθαλής: & pinguis, & multæ vtilitatis, id eſt πολύχρηστος, & glauci coloris & cœleſtis ſimilitudinem habere videatur. Audi quæſo antequàm cætera ſubiungam, quę breuiſſimè Arnobius prodidit de Ioue in varias formas mutato, vt ſua perficeret furta: Modò, inquit, in aurum verſus, modò in ſatyrum ludicrum, in draconem, in alitem, in taurum, & quod omnia genera contumeliarum tranſiliat, in formiculam paruulam, vt Clytorim videlicet filiam Myrmidonis redderet apud Theſſalos matrem. hæc ille. Sed iam ipſa nomina & cognomina interpretari moliamur.

Pater in primis dictus eſt Iupiter, ob eam quam erga omnia creata & condita beneuolentiam, ac omnium rerum prouidentiam habere exiſtimabatur, vt Diod. ait, quòd ſingulorum ſumma cum beneuolentia curam haberet, & veluti

dux eſſet rectè piéq; viuendi. Varro: Iupiter ideo, inquit, dictus, quia mortales atq; arbores herbáſq; omnes iuuet. Ennius, Diuúmq; hominúmq; pater rex. Pater verò, quod patefaciat ſemen: & cæt. quæ Varro. Val. Soranus:

Iuppiter omnipotens rerum, regumq́;, deûmq́;
Progenitor, genitrixq́; deûm, deus vnus & omnes.

Et non modò à noſtris Pater Iupiter vocatus eſt, ſed & à Græcis, vt notum ex Orphei, & Homeri, & reliquorum poetarũ carminibus, vt in illo, πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε: id eſt, pater hominúmq; deúmq;. Quinimò & γενήτωρ quoq; vocatus eſt, vt in commentarijs Arati Theon obſeruat. Idem & πατρῷος, id eſt patrius appellatus, vt idem Theon, Harpocration, Phurnutus, & alij ſcribunt, vt & in Apolline Patroo copioſius dicemus. Sed & ideo Pappam, & Pappæum, Iouem appellatum legimus. Arrianus in Bithyniacis ait, Bithynos ipſos montium cacumina aſcendere ſolitos, & Iouem Pappam ſalutare. Scythæ verò Iouem Pappæum, Herodoto & Origene autoribus, nũcupabant. at Pappam patrem ſignificare, nec Græci, nec Latini negãt. vnde & in Romani antiſtitis peculiare apud noſtros cognomen vulgò deductum eſt, cùm antea & in cæteros pręſules vſurparetur. Sed enim & ἀντίπατρος Iupiter cognominatus, quòd Saturno patri hoſtis fuerit. meminit Theocritus. Iouis autem nomen à iuuando primùm factum, iam dictum eſt: quod etiam in recto caſu, non modò in obliquis, apud idoneos autores legimus. mox cum patre iunctum, Iupiter vocatus eſt, quaſi iuuans pater. Scribit D. Auguſt. in quarto, Iouem omnes deos in ſe, ideſt in eius nomine continere: vt non repetam quæ ex Orpheo iam retuli.

Rex etiam Iupiter dictus, vt Vergilius ex Homero & Ennio, ac item ex Orpheo vocauit. Iouis etiam regis ſacra in Lebadia celebrabãtur, vt ex Ariſtocliæ formoſiſſimæ puellæ hiſtoria cognoſcimus. quæ ei rem diuinam factura, nuda eſt à Stratone viſa, qui in eam exarſit, antè etiam à Calliſthene amatam. hæc verò nuptiarum die in amantum manibus diſcerpta eſt: quorũ poſthæc alter ſibi manus conſciuit, alter aufugit, nec vnquam amplius viſus fuit. Xenophõ etiam Iouis regis meminit in tertio & octauo Pædiæ, ne plura inculcem. Ait enim, Cyrũ Sardianam vrbem ingreſſum, Veſtæ & Ioui regi ſacrificaſſe. Vocatus eſt etiam Iupiter omnipotens, à poteſtate ſumma. Vergilius: Iuppiter omnipotens precibus ſi flecteris vllis. Soranus: Iuppiter omnipotens rerum, regúmq;, &c. Græci ſimiliter παντοκράτορα vocant, vt Orpheus & Homerus. alij παγκρατὴς Ζεὺς. etiam ab Athenienſibus ideo appellatus eſt, vt ait Heſychius, & Phauoriuus.

Iupiter Optimus Maximus cognominatus, quod velit & poſſit omnibus ꝓdeſſe. & optimus quidem, antequàm maximus: quia maius eſt certè, gratiúsque prodeſſe, quàm magnas opes habere, hoc ait M. Cicero, Pliniúſq;, ac cæteri. Tẽplum Iouis OPT. MAX. Tarquinius Priſcus vouit, Tarquinius Superbus à fũdamentis, deinde XL. argenteis mil. impendit: ſed regno eiectus, anno pòſt ipſũ Horatius Cos. dicauit. vt hæc vetus epigraphe oſtendit: M. Horatius Cos. ex lege templum Iouis Opt. Max. dedicauit, anno poſt reges exactos à Coſſ. poſtea ad dictatores, quia maius imperium erat, ſolenne claui figendi translatum eſt. Porrò Homerus & Pamphus poetæ Græci, hoc idem cognomen Maximi, Ioui dederunt, vt notat Philoſtratus. Sanè & Iupiter pro ſtella illa ſalutifera capitur interdum, quæ inter errantes ſecunda eſt, quæ & Phaethon dicitur, vt alibi dicẽdum. interdum etiam ponitur pro aere. Horat. poeta, Manet ſub Ioue frigido. & quia Grecè Διὸς, dius etiam & diuus dicitur, pro eodem aerè. vnde eſt, ſub dio, & ſub diuo, vt notat Varro.

Victor Iupiter cognominatus, quòd omnia vincere putaretur, vt ſcribit T. Liuius lib. X. ab V. C. Papyrium in ipſo diſcrimine, quo templa deis immortalibus voueri mos erat, vouiſſe Ioui Victori, ſi legiones hoſtiũ fudiſſet, pauxillũ mulſi, priuſquàm temetũ biberet, ſeſe facturũ: id votũ deis cordi fuit. Ioui verò Victori diem feſtum Romani celebrarunt Idibus Aprilis: qua de re Ouidius in Faſtis,

Occupat

Occupat Apriles idus cognomine Victor
Iuppiter, hac illi ſunt data templa die.

Ioui Victori templum votum à Q. Fabio bello Sabino fuit, in Palatino monte conſtructum. meminit P. Victor in x vrbis regione. Græci etiam Niceum Iouem vocauêre, neſcio an à Victoria, id eſt νίκης dictum, an à loco. meminit T. Liuius in v Decad. de Cetio monte agens, & Epiro: Aliò rex Perſes profectus, altero (inquit) die ad templum Iouis, quem Niceum vocant, poſuit caſtra.

Inuictus Iupiter nuncupatus eſt, & cultus à Romanis, vt diuus Auguſtinus in ſeptimo de Ciuitate Dei teſtatur. Inuicti Iouis idus Iunij dies feſtus agebatur.

Imperator Iupiter apud Præneſtinos celebratus, cuius ſimulachrum apud ipſos cùm eſſet, Romam tranſlatum fuit: in VIII verò Vrbis regione collocatum, vt P. Victor teſtis eſt. Liu. lib. 6. ab V. C. Titus, inquit, Quintius ſemel acie victor, binis caſtris hoſtium nouem oppidis vi captis, Præneſte in deditionem accepto, Romam reuertit, triumphánsque ſignum Præneſte deuectum Iouis Imperatoris in Capitolium tulit: dedicatum eſt inter cellam Iouis & Mineruæ, tabuláque ſub eo fixa, monumentum rerum geſtarum. M. Tullius in VI Verrin. Iouem imperatorem, inquit, quanto honori in ſuo templo fuiſſe arbitramini, colligere poteſtis. Iouis imperatoris ſimulachra præter hoc Præneſtinum, idem M. Tullius eodem loco commemorat, vt illud ex vrbe Syracuſana ablatum: Quid? inquit, ex æde Iouis, religioſiſſimum ſimulachrum imperatoris, quem Græci οὔριον nominant, pulcherrime factum, nónne abſtuliſti? tum de altero paulò pòſt, quod ex Macedonia captum in Capitolio poſuerat Flaminius. Etenim tria ferebantur in orbe terrarum ſigna Iouis imperatoris, vno in genere pulcherrimè facta: vnum, illud Macedonicum, quod in Capitolio videmus: alterum, in Ponti ore, & anguſtijs: tertium, quod Syracuſis ante Verrem prætorem fuit: & reliqua, quæ ibidem ait Cicero. οὐρίου διὸς meminit & Arrianus ἐν περίπλῳ Ponti Euxini: ait enim, quòd inter Boſphorum Thracium, & vrbem Trapezontem, templum fuit Iouis Vrij, quod à Byzantio diſtabat cētum & viginti ſtadijs. Stephanus in libro de Vrbibus etiam meminit, his verbis: Et Menippus, inquit, ἐν περίπλῳ Bithyniæ, à fano ait Iouis οὐρίου, & ab ore Ponti ſiniſtra habenti continentē, & nauiganti Chalcedona vrbem, ſunt ſtadia CXX.

Cuſtos Iupiter quoque appellatus eſt, & in primis cultus à Romanis. Cuſtodis Iouis Apuleius meminit in libro de Mundo, & Seneca lib. 2. Quæſt. nat. de Ioue agens: Eundem, inquit, quem nos Iouem, intelligunt cuſtodem rectorémque vniuerſi. Sunt qui putent Iouis cuſtodis templum, ex Suet. Tranquillo, à Domitiano imperium adepto in Capitolio conditum fuiſſe, qua de re Cornel. Tacitus libro 19. vbi Capitolium deſcribit à Vitellianis captum, in initio principatus Veſpaſ. Domitianus, inquit, in prima irruptione apud æditum occultatus, ſolertia liberti lineo amictu turbæ ſacricolarum immixtus, ignoratúsque, apud Cornelium primùm paternum clientem iuxta Velabrum delituit, ac potiente rerum patre, diſiecto æditui contubernio, modicum ſacellum Ioui conſeruatori, arámque poſuit, caſúsque ſuos in marmore expreſſit: mox imperium adeptus, Ioui cuſtodi templum ingens, ſéque in ſinu Dei ſacrauit. hæc Tacitus. Extant præterea nomiſmata quędam Neronis Cæſ. in quib. à tergo ita Iupiter eſt effictus: in ſolio ſedet, dextra fulmen habet, lęua haſtam, cum hac inſcriptione, IVPITER CVSTOS.

Capitolinus Iupiter Romæ in Capitolio ſumma veneratione cultus, & ſummo honore habitus: de quo non eſt cur ego plura ſcribam, cùm non modò Latinis, ſed & Græcis ſcriptoribus ſit celebratiſſimus, vt cui ex toto terrarum orbe donaria precioſiſſima mitterentur, vt Cicero, Plutar. Liuius, & alij oſtendūt. at ſi breuiſſime videre velis, quando conditum Capitolium, quando dicatum, quoties incenſum & inſtauratum, & de eo cætera, Cornel. Tacitum lege lib. 19. Sed enimuerò Capitolium, ait Arnobius, dictum eſt à capite Toli. Quis, inquit, ignorat Capitolium Toli eſſe ſepulchrum Vulcentani? & paulò pòſt: Quòd ſi

planum fieri teſtimonijs autorum poſtulatis, Sammonicus, Granius, Valerianus, & Fabius vobis indicabunt, cuius Tolus fuerit filius, gentis & nationis cuius, vt à Germani ſeruulo vita fuerit ſpoliatus, & lumine. Et demum ſic concludit: Nec erubuit ciuitas maxima, & numinum cunctorum cultrix, cùm vocabulum templo daret, ex Toli capite Capitolium, potius quàm ex nomine Iouio nũcupare. hæc Arnobius. At verò Capitolium (inquit Varro) dictum, quòd hîc cùm fundamenta foderentur ædis Iouis, caput hominis inuentum dicitur: hîc mons ante Tarpeius dictus, à virgine Veſtali Tarpeia, quæ ibi à Sabinis necata armis, & ſepulta: eius nominis monumentum relictum, quod etiam nunc eius rupes Tarpeium appellatur ſaxum. hæc Varro. Quòd autem ibi caput inuentum, eam imperij arcem, rerúmq; caput fore interpretatum fuit. Saturnium primùm montem Capitolium vocatum fuiſſe, mox Tarpeium legimus, à Tarpeia, quæ hoſtibus illum prodiderat. hinc & Tarpeius Iupiter vocatus. Propertius in 4,

Tarpeiusq́; pater nuda de rupe tonabat. Ouid. in Faſtis:

Iunctáq; Tarpeio ſunt mea templa Ioui.

Amm. Marcellinus: Quicquid erat primùm eminere, inter alia cuncta ſpectabat Iouis Tarpeij delubra, quantum terrenis diuina præcellunt. vt mirandũ illud ſit quod ſcribit Plinius lib. 35. Nat. hiſtoriæ: Turrianum à Fregellis accitum, cui locaret Tarquinius Priſcus Iouis effigiem in Capitolio dicandam, fictilem eam fuiſſe, &c. Sanè quidam Capitolinum Iouem, & Opt. max. eundem fuiſſe arbitrantur, propter hæc M. Tullij verba: Quocirca te Capitoline, quem propter beneficia pop. Rom. Optimum, propter vim Maximum nominauit. Vnum hoc tibi quoq; addam, non ſolùm Capitolinum Iouem Romæ cultum fuiſſe, ſed in alijs etiam vrbibus, vt Corinthi, de quo Pauſan. in Corinth. Supra theatrum, inquit, Iouis eſt templũ, qui Romana voce Capitolinus vocatur: lingua verò Græca Coryphæus dici poſſet. hoc quidem Pauſan. Legimus & Antiochiæ fuiſſe. Liuius libro primo quintæ Decad. Et Antiochiæ, ait, Iouis Capitolini magnificum templum, non laqueatum auro tantùm, ſed parietibus totis lamina inauratum. Fuit & Toloſę in Hiſpania Capitolium, vt in ſacris annalibus obſeruaui. fuit & Capuæ Capitolium arx munitiſſima: item Capitolium aliud Beneuenti, quod notauit Alexander. Pauſan. præterea, & Stephanus, aliíq; Græci, Capetolinum per e enunciant.

Fulminator Iupiter dictus eſt à Latinis, teſte Apuleio: κεραυνίους Græci appellauêre, licet Heſychius dicat hoc nomine in Seleucia Iouem vocitatum. Sic verò dictus, vt ait Pauſan poſt Oenomai domum fulminatam. Orpheus in Fulminatorem Iouem hymnum compoſuit, cum ſuffimento ſtyracis. Meminit & Ceraunij Phurnutus de Deorum nat. Eadem etiam cauſa cognominatus eſt ἀργικέραυνος, quaſi tu dicas coruſcans fulmine, vt eſt apud Orpheum, & Pindarum in Olymp. Alicubi etiam ἀρχικέραυνος dictus, id eſt fulminum princeps. Sed & ἐγχεικέραυνος Ζεὺς nuncupatus eſt, quòd videlicet pro haſta fulmine vti diceretur: τερψικέραυνος preterea Iupiter cognominatus, quòd fulmine ſcilicet gaudeat: vnde eſt Cœlij noſtri carmen,

Perfringit, penetrat, cremat omnia fulmen adactum,
Iuppiter hinc nomen τερψικέραυνος habet.

In Argonauticis tamen Orpheus τερπικεραύνους vocare videtur, & item quędam Homeri exemplaria, ſed & Heſychius, aliíq;. hinc interpretari poſſumus, quòd fulgura & fulmina vertat. At Fulminantem Horatius lib. 3. Carm. Iouem illo verſiculo appellat: Nec fulminantis magna Iouis manus. Fulgur Iupiter videtur etiam appellari apud Feſtum, vt cùm ſcribit. Præuerſum fulgur appellatur, quod ignoratur noctu an interdiu ſit factum. Itaq; Ioui Fulguri & Summano fit, quod diurna Iouis, nocturna Summani fulgura habentur.

Fulguratorem ex noſtris etiam quidam dixêre, cùm Græcum vocabulum

ἀστεροπαῖος

ἀστροπαῖος Latinè exprimere voluerũt, & ἀστεροπητής, quo & poetæ, & Lucian. vſus eſt in Timone, quo loco multa Iouis cognomina enunciat: id quod & Ariſtot. in lib. de Mundo. M. Marullus hymnũ in Iouem Fulguratorem cõpoſuit. Illud eſt ab Appiano in Syriaco proditum: cùm à Seleuco Seleucia vrbs conderetur, quæ ad mare vergeret, fulgure ictã fuiſſe, fulgúrque ipſum deum creditũ, ſolitósque mortales choreas ducere, ipſúmque Fulgur hymnis & canticis proſequi, quoties cœlũ fulgeret. Porrò & στεροπηγερέτης ζεὺς vocatus, quaſi συναγείρων τὰς ἀστραπὰς, hoc eſt fulgura & coruſcationes cõgregans, vt exponit Heſychius. Fuit & Iupiter Serenator: ſic eñ qui Græcè eſt αἴθριος, Apuleius in libro de Mũdo repoſuit.

Tonans Iuppiter ab auguribus primùm appellabatur, & fulgens, vt teſtis eſt M. Cicer. lib. 2. de Nat. deor. ita enim Balbus: Hunc etiam augures noſtri, cùm dicunt Iouem Fulgentem, Tonantem. dicunt enim, Cœlo fulgente & tonante. Deinde, Tonantem Iouem Auguſtus Cæſ. poſt Cantabricum bellum in Capitolium conſtituit: vnde & aliquando Capitolinus Tonans vocatus eſt, qui tamen alius eſt ab Ioue Capitolino, de quo iam ſuprà actum eſt. qua in re grammatici quidam decepti ſunt. Vidi ego nomiſmata vetera Auguſti, cum Iouis Tonantis inſcriptione. De hoc templo Iouis Tonantis ab Auguſto facto, ſic fermè Dion lib. hiſtor. 54. Dedicauit, inquit, & templum Iouis Tonantis, de quo hæc quidam duo ferunt: alterum, quòd in eius dedicatione ingentia facta fuère tonitrua: alterum, fuit ipſius Auguſti ſomnium. nam tum ingens multitudo ad dedicationem conuenerat, tum propter nominis & rei nouitatem, tum quod ab Auguſto templum poſitum eſſet, tum maximè quòd in Capitolium aſcendentibus primùm offerebatur. Viſus verò fuerat videre Iouem Capitolinum ſibi in templo iratum, qui illi diceret, eum Tonantem Iouem habiturum defenſorem: & reliqua, quæ hac de re Dion prodit. Porrò Auguſtus, cùm dies exorta eſſet, Ioui ſtatuæ tintinabulum appendit, quo Romani vti ſolebant, cùm cuſtodias gererent. huius verò templi & ſomnij meminit ſubobſcurè Suetonius Tranquillus. Verumenimuerò à Græcis hac tonitrus ratione ἐρίγδουπος, & ἐρίγδουπος ζεὺς appellabatur. poſt poetas meminêre Lucianus & Phurnutus. Sed & βρονταῖος ab Orpheo, & item Phurnuto dictus: quem Tonitrualem Apuleius, vt ſolet, licenter interpretatus eſt, ſed & in Homerum grammatici, & in Aratum. Legitur Romæ in marmore, in atrio Paulinæ domus, IOVI BRONTONTI. Eadémque ratione βροντηκέραυνος, & αἰολοβρόντης ζεὺς nuncupatus eſt. & quod ab alto ſtrepat, ὀρσοκτύπος ζεύς: & βαρύγδουπος, quòd grauiter ſonet. hinc & ὑψιβρεμέτης ζεύς, hoc eſt Altitonans, qua voce & Latini vſi ſunt. Næuius,

Panditur interea domus altitonantis Olympi.

vt Minutianus citat: quem verſum & æmulatus eſt Maro. hinc eadem penè ratione εὐρυόπης, & poetis frequentius, hoc eſt latè ſonans: vt eſt illud Orphei, ἐκ δὲ κρόνου γένετ' αὐτὸς ἄναξ εὐρυόπα ζεύς. id eſt, ex Saturno genitus rex ipſe altiſonans Iupiter. Similiter & Homerus & Heſiod. Idem & βαρυόπης cognominatus, aliiſque, ne nimius ſim. Porrò & Tonantis Iouis ædem in cliuo Capitolino P. Victor ſtatuit: in Capitolio Plinius, vbi & ſtatuã collocat à Leocrate factam, ante (vt ait) cunctas laudabilem.

Feretrius Iupiter à Romanis cultus, & appellatus. alij quidem à ferendo cognominatum putant. alij à feriendo: id quod Propertius in quarto oſtendit, vbi de Ioue Feretrio eruditam elegiam ſcripſit, cuius hoc initium,

Nunc Iouis incipiam cauſas aperire Feretrij,
Armáque de ducibus trina recepta tribus.

Quæ & ſpolia opima dicebantur, & vt Varro ſcribit, ab opibus appellata: vel vt Plutarchus, ab opere rei geſtæ: vel ab Ope Saturni vxore, id eſt terra. Propertius in Eleg.

Nunc ſpolia in templo tria condita, cauſa Feretrij,
Omine quòd certo dux ferit ante ducem:

Seu quia victa ſuis humeris hæc arma ferebant,
Hinc Feretri dicta eſt ara ſuperba Iouis.

Plutarchus, à feriendo hoſtem ait. Feſtus: Feretrium dictum putat, quòd pacem ferre putaretur, cùm ex templo eius ſumerent ſceptrum, per quod iurarēt, & lapidem ſilicem quo fœdus ferirent. Prima autem ſpolia opima Romulus Ioui ſtatuit, Acrone Ceninenſium duce interempto, & Feretrij nomen & templū: vt Liuius, Plutarchus, Dionyſ. Alicarn. in ſecundo, & alij tradunt. altera ſpolia opima Cor. Coſſus de Tolumnio rege Hetruſco tulit. tertia M. Marcellus ex Viridomaro Gallorum rege Ioui ſuſpendit. de his Vergilius in 6. Aeneid.

Tertiaq; arma patri ſuſpendet capta Quirino.

Vbi Seruius poſt prædicta & hoc ſubiunxit: Poſſumus &, quod eſt melius, ſecundum legem Numæ hunc locum accipere, qui præcepit prima opima ſpolia Ioui Feretrio debere ſuſpendi, quod iam Romulus fecerat: ſecunda Marti, quod Coſſus fecit: tertia Quirino, quod fecit Marcellus. Quirinus autem eſt Mars, qui præeſt paci, & intra ciuitatem colitur. Nam belli Mars extra ciuitatem templum habuit. Ergo aut ſuſpendet patri, id eſt Ioui: aut patri, id eſt Quirino. Variè de hoc loco tractant commentatores, Numæ legis immemores, cuius facit mētionem Liuius. Libet hoc loco particulam Alicarnaſſei tibi ex ſecundo Hiſt. recitare, vt videas quàm exiguis initijs res Romana creuit. Poſt pompam (inquit) triumphalē, & ſacrificium, Romulus extructo templo in vertice Capitolini collis, Ioui, quem Feretrium Romani vocant, nec magno ipſo (ibi enim ſeruatur adhuc veſtigium vetus, cùm minora quinum pedum latera habeat, maiora denum) Ceninenſium in eo regis ſua manu interfecti ſpolia coniecrauit: hunc autem Iouem Feretrium, cui arma Romulus cōſecrauit, ſiue quis velit τροπαιοῦχον, ſiue vt quidam cenſent, σκυλοφόρους: ſiue quia omnes excellit, omnémq; in circuitu comprehendit naturam rerum, & motum, ὑπερφερέτην, non aberrabit à vero, & hæc quidem ille. Sedenim & Perſæ cœli circulum, hoc eſt τοὺς κύκλους τοῦ οὐρανοῦ, Iouem vocabant, vt Herodotus ſcribit in primo, & Origenes in quinto contra Celſum. alij, cœli ambitum: Valla, cœli gyrum interpretatus eſt. Origenes: Putant, inquit, Perſæ Ioui ſacrificia facere, vbi celſiſſimam montis ſpeculam conſcenderint, cœli circulum Iouem nuncupando. Idem paulò pòſt: Perſæ igitur cœli ambitum omnem vocitant Iouem.

Latialis Iupiter cognominatus, cuius crebra apud ſcriptores mentio. Lucanus in primo,

Et reſidens celſa Latialis Iuppiter Alba.

Lactantius videtur dicere, Latialem Iouem cultum fuiſſe humano ſanguine: quod & Athanaſius. ita enim: Veteres, inquit, Romani Iouem, quem Latialem vocant, humanis hoſtijs colebant. Sedenim à Latialis Iouis ſacro Latinæ feriæ dictæ ſunt. Libet hac de re totam Dionyſij Alicarn. particulam ex libro quarto aſcribere, vt eſt à Lapo interpretata. Tarquinius, inquit, deſignare templū ſtatuit Romanis Latiniſq; cōmune, atq; Hernicis & Volſcis, eis quidem qui in ſocietatem ſcripti erant, vt cōuenientes quotannis in deſignatū locū nundinarent, vnàq; veſcerentur, ac de cōmunibus extis partem quiq; eorum caperent: gratè autem ſuſcipientibus rem omnib. locum deſignauit, vbi cōuentum facerent, in medio maximè gentiū earum poſitum, montem celſum, qui Albanorum ſuperſtat vrbi, in quo nundinas quotannis agi, & inducias eſſe omnibus erga omnes lege ſtatuit, ſacrificiáq; perfici cōmunia Latiali Ioui: epulas idem quoq; ſtatuēs, quas exhibere oporteret ad ſacrificia vnamquāq; vrbem, & quam partem vnāquanq; accipere. quæ verò participes erant huius ſolennitatis & ſacrificij, vrbes fuēre tribus demptis quinquaginta. Has autem ſolennitates & ſacrificia Romani vſque ad hæc noſtra tempora perficiunt, Latinas ferias eas vocantes: feruntq; in eas hæ quæ participes ſūt ſacrorū vrbes, aliæ agnas, aliæ caſeos, aliæ la-

ctis menſuram quandam, aliæ his ſimile aliquod molæ genus: vno autem tauro communiter ab omnibus immolato, ſtatutam partem vrbs quæq; accipit. Sacrificant enim pro omnibus, principatúmq; ſacrorum Romani habent. hactenus Dionyſ. qui & alibi de Latinis ferijs meminit. Varro de Lingua latina. Similiter Latinæ feriæ dies conceptiuus, dictus à Latinis populis, quibus ex Albano mõte ex ſacris carnem petere fuit ius cum Romanis, à quibus Latinis Latinę dictę. Fuit & Latiar, vt Macrobius ſcribit, Latinarum ſolenne. Latiarem præterea Iouem alicubi legi. Feſtus in Oſcillo: Latinus rex, inquit, prælio quod ei fuit aduerſus Mezentium, Ceritum regem, nuſquam apparuit, iudicatúsq; eſt Iupiter factus Latiaris. Porrò Propertius libro ſecundo Latium Iouem Capitolinum vocat, eo verſu:

Aſſueſcent Latio parta trophæa Ioui.

Stator Iupiter, quem Græci tum στησίους dixêre, tum ἐπιστησίους. M. Cicero in oratione Priuſquàm in exilium iret: Téq;, inquit, Iupiter Stator, quem verè huius imperij ſtatorem maiores noſtri nominauerunt, cuius in templo hoſtilem impetum Catilinæ repuli à muris, cuius templum à Romulo victis Sabinis in Palatij radice cum Victoria eſt collocatum, oro atq; obſecro, ferte opem pariter Reipub. cũctæqúe ciuitati, meiſq; fortunis. At verò Liuius in primo ab V. C. ex verbis Romuli, ſuis fugientibus: At tu Pater deûm hominúmq;, hinc ſaltem arce hoſtes, deme terrorem Romanis, fugámq; fœdam ſiſte: hîc ego tibi templũ Statori Ioui, quod monumentum ſit poſteris, tua præſenti ope ſeruatam Vrbem eſſe, voueo. Quibus verbis Liuius innuit, à ſiſtendo Statorem vocatum. D. tamen Hieronymus, Iouem Statorem ſtare dixit, non quòd ideo Statorem dictum putet. quod rectus ſtet: ſed quod Iupiter Tonans, vt annotauit Hermolaus Barb. ſic fingatur in antiquis ſignis: Stator verò, ſtans, tanquam erectus ad ferẽdum. D. Auguſtinus in tertio de Ciuit. dei, à ſtando ſimiliter deriuauit. Hic enim, inquit, Romulus de ſuorum iam virtute deſperans, Iouem rogauit, vt ſtarent: atq; ille hac occaſione nomen Statoris inuenit. Seneca in quarto de Beneficijs, cur Stator appellaretur, altiorem cauſam attulit. ita enim ſcribit: Non quemadmodum hiſtorici tradiderunt, ex eo quòd poſt votum ſuſceptum acies Romanorũ fugientium ſtetit: ſed quòd ſtant beneficio eius omnia, Stator, Stabilitórq; eſt. Non attinet hoc tibi loco referre, quantas turbas grammatici cum Valla faciãt. Vidi ego aliquot nomiſmata vetuſta tum Antonini Pij, tũ Gordiani, aliorúmq; veterũ, à tergo quorum erat imago nuda ſtans, dextrà haſta nitens, ſiniſtra fulmen habens, cum hac inſcriptione, IOVI STATORI. Illud præterea in X. ab V. C. apud Liuium legimus: M. Attilium Cos. cùm aduerſus Samnites atrox bellũ eſſet, manus ad cœlum tuliſſe, voce clara, ita vt exaudiretur, tẽplum Ioui Statori vouiſſe, ſi conſtitiſſet à fuga Romana acies. Porrò quinto Calend. Quintilis feſtus dies Iouis Statoris à Romanis celebrabatur. Ouid. 6. Faſtorum,

Tempus idem Statoris erit, quod Romulus olim
Ante Palatini condidit ora iugi.
Tot reſtant de menſe dies, quot nomina Parcis.

Victruuius in tertio, cùm de Periptero æde agit, Statòris Iouis ædem eiuſmodi fuiſſe ſcribit in porticu Metelli. Varro lib. 8. Rerũ diuinarũ, vt Macrobius in tertio Sat. citat, delubrum ait alios exiſtimare, in quo præter ædem ſit area, aſſumpta deûm cauſa, vt eſt in circo Flaminio Iouis Statoris.

Piſtor Iupiter à Romanis cultus, cuius ara in Capitolio fuit, vt in ſexto Faſtorum ſcribit Ouidius. Lactantius Firmianus lib. 1. quo tempore Galli Capitolium obſidebant, Ioui Piſtori ara poſita fuit, quod Romanos deus in quiete monuiſſet, vt ex omni frumento quod haberent, panem facerent, & in hoſtium caſtra iactarent: eóq; facto, ſoluta eſt obſidio, deſperantibus Gallis inopia ſubigi poſſe Romanos. Meminit & Liuius, & Frontinus. Non confutanda futilis eorum opinio, qui Manſorium Romæ appellatum ſignum, Piſtoris Iouis eſſe putant:

tant:ne hac parua temporis vſura abutar,cùm & alij id iam fecerint. Verſus Ouidij de Ioue Piſtore hi ſunt:

Nomine quàm precio celebratior arce Tonantis,
Diſcant Piſtoris quid velit ara Iouis. Idem:
Poſſe fame vinci ſpes excidit,hoſte repulſo,
Candida Piſtori ponitur ara Ioui.

De Piſtio verò Ioue mox agemus.

Lapis,qui & ab aliquibus Lapideus Iupiter, apud Romanos ſanctiſſimum iuſiurandum:Gellius.M.Cicero in Fam.ad Trebatium in ſeptimo,Iouem Lapidem iurare.Apuleius de Deo Socr.Quid igitur iurabo,per Iouē Lapidem?Romano vetuſtiſſimo ritu.dictus verò videtur,vt nonnulli exiſtimant,ab ipſo lapide Ioue vocato,qui Saturno oblatus fuit ab Ope.nam & Euſebius in Chronicis ait, In Creta regnauit Lapis.Lapidem Iouem interpretantur quidam,qui per tempora fuerit raptæ Proſerpinæ vel certe dicitur à lapide ſilice, quem in ſanciendis fœderibus iuraturi tenebant,vt Feſtus docet,ea verba dicentes:Si ſciens fallam,me Dieſpiter ſalua vrbe arcéq; bonis eijciat,vt ego hūc lapidem. Quidam antiquitatum ſtudioſi,hæc concepta verba ita caſtigant & efferunt:Si ſciens fallo,qui me deſpicit,ſalua vrbe,arcéq;,is me eijciat,vbi ego hunc lapidem.De hoc verò iuramēto multa ſcribit Eraſmus in Prouerbijs.Iouem Lapidem iurare. Eſt & apud Pauſaniam Iouis illud cognomentum Laætæ,quaſi dicas lapidei Dei. Notiſſimum eſt enim,apud Græcos λάαο καὶ λαὸς lapides & ſaxa vocari. vnde & populi fabuloſe à lapidibus Deucalionis & Pyrrhæ iactis dicti ſunt. Laætæ verò Iouis & Neptuni ſigna poſita fuiſſe in Olympia,teſtis eſt Pauſanias in Eliacis lib.priore.Vir doctus Iouem & Neptunum plebeios interpretatus eſt. Videor operæprecium facturus,ſi iuſiurandum illud aſcripſero,quod primo fœdere inter Romanos & Carthaginenſes factum ſcribit Polybius in 3.Hiſt. quod in tabulis æneis inſcriptum ædiles in Iouis Capitolini templo diligentiſſimè aſſeruandum poſuerunt.hoc ipſum eſt:Si rectè ac ſine dolo malo hoc fœdus atq; hoc iuſiurandum facio,dei mihi cuncta felicia præſtent: ſin aliter aut ago, aut cogito, cæteris omnibus ſaluis,in proprijs patrijs legibus,in proprijs laribus,in proprijs templis,in proprijs ſepulchris,ſolus ego peream,vt hic lapus è manibus meis decidet.Nec plura locutus,manu lapidem deiecit.hæc Polybius. Scribit T. Liuius libro primo tertiæ Decad.hunc iurandi modum Carthaginenſibus fuiſſe. inducitur enim Hannibal agnum læua manu,dextra ſilicem lapidem retinens: Si falleret,Iouem cæteróſq; precatus deos,ita ſe mactarent, quemadmodum ipſe agnum mactaſſet.& ſecundum precationem,caput pecudis ſaxo eliſit. Conſueuerunt quoq; Athenienſes,vt Ariſtoteles in Repub.Athenienſ.& Philochorus prodiderunt,ad lapidem quendam iuramenta facere.Demoſthenes in oratione in Cononem,καὶ πρὸς λίθον ἄγοντες,καὶ ἐξορκοῦντες,id eſt,ad lapidem agentes, & eiurantes:quod idem obſeruat Harpocration.Colebatur & in fœderibus ſanciendis apud Græcos ὅρκιος ζεὺς,à iuramento videlicet appellatus.Scribit Laertius in Pythagora,ὅρκιον εἶναι τὸ δίκαιον,id eſt iuſiurandum iuſtum eſſe,& propterea Iouem ὅρκιον nuncupari.idq; aſpiratè pronunciat,contrà alij.Pauſanias in Eliacis autor eſt,in Olympiæ βουλευτηρίῳ,id eſt,ſenatu, Iouis ſimulachrum fuiſſe, cognominati ὅρκιος,quod vtraq; manu fulmen continebat,quaſi vlturus omnino fulmine,qui falleret iuramentum,& violaret.iuxta hoc ſimulachrum,qui ad certamen deſcendebant,eorúmq; parentes & fratres,ſuper immolati exta porci conceptis iurare ſolebant verbis,nihil ſe fraudis, nihil deceptionis ad certamen attuliſſe, aut ſecus quàm leges paterentur Olympiæ commiſiſſe. Heſychius ἐφόρκιον δία, id eſt Ephorcium Iouem, in Titanum ordine fuiſſe ſcribit. Porrò & hoc moris fuiſſe Græcis legimus in ſanciendis fœderibus, vt ferrum candens tenerent,& vt fœdus tam diu perduraret,deos precabantur, quandiu

mydrus

mydrus latuiſſet(id enim ferro ignito ac candenti nomen)ſtatimq́ in mare mydrum præcipitabant.moris huius mentio apud Sophoclem, & Callimachum, & grammaticos.

Piſtius Iupiter dictus,vt docet Dion.Alicarn.libro quarto.quem (vt ait) Romani Sanctum dicebant:ad quem Tarquinium Romanorum regem iuramentum feciſſe poſt deuictos Gabios,idem autor eſt Dionyſ. qui & in ſecundo de Curibus Sabinorum vrbe agens,Sangum ait à quibuſdam Piſtium vocari, vt in Sanco & Sango dictum. Hunc eundem ferè crediderim,quem in nono idem autor Fidei ſponſorem appellauit.Latinum codicem citaui, cùm Græci copia non ſit.Ita enim Lapus interpretatus eſt:In vrbe autem templum Iouis Fidei ſponſoris Sp.Poſthumius Cos.alter nonis Iunijs in Capitolino colle dedicauit, extructum ab ipſo rege vltimo Tarquinio,nec per illum legitima apud Romanos potitum conſecratione.hæc Dionyſius,quæ nos etiam in Faſtis retulimus. Sanè ego aliquando exiſtimaui,Piſtium Græcè dictum pro deo Fidio latinè, cùm Sanctus & Fidius,Ouidio teſte,ſint ijdem.nam vt πίςις Græcè fides, ita πίςιος καὶ πίςις Fidius latinè interpretari commodè poſſumus, præſertim id etiam ſyllaba comprobante.ſi enim Fidius pro filio diceretur,contumax ſyllaba repugnaret,quæ longa eſſet:& tamen in Fidio,vt in Fide corripitur.vt in illo Naſonis in Faſtis:

Quærebam Nonas Sancto,Fidióne referrem.

Hæc quidem noſtra coniectura eſt,quam tibi,non vt rara ſit,contulerim,multis præcipuè reclamantibus.Adhæc & in antiquitatibus Romanis Fidij ſimulachrum ita effictum aliquando conſpeximus.Marmor erat in feneſtræ modum formatum,in quo tres imagines effictæ fuerant.Dextra quidem virilis, habitu pacifico:ſiniſtra verò muliebris erat,eodem habitu,coronam in capite ex lauro geſtans,quæ dextram dextræ iungebat, cum priore imagine. in medio harum duarum,ingenui pueruli effigies cernebatur,cuius ſupra caput hæc duo verba legebantur, FIDII SIMVLACHRVM.apud imaginem dextram virilem, HONOR.in ſiniſtra imagine muliebri, VERITAS legebatur.Sed & Græci Epheſtion Iouem coluêre,cuius mentio eſt apud Sophoclem in Aiace Maſtigophoro,id eſt flagellifero: quem cohabitantem & domeſticum interpretantur, qui Scholia in ipſum poetam ſcripſerunt:& item apud Lucianum in Timone. ἐφέςιος enim inter multa ſignificata & eum deſignat,qui domi deos rogat,hoc eſt, ἐφ' ἑςίας.Citat Stephanus Demoſthenem in nono Bithyniacôn, νάσσατο δ' ἀρτακίοισιν ἐφέςιος αἰγιαλοῖσιν.Sic enim ibi,inquit,Venus vocatur in Artace. ex eadem fermè origine ἑςίαχος ζεὺς ab Ionibus cultus fuit,vt Heſychius eſt teſtis,quaſi procurator & domus dominus & familiæ.Coluerunt & Græci Philium, φίλιον Iouē, cuius frequentiſſima mentio ſcriptoribus,Platoni,Apuleio,Luciano,alijs.quidam amicitiæ præſidem,alij amicabilem interpretati ſunt. Hunc Diodorus Sinopæus,paraſiticam artem inueniſſe ridens dixit. Sodalitatis quoq; deum Iouem venerati ſunt antiqui,quem ἑτόρειον vel vt alij & melius ſcribunt,ἑταιρεῖον appellabant:de quo & Athenæus,& Heſychius,qui ipſum ait in Creta in primis cultum fuiſſe.Theophilus verò Heterium Iouem ideo appellatum ſcribit,quòd mortalibus iuuans pater ſit,vel propter vtilitatem quæ ex ipſo prouenire putabatur:eius etiam meminit Arati interpres.Ioui præterea Hetærio Iaſonem legimus Hetæridia,vel Hetæria celebritatem inſtituiſſe in Magneſia, quam etiam poſtea Macedonum reges diu conſeruarunt:hinc patet eos falli, qui & Iouem Hetæridion nuncuparunt.Sanè Herodotus in primo Hiſtoriarum,Iouem ἐπίσιον, & ἑταιρήιον ſimul commemorat,cùm Crœſus intellexit Adraſtum hoſpitem filium ſuum interemiſſe incautè venando.quo loco ἐπίσιον Valla interpretatur hoſpitalem, & ἑτόρνιον familiarem.

Aliterius etiam Iupiter vocatus fuit,& Ceres Aliteria,quòd in publica fame ſeruaſſent molitores,ne farina diriperetur:quod in Ariſtophane notant grammatici.

matici.Sed qui propriè dicantur Aliterij (nam varia legimus ſignificata) lege Plutarch.de Curioſitate,id eſt περὶ πολυπραγμοσύνης, & item eiuſdem Problemata, Iulium Pollucem,ſed & Eraſmi prouerbia.

Dieſpiter Iupiter:Varro de Lingua lat. Nam olim Diouis & Dieſpiter dictus,id eſt diei pater:à quo dei dicti,qui inde dius,& diuus:vnde ſub dio, diuo, Dius Fidius.Macrobius verò Sat.primo:Cretenſes,inquit, Δία τὴν ἡμέραν,id eſt Iouem diem vocant. Ipſi quoque Romani Dieſpitrem appellant, vt diei patrem.Gellius quoque,quòd diei & lucis pater ſit,alij Διὸς,ἢ Διὸς pater dictum putant.D.autem Auguſtinus in quarto:Dieſpiter,ait,qui partum perducit ad diem.Horatius libro Carm.Namq; Dieſpiter, Igni coruſco nubila diuidens. Idem alibi,Sæpe Dieſpiter neglectus inceſto addidit integrum.meminit & Feſtus,vt modò in Lapide Ioue diximus.Neſcio vnde in mentem Lactantio venerit, libro primo vt ſcriberet:Pluton latinè eſt Dieſpiter,alij Orcum dicunt. niſi fortè ſecutus hæc Varronis verba:Idem,inquit,hic Dieſpiter, infimus, qui eſt coniunctus terræ,vbi omnia oriuntur,vbi oboriuntur, quorum quod finis ortus, &c.Lactantium in hoc Iſidorus ſecutus eſt.

Lucetius Iupiter.Seruius Honoratus in nono in Verg. comment. Lucetius, inquit,lingua Oſca Iupiter dictus à luce,quam præſtare hominibus dicitur.ipſe eſt enim noſtra lingua Dieſpiter.Gellius verò libro quinto:Lucetius, inquit, dictus Iupiter,quòd nos die & luce,quaſi vita ipſa afficeret,& iuuaret. Lucetium autem Iouem Cn.Neuius in libris belli Punici appellat.Macrob.lib. Sat. Nam cùm Iouem accipiamus lucis autorem, vnde & Lucetium Salij in carminibus canunt,& Cretenſes Δία τὴν ἡμέραν,id eſt Iouem diem, (ſic enim legendum potius,quàm Δία τὸν ἥμερον,id eſt Iouem manſuetum:vel φωσφόρον,vt alij, id eſt luciferum:nihil enim conuenit cum Lucetio & Dieſpitre) Lucetium, inquit Feſtus, Iouem appellabant,quòd eum lucis eſſe cauſam credebant.Lepreatæ etiam Iouem Leucæum coluêre,& apud ſe eius templum,vt Pauſan.in Eliac. tradit. hoc eſt, γενέσθαι δὲ οἱ Λεπρεᾶται σφίσιν ἔλεγον ἐν τῇ πόλει Λευκαίου Διὸς ναόν. Sed & Heraclitus philoſophus Aethrion Iouem appellauit,à ſplendore & luce,vt Strabo notat in primò:vbi Guarinus,eius hæc verba, καὶ τῆς ἄρκτου οὖρος αἰθρίου Διός, ita interpretatus eſt,Et pro vrſa ſereni Iouis terminus.Dictus ab æthra æthrius, vt ab æthere ætherius,& æthereus.

Pluuius Iupiter à noſtris vocatur.Tibullus:Arida nec pluuio ſupplicat herba Ioui.à Græcis ὄμβριος Ζεὺς dictus,cuius in primis meminit Pauſanias,& Phurnutus,& Pindari comment.Iouis Pluuij ſimulachrum Athenienſes venerabantur,& aram,quæ in monte Hymettio poſita fuerat:vnde cùm opus fuerat, ab Ioue pluuiam comprecabantur.& propterea Iupiter ipſe Hymettius cognominatus,vt alibi oſtendam.Sed in monte Parnete Iupiter Ombrius cultus fuit,qui et ἀπήμιος,id eſt innoxius:item ὑέτιος,id eſt pluuius, vel pluuialis, ab eadem cauſa cognominatus fuit.meminit & Phurnutus.Et ὕης quoq;,vt Heſychius notat, dictus eſt.Tertullianus hæc ſacra Aquilicia vocat,in Apolog.Aquilicia,inquit,Ioui immolatis.& in tertio adverſus Marcionem,Aquilicem vocat,qui aquam ipſam elicit.Indi quoque & ipſi eadem cauſa Iouem Pluuium colebant, vt Strabo lib.15.docet.

Elicius Iupiter,ab eliciendo dictus,vt Varro ait:cuius ara in Auentino fuit. Ouid.tertio Faſt.

Eliciunt cœlo te Iuppiter,vnde minores,
Nunc quoq; te celebrant,Eliciumq; vocant.

Et Plinius lib.2.vbi de fulminibus euocandis agit: Elicium quoque,inquit, Iouem accepimus.Ridenda certè legitur ex ſecundo hiſtoriarum Antiatis fabula, quo pacto artem Iouis eliciēdi edoctus Numa fuerit,quę lectione digna videtur: Numam,inquit,illum regem,cùm procurandi fulminis ſcientiam non haberet,

eſſetq;

eſſetq́ illi cupido noſcendi, Aegeriæ monitu caſtos duodecim iuuenes apud aquam celaſſe cum vinculis, vt cùm Faunus & Martius Picus ad id locorum venißent hauſtum (nam illis aquandi ſolenne iter huc fuit) inuaderent, cõſtringerent, colligarent. Sed quo res fieri expeditius poſſet, regem pocula non parui numeri vino mulſóque compleſſe, circáq; acceſſus fontis inſidioſam venturis oppoſuiſſe fallaciam: illos more de ſolito bibendi appetitione correptos, ad hoſpitia nota veniſſe. Sed cùm liquoribus odoratis offendiſſent fragrantia pocula, vetuſtioribus antepoſuiſſe res nouas, inuaſiſſe auiditer, dulcedine potionis captos hauſiſſe plus nimio, obdormiuiſſe, factos graues: tum bis ſenos incubuiſſe ſopitis, inieciſſe madidatis vincla, expergitóſque illos ſtatim perdocuiſſe regem, quibus ad terras modis Iupiter poſſet ſacrificiis elici. & accepta regem ſcientia, rem in Auentino feciſſe diuinam, elexiſſe ad terras Iouem, ab eoque quæſiſſe ritum procurationis. Iouem diu cunctatum: Expiabis, dixiſſe, capite fulgurita. regem reſpondiſſe, Cæpitio: Iouem rurſus, Humano: retuliſſe regem, ſed capillo: Deũ contrà, animali. ſubieciſſe Pompilium piſcis. Tunc ambiguis Iouem propoſitionibus captum, extuliſſe hanc vocem: Decepiſti me, Numa: nàm ego humanis capitibus procurari conſtitueram fulgurita, Numa capillo cæpitio. quoniam me tamen tua circumuenit aſturia, quem voluiſti habeto morem, & his rebus quas pactus es, procurationem ſemper ſuſcipies fulguritorum. Hactènus Arnobius in quinto, ex Antiate. T. Liuius lib. ab v. c. primo, cùm pontificem à Numa Martium, M. F. lectum ſcripſiſſet, vt ipſe edoceret ſacra & cerimonias, tum ſubdit: Quæq; prodigia fulminibus aliòve quouis modo miſſa ſuſciperentur atque curarentur, ad ea elicienda ex mentibus diuinis, Ioui Elicio aram in Auentino dicauit. *Sanè quoniam Liuius prodigia ſcribit à pontifice curari, vt expiarentur, & prodigialem Iouem legimus apud Plautum: Sed mulier, inquit, poſtquàm experrecta eſt, Prodigiali Ioui mola ſalſa aut thure comprecatam oportuit: quidam καταβασίους interpretati ſunt, vt etiam Apollo, eadem ratione. alibi verò de Catabate Ioue actum eſt. Sanè Plutarchus Elicium Iouem videtur à Græca voce ἰλέω, id eſt propitio, deducere. ipſum in Numæ vita legito. Legimus & apud Heſychium, in Cypro ἐλήτιους Iouem cultum.

Vimineus Iupiter. M. Varro: à quo Viminalis collis Romæ nuncupatus, inter Exquilias. Sic autem Vimineus Iupiter appellatus, quòd eius aræ in colle eſſent, vbi vimina multa nata eſſent. in hoc colle Fagutal ſacrum fieri ab antiquis, alicubi me legiſſe recordor. Fagutal verò à fago nuncupatum: vnde etiam Iouis Fagutalis, quòd ibi eius ſacellum eſſet. Idem Varro. Plin. lib. 16. cap. 10. Fagutal, inquit, Ioui etiam nunc eſt, vbi lucus fageus fuit. Feſtus: Fagutal, inquit, ſacellum Iouis, in quo fuit fagus arbor, quæ Ioui ſacra habebatur. P. quoque Victor in hac eadem regione, hoc eſt quinta, Iouis Viminei aram commemorat, prope Mineruam Medicam.

Veiouis, qui & Veiupiter dicebatur, & Vedius à Gellio, & Martiano, à ve particula, quæ in compoſitione nunc minuit, aliàs auget: vt vehemens, veſtibulum: quaſi paruus Iupiter nuncupatus. vel quòd nocẽdi vim habere crederetur, vt Gellius libro quinto docet. quidam Veiouem Apollinem eſſe crediderunt: Martianus Plutonem putauit. Ouid. in Faſt. Iouem paruum, ſine fulmine. Veiouis ſimulachrum in æde fuit, quæ ſita erat inter arcem & Capitoliũ. Sagittas tenebat, quæ videlicet paratæ viderentur ad nocendum: quapropter (vt dixi) plerique Apollinem eſſe tradiderunt, illiq; immolabatur ritu humano capra, eiúſque animalis figmentum iuxta ſimulachrum ſtabat, vt Gellius teſtatur. Caput Veioui cornutum ſcribit Alexander.

Maius Iupiter à Thuſculanis cultus, vt Macrobius ſcribit, à magnitudine & maieſtate ſic appellatus.

Inuentor Iupiter cognominatus & cultus à Romanis, cuius ara fuiſſe dicitur

prope portam trigeminem: ab Hercule verò inſtituta, inuentis bobus. in hac iuuencus immolabatur adultus. Eidem & in nuptiis ſacra fiebant: auctores, Dionyſ. in primo hiſt. Plutarch. Liuius, Suet. Lactantius.

Arbitrator Iupiter etiam Romæ cultus: cuius pentapylon: hoc eſt quinque columnarum porticum, vel potius quinque portarum, niſi pentaſtylon fortè legeretur. In Palatina regione fuiſſe ait P. Victor, in libello, quẽ de Vrbis Romæ regionibus ſcriptum reliquit. niſi mentitur inſcriptio, vt nonnulli aſſerunt.

Prædator Iupiter cognominatus, non quòd præeſſet prædatoribus, ſed quòd ei è præda aliquid deberetur. huius Sic Seruius grammaticus meminit in tertio Aeneid. commẽt. Romanis, inqt, moris fuit, vt bella geſturi, de parte prędæ aliquid numinibus pollicerentur: adeò vt Romæ fuerit vnum templum Iouis prędatoris, non quod prædæ præeſt, ſed quod ei aliquid ex præda debeat. Ad quod reſpexiſſe videtur Vergilius, cùm ait,

— Ipſumq́ue vocamus
In prædam, partemq́ue, Iouem.

Adultus Iupiter cognominatus, vt etiam Iuno adulta. Nam pręcipuè in connubiis deos quinque inuocabunt, Venerem, Suadelam, Dianam, & hos duos, Iouem Adultum & Adultam Iunonem. Plutarch. in Probl. ſed Græcè, τέλειος ζεὺς, καὶ ἡ ἥρα legitur, de quibus ſuis locis locupletius âgemus. Hos quidã, Perfectorem & Perfectricem interpretati ſunt.

Opitulus Iupiter, & Opitulator dictus, ait Feſtus, quaſi opis lator, vel (vt ait Auguſtinus) quod opem indigentibus ferret. Appellatus præterea Impulſor, Stabilitor, Centũpeda, Supinalis, Tigillus, Alumnus, vel potius Almus, & Ruminus: quod haberet impellendi, ſtabiliendi, reſupinandi poteſtatẽ: & vt D. ſcribit Auguſtinus lib. 7. Centumpeda cognominatus à ſtabilitate. nam eo firmius res conſiſtere dicuntur, quo pluribus nituntur pedibus. Tigillus autem dictus, quod mundum cõtinere exiſtimaretur, & ſuſtinere. Almus, vel Alumnus, quod aleret omnia. Ruminus, quòd ruma, id eſt mãma aleret animalia: & cætera, quæ eodem lib. executus eſt idem Auguſtinus, irridens gentiliũ ineptias. Sanè quòd Tigillum Iouem vocatum tradunt, fulcrũ ac ſuſtentaculum totius machinæ ſignificare videntur: vt illud eſt Orphei, quod ex Orpheo Apuleius conuertit, à principio à me recitatum, Iupiter eſt fundamen humi, & reliqua.

Dapalis Iupiter, à Latinis vocatus. dictus verò videtur, quod ei ſacra dapali epulo fierent. Sicuti enim dicimus cœnam dapalem, Marcello teſte, quę amplis dapibus plena eſt: ita & Iouem dapalem appellatũ exiſtimamus. M. Cato in lib. de Re ruſtic. Dapem, inquit, hoc modo fieri oportet, Ioui Dapali culignã vini quantũvis polluceto: eo die feriæ bubus & bubulcis, & qui dapem facient. cùm pollucere oportebit, ſic facies: Iupiter Dapalis, quod tibi fieri oportet in domo familiáque mea, culignam vini dapi eius rei ergô. Idem paulò pòſt, Iupiter Dapalis macte iſtace dape. εἰλαπιναστὴς etiam ζεὺς colebatur à Græcis, hoc eſt, vt arbitratu meo interpreter, conuiualis, vel dapalis Iupiter. εἰλαπίνη enim magnificum & ſplendidum conuiuij apparatum ſignificat, vt eſt apud Athenæum, Euſtathium, alios.

Vltor Iupiter à Romanis cultus, vt etiam Mars vltor, quod ſceleratorum impia facta vlciſcerentur. Plinius lib. 36. cap. 15. Pantheon, inquit, Ioui Vltori ab Agrippa factum. Hoc idem & nomiſmata quædam, ſi rectè remetior, ſignificant: quorum in præſens nulla eſt mihi copia.

Iam pleraque Iouis nomina & cognomina, Latina & Romana, pro virili mea ſum executus. nunc ad penè innumerabilem Græcorũ ſyluam, & bàrbarorum nonnullorum me conuertam, meum interim ſeruãs inſtitutum, vt quandocunque contigerit, Latinis peregrina conferã: vt ſi qui noſtra fortè legerint, ſaltem id ferant vtilitatis, ne longus ſit eis quærendi labor, omniáque vt expoſita & collecta in manibus habere videantur. Nomen igit̃ Iouis, vt ab hoc ſuperſtitioſe

exor-

exordiar, à Græcis pluſquàm decem monoſyllabis efferri obſeruamus, ζεὺς, ζὴν, δεὺς, δεὺς, ζὰν, ζὴς, ζὰς, δὶς, δὴν, δὰν, & δζεὺς Aeolicè.

Et ζεὺς quidem, vt Phurnutus ait, propterea dictus, quòd cauſa ſit τοῖς ζῶσι τοῦ ζῆν, id eſt, viuendi viuentibus. alij παρὰ τὸ ζέειν, hoc eſt feruere, quod Iouem ſupremum æthera putarent. ſcribit Lactantius: ζεὺς ſiue ζὴν Iupiter appellatus eſt, non (vt iſti putant) à feruore cœleſtis ignis, vel quod vitæ ſit dator, vel quod animãtibus inſpiret animas, & cætera: ſed quod primus ex liberis Saturni maribus vixerit. Δεὺς verò, ἀπὸ τοῦ δεύειν, hoc eſt ab irrigando deducitur, quod ſcilicet (vt ait Phurnutus) terram irriget, aut vitalem humorem mortalibus contribuat. vnde Verg. ait, Coniugis in lætæ gremium deſcendere: pro pluuia videlicet.

Dictæus Iupiter vocatus à Dicto, vel Dicte monte Cretæ. vtroq; enim modo dicitur, & promontorium eſt quod vergit in Libycum pelagus. Fuit & Dictæũ ſpelæum dicti montis, quod genere neutro etiam prolatum legimus. Aratus, δίκτῳ ἐν εὐώδει: id eſt, In Dicto odorifero. ſuper quæ verba Theon, ſi Theon eſt, Dicton, ait, promontorium eſt Cretæ, Idæ monti proximum, vbi lucus erat Iouis Alyſij, cuius & alibi memini. Sanè Zenodotus δίκτῳ apud Aratum pro dictamo intelligit: & ideo εὐώδει, id eſt odorifero. Dicton verò quidam dictum interpretantur, à δία καὶ τίκτω, quòd ibi natus eſt Iupiter. Agathocles verò genere fœminæ Dictæum montem putauit. Alij δίκτην inſulam eſſe aiunt, à piſcatoribus deriuatam δικτύων, vbi imberbe Iouis ſimulachrum fuit, quod Dictæum dicebatur. Strabo quidẽ in decimo, de Creta agens: In hoc, inquit, tractu Dictæi Iouis templum. nam Dicta proxima eſt, non montis Idæi vicina, vt ait Aratus: nam Dicte ab Ida ad orientem ſolem ſtadijs mille abeſt. Seruius autem libro 3. Aeneid. Dictæus, inquit, mons Cretæ eſt, dictus à Dicte nympha, quæ ibi colebatur, in quo monte dicitur altus Iupiter: vt, Dictæo cœli regem pauere ſub antro. & in Georg. ſecundo: Ante etiam ſceptrum Dictæi regis. quo etiam loco idem Seruius replicat.

Idæum Iouem quidam ab Ida Phrygiæ, alij ab Ida Cretæ cognominatum credidêre, vbi Iouis incunabula & ſepulchrum: de quo Martial.

Iuppiter Idæi riſit mendacia buſti. Et Statius,

Mentitaque manes Creta tuos.

Et Callimachus in hymno ad Iouem:

Ζεῦ, σὲ μὲν ἰδαίοισιν ἐν οὔρεσί φασι γενέσθαι. hoc eſt,

Iuppiter, Idæis genitum te in montibus aiunt.

Sed quæ de ara ipſius Iouis Idæi, apud Celænen Phrygiæ oppidum à Mida rege conſtructa, vt ex Calliſthene lib. 2. Metamorph. Plutarch. recitat, paucis vt potero adſcribam: Cùm, inquit, χάσμα, id eſt vorago apud Celænen plures tum domos, tum mortales abſorpſiſſet, Midas oraculo monitus, precioſa quæque in eo nihil proficiens coniecit. Anchurus verò eius regis filius, patre & vxore Timothea ſalutatis, nihil precioſius anima cognoſcens, cum equo in eam voraginem ſe coniecit: quo facto, in priorem faciem terra reuerſa eſt. Tum rex Midas eodem loco Iouis Idæi aram conſtruxit: quo loco lapis gignitur, qui ad præſtitutam diem aureus videtur. Hæc verò meis verbis potius, quàm interpretis, tibi expoſui. hanc eandem hiſtoriam poſt Plutarch. repetit Ioan. Stobæus in oratione περὶ φρονήσεως, id eſt de prudentia: niſi quòd non Anchurum, ſed Aegiſteum Midæ filium vocat, nec lapidis mentionem facit.

Aegiuchus, Græcè αἰγίοχος ζεὺς, ἢ αἰγιοῦχος, frequens apud Græcos cognomẽ Iouis, de quo ita Lactantius libro 1. Cretici, inquit, Iouis quid aliud, quàm quo modo ſit aut ſubtractus patri, aut nutritus, oſtendunt? Capella enim Amaltheæ nymphæ, quæ vberibus ſuis aluit infantem, de qua Germanicus Cæſar in Arateo carmine ſic ait,

——Illa putatur
Nutrix eſſe Iouis, ſi verè Iuppiter infans,

Vbera Creteæ mulſit fidiſsima capræ,
Sidere quæ claro gratum teſtatur alumnum.

Huius capellæ corio vſum eſſe pro ſcuto Iouem, contra Titanas dimicâtem, Muſæus auctor eſt: vnde à poetis Aegiochus nominatur. Hactenus ex Lactantio. Hyginus verò: Euhemerus, inquit, Aegam quandam fuiſſe Panos vxorem, eam compreſſam à Ioue peperiſſe, quem viri ſui Panos diceret filium. Itaq; puerum Aegipana, Iouem verò Aegiochum dictum, &c. Pindarus in Nem. νυῶ δὲ παρ αἰγιόχῳ δὶ κάλλιϛον ὄλβον. Scribunt Græci grammatici, quòd poſt Iouis natiuitatem, ipſe ſit in Creta à Capra inuentus, quæ illi τὴν ὀχὴν, id eſt nutrimentum exhibuit, poſtquàm occultatus fuiſſet, ne eũ Saturnus pater voraret, cuius capræ cornu ſit Amaltheæ datum. Vel Iupiter Aegiochus appellatus eſt, quod ægida haberet, hoc eſt capellæ pellem, quæ illum ablactaſſet. eóq; modo Aegiochus dictus eſt, quaſi αἰγίδοχος, id eſt ægida habens, δ litera ablata. Aegis verò quæ ſit, cùm Græcis, tum Latinis notius eſt, quàm quod vt hîc pluribus recitemus, neceſſe ſit. Effingebatur verò ex materia precioſa, ad capræ vel ouinæ pellis ſimilitudinem. Sunt qui à Vulcano in Iouis gratiam factam dicant. Alij, inter quos Arpocration, ægidas eſſe volunt nexus & plicaturas è coronis, & retia coronis implicata. atq; hinc ſunt qui nomen deductum eſſe opinentur. Sed coniecturis his miſſis, vnum illud addam, quod magis veriſimile videtur: non à capra videlicet, neq; à coronæ nexu, Iouem Aegiuchum nuncupatum, ſed à ventorum & turbinum conuerſionibus, quas ipſe Iupiter commoueat, Græcè αἰγίδας, & καταιγίδας appellatas: vt ex iis patet qui Meteora ſcribũt, & interpretañ. Sed enim Phurnutus ἀπὸ τοῦ ἀΐσσειν, Aegiuchum dictum ait, quòd ſcilicet impetu feratur. Meminit & Aegiochij Iouis Orpheus, & Nicander in Theriacis,

Μοῦσαι ὀλυμπιάδες κοῦραι διὸς αἰγιόχοιο. id eſt,
Muſæ cœleſtes natæ Iouis Aegiochij.

Sed ſatis ſuperq; de hoc.

Milichius, μειλίχιος ζεὺς, id eſt iucundus Iupiter, vt Domitius interpretatur, alij mitem Iouem dicunt, cùm apud cæteras Græciæ ciuitates, tum apud Athenienſes colebañ, in cuius celebritate extra vrbem in totius populi cõuentu victimas non veras Athenienſes immolabant, ſed cõmodè & pro tempore aſſimilatas & fictas, vt in primo Hiſt. Thucydides ſcribit. Vidi tamen vetuſtum codicẽ qui ſic habet, ἐν ᾗ πανδημεὶ θύουσι πολλοὶ οὐχ ἱερεῖα μόνοις, ἀλλὰ καὶ θύματα ἐπιχώρια. hoc eſt, in quo totius populi celebritate multi ſacrificant nõ victimas modò, ſed & ſacrificia, vel ludibria indigena. quod cùm Cylon olympionica Athenienſis malè ex oraculo intellexiſſet, voto fruſtratus eſt. Eſt & apud Pauſan. in Corinth. Iouem Milichium & Dianam Patroam nulla fabrefactos arte fuiſſe. nam Milichius Iupiter pyramide, Diana columna efficta fuerat. Fuit & apud Argiuos διὸς μειλιχίου ſimulachrum, Polycleti, vt idem tradit Pauſan. opus: qui & alibi Milichij Iouis templum commemorat, vbi Theſeus à morte latronum Scinis & aliorũ, à Phytali nepotibus luſtratus ac expiatus fuit. De Milichio Ioue & Leon philoſophus libro primo Epigram. μηδὲ νοήσω,

Ζηνὸς μειλιχίοιο λαχὼν θρόνον ἀνέρος οἶτον. id eſt, Ne quidẽ intelligam Iouis Milichij ſortitus ſoliũ, hominis perniciem. meminit & Phurnutus, & interpretatur. Porrò etiam legimus apud Myoneam vrbem, nõ procul à Naupacto ſitam, lucum & aram fuiſſe in montis vertice θεῶν μειλιχίων, quibus nocturna ſacra fiebant, & antequàm ſol exoriretur, omnes ſacrificij carnes abſumebantur.

Sthenius, σθένιος ζεὺς, hoc eſt, potens & robuſtus Iupiter apud Argiuos cognominatus eſt, vt in Muſica Plut. ſcribit. nam cùm apud Argiuos Sthenia celebritas tibiis celebraretur, & certamen perageretur, quod in Danaum priſcum illum referebatur, mox in διὸς σθενίου honorem mutatum fuit. meminit & Pauſan. in ſecundo, hoc eſt, in Corinthiacis.

Φράτριος ζεὺς, hoc eſt, tribulis, vel contribulis Iupiter. huius dies celebris erat

ſecunda

[illegible]da Apaturiorum, quæ ab effluxu cruoris h[illegible]tarum αἰάξφυοις vocabat, qua [illegible] in Apaturiis rem totam explicabimus. φράτριος καὶ πατρῷον δία eundem fa[illegible] Phauorinus. Plato diuerſum in Euthyphrone: Iupiter, inquit, Patrous nobis non vocatur. Hercetus tamen & Phratrius dictus eſt, & Minerua Phratria.

Alyſſius Iupiter cultus in dicto promontorio Cretæ, vbi lucus & templũ habuit celebre: Græcus Arati commentator. dictus παρὰ τὸ παρακείμενον ἐκεῖ ὄρος ἄλυσσον. Sed & Dictæus Iupiter cognominatus ab eodem monte, vt alibi docui. dictus eſt etiam Iupiter ἀλεξίτωρ, hoc eſt malorum depulſor. Sophocles in Oedipo Epicolono, ζεῦ ἀλεξίτωρ τίς ποθ᾽ ὁ πρέσβυς, id eſt, Iupiter malorum depulſor quiſnam hic ſenex?

Μοιραγέτης ζεύς, hoc eſt, Iupiter Parcarũ dux: colebat enim vnà cum Parcis. vel ideo dictus, quòd mortaliũ Parcas & fata regat. Cultus verò in primis in Olympia, & apud Arcades, & Phocẽſes. Meminit Pauſ. in Arcad. et Phocaic. vbi duas tantum Parcas fuiſſe tradit, tertiũq; Iouem ipſum earũ ducẽ, hoc eſt Mœragetem.

Aegyptius, & Nilus Iupiter vocatus fuit, vt in Græcis commẽtariis legimus. Parmenes citatur his verbis, αἰγύπτιε ζεῦ νεῖλε. & Pindarus, νειλοῖο πρὸς πιοκτίμενον κρονίδα, id eſt, Nili ad templum Saturnij. Sed quare Nilus dictus, & aliis etiã pluribus nominibus, Zetzes Iſaacius apud Lycophronẽ oſtendit, & Diodorus Siculus, & apud Pindarum interpretes: ne plura hoc loco congeram, quæ à Pico referuntur in Hymnorum ſuorum commentariis.

Tarſos Iupiter appellatus apud antiquos, vt eſt apud Euſtathium in cõmentariis Dionyſij Afri: qui tamen & in hoc citat Eratoſthenem, à quo vrbi Ciliciæ celebri nomen Terſos, & mox Tarſus impoſitum. eo enim loci in primis colebatur. Duorum hæc inter alios patria inſignium, Pauli ſcilicet apoſtoli, & Hermogenis rhetoris. Multa de Tarſo tradunt, quæ vt referam, noſtri nõ eſt inſtituti.

πλούσιος ζεύς, id eſt Pluſius & diues Iupiter, hoc cognomine colebat à Græcis, cuius templum legimus fuiſſe apud Lacedæmonios, vt auctor eſt Pauſanias.

ὑπερδέξιος ζεύς, Hyperdexius Iupiter, & Hyperdexia Minerua: dicti ſunt, vt Stephanus tradit, à regiuncula Lesbi: et ita Hyperdexion dicimus, vt Byzãtion.

Hecatombæus Iupiter in Gortyna, vt Heſychius ait, appellatus & à Caribus & Cretenſibus. Sunt qui putent primum Græcorum menſem Hecatombeona vocatum ab Ioue, vt docuimus in lib. de Annis & menſibus, &c. Sed & hoc nomine Apollo nuncupatus ab Athenienſibus. quin Arpocration, aliiq; libentius menſem ipſum Apollini attribuunt.

ἠλεῖος ζεύς, hoc eſt Eleus Iupiter, teſte Stephano, licet in vulgatis codicibus ſcribatur ἀλεῖος, vbi de Eli ciuitate agit. nam Doricè η in α vertitur. Sic & Pindarus in quodam Iſthm. ζηνὸς ἀλείου, pro ἠλείου, vt etiam notat Græcus interpres. Dicitur & ἄλιος interdum, & cum afflatu ἅλιος, in eiſdem commentariis Pindaricis. Latini ferè omnes Elæus cum diphthongo ſcribere conſueuerunt: quàm rectè, neſcio. Propertius in tertio,

Nec Iouis Elæi cœlum imitata domus,

Statius: Atticus Elæi ſenior Iouis. Elæus ergo Iupiter, qui & Olympius vocabat, oraculo prius, mox ludis publicis celebratiſſimus fuit in agro Piſano apud Elin: vnde illi nomen. cuius templum refertiſſimum donariis fuit. ibi enim ſolidum ex auro ipſius Iouis ſimulachrũ, & Phidiæ eburnea ſtatua, incredibilis magnitudinis. Plin. Strabo, alij. Colebatur & in Cypro Elæus Iupiter, vt auctor eſt Heſychius: qui & illud tradit, quod etiam à Thebanis ἐλιεὺς ζεύς, id eſt Elieus Iupiter colebatur. nunc verò de Olympio agendum.

Olympius Iupiter, vt Stephanus ſcribit, celebrabatur in Olympia, quæ prius dicebatur Piſa, vnde & certamen Olympicum vocatum eſt. Olympiorum verò quis inſtitutor fuerit, variæ ſunt ſententiæ. quæ magis recepta, in Herculem refertur: qua de re in cõmentariis in Pindari Olympia copioſè agit, & ab Iſaacio in Lycophronẽ. Sed de Olympio Ioue Pauſ. in Attic. & in Eliacis. Pomponius

vero Mela lib. ſecundo: In Achaia, inquit, quondam Piſæ Oenomai, Elis, & numẽ delubrúmq; Olympij Iouis, certamine gymnico, & ſingulari ſanctitate, ipſo quidem tamen ſimulachro, quod Phidiæ opus eſt, maximè nobile. Plin. de Ioue Phidię Olympio, quem nemo (inquit) ęmulatur, propter ſcilicet excellentiã. & alibi, hoc eſt lib. XXXVI: Phidiam, inquit, clariſſimum eſſe per omnes gentes, quæ Iouis Olympij famam intelligunt, nemo dubitat. Fuerunt qui Olympium Iouem à monte dictum putarunt. Diod. Siculus in quarto, eum cognominatum prodit ab Olympo præfecto, qui Iouem erudiuit. Hinc & Latini Olympum aliquando pro Ioue ceperunt. Vergilius: Panditur interea domus omnipotentis Olympi. Et Neuius, à quo deſumpſit Vergilius: Pandit̃ interea domus altitonantis Olympi: quod Cæcilius Minutianus obſeruauit. Sed enim de Ioue Olympio omnia plena. nã non modò poetæ, ſed & cæteri ſcriptores, vt Victruuius, vt Strabo, vt Val. Max. Sed illud hoc loco te ignorare nolo, & alibi locorum Olympium Iouem cultum fuiſſe, & templa habuiſſe. nam T. Liuius libro 4. Dec. 3. ſcribit, apud Syracuſanos Olympij Iouis templũ celebre fuiſſe. & idem Decadis quintæ lib. primo: Magnificentiæ verò, inquit, in deos, vel Iouis Olympij templum Athenis in terris vnum inchoatum pro magnitudine Dei poteſt teſtis eſſe. Fuit & apud Megarenſes Iouis Olympij ſeu Olympici celebre & lucus & templum, in quo ſic proditum eſt, ipſius Iouis Olympij ſimulachrũ fuiſſe non affabre elaboratum, in quo πρόσωπον, id eſt, os ſeu facies ebore auróq; conſtabat, reliquum verò corpus luto & gypſo: opus, vt teſtantur, Theocoſmi Megarenſis, adiutore Phidia. Supra Iouis caput Horæ erant, & Parcæ. vni enim Ioui fata parere notiſſimum eſt, eundémq; tẽpus vbi opus ſit diſtribuere. Sanè & in conuiuiis primum poculum, ſeu primus crater Ioui Olympio, & deis Olympiis, vt Pollux ſcribit, libabat̃. Sed hac de re non eſt cur plura ſcribã, ne de via exeam. Olympius igit̃ Iupiter, Piſæus etiã dicebat̃, id quod Theocriti interpres in quarto Eidyllio teſtat̃: qui & Piſam ait appellatã à Piſo Apharei, vel à Piſa Endymionis. Piſęi Iouis & Pindarus, & Pindari commentatores in Olymp. meminêre.

Phyſicus Iupiter etiam ab antiquis appellatus eſt, vt Theon teſtatur, & pro aere tum interpretabantur.

Panomphæus Iupiter cognominatus, quòd omniũ voce ac lingua coleretur, παρὰ τὸ πᾶν καὶ ὀμφή, hoc eſt, ab omni voce: quòd ſcilicet omnes voces exaudiat, & omniũ voce colatur: quod ſcribit Euſtathius apud Homerum in Iliade. Phauorinus Iouem Panomphęum ideo ſecundũ allegoriam vocari ait, quòd in eum omnis vox feratur. Omnis enim vocis cauſa eſt aer. eſt enim vox aer percuſſus. At verò iuxta fabulam Panomphæus dicit̃, quòd omnis vaticinij cauſa ſit. cæteri enim alij omnes ὑποφῆται, id eſt ſubuates Iouis ſunt, ſiue dei illi ſint ſiue homines. Panomphæum ait Heſychius, & itẽ Suidas, ᾧ πᾶσα ὀμφὴ καὶ μαντέια ἀναφαίνεται: hoc eſt, quo vox omnis & vaticiniũ mõſtret̃, vel appareat. Ouid. in Metam.

Ara Panomphæo vetus eſt ſacrata tonanti.

Orpheus in Argonaut. Ζηνὶ πανομφαίῳ ἠδ' ἐπακτίῳ ἀπόλλωνι. meminit & Homerus.

Caræus Iupiter, vt ſcribit Heſychius, à Bœotiis nũcupabat̃, quod altus ac celſus ſit, παρὰ τὸ κάρη, καρηνός, id eſt, à capite Caręus. Inuenit̃ & κάριος ζεὺς, vt ſcribit Stephanus, qui à Mylaſenſibus colebatur. dictus verò à Caria regione. meminit & Carij Iouis Herodotus lib. primo, qui ait, eius delubrum vetuſtiſſimũ fuiſſe, quo communiter & Lydi vtebantur, vt qui inter ſe germani haberentur, & fratres.

Hoploſmius Iupiter ab antiquis cultus, vbinam gentium, non ſuccurrit legiſſe. Hoploſmij Iouis ſacerdos cùm occiſus fuiſſet, nec à quo ſciretur: quidam dixerunt ſe de ipſo audiuiſſe, cui caput fuerat præciſum: ſæpius dicente, Virum ſuper virum Cercidas occidit. per eam prouinciã diu ſatis quæſitus hoc nomine homo, & inuētus, & in iudicium adductus. Fuit & apud Elidem in honore Hoploſmia Iuno.

Aſcræum etiam Iouem cognominatum legimus apud Plutarchum in eo libro

bro qui inſcribitur, Vtrum animæ an corporis affectus ſint peiores: hoc eſt, ϖότερον τὰ τῆς ψυχῆς ἢ τὰ τοῦ σώματος ϖάθη χείρονα. Non Aſcræo, inquit, Ioui Lydiorum fructuum primitias afferentes. Ab Aſcra verò, vt coniectura ducimur, nuncupatus eſſe videtur.

Στράτιος ζεὺς, hoc eſt, Militaris Iupiter: variis verò in locis hoc nomine colebatur Iupiter. In Caria quidem, meminit Herodotus. à Caribus enim eum cultum prodidit. Ait enim, Cares victos à Perſis ad Labrandam in Iouis Stratij templum (militaris Valla interpretatur) ſe recepiſſe. Item Strabo lib. XIIII, vbi totam eam regionem deſcribit. Plin. lib. XVI. cap. nouiſſimo: In Ponto, inquit, circa Heracleam aræ ſunt Iouis, Stratij cognomine. ſic caſtigat Hermolaus ex Iul. Polluce, cum antea Statiui legeretur: ibique quercus duæ ab Hercule ſatæ. Iouis Stratij etiam meminit Appianus in Mithridatico: quo loco & deſcribit, poſt recuperatam Cappadociam quomodo Mithridates Muræna eiecto, in montis vertice ei ſacrificium fecerit.

Morius Iupiter cognominatus ex cauſa, quòd cùm ſatæ fuiſſent Athenis in Academia oliuæ ſacræ, quæ ab illis Moriæ appellabantur, & diris ac deuotionibus eos inſecuti eſſent, ſi quis læſiſſet, quod ſcientes Lacedęmonij, in agrũ Atticum irruentes illis pepercerunt: qua ex re Iupiter cognomen inuenit Morius, cui & ara erecta fuit in Academia. Moria autem ea de cauſa olea dicta eſt, quòd ex ea oleum daretur Panathenæa vincentibus. eſt enim nomen illi à cæde, quæ Græcè μόρος dicitur: cùm Halirrhothiũ Neptuni filium Mars interfeciſſet, vt eſt apud Pauſan. meminit Plin. in VII. item Hellanicus, & in declamationibus Libanius rhetor.

Expiator, ſeu Expiatorius Iupiter, hoc eſt, qui à Græcis καθάρσιος ζεὺς dictus eſt: huius meminit in primis Herodotus in primo, vbi filium Crœſi in venatione interfectum ab Adraſto ſcribit, qui Sardis eo tempore fuerat, vt ſe à cæde expiaret, cui rex ignouit: ille nihilominus ſe ſuper buſtum necati transfodit. ipſum lege. Catharſij etiam Iouis ara fuit in Olympia, vt Pauſ. ſcribit. Pollux verò Solonem permiſiſſe ait, in Plynteriis & eiuſmodi diebus, deos treis iurare: καθάρσιον ſcilicet, hoc eſt expiatorẽ: ἱκέσιον, id eſt ſupplicẽ: & ἐξακεστήριον, id eſt depulſorem.

Ἀπόμυιος ζεὺς, id eſt Muſcarius Iupiter, ſic cognominatus à fugandis pellendiſque muſcis. Ferunt, cùm Hercules in Olympia rem diuinam faceret, & multitudine muſcarũ infeſtaretur, Ioui Apomyio ſacrificaſſe: qua re illicò vltra Alpheũ fluuium muſcæ omnes facto agmine euolarunt. quin & Elei ibidem rem ſacram Apomyio Ioui facere conſueuere, vt in noſtro Hercule ſcripſimus. Repete & in hoc, quæ alibi de Myiagro deo prodidimus.

Κτήσιος ζεὺς, id eſt locuples, vel vt Domitius apud Pauſ. interpretatur, opulentus Iupiter, quem potuiſſemus coniungere commodè cum ϖλουσίῳ. colebatur verò Ctesius Iupiter ſummo cultu ab Athenienſibus cui & ambroſiam in dedicatione afferebant, nõ herbam illam quidem, ſed vt docet Athenæus, omnigenas fruges cum oleo & latice. Cteſij Iouis meminit & Phurnutus, & Hyperides in oratione ad Apellæum, qui ait ἐν ταμείοις, id eſt in cubiculis ſtatui. meminit & Menander in falſo Hercule, & Suidas, & Harpocration. Quidam quæſtuarium tranſtulerunt.

Νικηφόριος ζεὺς nuncupatur ab vrbe Meſopotamiæ Nicephorio: ex cuius reſponſo, vt Aelius Spartianus auctor eſt, Adrianus imperator imperium ſibi futurum intellexit. Sed & in nomiſmatibus vetuſtis ſæpe Iouẽ Nicephorion conſpeximus, id eſt victoriam geſtantẽ. quin & ita fingi, ab huius Syntagmatis principio diximus. Nicephorij etiam mentio fit apud T. Liuium de bello Macedonico, vbi lib. ſecundo de conditionibus agit Attali regis legatus: Naues captiuóſque, quæ ad Chium nauali prælio capta eſſent, & Nicephorium, Veneriſque templũ quæ ſpoliaſſet, vaſtaſſetq́. & deinde paulò poſt: Nã, inquit, quod ad Nicephoriũ Veneriſq́ templi reſtitutionẽ attinet, &c. quidã hoc loco intelligunt

de Nicephorio luco, ad Pergamū in Aſia ab Eumene rege ſato, cuius in XIII. Strabo meminit. nam aliud eſt Nicephorium, quod Plin. ait ex vico in vrbis formam ab Alexandro Macedone conditum, ex argumento victoriæ inſignis ibi partæ. videndum verò an νικατόριον Strabonis idem ſit: & an Conſtantia, quæ ſic etiam à Stephano traditur. ego nihil ſtatuo, vt cuique integrum ſit: cùm plerunque nec loca, nec tempora congruant.

Ἄλτιος ζεὺς, Altius Iupiter cognominatus eſt, vt Pindarici expoſitores interpretantur, quod Altis lucus ſit ſacer Ioui. Ariſtodimus verò locum circa Olympiam hoc nomine vocari prodidit, vnde ſit Iupiter vocatus Altius. Sunt qui Altin adytum exponant apud Poetam, aliqui templum. Alia verò plura de templo & ſimulachro Iouis Altij traduntur, quæ libens ipſe prætereo.

Ἄρειος ζεὺς, hoc eſt, Martius Iupiter, vel pugnax, vt exponit interpres apud Plut. Sic à Sophocle in Philoctete vocatur. quem omnes inuocant, ac ei ſupplicant: vt ſcribit Plut. in vita Pyrrhi. Huic deo Epirotarū reges peracta re ſacra in Paſſarone Theſprotidis, Epirotis iurare ſolebant, iurè ſe regnaturos: Epirotæ verò, illud ſe iure ſeruaturos. Pauſanias verò lib. 5. Areum Iouem ab Eleis coli ſcripſit: Ferūt, inquit, Oenomaum, quoties filiæ procis curule certamen proponeret, Areo Ioui rem ſacram facere ſolitū. Sed & ἀρείαν Mineruam, id eſt Martiam, vel pugnacem, legimus, cuius ſuo loco à nobis fiet mentio.

Palæſten Iouem vocauit Lycophron, quaſi tu dicas palæſtritam. cùm enim, vt ferunt, Olympicum certamen Hercules inſtituiſſet, quod quinquageſimo quoque menſe celebrabatur, paucíque in palęſtram deſcendere viderentur, Iupiter mutata forma luctatorem ſimulans, cum Hercule certauit: dúmque anceps videretur victoria, ſe filio Iupiter manifeſtauit, atque ex ea lucta illi cognomen Luctatoris inditum eſt.

Μελισσαῖος ζεὺς, Meliſſæus Iupiter, à nympha nominatus, quæ ipſum Ioue aluiſſe dicta eſt, vt copioſius alibi meminimus. ab apibus nuncupatum volunt, quæ μελίσσαι vocantur. nam Amalthea & Meliſſa ſorores, Iouem puerum caprino lacte & melle nutriuerunt: qua ex re confictum de apibus. Sed Meliſſam Matri deûm ſacerdotē primùm fuiſſe accepimus, à qua deinceps reliquæ ſacerdotes eodem nomine fuēre nūcupatę. Sed & ad alios deos tralatæ, vt Pindarus oſtendit. Nam & Cereris ſacerdotes eodē nomine fuēre. Nymphæ item quædam Meliſſæ appellatæ, quas & Melias quidam dixerunt. Sed de his omnibus inter Nymphas abundè agemus.

Μαιμάκτης, Memactes Iupiter dictus, à quo Mæmacterion quintus Athenienſium menſis, qui eſt hyemis initium, cùm iam aer turbatur. nā μαιμάκτης furentē, confuſum ac perturbatum ſignificat, vt eſt apud Arpocrationem. Non repeto quæ ſcripſimus in libro de Annis, menſibus, &c. nam ſecutus Gazam, ibi non quintum, ſed quartum prodidi, allatis ſimul & aliorum ſententiis.

Herceus Iupiter, ἑρκεῖος ζεὺς cognominatus, quod aræ eius intus in ſepto ædiū, præſertim optimarum, erigerentur. περίβολον enim, id eſt circuitum & ſeptū, ἕρκος vocant Græci, vt Arpocration ſcribit ſuper ea Dinarchi oratoris verba, ex oratione aduerſus Moſchionem: Si tribulis, inquit, illi & aræ Iouis Hercei & Apollinis patrij ſunt. Nam cùm de ingenuitate ſuorum Athenienſes agerent, inter cętera & hoc interrogabant, an ipſis eſſet Iupiter Hercæus, & Apollo patrius, & quædam quæ ad rem noſtram non faciunt. hoc idem ſcribit & Pollux lib. VIII. de nouem principibus vrbis agens. Dionyſius Alicarnaſ. in primo Hiſt. exiſtimari ait ab aliquibus Hercæos deos eſſe, qui & Patrij & Genethlij vocātur. Sed de deis Hercæis, quos nos Penetrales & Penates dicimus, plura alias. De Herceo Ioue meminit in Ibin Ouidius, Priamum ſignificans,

Cui nihil Hercæi profuit ara Iouis.

Apud Argiuos in templo Mineruæ, Iouis ſignum trium oculorum fuiſſe ſcribit Pauſ. in Corinth. his ferme verbis: In æde Mineruæ, inquit, cùm alia ſigna poſita

ſita ſunt,tũ Iouis ligneum, oculos habens duos, qua in parte homini eos natura locauit,tertiũ verò in fronte.hunc illum eſſe Iouem patriũ tradunt,qui in Priami Laomedõtis filij regia ſub diuo poſitus fuit, ad cuius aram dicit̃ Priamus capto Ilio cõfugiſſe. obtigiſſe verò eũ in diuiſione prędę Sthenelo Capanei filio,hócq; ipſo in loco ab eo in rei memoriã dicatũ.habere autẽ eũ tris oculos iccirco conijcere quis poſſit, quòd cõmunis omnium hominũ ſermo regnare in cœlo Iouem prædicat. Quòd autem idem etiam ſub terris imperet, Homeri verſu teſtatũ eſt:

Iupiter infernus,atq; inclyta Perſephonea.

Aeſchylus quidem Euphorionis filius, ipſum maris etiam regem Iouem appellat. quare hac ductus ratione,quicũq; illum fecit, tris ei oculos attribuit,vnũ & eundem ſignificans Deum,tribus,quas Dei tres ſortiti interſe dicuntur mundi partes,imperare.atq; hactenus Pauſanias.Quod et innuunt Latini,cum Plutonem Iouem Stygium & infernum,& Neptunum ſecundũ Iouem nuncupant: tertium verò, ſupremum & cœleſtem. Scribit Arrianus, Alexandrum Magnum Priami manibus ad aram Iouis Hercæi parentaſſe,vt illos placaret.Lucanus in X,Hercæas monſtrator(ait)non reſpicis aras.Meminit & Seruius ſecundo Aen.& Vergilius cùm canit,Ingens ara fuit,iuxtáq; veterrima laurus,Incumbens aræ, &c.Scribit Porphyrius, ſeu quicunq; ille eſt in Homerum, quod antiqui ædium partes deis conſecrabant, interiorem partem Ioui Hercæo attribuebant,in cuius medio & aram erigebant, atq; ideo ἀπὸ τοῦ ἕρκους, id eſt à ſepiendo & circundando Herceus dicebatur. inde & ἕρκος,hoc eſt ſeptum.Plato in Euthydemo:Iupiter,inquit,Patrius à nobis nõ vocatur: Herceus autem,& Phratrius, & Phratria Minerua, &c. Quare neſcio vnde illi in mentẽ venerit, vt protectorem vrbis, & curatorem tribus apud Platonẽ tranſtulerit.Sunt etiã qui Erceum Iouem ſine afflatu ſcribendum putent,quo pacto & in pleriſq; Græcorum codicibus inuenitur: ab arcendóque deductum noſtri quidam arbitrantur, quòd ſcilicet mala arcere crederetur. Sed Græca vocabula etymologiam Latinam non habent, vt noſti. Ab Herceo Meſerceos deducitur, quod & Heſychius, & idem Porphyrius Iouis epitheton eſſe tradiderunt. Proditum eſt à Pherecyde lib. Hiſtoriarum XII, cùm Danaes & Perſei hiſtoriam enarrat:Acriſiũ,cùm animaduertiſſet Danaen filiam peperiſſe, & puerum iam trium annorũ eſſe, vel quatuor,Danaæ nutricem interfeciſſe: Danaen cũ puero, ad Iouis Hercei aram adduxiſſe,ipſámq; interrogaſſe, Cuiúsnam puer filius eſſet? Danaen reſpondiſſe,Iouis.Hoc idem & in commentariis in Argon.Apollonij Rhodij legitur.Sanè & ἑργαῖος ζεὺς,ab Heſychio appellatur,Iupiter ſcilicet aereus.

Xenius Iupiter, id eſt hoſpitalis, colebatur apud antiquos ſumma religione, Vergilius,

Iupiter,hoſpitibus nam te dare iura loquuntur,

Vt notat etiam Seruius in primo Aeneid.Ouidius in X.Metamorph.

Ante fores horum ſtabat Iouis hoſpitis ara.

Cicero in oratione pro rege Deiotaro: Si veneno,Iouis illius quidem Hoſpitalis numen nunquam celare potuiſſet,homines verò fortaſſe celauiſſet.

Scribunt Apollonij interpretes in ſecũdo Argon.quod in Genetęo promontorio apud Tibarenos Scythiæ populos, Xenius Iupiter colebatur,quem & ab ipſo promontorio Apollonius alio loco Genetæum appellauit. Valer.Flaccus Apollonium æmulatus, ita canit in quinto:

Inde Genetæi rupem Iouis,hinc Tibarenum
Dant virides poſt terga lacus.

Hoc loco poſſem multos Apollonij verſus ex libro ſecũdo afferre,quos conſultò omiſi.hos tantùm afferam, incultè meis verbis expreſſos:

Hícq; Genetæi Iouis alta cacumina flectunt. Idem & paulò ſuprà.

Hic propè verſantur dites pecorum Tibareni,
Vnde Genetæam Iouis hoſpitis aſpicis arcem.

Sanè

Sanè Hoſpitalis Iupiter tãta religione & cultu ab antiquis colebatur, vt piaculum maximum eſſe duceretur, hoſpitium violare: vt non modò apud poetas, verumetiam hiſtoriæ ſcriptores & philoſophos facilè videmus. Plato in VIII de Legibus, eam de terminis & finibus legem ſtatuit, vt ſi quis paruum lapidem iu reiurando à deis firmatũ, quo amicitię & inimicitiæ terminanť, mouerit. alterius enim Iupiter ὁμόφυλος, id eſt cõtribulis: alterius Xenios, id eſt hoſpitalis, eſt teſtis. apud Herodotũ ἐπίσιος Ioue hoſpitalẽ, vt alibi oſtendimus, Valla interpretatus eſt. Is præterea mos antiquis fuit, vt dimidiatam teſſeram hoſpitibus darẽt, quo hoſpites inuicem agnoſcerentur: quod ius etiam ad poſteros tranſiſſe legimus. De hoſpitali teſſera apud veteres mentionem factam, in Plauti Comœdiis videmus: hinc & xenia, munera quæ hoſpitibus dabanť, dicta fuerunt, quorũ etiam iurecõſulti meminère, vt Politianus docet in Miſcellaneis, & eum ſequutus Budæus: quos, ſi fortè hac de re plura quæris, legito. Porrò & illud notandum quoq;, Lautia, quæ à Romanis munera legatis dabantur, quorum eſt hiſtoricis frequens mentio, ſed in primis Liuio, & à Plutarcho in Queſtionibus Romanis ſunt interpretata, à Grę cis xenia etiam appellabanť, vt fit à Demoſthene in oratione De legatione. Xenia enim Philippi regis legatis Athenienſium data ſic vocauit, id quod & alicubi Plutarchus. quin & eodẽ modo vſus eſt Appianus, cùm ſcribit, Phameam, qui cum Scipione nauigauerat, à Senatu ſuſceptum, xeniiſq; plurimis donatum, purpureáq; veſte, & fibula aurea, & equo phaleris aureis ornato. Sed & eiuſdem vocis vſum in Pandectis reperimus, ſi modo rectè leganturquo tamen loco viri doctiſſimi genuinã & legitimam vocem reſtituerunt, reiecta adulterina ac ſuppoſititia.

Dodonæus Iupiter celebris, à Dodona Epiri. Pomponius Mela libro ſecundo: In Epiro, inquit, Dodonæi Iouis templum, & fons ideo ſacer, quòd cùm ſit frigidus, & immerſas faces, ſicut cæteri extinguat, vbi ſine igne procul admouentur, accendit. meminit & Solinus: Tertius, inquit, Europæ ſinus incipit à Cerauniis montibus, deſinit in Helleſpontum: in eo apud Moloſſos, vbi Dodonæi Iouis templum eſt, Tomarus mons eſt, &c. Idem & Plinius in principio quarti libri Dodonæi Iouis, & Strabo libro quinto meminit, & Stephanus in Dodona, T. Liuius, Aſconius Pædianus, Hyginus, alij. in Priap. Dodona eſt tibi Iuppiter ſacrata.

Moloſſus Iupiter, à Moloſſis Epiri populis et Chaoniæ cognominatus, apud quos oracula quercus reddebant. Statius in tertio Theb.

—— Non Cirrha deum promiſerit antro
Certius, aut frondes, lucis quos fama Moloſſis
Chaonias ſonuiſſe tibi.

Vnde & Moloſſum quoque pedem dictum quidam volunt, quod in templo Iouis Moloſſi odæ hoc metro & pede canerenť, in honorẽ Moloſſi Andromaches filij: vnde etiamnũ dicta ſunt Moloſſia feſta: tametſi Diomedes grammaticus pedem hunc dictũ exiſtimauit, quod eo in bello Moloſſi populi vterẽtur.

Ἰθωμήτης, vel Doricè Ἰθωμάτης cognominatus Iupiter, vt ſcribit Stephanus, ab Ithome vrbe Theſſalię Pelaſgica. eſt & Meſſenæ, vbi nutritum, à quibuſdã proditum eſt, Iouem fuiſſe, ab Ithome & Neda, quarum altera monti & vrbi nomen dedit, altera fluuio, quod in Meſſen. à Pauſ. ſcribitur. Fuerunt & Ἰθωμαῖα feſta: ibidem celebrata. Stephanus tamen ab Ithomo rege, non à nympha, Ithomen vocatum ſcribit. Clemens Alexandrinus in lib. quo ad veritatẽ gentes adhortatur: Ariſtomenes, inquit, Meſſenius Ioui, quẽ illi appellant Ithometen, trecentos homines ſacrificauit. hoc idẽ ſcribit Euſebius in Prę paratione euang. & Cyrillus in lib. contra Iulianũ Cęſarẽ. Longa eſt apud Pauſ. mentio de bello ipſo Meſſeniaco, & de oraculo à Pythia reddito, déq; tripodibus qui circa aram Iouis Ithomatæ fuerũt, & de Ithome Haloſi, & excidio, déq; Ithomatę Iouis ſimulachro, quod Ageladæ opus fuit: &c. De hoc Ioue Theodoritus in Oratione de Sacrificiis.

Τροπαιοῦχος Ζεὺς, Tropæuchus Iupiter cognominatus, quòd trophæis præeſſet, vnde & illi nomen: cuius Græci frequenter meminerunt, vt eſt apud Dionyſium Alicarnaſ. & Plutarchū in hiſtoria Othryadis & Poſthumi Albini, & Phurnutum de Natura deorū. nos quoq; nonnihil in Ioue Feretrio ſuprà retulimus, Quinetiam Pauſ. in Lacon. Tropæi Iouis templum commemorat, quod factum ait quodā bello à Dorienſibus. Simili fermè ratione & Trophæa Iuno, quam Græci libentius τροπαίαν ἥραν nuncupant.

Ἀταβύριος Ζεὺς, Atabyrius Iupiter vocatus à monte Rhodi Inſulæ Atabyro, vt ait Stephanus: vel Atabyri, vt Strabo, qui montem eius inſulæ altiſſimum affirmat. mons verò ſic appellatus eſt ab Atabyro quopiā Telchine. De Ioue Atabyrio Pindarus meminit in Olymp. Diagoram Rhodium victorem celebrans: quo loco Scholiaſtes ex Timæi ſententia, Atabyrion etiam in Sicilia montē ait. Quin illud etiam, in Atabyrio oues æneas fuiſſe inquit, quæ mugirent, quoties iniqui ibi quippiam fieret. Lactantius Firmianus lib. primo, nō à monte Iouem Atabyrium nūcupatum prodit, ſed ab Atabyrio hoſpite, & adiutore bellorum: ſicut & Labradæus. Iouem enim ſcribit rerum potitum, in tantam veniſſe inſolentiam, vt ipſe ſibi fana multis in locis conſtitueret: & quamcunq; in regionem veniret, reges ac populorū principes ſibi hoſpitio & amicitia copulabat. & cùm ab eis digrederetur, fana ſibi, ſui & hoſpitis nomine iubebat erigi, ratus id amicitiam & fœderis memoriam diutius conſeruare. ſic, inquit, Atabyrius appellatus, Labradæus, Laprius, Caſſius, Molion, & eiuſmodi alia, ab hoſpitum vocabulis. Hinc manifeſtè deprehendas, perperàm legi in Appiani hiſtoria Mithridatica, Tabyrium Iouem, pro Atabyrio: idq; nec ſemel. Sed & in v. Diodori Siculi, quem ſextum fecit in tralatione Poggius, Achamarium vocauit pro Atabyrio: Athamenes, inquit, in eam Rhodi orā abiit, quæ Camiros dicitur, ſupràq; Atabyrum montem Ioui templum conſtruxit, Atabyrium appellatum.

Ἀπεσάντιος Ζεὺς, Apeſantius Iupiter, quem Callimachus in Iambis ἀπέσας vocauit, vt Stephanus notauit. κ' οὐχ ὧδ' ἀρέων τῷ ἀπέσαντι παρ δὶ ἰθυσεν ἀρκάδας ἵππους. dictus verò Apeſas, ſiue Apeſantius Iupiter, à monte Nemææ: vt Pindarus & Callimachus, ab Apeſante quopiam heroe, qui ei regioni imperauit: vel propter miſſionem curruum, hoc eſt, διὰ τὴν ἄφεσιν τῶν ἁρμάτων. vel leonis: illic enim ex luna leo cecidit, vt Stephanus. Achilles verò in Arati commentariis, cùm de luna agit, in qua habitationes eſſe, & flumina, & quæcunq; alia ſunt in terra: tum illud ſubdit, καὶ τὸν λέοντα, τὸν νεμιαῖον ἐκεῖθεν πεσεῖν μυθολογοῦσιν. hoc eſt, Et leonē Nemiæum inde cecidiſſe fabulātur. Pauſ. verò in Argolicis, de Nemea agens, ita ſubiunxit: & mons Apeſas eſt ſuper Nemeam, vbi tradūt Perſea Ioui Apeſantio primùm ſacrificaſſe. quod et Statius Papinius in tertio Thebaid. ita canens teſtatur:

Mons erat audaci ſeductus in æthera dorſo,
Nomine Lernæi memorant Apeſanta coloni,
Gentibus Argolicis olim ſacer, inde ferebant,
Nubila ſuſpenſo celerem temeraſſe volatu Perſea.

Mox addit, in oratione quam ibi Amphiaraus ad Iouem habet:

Iuppiter omnipotens, nam te pernicibus alis
Addere conſilium, volucresq; implere futuri,
Ominaq; & cauſas cœlo deferre latentes Accipimus, &c.

Quo in loco non æquè eſt audiendus Lactantius grammaticus. parum enim probata affert: Quidam libentius cū afflatu ſcribunt, Aphesas & Aphesantius.

Ἀφλύσιος Ζεὺς, ſi quidem Græcum Herodoti codicem legimus: in Latinum verò à Valla conuerſum, Laphyſtius, quē ex noſtris pleriq; ſecuti ſunt. in commentariis autē in ſecūdum librū Argon. Apollonij ita legimus: Dipſacus Phyllidis filius Bithyniæ & indigenæ cuiuſdā nymphæ filij, Phrixum Athamantis filium fugientem

fugientem cum ariete hoſpitio ſuſcepit.aiunt verò,in Colchos cùm veniſſet,Ioui Laphyſtio ibi arietem iugulaſſe. & diu legem extitiſſe Phrixi poſteris, eidem Ioui ſacra facere.Herodotus autem lib. VII,qui Polymnia inſcribitur, hiſtoriã ipſam copioſius executus eſt.ait enim,de templo Iouis Laphyſtij, ab indigenis hæc narrari:Athamantem Aeoli filium inito cum Ino conſilio,necẽ Phrixo machinatum:deinde Achæos ex oraculo tale certamen illius poſteris propoſuiſſe, quod & ſubſcribit.tu cætera lege.Pauſ. quoq; Laphyſtium collẽ in Bœotia deſcribit,in quo Iouis Laphyſtij lucus fuit,à Coronia x. diſtãs ſtadijs,vbi cùm Athamas Phrixum & Hellẽ eſſet immolaturus,arietem aurei velleris ab Ioue miſſum fabulantur,cui arieti inſidentes ambo aufugerunt.Sunt & qui Laphyſtium Bacchum nuncupent,vt alibi dicetur.

Trophonij Iouis oraculum in Lebadia Bœotiæ, in IX deſcribit Strabo. ait enim,conſtructum ibi eius oraculum, quod hiatus ſubterranei deſcenſum haberet.deſcendebat autẽ,qui ſuſcepturus eſſet oraculum.T.Liuius quinto quintæ Decad.libro, de Paulo Aemylio loquens: Lebadiæ quoq;, inquit,templum Iouis Trophonij adiit. ibi cùm vidiſſet os ſpecus, per quod oraculo vtentes ſciſcitatum deos deſcendunt, ſacrificio Ioui Hercynnæq; facto, quorum ibi templum eſt: & reliqua,licet parum probè ſcripta.Sed enim Trophonij oraculi celebris & frequens apud ſcriptores mentio, M.Tullium in Tuſculanis,Herodotum in Clio, Philoſtratum in Apollonij Tyanei vita,Pauſaniam,Lucianum, & contra Celſum Origenem. ſed & Homerus meminit in Apollinis hymno.Horúmq; nullus Iouis Trophonij, præter vnum Strabonem,& alterum T.Liuium, nomine nuncupauit.quin & alibi quoq; Strabo,non Iouis, ſed ſimplici Trophonij nomine protulit.Si tamen de Trophonio plura concupiſcis,præter ſupra citatos lege Suidam,Phauorinum,commentarios in Ariſtophanem: & his longè plura qui collegit,Eraſmum in Prouerbiis,qui Trophonij oraculum(Deus bone) D.Patricij Scoti puteo contulit.

Sed de Trophonio & Agamede hiſtoriam ſcribit Pauſan. in Bœoticis, déq; omni ritu & cærimoniis ſcitandi Trophonij oraculum.

Labradeus,vel Labrandenus Iupiter cognominatus, ſiquidem Strabonẽ ſequamur,& Stephanum:ſi Plut.& Lactantium,Labradeus. de hoc igitur ſic Plutarch.in Quæſtionibus: Quid eſt, inquit, quod in Caria Labradei Iouis ſimulachrum ſecurim, non ſceptrum aut fulmen tenet? quia, ait, Hercules interfecta Hippolyte,cùm præter alia ſecurim quoq; illi eripuiſſet, Omphalæ dono dedit, quam Lydorum poſtea reges per manus tradentes, ſicut alia ſacra, ferre conſuerunt: donec Candaules indignum cenſens, vni ex ſociis ferendam tradidit. ſed poſtquàm Gyges ab eo deſciſcens bellum Candauli intulit, Arſelis ex Myleis auxilia Gygi adduxit,& Candaulem ſociúmq; eius occidit,& vnà cum reliquis ſpoliis ſecurim in Cariam detulit, ibique extructo Iouis ſimulachro, ſecurim in illius manu dedit, & Labradeum Iouem appellauit. nã Lydi ſecurim vel bipennẽ λάβρυν vocant. Plutarch. hactenus. Lactantius tamen Firmianus libro primo,cap. XXII, Labradeum Iouem ab hominis nomine proprio deduci, his verbis ait: Sic ſunt conſtituta templa Ioui Atabyrio,Ioui Labradeo. Atabyrius enim,& Labradeus,hoſpites atque adiutores Iouis in bello fuerũt. Aelianus verò: Labradeus, inquit,Iupiter nominatus eſt,quòd permultũ pluiſſet.ab eodem & hoc proditum eſt, quòd in Iouis Labradei fons fuit limpidus,in quo eſſent piſces manſueti, qui monilibus & inauribus auratis forent ornati, quod quidem templum LXX ſtadia ab vrbe Mylaſia diſtabat.Ex huius Iouis Labradei ſtatua gladius nomine Carius appenſus fuit,qui ideo venerationẽ habuiſſe dictus eſt, quòd Cares primi belli officinas inſtituerũt,pecunia & mercede militarunt,loris clypeos appenderunt,& criſtas galeis accommodarunt.Cares autem appellati à Care Ioue Cretenſi. hæc ferè Aemilianus. Strabo lib. XIIII ab his diuerſa ſcribit: Mylaſij, inquit,duo Iouis templa habent: eius qui ὠσογὼ, & eius qui Labrandenus

brandenus vocatur. hoc quidẽ in vrbe, Labranda verò vicus eſt in monte. Idem tradit & Stephanus.

Κάσιος Ζεὺς, Caſius Iupiter, nuncupatus à Caſio monte, vrbe Aegypti, de quibus ſic Stephanus: Caſion mons & vrbs Aegypti, ante Peluſium. dicitur autem à Caſo, vna Cycladum inſula, vel à Caſo Cleomachi filio, à quo & Caſij Iouis fanum. Strabo verò lib. XVI: Caſius, inquit, eſt mons quidẽ accumulatus in promontorij modum, aquarum inops. in eo magni Pompeij corpus iacet, & Caſij Iouis templum: & non procul inde Magnus iugulatus fuit, & ab Aegyptiis dolo interẽptus. Hinc Lucanus de Pompeij ſepulchro: Et Caſio præferre Ioui. meminit & Procopius hiſtoriarum libro quarto. Lactantius Firmianus, Caſium Iouem denominatum ait, à Caſio Iouis hoſpite & adiutore, vt de aliis paulò antè ſcripſimus.

Triphylius Iupiter, hoc eſt, τρίφυλιος Ζεὺς, dictus eſt à Triphylia, de qua Strabo lib. VIII. Triphylij, inquit, ideo vocati ſunt, quia illis contigit, vt tria φῦλα, id eſt tres tribus ſeu nationes in vnum congregatæ conderent: principiò quidẽ, Apeorum: deinde Minyarum, qui accolæ ſuperacceſſerunt: & poſtremò Eleorum, qui victores, loci compotes extiterunt. Sunt qui pro Minyis Arcades dicant. Stephanus tamen Triphylian Elin eſſe ait, qui & τρίφυλοι vocantur. dicti verò ἀπὸ τῶν τριῶν φυλῶν, id eſt à tribus tribubus, quot condita vrbs eſt. vel ἀπὸ τῶν πύλων, tribus pylis vrbis, ſeu portis: vel portis à Triphyle Clytij matre. De Ioue verò Triphylio Lactantius lib. primo: Antiquus, inquit, auctor Euhemerus, qui fuit ex ciuitate Meſſana, res geſtas Iouis & cæterorum qui dei putantur, collegit, hiſtoriámque contexuit ex titulis & inſcriptionibus ſacris, quæ in antiquiſsimis templis habebantur, maximéque in fano Iouis Triphylij, vbi auream columnam poſitam eſſe ab ipſo Ioue, titulus indicabat: in qua columna geſta ſua perſcripſit, vt monumenta eſſent poſteris rerum ſuarum. Hæc & plura Lactantius, quæ & retulimus in tertio dialogo de Hiſtoria poetarum, cùm Euhemeri vitam explicaremus.

Triphylij Iouis meminit & Diod. Siculus in quinto, quem VI Poggius fecit. aitque, non in Græcia, ſed in Arabia Felice inſulam fuiſſe, in qua & mons & templum Iouis Triphylij in campo, item vrbs Panara, regio Panchæa dicta. Sed & Euſebius libro ſecundo Præparationis euangelicæ, licet in Latino exẽplari Trapezuntij Georgij hoc loco, vt aliis penè innumerabilibus, multa deſiderentur.

Arboreus Iupiter, hoc eſt (vt Græci dicunt) ἔνδενδρος Ζεὺς, & cultus & nuncupatus à Rhodiis, Heſychio & Phauorino teſtibus. eodem nomine & vocatus Dionyſius, à Bœotiis.

Sardeſsius Iupiter, hoc eſt, Græcè σαρδήσσιος Ζεὺς, vt Stephanus ſcribit, colebatur in Sardeſſo Lyciæ vrbe, quæ à Lyrneſſo non multum diſtabat.

Chryſaoreus Iupiter, Græcè dictus χρυσαορεὺς Ζεὺς, cognominatus, vt Strabo in XIIII notat, in Caria. in agro Stratonicenſium duo fuerunt templa: alterum Hecatæ apud Laginos, vt in Hecate dicemus: alterum prope vrbem Iouis Chryſaorei, Caribus omnibus commune, quò illi ſacrificaturi & de communibus rebus deliberaturi conueniebant, qui conuentus Chryſaoreus vocabatur, ex vicis conſtans: in quo qui plures vicos attuliſſent, ij in ſuffragiis antecellebãt. quemadmodum Ceramietæ, id eſt, ex Ceramo Cariæ vrbe: & Stratonicenſes, quanquam propriè non eſſent Carici generis, de conuentu tamen Chryſaorei participabant. Porrò vt rem planius teneas, Stephanus Chryſaorida vrbem ait fuiſſe Cariæ, quæ mox Adrias nuncupata ſit. Apollonius vrbem hanc primùm à Lyciis conditam ſcribit, vnde fiat gentile nomen Chryſaoreus. Epaphroditus verò totam Cariam Chryſaorida vocitatam prodidit.

Chthonium etiã Iouem legimus. nam & deos Chthonios vocamus, vt ſuo loco exponemus. Chthonius tamen Ζεὺς ab Heſychio, Pluto ſcribitur. At Pauſ. in Eliacis, inter cæteras aras quæ in Olympia fuerant, & Διὸς χθονίου aram reponit.

Ταϱαντᾶιος ζεὺς, Tarantæus Iupiter, non à Taranto Italiæ, ſed à Taranto vrbe Bithyniæ, quæ maſculo genere enunciatur, vt apud Stephanum in libro de Vrbibus, vel potius in eius Epitome ab Hermolao Conſtantinopolitano cõfecta, legimus: quæ vrbs & per δ, id eſt Darandos, etiam profertur. Taranti, vel Tarantæi Iouis, Demoſthenes libro ſecundo Bithyniacôn meminit.

Ἀϱιςαῖος ζεὺς, Ariſtęus Iupiter vocatus, & Apollo ἀγϱεὺς καὶ νόμιος. ſic notāt Apollonij Rhodij interpretes, in ſecundo Argon. qui cùm non aliud tradāt, niſi quæ pertinent ad Ariſtæi hiſtoriam, quam ipſi multiplicē narrant, & Probus & Seruius apud Vergilium, item Pindari expoſitores, non viſum eſt mihi de Ariſtæo hoc loco plura congerere. ipſum enim ſeorſum deſcripſi.

Ἰκμαῖος ζεὺς, hoc eſt, Icmæus & humidus Iupiter, in Ceo inſula cultus, vt pluribus in ſecundo Argon. canit Apollonius, de Ariſtæo agens, vbi hoc carmen legitur: Atq; aram fecit magnā Iouis Icmęi: hoc eſt, καὶ βωμὸν ποίησε μέγαν διὸς ἰκμαίοιο. quo loco multa quidem commentatores. Sed ea præſtat Latina audire ex Probo grammatico, qui eadem fermè in verſu hoc Vergilij ex primo Georg. recitat, Et cultor nemorum, cui pinguia Ceæ, &c. Inſula eſt, inquit, Cea in Aegæo mari, in qua ſunt vrbes quatuor, Iulis, Carrhea, Phoceſſa, Coreſſa. ibi exiſtimatur fuiſſe peſtilentia pecorum & armentorum grauis, propter interitum Actęonis. Ariſtæus, monſtrāte Apolline patre, profectus eſt in eā inſulam, & ibi ſacrificio facto, aram Ioui Icmæo conſtituit: qui placatis flatibus & æſtu, qui necabant & armenta & pecora, liberauit eam. ipſe autem poſt exceſſum vitæ, imperāte oraculo, ab immorantibus eam inſulam relatus in numerum deorū, appellatus eſt Nomius & Aegoros: quòd & agreſti ſtudio, & cura pecorum armentorúmque, non mediocriter profuerit hominibus. Traditur hæc hiſtoria de Ariſtæo, in corpore Argonautarum à Varrone Atacino. hæc Probus. Sanè non Aegoros legit Apollonius, ſed ἀγϱεύς: & expoſitores cauſam afferunt, quam & in Pindari commentariis legimus.

Φύξιος ζεὺς, hoc eſt, Fugitiuus Iupiter, vt in quarto Argon. ſcribunt Apollonij interpretes. Phyxius vero nūcupatus, quòd fugientibus auxilietur, & ad quem confugiant ij quibus eo loci mors immineat. iidem tamen interpretes libro ſecundo, ſuper ea verba,

Τὸν μὲν ἔπειτ' ἔϱϱεξεν ἑῆς ὑποθημοσύνῃσι,
Φυξίῳ ἐκ πάντων κϱονίδῃ διί. id eſt, quem vtiq; poſtea ſacrificauit ſuis monitis, Phyxio ex omnibus Saturnio Ioui, ſic tradunt: Phyxius Iupiter à Theſſalis, ſiue quòd tempore Deucalionis effugerunt diluuium, ſiue quòd Phryxus in ipſum confugit. addunt iidem alibi: quòd fugiens Phryxus in terram Colchiā, ſeruatus eſt, vbi arietem aureum Ioui Phyxio ſacrificauit, quoniam effugiſſet inſidias nouercæ. Idem & Iſaacius in Lycophronem ſcribit. Pauſ. tamen in Atticis: Cui deo (ait) Phryxus arietem dicauerit, non liquêre. ſed vt cõiectare licet, is eſt, quem apud Orchomenios Laphyſtiū nuncupant, de quo paulò pòſt plura. Porrò & Philoſtratus in heroicis ait, Phyxium etiam Apollinem cultum, id eſt fugę præſidem, vt in Apolline dicemus cõmodè. Quidam mihi inſulſè videntᷣ Phryxium, à Phryxo nuncupare.

Apollonius etiam in primo Argon. appellat οἶτον Mortem φυξίους, quòd fugæ faueat: vel à fugienda violentia Martis.

Ὕψιςος ζεὺς, id eſt, altiſſimus Iupiter, & excelſus. Thebis verò colebatur. ſic autem appellatus ab Hypſiſta porta, quæ inter Thebanas portas quinta fuit. & quoniam ſuper ipſam Iouis templum erat, ideo ita cognominatū Iouem ferunt. Legi & eodem cognomine in Olympo monte Iouē cultum fuiſſe. tametſi perpetuum etiam ſit Iouis hoc cognomen.

Ὁμολώιος ζεὺς. Homoloius Iupiter dictus eſt, & ὁμόλοος: in Bœotia colebatur, vt Stephanus in libro de Vrbibus ſcribit, vbi de Homole agit. Heſychius & Suidas, eum Iouem cultū fuiſſe Thebis, ſed & in aliis Bœotiæ vrbibus. alij Homo-

Ioian vatem Ennyus filiam dixerunt, quam Ariſtophanes in Thebaicis II, ait miſſam fuiſſe Delphos: & ab eo Iupiter cognominatus. Iſter autem, apud Aeoles ait ὁμόλον concordem ac pacificum ſignificare, vnde factũ ſit Ioui cognomen Homoloius. Culta fuit etiã Thebis Ceres Homoloia. Sanè ſeptima Thebarum porta Homoloia, teſte Pauſ. dicta fuit: vnde & Homoloides portæ, teſte Statio, nuncupatæ fuere. Statius lib. 7. Theb.

—Quàm celſus ahena

Sphinge per ingentes Homoloidas exeat Hemon.

Id etiam atteſtatur Lactantius grammaticus, qui eas portas ſeptem fuiſſe ait: vnde & Thebana ciuitas Heptapylos dicta eſt.

Hymettius Iupiter, & Parnethius, à montibus Atticis cognominatus fuit, vt Pauſ. ſcribit, & Heſychius: qui & Apollinem ait Hymettiũ, quòd ibi coleretur. Parnethius verò Iupiter in eodẽ monte æneus fuit. Itémq; ara Iouis Semalei, id eſt σημαλέυ, quaſi qui ſigna demonſtret. Heliconius quoq; Iupiter, vt Heſiodi in Theogonia expoſitores tradũt, dictus eſt, ſuper ea Heſiodi verba, καὶ βωμοῖς ἐρισθενέος κρονίωνος: id eſt, & aram potentis Iouis in Helicone. vbi eius ſedes erat, vnde eſt Heliconius. Cronion verò, id eſt Saturnius, vt Latini: & Cronia, Saturnalia. Fuit & Heliconius Neptunus, vt alio loco dicã, à Peloponneſi vrbe Helice.

Σαώτης ζεύς, Saotas Iupiter Theſpiis cultus, cuius ſimulachrũ apud Theſpios viſebatur. hac autem de cauſa hoc illi cognomen fuit. Cùm draco vrbem vaſtaret, Iupiter mandauit, vt adoleſcentem ſortè eductum ſingulis annis ſerpẽti immolarent. Sors Cleoſtrato obtigit. quare Meneſtratus eius amator machinatus eſt thoracem æneum, ſingulisq; thoracis ſquamis hamum ſurſum verſus connexuit, & eo ſe thorace induit, ſeq; vltrò feræ obtulit, vt vnà & ipſe & draco interirent: quare Theſpienſes Saotæ Ioui ſimulachrũ erexêre. Legimus porrò & Dionyſium hoc cognomine apud Trœzenios aram habuiſſe. Pauſ. auctor.

Hypatus, id eſt ſupremus Iupiter. Orpheus, χαῖρε ἄνα προπάτωρ ζεὺς ἄφθιτε, χαῖρε ὕπατε ζεῦ. Deorum enim ſupremus Iupiter. Pauſ. tamen ait, Hypaton montẽ fuiſſe in Bœotia, ſupra Gliſſantem, vetuſtam eius loci vrbem: quo in monte Iouis Hypati templum fuit. idem auctor in Attica ſcribit, Iouis Hypati aram fuiſſe in εἰσόδῳ, id eſt veſtibulo delubri, quod Erechthion appellabant, ad quam aram nihil animatum immolabant. Sed id ibi inſtituti fuerat, vt varij generis πέμματα, id eſt bellaria, vel libamenta apponerent, abſq; vino. In Arcadicis verò, Cecropem ait omnium primum Iouem ὕπατον, id eſt ſupremum vocaſſe. Pelani autem placentæ genus, ex flore farinæ confecti, item guttæ ſeu lachrymæ thuris & gummi: item obolus offerebatur, qui mercedis gratia vati dabatur.

Τριόφθαλμος ζεύς hoc eſt, Trioculus Iupiter, ſic ideo appellatus, quòd ſcilicet cœleſtis, terreſtris, & marinus ſit. nam Δία vocant poetæ Iouem, Neptunum, & Plutonem. Huiuſmodi Iouis ex ligno ſtatuam habuiſſe Priamum, ſcribit Pauſ. quæ tres oculos haberet: quorum vnus eſſet in fronte, reliqui verò ea parte qua ceteri. Erat autem ſtatua hæc ſub diuo poſita, in aulę medio, ad quam confugit Priamus in vrbis Troiæ direptione. Cùm verò ſpolia inter ſe Græci diuiderent, Sthenelus ſimulachrum illud Argos abſtulit. Sed & idem, quod omnia videre & inſpectare crederetur, ἐπόπτης, id eſt ſpectator, teſte Heſychio, vocabatur. Hinc & Phurnutus ait, quòd Iouis oculus πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει: id eſt, omnia cernat, omniáq; audiat. quod & de ſole Homerus canit, & ab eo poetę cęteri. quod ait & Plin. in ſecũdo. Quin eadem item ratione ἐπόψιος Apollo nuncupatus. Sed & ab Athenienſibus ἐπόπτης etiam cognominatus, quòd proſpiciat & præſit.

Ancheſmius Iupiter, vel vt legit Domitius, Antheſmius, dictus à monte Atticæ Ancheſmo, non ſatis magno.

Epidotas Iupiter apud Lacedæmonios cultus, vt eſt apud Heſychium. Pauſ. verò Mantinenſibus Epidotæ Iouis templum fuiſſe prodidit, ea ratione nuncupati, quod mortalibus bona daret. alio quoq; loco idem Pauſ. ἐπιδότας numero

plurium commemorat, cùm ait: Antonium virum ſenatoriũ Aeſculapij balnea conſtruxiſſe, & deorum templum, quos Epidotas vocabant.

Πολιεὺς Ζεὺς, Polieus Iupiter, id eſt ciuilis, vel vrbis præſes, aut cuſtos, ab Athenienſibus cultus fuit, cuius ſimulachrum Leochares fecit, vt eſt à Pauſ. proditũ. Huic deo hęc ſacra impendebant. Hordeum tritico mixtum in eius ara, nulla cuſtodia, appoſitum ſeruabatur. Bos autẽ, quę ad ſacrificium illuc accedebat, quo ad ſacrificium frugéſq; pertractabat, ex ſacerdotibus vnum βουφόνον, id eſt bouicidam vocabant: hic ſecurim iniiciebat, extemplóq; fugiebat. ita enim mos fuit ſacri peragendi. Alij eius facti auctorem ſe ignorare ſimulantes, ſecurim ipſam ad iudicium agebant. qua de re alibi ita comperio, quod in foro ad Prytaneum ferro rebúſq; omnibus ἀψύχοις, id eſt inanimatis iudicia exerceret. quod ex ea cauſa manaſſe exiſtimatur, quòd Erichthone Athenienſibus imperante, tunc primùm bouem ad huius dei arã Buphonus mactauit, ſecuriq; ibi relicta, ex finibus Atticis aufugit. Securis ipſa fuit à iudicibus abſoluta: quod genus iudicij vſque ad Pauſaniæ, hoc eſt Adriani tempora, quotannis celebrabatur. Poliei Iouis meminit et Phurnutus de Nat. deorum, item Stephanus de Vrbibus, quo loco agit de Poli Aegypti vrbe. πολιέα Iouem, ait, ideo ſic vocari, quòd à genitiuo πόλιος formetur, vertendo ο in ευς. Colebatur & Polias Minerua, vt idem ſcribit in Alalcomenio. Illud præterea notat Heſychius, quod διιπολίεια celebritas ea fuit, quæ Athenis agebatur, ab Ioue Polieo deducta, cui Athenienſes rem ſacram faciebant in memoriam molæ & bouis. Sic quidem Grecus codex habet, ἐς μνήμην τοῦ πελάνου καὶ τοῦ βοός. ego, τοῦ πελέκυος, id eſt ſecuris, emẽdo: propter ea quæ ſuprà ex Pauſania retulimus.

Panhellenius Iupiter cognominatus ea de cauſa, quòd eius templum Grecis omnibus eſſet cõmune. meminit Pauſ. in primo & ſecũdo. Adrianus imperator Athenienſibus Διὸς, id eſt Iouis πανελληνίου, & item Iunonis templum cõdidit, c & xx marmoris Phrygij columnis inſigne. Dictus eſt & Hellenius Iupiter, vt eſt apud Pindarum, quo in loco multa Græcus interpres recitat: quòd ſcilicet Aeacus à ſuis rogatus, ab Ioue patre pluuiã in magna ſiccitate impetrarit. Idem & Pauſan. refert his verbis: In Moluridis montis vertice Iouis Apheſij, id eſt, vt Domitius interpretatur, Dimiſſorij, templum fuit. Ferũt enim, cùm ſiccitas Græciam inuaſiſſet, poſt peractum ab Aeaco ſacrificium Ioui Panhellenio in Aegina, Iouem quæ oblata acceperat dimiſiſſe, atq; ita dimiſſorium appellatũ Iouem. Hæc fermè Pauſanias.

Fuit & in Aegina Panhellenij mons.

Legimus & Liberum vocatum Panhellinon, conceſſumq; Athenienſibus, vt eius nominis templum conſtruerent, vt tradit Dion.

Scotinas Iupiter, vt Stephanus ſcribit, vel vt Pauſ. Scotitas, niſi praue legatur: ſic cognominatus à loco, qui fuit in Laconia, ab Hermis vico venientibus, arboribus conſitus, cui non arborum denſitas tenebras faciebat, attamen ipſe Iupiter ſic vocatus dicitur ἀπὸ τοῦ σκότου.

Ambulius Iupiter, cultus apud Laconas in quodam loco, in quo porticus fuêre quadrangulares, ibidem & Ambuliæ Mineruæ ara, & Caſtorum, eodem cognomine. Pauſ.

Euanemi Iouis ſimiliter apud Laconas fuiſſe legimus ſimulachrum, à bono videlicet referendo vento, vt vox ipſa declarat. Pauſ. auctor.

Cappotas Iupiter nuncupatus hac ratione. ſcribit Pauſ. trib. fortaſſe ſtadiis à Gytheo vrbe Laconica ſaxum fuiſſe, in quo ſedens Oreſtes, furore ac inſania liberatus ſit. quare, inquit, lapis ipſe lingua Dorica Iupiter Cappotas dictus eſt.

Homogynus Iupiter in Aegio verſus mare templum habuit, quo loco Agamemnonem ferunt Græciæ principes collegiſſe, vnde nomen eſt deductum: ibiq; eum deliberaſſe de bello Priamo inferendo, vt vlciſceretur Helenæ rapinã. ὁμόγυιος, Homognius verò Iupiter, id eſt gentilis, vel cognatus, quẽ fratres, quiq;

eiuſdem

eiuſdem generis fuerant, colebant. Meminit Phurnutus, & Arati Græcus interpres, aliíque.

Εἰλαπιναστὴς ζεὺς, hoc eſt, vt arbitratu meo interpreter, conuiualis Iupiter (εἰλαπίνη quippe, magnificum et ſplendidum conuiuij apparatum, apud Athenęum, & Euſtathium, & alios ſignificat) fortè cùm Dapali Ioue Latinorum conuenit, de quo iam egimus.

Splanchnotomos etiam Iupiter in inſula Cypri cultus fuit, appellatus ab inciſione interaneorum & viſcerum, meminit in quarto Athenæus.

Γαμήλιος ζεὺς, hoc eſt, nuptialis Iupiter, quòd nuptiarum & matrimonij curã habere putaretur. Huius meminit & Chryſippus, & D. Hieronymus in Iouinianum: Ridiculè, inquit, Chryſippus ducendam vxorem ſapienti præcipit, ne Iouem Gamelium & Genethlium violet. iſto enim modo apud Latinos ducenda vxor non erit, quia Iouem non habent nuptialem. Gameliam quoq; Iunonẽ cultam legimus, qua de re in Iunone ſatis, vt ſpero, diſſeremus. Porrò Genethliũ Iouem Græci vocarunt, quòd ei cura foret liberûm gignendorum.

Τέλειος ζεὺς, hoc eſt perfectus, vel adultus Iupiter: ſic & Iuno τελεία. crebra & frequens horum memoria Græcis ſcriptoribus. Scribit Diodorus, Teleo Ioui omnes ſacrificaſſe, & Teleæ Iunoni, quoniam hos primos nuptiarũ duces, ac inuentores omnium exiſtimarunt antiqui. At verò Tegeatæ, vt Pauſan. tradit, διὸς τελείου aram in foro habuere, ſtatuámq; quadrangularem illi ſtatuere, qua figura ipſi gaudent. τέλειος, inquit Heſychius, τελεσιουργός, καὶ ὁλόκληρος: hoc eſt, perfector & integer Iupiter. hic & in nuptiis colebatur, & ἥρα τελεία: vnde & nubẽtes τέλειοι vocati ſunt. De Iunone τελεία ſuo loco agemus. Sciendum verò illud quoq;, προτέλεια dici, & προγάμεια, nõ modò ſacra quæ ante nuptias fiebant, ſed & munera quę antè offerebantur. Porrò & illud attendendum, de poculorũ lege, quæ religioſe antiquis fuit obſeruata, & de ea multa à Græcis ſcriptoribus in primis traduntur. Poculum illud quod Ioui Seruatori propinabatur, id eſt Soteri, & τέλειον appellabatur.

ἀρότριος ζεὺς, Aratrius Iupiter apud Phœnices cultus, Cœli filius ab eis exiſtimatus, & Saturni frater: cui Dagoni nomen fuit, cuius in ſacra hiſtoria Hebręorum crebra mentio eſt. Aratri verò inuẽtor ab illis exiſtimatus, vnde & ἀρότριος cognominatus: de quo Philon Byblius in iis quæ ex Sachoniathone tranſtulit, teſte Porphyrio philoſopho, & Euſebio in primo Præparationis Euang. Porrò de Dagone in primo Regum, cap. 5. multa legũtur: cum in eius templo captam arcam Domini Palæſtini, id eſt Philiſtæi, repoſuerunt, magno ſuo periculo, & maiore miraculo. meminit & Suidas. hunc Phœnices frumenti & aratri inuentorem putabant.

Hecaleſius Iupiter à Theſeo conſtitutus in terra Attica, à nomine anus Hecales, de qua in Priapeis:

Aequalis tibi, quam domum reuertens,
Theſeus repperit in rogo iacentem.

cui & ſacra inſtituit. Plut. alij. Stephanus, ἑκάλην ait populum fuiſſe Leontidis tribus Atticæ, vnde ſit dictus Iupiter Hecalius. Heſychius verò, ἑκάλειος (inquit) ζεὺς, quem Hecale erexit. ſed hac de re multi multa: quorum tamẽ Politianum inter eos primum fuiſſe videmus, qui de Hecale permulta ſcripſit.

Enæſimus Iupiter in Coronea cultus, ait Heſychius. ἐναίσιμος verò, mitis, ſuauis, officioſus & bonus eſt. nam αἴσιον bonum, verum & honeſtum ſignificat: αἴσιμον autem, decens & fatale. Sanè Aeneſius etiam Iupiter colebatur in monte Cephaleniæ inſulæ, teſte Strabone in decimo, de quo et comment. Apollonij in ſecundo Argon. quo loco ſcribunt: Aenus mons eſt Cephaleniæ, in quo Aenæſij Iouis templum eſt, cuius & Leon meminit in περίπλῳ, & Demoſt. ἐν λιμέσι. item Heſiodus hoc carmine,

ἔνθ' οἵγ' εὐχέσθην αἰνηΐῳ ὑψιμέδοντι. hoc eſt,

Fūdebántq; preces Aeneio altitonanti. ab Aeno enim Aeneius deflexit. Demum & Enæmium Iouem etiam cognominatum innuit Heſychius, quaſi dicas conſanguineum & cognatum. ſed & hoc alibi,

Athous Iupiter etiam appellatus, & cultus in ſummitate & vertice montis Atho, vbi celebre eius fuit templū. Fuit & Hynnareus Iupiter, vocatus ab Hynnario monte, vt ſcribit Heſychius.

Lycæus Iupiter à Lycaone dictus, vt Pauſ. in Arcad. tradit, cui deo & Lycæa certamen inſtituit. dictus etiam Lycaon in lupum à Ioue conuerſus, quòd infantem immolaſſet, alia tamen apud Ouid. legitur fabula in Metamorph. alia item apud Suidam: quæ cùm cognitione digna ſit, hîc ſubſcribere non grauabor. Lycaon, inquit, Pelaſgi filius, Arcadum rex, patris inſtituta ſumma ęquitate ſeruabat: ſed vt ſubditos ad iuſtitiam ſeruandam quoq; pelliceret, Iouem boni malíq; inſpectorem in hoſpitis forma ad ſe ſæpe venire ſimulabat. quare cùm ſe ſacra facere velle, vt deum accepturus, dixiſſet eius diuerſis ex vxoribus procreati liberi noſſe volentes, an deus nec ne venturus eſſet, pueri clàm cæſi carnes carnibus ſacrificij miſcuêre, cogitantes deum id minus cogniturum. verum diuina prouidentia factum, vt coorta repentè tēpeſtate, fulminibus ij omnes interirent, qui puerū interfecerāt. Paulò diuerſa tradunt ab Hygino, in lib. Fab. ca. CLXXVI. vnde mox Lycæa inſtituta, quorum cùm alibi Pindarus meminit, tū in Olymp. ad Diagoram Rhodium. In Arcadia, inquit, Lycæa ludi in honorem Iouis Lycæi agebantur, in quibus præmia arma ærea fuêre. Sunt qui Lyceam montem Olympum in Arcadia tradant, quem & pleriq; ſacrum verticem, hoc eſt ἱερὰν κορυφὴν appellant: vnde & Iouem Coryphæum, ſunt qui nuncupatum putāt. in eo autem vertice Iupiter educatus ab Arcadibus, traditus eſt. Nympharum nomina, quæ illum educarunt, fuêre, Thiſoa, Neda, & Agno. Fuit & fons prope Iouis Lycæi templum, à nomine nymphæ, cuius aqua à ſacerdote ſacris peractis querna virga permota, neſcio qua ſuperſtitioſa illuſione, hymbrem largum cœlo educebat. Quin & ibidem miracula alia fieri, Græca prodit hiſtoria. vt verum illud ſit quod ſcribit Plinius lib. 8. Nullum, inquit, tam impudens mendaciū eſt, vt teſte careat. Itaq; Copas, qui Olympionica ſcripſit, narrat, Demarchum Parrhaſium in ſacrificio quod Arcades Ioui Lycæo humana etiā cum hoſtia faciebant, immolati pueri exta deguſtaſſe, & in lupum ſe conuertiſſe: eūdem decimo anno reſtitutum, athleticè reſtitiſſe in pugilatu, victorémq; victoria Olympia reuerſum. de Lycæo Ioue & Strabo, itē Callimachus, & in eum Scholia, & Hyginus in Vrſæ deſcriptione: In Iouis, inquit, Lycæi templū qui acceſſiſſet, mors pœna erat, Arcadum lege. meminit idem alibi, nec ſemel. Sed mirū eſt, quod ex Trogo ſcribit Iuſtin. lib. 43. In Palatini, inquit, mōtis radicibus templū Lycæo, quē Græci Pana, Rom. Lupercū appellant, conſtituit: ipſum dei ſimulachrū nudum, caprina pelle amictū eſt, quo habitu Romę (ait) Lupercalibꝰ decurrīt. hęc ille. Sed de Lupercalibꝰ, in eo q̃d eſt de Sacrificiis, in 17. Syntag. plura dicemus.

Ammon Iupiter, à noſtris, et Gręcis in primis, ab arena deducitur: ἄμμος quippe arena vocatur. quod & Plinius libro 12. innuit, cùm de ammoniaco ita ſcribat: Ergo Aethiopiæ ſubiecta Africa, ammoniaci lachrymam ſtillat in harenis ſuis, inde etiam nomine Ammonis oraculo, iuxta quod gignitur arbor. Sanè ex noſtris plerique cum afflatu ſcribūt, inter quos Sex. Pomp. qui libro VIII, hoc eſt, in aſpiratis, ita ſcribit: Hammo cognominatus, quia in harena putatur inuentus, quæ Græcè hoc nomine ἄμμος appellatur. cui cornua affiguntur arietis, à genere pecoris, inter quod inuentus eſt. Sed quoniam certiora dicere videntur Aegyptij, quæ ipſi tradunt, etiam afferamus. Amun, aiunt, Iouis eſt nomē, quod etiam Plutarch. notat in libro Iſidis & Oſiridis: notat & Iamblichus. Hinc Gręci & Latini parum mutantes, Hammonem vocamus. Manethus quidem Aegyptius, eo nomine arcanum occultúmque ſignificare tradit. Hecatæus verò vocem fuiſſe ait, cùm deum inuocabant: eáque vti ſolebant, cùm præcipuè incogni-

cogni-

cognitum arcanúmque vocabant: qua factum ratione, vt Deum illum ſummum rerum conditorem, vt abditum arcanúmque ea voce appellarent. Diodorus Siculus, Ammonem regem Lybię prodidit, qui Rheam Cœli filiam duxerit vxorem, & Amaltheam adamarit, filiúmque ex ea Dionyſium ſuſtulerit: & quæ apud ipſum cætera leguntur. Hyginus tamen in lib. Fab. Liberũ ait in Indiam proficiſcentem, cum ſiti laboraret, Iouem rogaſſe, vt arietem qui ei aquam monſtrauerat, in cœlum collocaret, quod cum factum fuiſſet, ibi Liber Ioui tẽplum conſtruxit, quod Iouis Ammonis vocatum eſt. cætera apud Hyginum ipſum legito. Herodotus de Ammone lib. quarto multa, & Origenes contra Celſum, quæ & Arrianus in tertio. Idem verò Herodotus libro ſecundo ait, quòd Iupiter cùm nollet ab Hercule cerni, ab eo tandem exoratus, id commentus eſt, vt amputato arietis capite, pelleq́ villoſa quam illi detraxerat induta, ſeſe ita Herculi oſtenderet. atq; inde factum, vt Aegyptij Iouis ſimulachrum arietina facie confingerent, & ab Aegyptiis Ammonios aiunt accepiſſe. Ab aliis Ammon traditur, quòd in bellis vſus ſit galea, cuius inſigne caput fuerit arietis: vnde orta ſit fabula. Sunt qui ipſum tradant cornua in vtroque tempore paruula habuiſſe, ac propterea Dionyſium ipſius Ammonis filium eodem fuiſſe aſpectu. Cognominatus eſt & eadẽ ratione κεραόφορος, hoc eſt corniger. vnde Pheſtus poeta Græcus, ζὰς λιβύης ἄμμων κερατηφόρε κλῦθι μαντι. hoc eſt, O Libyæ vates exaudi corniger Ammon, Iupiter. Sic & Lucanus, id eſt cornigerum vocauit; & Statius. Fuêre qui Ammonem arietem Phrixi & Helles putarent, vt Pherecydes prodidit. Euſtathius in Dionyſium de Situ orbis, conſimilia Herodoto ſcribit. Seruius grammaticus ideo arietino capite ait cõfingi, quod eius eſſent inuoluta reſpõſa. quin ea nutu & renutu aliiſq; ſignis dabantur, quod & Strabo & Euſtathius prodidêre. Arati interpres Latinus, qui ab aliquibus Baſſus, ab aliis Cęſar fuiſſe exiſtimatur, quod alibi diximus, arietem cœleſte ſignum Iouem eſſe ſcribit, qui Liberum ducentem exercitum per Africam, ſitientem ad aquam duxerit. itaq; ibi à Libero templum conſtructum, & oraculum: & cætera, penè eadem quæ Seruius & Lactantius grammaticus in tertio Theb. ſuper ea verba, Licet aridus Ammon Inuideat. Hinc etiã Catullus cecinit, Oraculũ Iouis inter æſtuoſi. Porrò & multa Hyginus in Aſtronom. poetico & in lib. Fab. cap. CXXXIII. At verò alij nonnulli in Theoean quampiam mulierẽ oraculum retulêre. Martianus: Ammon, inquit, apparuit cum cornibus arietinis, & veſtimẽto lanicio, ac ſitientibus vndam fontis exhibuit. De quo & Sidonius in Hendecaſyllabo ad Felicem:

Non hic Cyniphius canetur Ammon,
Mitratum caput eleuans harenis.

Sed ſi plura de Ammone cupis, lege Q. Curtium in quarto, & Diodorum Siculum libro XVII. & Arrianũ in tertio, qui Alexandri Maced. de Ammone hiſtoriam copioſe executi ſunt.

Aſſabinus Iupiter ab Arabibus dictus, auctore Plinio. nã vbi de cynnamo & cynnamomo lib. XII, ita propémodum ſcribit: Gignitur quidẽ in planis, ſed denſiſſimis in vepribus rubiſque, difficilis collectu. metitur non niſi permiſerit deus. Iouem hunc intelligunt aliqui. Aſſabinum illi vocant. XLIIII boum caprarúmq; & arietum extis impetratur venia metẽdi, non tamen aut ante ortum ſolis, aut poſt occaſum licet. Sarmenta haſta diuidit ſacerdos, deóq; partem ponit. atq; de Aſſabino hucuſq;. Fuit & Sabis deus apud Arabas, de quo Plin. eodem libro de thure agens: Thus, inquit, collectum Sabotam camelis conuehitur, porta ad id patente, digredi via capitale leges fecêre: ibi decimas deo, quã vocant Sabin, menſura, non pondere ſacerdotes accipiunt. Ruellius hæc verba deſumens Theophraſto aſcribit, & Sabin Solem interpretatur. & quidem Solis delubrum Theophraſtus, ſed non Sabin vocauit.

Anxyrus, vel Anxurus Iupiter cognominatus in Italia, in tractu Campaniæ, habitu pueri imberbis, cuius eſt mentio in octauo Vergil.

Circeúmq; iugum, queis Iupiter Anxurus aruis

Præſidet. quo loco Seruius: Circa tractum, aitq́, Campaniæ colebatur puer Iupiter, qui Anxurus dicebatur, quaſi ἄνευ ξυροῦ, id eſt ſine nouacula, quia barbam nunquam raſiſſet.

Ἐλευθέριος Ζεὺς, quem apud Latinos tum Liberatorem, tum Liberalem, & libertatis auctorem interpretatum legimus. Pleriq; Græca libentius voce dixerunt, Iouem Eleutherium vocantes. de eo ſic tradit Heſychius: quòd Medis effugientibus, Eleutherius Iupiter erectus eſt, quem & aliqui σωτῆρα vocauerunt, id eſt ſeruatorē. Hic & Syracuſis cultus fuit, & à Tarentinis, & à Platæenſibus, & in Caria. Hyperides orator: O viri (inquit) iudices, hæc quidem Iouis appellatio facta eſt, vt Eleutherius vocet̃, propterea quod ἐλεύθεροι, id eſt liberti porticū conſtruxêre propinquam. Didymus tamen & Arpocration grammatici falli Hyperidem aſſerunt, quod ideo vocatus ſit Eleutherius: ſed quòd contrà à Medis deus Athenienſes liberauit, & quod inſcriptio quidum σωτὴρ, id eſt ſeruator fuit: Eleutherius autem, id eſt liberator nuncupatus ſit, id quod & Menāder manifeſtè oſtendit. Et certè Plato in Theage, Athenis Eleutherij Iouis porticū fuiſſe oſtendit, cùm ibi Socratem & Demodocum colloquētes inducit. Templi verò, imò etiam porticus mentio eſt in Oeconomico Xenophontis. Sed & illud non te fugiat, duas in primis porticus Athenis fuiſſe, alteram Iouis Eleutherij, hanc ſcilicet: alterā, quæ βασίλειος, id eſt regia vocabatur, vt Arpocration eſt auctor. porrò & tertiam porticum legimus, quæ αἰάκειος quidem dicta, cognominata verò ab imaginum varietate ποικίλη, Pœcile. Verùm ne à propoſito recedam, Thucydides libro ſecūdo Hiſtor. in oratione legatorum Platæenſium, de Ioue Eleutherio apud Platæas ita meminit: cùm Pauſaniam ait, Cleombroti filium, poſt Græciæ liberationem à Medis ἐν ἀγορᾷ διὶ ἐλευθερίῳ θύσαντα ἱερὰ, id eſt in foro ſacra facientem Ioui Eleutherio, conuocatis omnibus ſociis, & agrum & vrbem Platæenſibus reddidiſſe. Et Strabo libro nono ſcribit, apud Platęas eo loci, quo Græci Mardonium cum trecentis Perſarū milibus occidione deleuerunt, Eleutherio Ioui templum conſtructum fuiſſe, & certamen gymnicum cū coronis inſtitutum: ludóſq; ipſos Eleutheria, id eſt liberatoria appellata. Pauſ. quoq; in Bœoticis, Eleutherij Iouis aram non longè à communi Gręcorum ſepulchro deſcribit, quod ad Platęæ ingreſſum fuit, quo loco quinto quoq; anno certamen celebrat̃. Idem Pauſ. in Attica, Eleutherio Ioui cū Adriano ſtatuas erectas fuiſſe meritas ait. quin & poſt Macedonum victoriam, in qua præclarè cùm ſe geſſiſſet, Leocritus Protarchi filius occubuit, Eleutherio Ioui ſtatuam erexere. Longior omnino ſim, ſi tibi multa, quæ collegi, afferre hoc loco voluero. Vnum illud non mittam, quod apud Dionem hiſtoricum legitur. Cùm Thraſeas philoſophus iuſſu Neronis, abſciſis venis ſenſim extingueretur, manu extenſa exclamauit, Iupiter liberator hūc tibi ſanguinē libo. hoc eſt Græce, Ζεῦ ἐλευθέριε, σοὶ τοῦτο τὸ αἷμα σπένδω. Sunt qui hoc Senecæ attribuāt. Nam Cor. Tacitus lib. 15. Senecam ſcribit, cum vi veneni perire non poſſet, ſtagnū calidæ aquæ introiiſſe, & reſperſiſſe proximos ſeruorum, addita voce, libare ſe liquorem illum Ioui Liberatori.

Σωτὴρ, hoc eſt, Seruator Iupiter, vt diximus, à Græcis cognominatus, quod à Medis eos liberauit. Iouis Seruatoris tamen aram multo antè erectam fuiſſe ab Hercule, Amphytrion ait apud Euripidem in Hercule Furēte, ex deuictis Minyis. Sed nos quanto hoc rectius cognomine IESVM CHRISTVM dominū nuncupamus, qui nos ſuo benignus cruore in veram æternæ vitę libertatem aſſeruit. Strabo libro 9. ait, in Piræeo templum Seruatoris fuiſſe, in cuius porticu mirabiles fuêre tabulæ celeberrimorum artificum. Arrianus libro octauo, de geſtis Alexandri, tradit ipſum Alexandrum, vbi intellexit Nearchum & claſſem totam ſuā ſeruatam, Ioui σωτῆρι, cæteriſq; deis malorū depulſoribus, & marinis, ludos gymnicos & muſicos ediḋiſſe, celebrémq; pompā induxiſſe. Sed et σωτῆρος Iouis meminit Phurnutus, & Heſychius. Illud certè tibi vt recitē, par viſum eſt: Ariſtotelē philoſophū legaſſe ſuo teſtamēto in Stagira Ioui Soteri, & Mineruæ Soteræ

Soteræ, animalia lapidea quatuor cubitorũ, quod Laertius ſcribit ex voto nuncupato pro Nicanoris ſalute. Vnde eſt mirũ, neſcio quos ſcripſiſſe pro Minerua Sotera, id eſt Seruatrice, Iunonẽ Soſpitam repoſuiſſe. Sed enim præter Iouem, & alios quoq; deos Soteros nũcupatos, hoc toto opere offendes. quin & M. Cicero hanc vocem interpretatus eſt, Seruatorem dicendo. Quare etiam non mirum tibi videri debet, ſi Conſeruator etiam Iupiter cognominatus eſt, vt memini me legere in vetuſtis nomiſmatibus: vt in Diocletiani quidem vno, in cuius priore facie ipſius effigies, in poſteriore verò Iouis imago ſtans, dextera duas ſagittas, vel potius duo fulmina, ſiniſtra haſtam habet eiectam, cũ his literis, IOVI CONSERVATORI. In altero quoq; eiuſdem C. Val. Diocletiani, à tergo cuius idem erat Iupiter, dextra Victoriolam porrigens, ſiniſtra verò haſtam erectam habet: Inſcriptio, IOVI CONSERVATORI ORBIS: quod & ſuprà in Ioue cuſtode diximus.

Σωσίπολις etiam Iupiter cognominatus, hoc eſt vrbis ſeruator. ſcribit Strabo libro 14, de Anaxenore citharœdo Magneſio agens, qui propter eam artem in theatris erat celebratus: ſed multo magis, quòd ei quatuor vrbium tributa vt acciperet, conceſſit M. Antonius, & milites. quin etiã illum patria auxit ſatis, quæ illum ſacra purpura Soſipolidis Iouis induit, vt eius imago & inſcriptio teſtatur in foro poſita. quo loco mihi videtur Strabo, ciues, & Anaxenora, M. quoque ſimul Antonium irridere.

Κόνιος ζεύς, id eſt, vt Domitius apud Pauſaniam interpretatur, puluereus Iupiter, cuius templum Athenis fuit ſine tecto.

Λαρισαῖος ζεύς, Lariſſeus Iupiter, vt Strabo & Stephanus ſcribunt, à Lariſſa dictus: cuius nominis multæ ſunt cauſa, quas ambo colligunt. quidã tamẽ λαρίσιον δία, alij λαρισαῖον vocant. Sed tamen ſupra oppidum ad Cayſtri campũ Lariſſam vnam eſſe, ſcribit Strabo, aquarum & vinetorum rerúmq; cæterarum præſtãtia inſignem, vnde Ioui nomen. Sed & Lariſſenus Apollo dictus, vt Stephan. notat, à pago Epheſi, vt alibi dicemus.

Κηναῖος ζεύς, Iupiter Cenæus. Aeſchylus in Glauco Pontio, vt eſt apud Strabonem in decimo,

> Εὐβοΐδα καμπὴν ἀμφὶ κηναίου Διὸς
> Ἀκτήν, κατ' αὐτὸν τύμβον ἀθλίου Λίχα. hoc eſt,
> *Qua flexus Euboicus, ad Cenæi Iouis*
> *Actam, penes ſepulchrum infelicis Lichæ.*

Ouid. in nono, de Hercule:

> *Victor ab Oechalia Cenæo ſacra parabat, Vota Ioui.*

Seneca in Tragæd. Qua templa tollens arą Cenęi Iouis. apud Sophocl. in Trachiniis notat interpres, Herculem poſt captam Oechaliam, ducta Iole perueniſſe ad Eubœæ promontorium Cenæum, ibiq; ædificaſſe Iouis Cenęi templũ. Stephanus verò Canęum appellare videtur, à Canis: quod oppidum fuit nõ ſolùm Euboicũ, ſed & aliarũ regionũ. Quin & duplici n interdũ ait ſcribi, hoc eſt Cannæ. aduocat & Strabonẽ in tertiodecimo Georg. qui Cãnas deſcribit, vnde Cannęus Iupiter eſt nũcupatus. In codice tamen Aldi, κιναῖος per iota proferri videt.

Aeneſius Iupiter, hoc eſt Gręcè, αἰνήσιος ζεύς, dictus eſt ab Aeno monte Cephaleniæ, in quo ipſius Iouis fuit fanum, cuius meminit Leon in περίπλῳ, hoc eſt in libro Nauigationis, & Demoſthenes ἐν τοῖς λιμέσιν, id eſt in portib⁹. Strabo quoque in decimo huius meminit, cùm de Cephalenia agit. Sed et grammatici apud Apollonium Rhodium in ſecundo Argon. vbi de Strophadibus & Plotis inſulis loquitur, de Aeneſio Ioue multa: inter quæ & Antimachum in Lyde poemate aduocant, & Heſiodi iſtud,

> ἔνθ' οἵγ' εὐχέσθην αἰνηίῳ ὑψιμέδοντι. hoc eſt,
> *Hicq; preces fundunt Aeneio altiregenti.*

Vbi vides Aeneium vocatum, pro Aeneſio. Legimus inſuper apud Heſychium, ἐναίσιμον Iouem in Coronea nuncupatum;

cupatum:quaſi dicas,mitem,decentem,officioſum,vtilem,& veracem. Eſt & apud eundem ἔναιμος ζὰς, id eſt ſanguineus,niſi codex nos fallat.ſignificat autem ἔναιμος & viuum hominem,& cognatum,& ſanguine plenum:id quod tamen & Phauorinus notat.de his etiam ſuprà diximus.

ἀγοραῖος ζεὺς,id eſt (vt interpretatur & Valla,& Domitius, hic apud Pauſ.ille apud Herodotum) Iupiter forenſis, pluribus verò in locis cultus: ſed in primis, Pauſ.& Heſychio teſtibus,apud Athenienſes.hunc Euripides in Heraclidarum tragœdia copioſè deſcribit. Legimus & Mercurium,Mineruã & Dianam hoc cognomine nuncupatos,vt ſuo loco dicemus.

Αἰγιφάγος ζὰς,hoc eſt, Capriuorus Iupiter,ait Phauorinus,eſt cognominatus. citat Nicandrum in Theriacis: mihi tamen non ſuccurrit,apud eum id nomẽ legiſſe. Iunonem certè Capriuoram legi apud Pauſaniam, vt in Iunone dicemus.

Meſſapeeus,hoc eſt μεσσαπεὺς ζὰς,cognominatus eſt, vt Steph.ſcribit,à Laconiæ regiuncula μεσσαπέαι, vnde gentile nomen eſt Meſſapeeus, & Iupiter ipſe Meſſapeeus,vt Theopompus ait,lib.57. Pauſanias quoque in Lacon.ſcribit,lucum fuiſſe Iouis Meſſapeei in via,quæ ducebat ad montem Taygetum.

Καταιβάτης ζὰς,,Catæbates Iupiter, id eſt deſcenſor, ſic cognominatus,vt meminit Pauſan.in Eliacis,cuius ara erat in Olympia, vbi & Themidis fuit,& primum Terræ oraculum. Videtur verò Catæbates appellari παρὰ τὸ καταβαίνω, deſcendo, in quo interdũ iota interponitur: vnde & καταίβατος pro κατάβατος dicit. aliquãdo & καταιβάσιαι,quæ ſigna ſunt cœlitus ad terrã demiſſa,& prodigia. Vnde & Apollo καταιβάσιος, quaſi prodigialem dicas:ſic & Iupiter Prodigialis,vt ex Plauto antè dixi. Sunt qui ſic ideo appellatum tradant, vel propter fulmina, vel quod è cœlo ſępe deſcendiſſe putaretur,ad amores potiendos. Illud ridiculum ſcribit Ariſtophanes in fabula εἰρήνης,ſcarabeum eſſe huic deo in tutela datum. καταιβάτου διὸς meminit & Phurnutus, vbi Iouis cognomina colligit. Meminit & Pollux in nono,item Orpheus.

Cithæronius Iupiter,teſte Pauſania in Bœoticis,cognominatus à mõte Bœotiæ Cithærone,qui Ioui Cithæronio ſacer erat:ipſum verò montẽ à Platęenſium rege Citherone denominatũ, idem ſcribit Pauſ.ait enim,Iunonẽ Ioui iratã in Eubœam ſeceſſiſſe:Iouem verò,quoniã Iunoni perſuadere nõ poſſet,ferunt ad Cithæronem profectum, qui tum imperabat Platæenſibus, nulli ſapientia ſecundus.Hic ergo Iouem iubet,vt ſtatuã ligneam veſtibus obtectam bobus plauſtro veheret,diceretq; ſe Platęam Aſopi filiam vxorem ducere.id qud cùm ex admonitione Cithæronis feciſſet Iupiter, & confeſtim id Iuno crediiſſet, illuc ſtatim acceſſit: & appropians plauſtro, ſtatuæq; veſtes diſcindens,ſenſit dolum:ſimulachrúmq; pro ſponſa puella comperiens, placata & Ioui reconciliata eſt. Hinc ob eam rem feſta Dædalea inſtituta, quæ duplicia fuerunt,maiora & minora inſtituta, de quibus latè Pauſanias in nono,quę inde nominata,quoniã priſci Zoana,id eſt ſtatuas Dædala nuncupabant, etiam longè prius quàm Dædalus Palamaonis Athenis huiuſcemodi ſtatuas faceret. & huius quidem rei gratia in templo Iunonis percelebri, quod apud Platæenſes fuit, duæ in primis Iunonis ſtatuæ fuerunt:alterius quidem rectæ,& ſtãtis, τελείας ἥρας, id eſt Iunonis adultæ,ſeu perfectæ:alterius verò ſedentis, νυμφευομένης, id eſt nubentis,de quibus in Iunone latius agemus. Recitat hanc fabulam quoque Euſebius tertio Præparationis Euang.quã commodius in Iunone referemus.Cæterùm Iunonem Cithęroniam etiam legimus apud Plut. in vita Ariſtidæ: Vota enim Ioui & Iunoni Cithæroniæ,Paniq;, &c. nuncupauit ex oraculo,contra barbaros pugnaturus.

Croceates, κροκεάτης Iupiter dictus, vt Pauſ.ſcribit,cuius & ſimulachrum celebrat.dictus ab vrbe Laconica,quę vt Stephanus prodit,vna fuit ex centum eius regionis vrbibus. Pauſanias tamen vicum facere videtur, vbi marmora effoderentur, & ante vicum ipſius Iouis ſignum conſtituit.

Ἄρβιος ζεὺς, Arbius Iupiter, teſte Stephano, dictus eſt ab Arbio monte Cretæ, vbi co-

vbi colebatur. Arbius verò tam pro monte capitur, quàm pro incola. fuit & Arbis Indiæ fluuius: vnde gentile nomen Arbius, & Arbitæ.

Ἄσιος ζεὺς, Aſius Iupiter, cuius vetuſtiſſimum phanum in Creta fuit, vt Stephanus prodit. dictus verò ab Aſo oppido Cretæ, quo in loco cultus fuit Iupiter.

Temilius, qui & Biennius Iupiter, dictus, vt Stephanus tradit, à Bienno vrbe Cretę, quam aliqui denominatã putant à Benno, vno ex Curetis: vel ab eo, quòd vis facta fuerit Marti, hoc eſt, ἀπὸ τῆς περὶ τὸν ἄρη γινομένης βίας, inibi (vt ferunt) ab Otho & Ephialte Neptuni filiis. vnde vſque ad tempora Stephani, hoc prodentis, ſacra Hecatomphonia, quæ dicebantur, Marti peragebantur. De quibus Pauſanias in Meſſeniacis ita prodidit: Fecit, inquit, Ariſtomenes Ioui ſacrum, quam Hecatomphonia vocant, quaſi centicidium dicas. Id ſacrum fieri patrio inſtituto traditum ab his, qui in pugna hoſtes centum occidiſſent. Ex quibus colligimus, non Marti modò, ſed Ioui aliiſque Deis hęc ſacra fieri ſolita.

Δολιχαῖος ζεὺς, Dolichæus Iupiter, ſcribit Stephanus, à Doliche vrbe Commagenes, vnde fit Dolichæus gentile nomen, & inquilini Dolicheni dicuntur. nã Doliche inſula fuit Lyciæ adiacẽs, vt Callimachus de inſulis canit. Alexãder verò in περίπλῳ, id eſt in nauigatione Lyciæ, Dolichiſtẽ ipſam vocat. vnde Dolicheſteus deducit̃, gẽtile nomẽ. Eſt & in marmore Romæ Dolichenus Iupiter.

Χαίρμωνος διὸς, Iouis cognomine Charmonis templum commemorat Pauſ. in Arcadicis, non longè ab Epaminondæ tumulo, vno ſtadio.

Ταμυναῖος ζεὺς, Tamynæus Iupiter, cognominatus ab vrbe Tamyna Eretriæ, vt Stephanus ſcribit. citat Strab. in decimo, Dicitur & numero plurium Tamynæ, vbi colebatur Iupiter. citat Stephanus Pauſ. in vndecimo περὶ ἠλιακῶν, qui liber à nobis non habetur. decẽ enim tantum in manibus habemus Græcos, opera Aldi & Muſuri editos. audio tamen virum eloquentiſſimum, Romulum noſtrum Amaſæum, olim & hoc vertiſſe Latinè, & ante illum Calphurnium Brix. Sed neutrius mihi copia nec viſa nec facta, & propterea vix creditum. Atticam quidem antea Domitius Veronenſis, aliiq; nonnulli conciſe deflorarunt.

Aetnæus Iupiter. Pindarus in Neme. ζηνὸς αἰτναίου, Iouis Aetnæi. vbi interpretes multa afferunt, cur cognominatus ſit Aetnæus, & in eo templum Iouis fuiſſe produnt.

Σκύλλιος ζεὺς, hoc eſt, Scyllius Iupiter cognominatus. in Creta enim in monte Scylletio colebatur, quo in loco ferunt Curetas Iouem infantem occultaſſe. Stephanus auctor. Scilletia Minerua dicetur ſuo loco.

Hermonthites, id eſt, ἑρμονθίτης ζεὺς, colebatur in Aegypto, ſic nuncupatus ab vrbe Hermonthi: quę ita appellabatur, ut Momemphis, Menuthis, Terenuthis. In eadem & Apollo eodem nomine colebatur, vt ex Strabone Stephanus ſcribit. Ibidem & Iſidis templum fuit. Quin & νόμος, id eſt præfectura quæpiam ab ipſa vrbe Hermonthite vocata fuit.

Lycoræus Iupiter cognominatus à Lycorea vico in Delphis, cuius meminit Callimachus. dicta quidem Lycorea, ab eius rege Lycoreo: quanquam Pauſan. in Phocicis aliter ſentiat. ait enim, Lycoream vrbem conditam in Parnaſſi ſummitate ab iis, qui in Deucalionis alluuione luporum vlulatibus, hoc eſt, λύκων ὠρυγαῖς ſeruati ſunt. Subdit tamen, & alium eſſe ſermonẽ hac de re. & ait, ex nympha Corycia Apollinem genuiſſe Lycoron, à quo ſit vrbs denominata, & Lycoreus ipſe Apollo.

Maleæus Iupiter, à Malea promontorio ad Peloponneſum, cuius non modò poetis, ſed & hiſtoricis, aliiſq; ſcriptoribus frequens mentio. cuius deriuata nũc μαλεάτης, nunc μαλιάτις, nunc μαλεαῖος eſſe collegimus. vnde μαλεαῖος ζεὺς, vt Stephanus notat. Sanè in primitiuo interdum μαλία, hoc eſt penultima breui, & μάλεια, dicitur eadem producta: quod Latinorum quidam parum obſeruantes, inſcitiam ſuam in poetis noſtris faſſi ſunt.

ὅριος ζεὺς, quem Latini Terminalem quidã ex Græco conuerterunt, alij termi-

norum

norum præſidem, alij conterminum deum, religioſe ab antiquis colebat, in terminis ipſis conſeruandis, adeò vt in octauo legum Plato primam in victus ratione & agriculturæ legem, Διὸς ὁρίου, id eſt Iouis præſidis terminorum, eſſe ſtatuerit. Meminit & Demoſthenes in oratiõe περὶ τῆς ἁλοννήσου, & Iul. Pollux. lib. nono Iouis Hororij, & στήλης ὁρίας, hoc eſt, columnæ Terminalis. Dionyſ. itẽ Alicarn. lib. 2. vbi de Termino agit, ait Numam Ioui Terminali terminos ſacraſſe, vt plenius in Termino dictum eſt. de ὁρίῳ verò, in Ioue Imperatore actum eſt.

Neptunum etiam cultum apud Delphos hoc Orij cognomento, legimus apud Pauſan. in Phocaicis. Hinc Iupiter Omarius, de quo ſic obſeruat diligentiſſimè B. Aegius. ſic enim ait: Omarius Iupiter à loco, quo de Stephanus: Omarion vrbs Theſſaliæ, vt Theopompus ſcribit in Philipp. ἐνταῦθα τιμᾶται Ζεὺς, καὶ Ἀθηνᾶ. τὸ ἐθνικὸν ὁμάριος καὶ ὁμαριεύς. De Ioue Omario Polyb. lib. 11. quem locum ſic vertit Sipontinus: Siquidem Crotoniatæ (tametſi Crodematæ in vulgatis codicibus ſcriptum ſit, tam Latinis quàm Græcis) Sybaritæ, Cauloniatæ, compoſitis inter ſe vnamiter rebus, primò Omarij Iouis templum publicè conſtituerunt, vbi & conciones fieri, & cum populo agi poſſet. hæc ille. Sed nihil ad Polybium, ni fallor, Omarius Iupiter facit. Proinde pro Omarij, Omorij ſcribendum cenſeo. ſiquidem ex Græco ὁμορίου Διὸς, quaſi contermini Iouis legitur, quæ vera eſt & genuina lectio. nam ſic illæ clariſſimæ ciuitates in cõmunis regionis terminis, confiniòve, pro loci commoditate Iouis huiuſce templum conſtruxerũt. hactenus Aegius.

Tomarios, & Tmarios (vtroque enim modo apud Heſychium legi) Iupiter cognominatus in Dodona. meminit Claudianus Tomari Iouis. ſcribit Stephanus, montem Tomarum Dodonæ, quem & aliqui Tomurum vocant: vnde gentile nomen Tmarius. quidam etiam montis incolas τομούρους, & τμάρους nuncupant. Phauorinus verò & ipſe τόμουρος legit, aitque ſub ipſum eſſe templum in Dodona apud Theſprotian, qua ex re Tomuri ſunt à poeta nuncupati hypophetæ, id eſt, vates Iouis ἀνιπτόποδες, καὶ χαμαιεῦναι, hoc eſt, qui illotis eſſent pedibus, & humi dormirent. Item τόμουροι, mulieres vates.

Belvs Iupiter exiſtimatus eſt à Babyloniis & Aſſyriis, cuius non modò in gentium hiſtoriis, mentio, ſed in ſacris. quare viſum eſt, aliquanto altius ex variis ſcriptoribus quæ de eo comperi, repetere. Scribit in primis Seruius, Beli nomen ratione non carere. El quippe Aſſyriorum lingua Solem ſignificat, vnde aſpiratione adiecta Græcè ἥλιος eſt vocatus. alij non Aſſyriorũ lingua, ſed Phœnicum putant Hel ſolem vocari, vnde Helius deducatur, qui mox & Belus dictus ſit. Quin & Seruius tradit, quòd Hal Punica lingua deus dicitur. apud Aſſyrios verò Hel dicebatur, quadam ſacrorum ratione Saturnus & Sol. Sanè non vnus fuit Belus. nam ſuper ea Vergilij verba ex primo Aeneid.

——Cælataque in auro
Fortia facta patrum, ſeries longiſſima rerum,
Per tot ducta viros, antiqua ab origine gentis.

Per tot, inquit, ducta viros, à Belo primo Aſſyriorum: vt, Ab antiquo durantia cinnama Belo. Ab eo vſque ad Belum patrem Didonis, qui & ipſe Aſſyrius fuit. hinc eſt, Quam Belus & omnes à Belo ſoliti. Ergo hæc eſt generis ſeries: Iupiter, Epaphus, Belus priſcus, Agenor, Phœnix, Belus minor, qui & Metres, mox Dido & Pygmalion. Sachoniaton autem in phœnicum theologia, Belum inter Saturni filios connumerat, & Iouem fuiſſe aſſerit: id quod & Euſebius. Legimus & alterum Belum Iouis nepotem, Epaphi regis Aegyptij filium, qui & alium Belum genuit. Porrò & Belus prior, Iupiter Babylonius poſt conſecrationem dictus eſt. Hunc puto Belum, ſcribit Plin ſideralis ſcientiæ inuentorem fuiſſe, eique Aſſyrios gemmam dicaſſe, quæ Beli oculus vocetur. Cyrillus verò libro tertio contra Iulianum Cæſ. Belum etiam Arbelum nuncupatum prodit, & primum à ſubditis hominem dei nomen accepiſſe, eique Aſſyrias gentes &

finitimas

finitimas ſacrificia impendiſſe, coluiſſeq́ꝫ: quod et Euſebius ſcribit in Chronicis. M. Cic. in lib. de Nat. deorum, Herculem, qui quintus ab eo connumeratur, in India Belum vocatum affirmat. Vt hoc loco mittam, quę à Beroſo, Metaſthene, & Archilocho traduntur, auctoribus mihi ſuſpectis: ab aliquibus tamen ita cultis, vt eorum quoſdam videam ita in eorum lectione inſenuiſſe, vt etiam cōmentarios in eos plerunqꝫ monſtrificos compoſuerint. Sed ad Belum redeo. Scribit Diodorus Siculus in hiſtor. Oſirim multas colonias deduxiſſe, Belúmqꝫ colonum in Babyloniā traduxiſſe, Neptuni & Lybies filium, qui propter Euphratem ſedē poſuerit, & ſacerdotes Chaldæos inſtituerit. Heſychius quoqꝫ Belum Neptuni filium cum circumflexo accentu aſſerit, cum graui verò limen & viam domus. Templum autem Beli ampliſſimum ac magnificentiſſimum alio loco deſcribit Diodorus, & Herodotus in primo: quod tamen non legi in Vallæ codice, ſed in Græco, quod in medio vrbis Babylonis cōſtructum fuit. eius meminit & Arrianus libro hiſtor. 3. Sed locupletius multo libro 7. quo loco deſcribit à Xerxe dirutum, ab Alexandro inſtaurari demandatum fuiſſe. Legimus apud Dionem in hiſt. in Apamea Syriæ Iouem etiam Belum cultum fuiſſe, qui Seuero imperatori, cùm adhuc priuatus eſſet, reſponſum dederit ex Homerico verſu, eum imperaturum. quin & imperium iam adepto, ex eodem poeta etiā reſpondiſſe, quæ apud ipſum Dionem leguntur. Philo Byblius, nō ille Hebræus, & Euſebius, ſcribunt Iouem à Phœnicibus nuncupatum Beelſamen, quod nomē noſtram linguam interpretatum ſignificat cœli dominum. Hieronymus libro primo in Oſeam, Semiramin ait, cùm Zoroaſtrem magnum Bactrianorum regem prælio ſuperaſſet, in tantam perueniſſe gloriam, vt patrem ſuum Belum referret in deum, qui Hebraicè dicitur Bel, & in multis prophetis, maximéqꝫ in Daniele. Hunc Sidonij & Phœnices, inquit, appellabant Baal, qui idem ſit qui Belus. vnde & Didonem Sidoniam regij generis, cùm Aeneam ſuſcepiſſet hoſpitio, hac patera vina libaſſe apud poetam legimus, qua Belus & omnes à Belo ſoliti. Baal autem Græcè ἔχωνς, Latinè habens interpretatur: vnde Baalim, me habēs. Ad hæc & Beelphegor habemus in ſacris literis Moabitarum deum, quem quidam Priapum deūm interpretati ſunt, vt Iſidorus libro octauo, quo loco multa de Belo ſcribit. Sed & Theophyl. in Oſea, de Beelphegor multa effert, & ipſe Priapum fuiſſe exiſtimat. alij Saturnum & Beel quidem dei ipſius nomen, phegor verò loci, vbi coleretur. Belem etiam deum Aquileienſium, cultum ſumma religione, qui Apollo crederetur, auctor eſt Herodianus in hiſt.

Νεμεήτης ζεὺς, Nemeetes Iupiter, vt ſcribit Steph. vocatus à Nemea regione Elidis, vbi habitarunt Dryopes. Suidas quoqꝫ in dictione νέμεος: Nemeos, inquit, qui in Nemea Locridis eſt, ſignificatur. Nam qui apud Elin Nemeæ ciuis, Nemeus ſcribitur, & Nemeæus: quin & νεμεήτης, vt manifeſtum eſt ex Ioue Nemeete. Hunc eundem crediderim eſſe, quem Nemeæum Pauſ. nominat in Argolicis. ita enim ſcribit, de Cleone poſtquam locutus eſſet: In his, inquit, montibus leonis adhuc ſpecus oſtendit, & Nemea regiuncula abeſt fermè inde ſtadiis 15. in ea verò Nemei Iouis templum ſpectaculo dignum, præterquàm quantum diſciſſum eſt, tectum & ſimulachrum nullum relictum: lucus eſt circa templum ex cupreſſis: & ibidem Ophelten in herba à nutrice expoſitū, & à ſerpente interfectum ferūt. Subiūgit & alia quædā, de ſacrificio & celebritate, quæ ibi ab Argiuis celebrabant, & de Opheltæ ſepulchro, quæ lucē afferunt iis quæ à Statio in Theb. & Strab. in octauo ſcribunt. Scribit Thucydides in tertio, & cùm ſtatiua in tēplo Nemæi Iouis habuiſſet, quo templo fertur Heſiodus poeta ab incolis interemptus, cùm oraculum accepiſſet ſe in Nemea hoc eſſe paſſurum.

Elacatæus Iupiter, qui & ἐλακατεὺς, teſte Stephano, vocatus eſt. à monte verò Theſſaliæ Elacatæo denominatus fuit.

Mechanei etiam Iouis ſtatuam legimus apud Pauſan. ſed eius mentionem habitam alibi non ſuccurrit, niſi in Corinth.

Βαγαῖος ζεὺς, Bagæus Iupiter Phrygius, vti Heſych. & Phauorinus ſcribunt. Bagæus ſignificat tum magnum, tum multum ac velocem.

Κώμυρος ζεὺς, Comyrus Iupiter, ait Phauor. in Alicarnaſſo colebatur.

Στάμνιος ζεὺς, Iupiter Stamnius videtur appellari ab Ariſtophane, vt à Phauorino notat, cùm inquit, σαμνίου υἱός, id eſt Stamnij filius, Iouis ſcilicet. ſub his enim verbis intelligimus vinum in vaſe. Dionyſius enim, Iouis filius. Stamnos quippe vas eſt, hoc eſt ὑδρία, κάλπη, κάλαθος. quin etiam ſtamnia, vaſa vinaria.

Asbameus Iupiter dictus, cuius Ammianus Marcel. lib. 23. hiſt. his verbis meminit: Apud Asbamei Iouis templum in Cappadocia, vbi ampliſſimus ille philoſophus Apollonius traditur natus, apud oppidum Tyanam, ſtagno effluens fons cernitur, qui magnitudine aquarum inflatus ſeſe reſorbens, nunquam extra margines intumeſcit. Sanè pro Asbameo Ioue, quidam Apameum legunt. de hoc aliud mihi non ſuccurrit.

Marnas Iupiter dictus apud Gazæos in Phœnicia, & cultus, vt D. Hieronymus ſcribit in Eſaiam. ſignificat autem Marnas Cretenſibus virginem.

Cynetheus Iupiter ſic cognominatus, quoniam venationem Arcades, vtpote rudes, antiquitùs exercebant. venandi verò ars κυνηθία & κυνηγετική Grecè vocatur, & κυνηγέτης & κυνηγὸς venator. quare Cynegetes Iouis potius cognomen ipſe putarim, quàm Cynetheum: licet id libentius docti quidam ſcriptis ſuis aſſerant, & Dionyſ. Alicarnaſ. lib. 1. antiquit.

Hiceteſius Iupiter, hoc eſt, ἱκετήσιος ζεὺς, deprecabilis videlicet, & qui ſupplicum preces audit, & familiaribus miſeretur: Heſychius. hinc ἱκετήρια dicunt, quę ipſæ ſunt ſupplicationes, & ſupplicandi modus: & ramus inſuper oleæ, lana obuolutus, quo in his ſupplicationibus vtebantur antiqui, qualis fermè εἰρεσιώνη. Sanè idem Iupiter & ἱκέσιος etiam appellabatur, vt eſt apud Euripidem in Hecuba, vbi ei a Polyxena ſupplicatur. De Ioue Ceſio etiam mentio fit apud Phurnutũ, & Græca in Aratum Commentaria, & Lucianum, ſi rectè memini. Orpheus in Argon. ἱκεσίου ζηνὸς κοῦραι λιταί, id eſt, Hiceſijq́ Preces natæ Iouis. Apollonius in ſecũdo ἱκεσίου πρὸς ζηνός, id eſt, Hiceſium ante Iouem. Iulius Pollux in octauo, Solonem ſcribit tres iurare deos in Plynteriis permiſiſſe, ἱκέσιον, καθάρσιον, & ἐξακεστήριον: hoc eſt, ſupplicem, expiatorium, & depulſorium.

Catharſij Iouis mentio eſt apud Pauſaniam in Eliacis, cuius aram deſcribit in Olympia, prope deos ignotos. ab aliquibus Piacularis Iupiter interpretatus eſt.

Coſmetas, κοσμητὰς ζεὺς, quem Imperatorem & Principem Iouem interpretari poſſumus, à Lacedæmoniis cultus, cuius templum (vt Pauſ. ſcribit) non longè à porticu fuit quæ ad meridiem vergebat.

Salaminius Iupiter colebatur in Salamina Cypri, cuius templum, vt Cor. Tacitus ſcribit, Teucer Telamonis, patris ira profugus poſuit.

Ἐπάκριος ζεὺς, Iupiter qui in ſummitatibus montium coleretur: Heſychius. In montibus enim Ioui, & aliis pleriſq́ deis aras vt plurimùm veteres ſtatuebant. quin & legimus in ſacra Hebræorum hiſtoria id ſæpe reprehendi. ab ἐπὶ & ἄκρου dictus, hoc eſt, in vertice.

Ἐπικάρπιος ζεὺς, id eſt fructifer, ſeu frugifer Iupiter: colebatur verò in Eubœa, vt Heſychius ſcribit. vnde ἐπικαρπία, fructuum copia. Epicarpij Iouis & Phurnutus meminit.

Taramis Iupiter dictus à Barbaris, qui vt grammatici obſeruant, humano ſanguine placabatur. Lucanus in primo,

Et Taramis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Alij legunt, Taranis, & cum th aſpirato ab aliis aſcribitur, & in Cypro coli aiunt: ego certè comperti nihil habeo.

Mandragoras Iupiter, teſte Heſychio, dictus. eſt & herbæ genus, quod vinum & ſomnum inferat, hoc eſt, οἰνικὸς & ὑπνωτόν. Inde etiam Mandragoritis Venus appellata.

Abretani

Abretani Iouis templum in Myſia fuiſſe legitur, in quo ſuem comeſſe, aut ma ctaſſe, piaculum fuit. meminit Strabo.

Phaethon, Iouis ſtella appellat Ciceroni, Apuleio, Martiano, aliis: μολοβοβὰρ à Chaldæis dicta, teſte Heſychio.

Laprius Iupiter etiam cognominatus, vt Lactãtius in primo docet, à Laprio Iouis comite. Elaphrum tamen in Creta cultum fuiſſe, apud Heſych. legimus.

Velſurus Iupiter: Velſuri Iouis fanum antiquiſſimum barbarorum, vt puto, Thraciæ, ſanctiſſimúmq;, M. Cicero à L. Piſone direptum ſcribit, in ea oratione quæ in L. Piſonem dicta eſt. De eo præterea nihil aliud comperi.

Sunt & plura alia Græca Iouis cognomina, quæ ſparſim inter legendũ apud ſcriptores offendes. nos tibi hîc penè nuda ſubſignabimus, etiam vtcunq; à me Latinè relata, ne tibi vel lectori detur interpretandi labor, niſi vbi ego fortaſſe (ὃ μὴν ἀεὶ γρηγόρεως) dormitauero. Quis enim tam oculatus Lynceus, qui longè interdum à ſigno & ſcopo non aberret, nedum collimet?

Νεφεληγερέτης ζεὺς. hoc eſt nubium coactor, vel nubes congregans Iupiter, παρὰ ἀγείρω καὶ νεφέλη, quod videlicet nubes cogat: & vt quidam tranſtulêre, Nubicoga: huius mentio frequens eſt apud Homerum, Heſiodum, et Poetas cęteros. idem exponit Phurnutus. Sunt qui non ab ἀγείρω, ſed ab ἐγείρω potius deducant, hoc eſt, quod nubes excitet. meminit & Lucian. in Timone.

Μητιέτης ζεὺς, frequenter à poetis appellatus, hoc eſt conſultor, uel conſiliator Iupiter, quia rebus conſulere creditus: vnde & prouidus quoq; à Cretenſibus cognominatus, id eſt πάροχεὺς, vt Diodorus notat, & conſultor. hinc & Phurnuto & Pauſan. in Attica βουλαῖος dictus.

Οὔριος ζεὺς, Vrios Iupiter appellatur, qui à Latinis imperator dicitur, de quo ſuprà diximus. tu, quæ illic ſcripſimus, repete.

Ὑψιμέδων ζεὺς etiam cognominatus, quod ſuperiora regat, & curet. nam cùm μεδέω, tum μέδω, imperare, regere, curareq; ſignificat.

Gragus Iupiter in Lycia, Drymnis apud Pamphylios dicebat, Promantheus apud Tyrios, Aethiops & Gyrapſius: vt eſt apud Lycophronem, ὁ δρύμνιος δαίμων, προμανθεὺς, αἰθίοψ, γυράψιος. id quod & Iſaacius interpres obſeruauit. ſed Strabo & Euſtath. Crangum montem faciunt, qui tauri partum ſignificet, vnde potuit Iupiter appellari.

Ἐξακεστήριος Iupiter, & item Iuno: ab Heſychio cognominati, quaſi qui ſanandi ſeu curandi vim gerant, παρὰ τὸ ἐξακέω.

Εὔπνος ζεὺς in Delphis dictus, ἐπιπνος in Chio, & vtrunq; videtur à facili inſpiratione. vtriuſq; & Heſychius meminit, quem ſi audiamus, hunc ἐμπνοιον dicemus, illum εὔπνοιον, hoc eſt bonum ſomnum inducentem. nam & ipſum ſomnia immittere, alibi oſtendimus. Porrò & in Chio quoq; eodem auctore παλινναῖος ζεὺς colebatur.

Ἐπιρνύτιος ζεὺς in Creta cognominatus, Heſychio: vbi & ἐπιστατήριος etiam colebatur, hoc eſt qui magiſtratibus pręeſſet, & ἐπιστάριος ibidem, teſte Phauorino, niſi corruptè legatur. & παλαῖος ζεὺς, qui in miſeriis ſuccurrit.

Μηδινεὺς ζὰς, Medineus Iupiter à Lydis cultus. Idem ait Heſychius, & παλλαδύτιος ζεὺς in Pontica Trapezonte: & πανόπτης, hoc eſt cuncta videns, & oculatus Iupiter, in Achaia: & ἐπικοίνιος ζεὺς, hoc eſt promiſcuus, in Salamine.

Ἐπιβώμιος ζὰς, id eſt, qui in ſublimi altari vel tribunali eſſet. cultus verò in Siphno inſula. μαζεὺς verò & cultus & nuncupatus à Phrygibus. Item ab Athenienſibus ἐρύφιος, & ἐπωπετὴς, παγκρατὴς & πάγχαρος, & ἐξακεστήριος ζεὺς, id eſt depulſorius: Pollux.

Ἱκελίδης ζεὺς, item & ζητὴρ Iupiter, in Cypro dictus.

Ἐῤῥύθμ ζεὺς, quaſi dicas liberator, & ſeruator Iupiter. item ἐρυμος.

Εὔφημος ζεὺς, idem & εὔφημος, Iupiter boni nominis & famæ: quaſi dicas inculpatus. ἱεδήμιος ζεὺς in Rhodo, θαλάσσιος verò in Sidone cultus, in Co ἐπικαχρεύδης.

atq; hæc ferè ex Heſychio: vti etiam ἐπικλόπος Iupiter, quaſi tu dicas fur et doloſus. Item μαριταῖος, & ἐπικυκλίδιος ζεὺς, quæ cognomina vt plurimum apud Heſychium, & Phauorinum, & Suidam etiam leges aliqua.

Σινωπίτης ζεὺς apud Dionyſium de ſitu orbis, μέμφιος. nam Sinopion mons eſt Memphidis: vel à Sinope vrbe Pontica. Euſtathius ibidem. vel à Sinope flumine. B. Aegius: Intempeſtus, tonans, quaſi hyemalis & nimis tempeſtiuum appellatur à Statio Theb. 11. Contrà Vergilius, cum clementiam verni temporis vellet oſtendere, dixit:

Iupiter & læto deſcendit plurimus imbri.

Hęc Lactantius Thebaidos enarrator, & B. Aegius. Sed &, quanquã plerunq; in malum, Alaſtora etiam, illum nuncupatum legimus, vt apud Phurnutum & Heſychium: & item παλαμναῖον, vt alibi notauimus.

Alaſtor etiam, & Palamnęus Iupiter, teſte Phurnuto, dictus, quòd videlicet delinquentes puniret. vnde & Palamnæi & Alaſtores, παρὰ ἀλαςεῖν, de quibus alibi etiam ſcripſimus, ex Polluce.

Iupiter Syllanius. Plut. in Lycurgo, B. Aegius. Paganicus etiã in vetuſtis marmoribus, in inſcriptionibus, ſicut Aſſiſij, quod oppidum in Vmbria, viſit: IOVI PAGANICO SACR. EX INDVLGENTIA DOMINORVM SVCCESSVS PVBLICVS MVNICIPVM ASISINATIVM SER. AMOENIANVS AEDEM CVM PORTICIBVS A SOLO SVA PEC. FECIT. ITEM MENSAM ET ARAM D. D.

Si verò tibi fortè PROSPER V. C. viſus ero leuiſſima queq; ſectari in his deis interpretandis, ne mirum videat. Renunciatum enim mihi eſt, neſcio quem virum, illum quidem eruditum, editionem hanc meam ſuo quodam libro anteuertiſſe. Ego autem omnibus, nedum illi, vt audio, etiã legum perito, facilè concedo facundiam & eruditionem etiam: cura verò & ſtudio haud ita multis herbam, vt dicitur, dederim. Legitur ille quidem, diuq; legatur, vix à me per amici noſtri B. Barbulei diligentiam viſus. Noſter etiam, vt ſpero, rerũ ſaltem copia, ſi minus eruditione & eloquentia, tibi in primis, & per te etiam ſtudioſis, fortaſſe non erit ingratus. Quare me ad cæteros deos deſcribendos conuerto, Iunonémq; Ioui iure coniungam, fratriq; tuo Paulo Paſetho dono mittam, vt ſicuti vos & ſanguine & amore fratres, ita deos fratres iunctos ſub nomine veſtro in lucem dare conſtitui.

SYNTAGMA TERTIVM, DE IVNONE, HYMENÆO, ET TALASSIO: AD D. PAVLVM PASSETHVM C.

CVm ſuperiore Syntagmate de Ioue, eiuſq; imaginibus nonnullis permulta collegerim, illúdq; fratri tuo Proſpero, V. Clariſſ. ob illius erga me merita, beneuolentiámq; ſingularem dicauerim: nunc cùm de Iunone Iouis ſorore ſim acturus, quãtum ingenij mei mediocris facultas tulerit, tibi hoc Paule Paſethe, qualecunq; ſit munus, dare conſtitui, vt omnibus teſtatam facerẽ mutuam noſtram inter nos, nec vulgarem beneuolentiam, qua vinculo etiam bonarum diſciplinarum iungimur, & ſacrarum in primis literarum: in quibus tu ita inuigilas, & tales progreſſus facis, vt paucos in hac tua iuuenili ætate ſenes & prouectos, pares in eis interpretandis habere videaris: nimirum, vt qui ex ipſis fontibus haurias, hoc eſt, ex Hebrais literis, quas multo ſtudio & ſudore es aſſecutus, nullos prætermittens labores, nullis etiam ſumptibus parcens. Sed iſthæc miſſa nũc faciam, tuo pudori ac modeſtiæ conſulens, cum & longè re ipſa præſtes. Atq; adeò Iunonem ipſam aggrediar. Ne te tamen hæc ipſa ludicra & leuia à ſeriis tuis ſtudiis auocent, niſi tantiſper, dum aliquando animum recreare ac remittere libuerit. Vale: votiſq; tuis aſpiret, qui hodie corda diſcipulorum ſuo numine afflauit.

IVNO.

IVNO, Gręcè ἥρα vocatur: Iouis, vt inquit Varro, coniunx. & is Cœlum, hęc Terra, quæ eadem Tellus: & ea dicta, quòd vnà cum Ioue iuuat. At Cicero in ſecundo de Nat. deorū ait: Aer, vt Stoici diſputant, interiectus inter cœlum & mare, Iunonis nomine cōſecratus. Quin & Græci ἥραν ipſum aera interpretantur, vnde & Iunonis templum ἡραῖοις vocatur. & Macrobius, Iunonem aeriam dictam ſcribit, quòd ipſa aer putaretur: vel quod in eo regnaret, vt ait Martianus. Iuno Iouis ideo coniunx, vt Placiades interpretatur, quod aer igne feruefcat. nam & Theopompus in Cypriaco carmine, & Hellanicus in Διὸς φιλολογίᾳ, quam deſcripſit, ait Iunonem ab Ioue vinctam catenis aureis, & degrauatam incudibus ferreis: illud nihilominus dicere volentes, quòd aer igne cœleſti coniūctior, duobus deorſum elementis miſceatur: id eſt, aquæ & terræ, quæ elementa duobus ſuperioribus grauiora ſunt. Idem interpretatur & Phurnutus. id verò ex Homero ſumptum, cuius hi ſunt verſus ex XV Iliad. rhapſodia, vtcunq; à me expreſſi,

An memor es, cum de ſublimi pendula, iunxi
Incudes geminas pedibus, manibusq; catenas
Ex auro ſolido, tibi ſic per nubila cœli
Suſpenſæ potuere dei haud ſuccurrere quicquam:

Et reliqua, vt ad propoſitum redeam. Finxerunt præterea ipſius Iunonis idolon, vt æream forficem præferret, ſumpta tralatione ac metaphora ab incidente capillos forfice: & purū corpus oſtēdens. Memini etiā me videre aureum pulcherrimum Neruæ imp. nomiſma, in cuius tergo matrona erat, cum radiata corona, in throno ſedens, læua ſceptrum, dextra forficem præferebat. ego Iunonem iudicabam. literæ tamen quæ in eo legebantur, hæ fuerunt: FORTVNAE P. R. Tu videris, quare id factū. Dicta vero ἥρα, vt in Cratylo Plato ſcribit, quaſi ἐρατή, id eſt amabilis, propter amorem quo ab Ioue afficiť. Fortè etiam ad ſublimia ſpectans, qui hoc nomen primùm inſtituit, ἀέρα ἥραν nuncupauit, & obſcurè loquutus eſt, ponens in fine principium: quod tibi quidem patebit, ſi nomē illud frequenter pronunciaueris. ita enim apud Platonē Socrates eſt locutus. Sed vt facile tibi Platonis ſcrupus eximatur, ἀὴρ ſi primā literam in fine poſueris, ἥρα fiet. hinc Arnobius in III, doctè ſcribit: Nam ſi Iuno aer eſt, quemadmodū vos ludere ac dictitare conſueſtis, Gręci nominis poſteritate repetita, nulla ſoror & coniunx Iouis reperieť. Alij porrò ἥραν dictam ſcripſere, quaſi ἱερὰν, id eſt ſacram, quòd ſacris præſit nuptiis. Iunonem, Apuleius in X ita effinxit: Mulierem honeſta forma, habentē in capite candidum diadema, & ſceptrum manu geſtantem. Coronabať interdum lilio: Iunonis enim flos lilium. & roſa Iunonia vocabatur: id quod à fabulà infantis Herculis, ab Iunone ablactati deductū in noſtro Hercule ſcripſimus. Ad hęc & pyleones ſerta legimus apud Spartanos, quibus Iuno coronabať. Calceos in pedes Iunonis aureos, cū Heſiodo cęteri inducūt. Pulchrè etiā Iuno Argis efficta legitur. vite enim, vt Callimachus ait, ornata. qua de re ita in lib. de Corona Tertullianus: Argis, inquit, Iunonis ſignum palmite redimitum, ſubiecto pedibus eius corio leonino, inſultantem oſtentās nouercam de exuuiis vtriuſq; priuigni, Bacchi ſcilicet & Herculis. Sed iam præſtat huius deæ cognomina interpretari. Et quoniam in primis Iuno, vt dixi, nuptiis pręeſſe putabatur, quæ illi ea de re cognomina attributa ſunt, afferemus: & ea primū, quæ quapiam imprecatione in nuptiis Mercurij Martianus cōmemorat. Iuno pulchra, inquit, licet aliud tibi nomen conſortium cœleſte tribuerit, & nos à iuuando Iunonem, vnde & Iouem dicimus, nominemus: ſiue te Lucinā, quòd lucem naſcentibus tribuas, ac Luceriam conuenit nuncupari. nam Fluoniam, Februalémque, ac Februam, mihi poſcere non neceſſe eſt, cùm nihil contagionis corporeæ ſexu intemerata pertulerim; Interducam, & Domiducā, Vnxiā, Cin-

xiam, mortales puellæ debent in nuptias cõuocare, vt & earum itinera pro tegas, & in optatas domos ducas: quæ cùm poſtes vngent, fauſtum omen affigas: & cingulum ponentes in thalamis nõ relinquas: Socigenam te, quas vel in partus diſcrimine, vel in bello protexeris, precabũtur: Populonam plebes, Curitim debent memorare bellantes. Hic te Aeriam potius, ab aeris regno nuncupatam voco. Hæc quidẽ Martianus. hæc etiam de Iunone Arnobius cognomina: Nulla, inquit, ſoror & coniũx omnipotentis reperietur Iouis, nulla Fluuionia, nulla Pomona, nulla Oſſipagina, nulla Februalis, Populonia, Cinxia, Caprotina, & cętera. Heſychius porrò Iunonẽ à Babyloniis vocari tradit ἀδά, à Tyriis vero ἰτία, ab aliis quibuſdam βηλέθης, licet hoc nomine alij Venerem interpretentur.

ὑπερχειρίαν ἥραν: id eſt, ſuperfluentem Iunonem appellatam apud Lacedæmonios, legimus in III. lib. Pauſ. Hypercheriæ (inquit) Iunonis delubrum ex oraculo ædificatũ, cum agrum Eurotas latè diluiſſet: operis antiqui ſignum, Veneris Iunonis appellãt. ad eam pro filiarũ nuptiis ſacra facere matronas ſolẽne eſt.

Lucina Iuno dicebatur, quanquam & Diana, vt dicemus, quod lucem naſcẽtibus dare crederetur: vnde etiam Lucetia. Varro de Ling. Lat. cùm de Proſerpina ageret, quæ & ipſa Iuno inferna dicta eſt: Ideo verò videtur, inquit, à Latinis Iuno Lucina dici, vel quòd eſt è terra, vt phyſici dicũt, & lucet: vel quòd ab luce eius qua quis conceptus, vſque ad eã qua partus quis in lucem vnà viuat, donec menſibus actis produxit in lucem: facta à iuuãdo & luce Iuno Lucina, à quo parentes eam inuocant. Lucina enim naſcentium dux, quod menſes huius hoc vidiſſe antiquas apparet, quòd mulieres potiſſimùm ſupercilia ſua attribuerunt ei deæ. Hic enim maximè debuit collocari Iuno Lucina, vbi à deis lux datur oculis. Hæc Varro. Feſtus quoque: Supercilia, inquit, in Iunonis tutela eſſe putabant, quòd iis protegantur oculi, per quos luce fruimur, quam tribuere putabant Iunonem, vnde Lucina dicta eſt. Plin. tamẽ in XVI Nat. hiſt. dictam ait à luco, vbi eius ædes condita fuit, vbi lotos fuit miræ vetuſtatis. Ouid. in Faſtis vtranque opinionem his carminibus attigit:

Gratia Lucinæ dedit hæc tibi nomina lucus,
Vel quia principium tu dea lucis habes.

Lucina Iuno fingebatur, ſi antiquis nomiſmatibus credendum, hoc modo, vt eſt in Fauſtinæ Aug. Pij. Aug. Fil. In cuius tergo matronæ ſtolatæ imago ſtans cernitur, quę dextera pateram, ſiniſtra haſtam tenet, his literis aſcriptis, IVNONI LVCINAE. Opigena Iuno, teſte Sex. Pomp. quod in partu opem ferat, etiam appellata fuit. Natalis etiam Iuno videtur à Tibullo dici, quod natali die coleretur. Ita enim canit,

Natalis Iuno ſanctos cape thuris aceruos,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.

Idem quoque poeta Genium Natalem cognominauit, dum ad eũ ita cecinit,

At tu Natalis quoniam deus omnia ſentis.

Ita verò dixiſſe videtur, vt Græci γενέθλιους, quo nomine non Iouem modò, ſed & Lucinam & Genium cognominant.

Egeria quoque à mulieribus colebatur, quod eam partui egerendo opitulari credebant: auctor Feſtus. id quod alio loco etiam retulimus.

Iuga Iuno appellata, vel quod Iuges, vt ait Pompeius, ſunt eiuſdẽ iugi pares, vnde & coniuges, vel vt ſcribit Seruius in quarto Aeneid. ſuper ea Didonis verba, Ne cui me vinclo vellem ſociare iugali. Iugali, inquit, propter iugum quod imponebatur matrimonio coniũgendis, vnde etiam Iuno Iugalis dicitur. Iugæ Iunonis ara fuit Romæ in vico, qui ideo Iugarius dictus erat, vt Feſtus ait. Scribunt alij, quòd ad hanc aram veteri ritu nubentes vinculis iungebãtur, in omen futuræ concordiæ. Exiſtimauerim Iunonem hãc Iugam, illam eſſe quam Græci ζυγίαν appellant, cuius in VI ſuæ Metamorph. meminit Apuleius, in Pſyches appre-

apprecatione ad Iunonẽ. ita enim ait: Quam cũctus oriens Zygiam veneratur. quo loco interpres, vir doctiſſimus, ariolaſ quidem neſcio quo pacto cognomen hoc Iunonis eſſe, ſed nihil præterea. nos id apud Dionyſium Alicarnaſ. vbi artem ſcribit nuptialis orationis, deprehendimus. cuius verba, non vt amicus meus interpretatus eſt, elegantiſſimè quidem, ſed parũ ad propoſitum noſtrum. Sic ergo Alicarnaſ. Enimuero Iupiter & Iuno primi coniungentes dei ſunt, & copulantes: atq; hic quidem Pater omnium vocatur, hæc verò Zygia, quòd fœminam mari coniungeret. hoc eſt, ἀπὸ τοῦ ζεύγνυναι τὸ θῆλυ τῷ ἄῤῥενι. Hæc quidẽ Alicarnaſ. Nam rectè quidem amicus meus Iugam tranſtulit, verum in re præſenti nõ congruebat. Interpres quoq; Pindari in Neme. vbi fit mentio de τελεία Iunone, ita ſcribit: Iuno enim ipſa eſt γαμηλία, καὶ ζυγία. atque hac de re ſatis.

Γαμηλία ἥρα, hoc eſt nuptialis Iuno, in nuptiis colebatur. Plutarchus in præceptis connubialibus ait, Iunoni Gamiliæ rem ſacram facientes, cum reliquis ſacris fel nõ conſecrant, ſed eximentes poſt aram proiiciunt. id ſcilicet ſignificante legiſlatore, neq; quid bilis, neq; iracundiæ in nuptiis eſſe oportere. meminit & Euſebius in tertio Præparat. euang. Scribit Phauorinus, Cecropem (qui Diphyes ideo dictus eſt, id eſt, naturæ duplicis, quòd Athenis primus nuptias inſtituit) Gameliã etiã Iunonẽ ſtatuiſſe, & Gameliona menſem: quod & Charax ſcribit. Gameliæ quoq; Iunonis, vt paulò antè meminimus, Græcus Pindari interpres mentionem facit. Gamelium prętcrea Iouem inter Iouis cognomina retulimus. Nec tibi illud hoc loco præteribo, γαμηλίους θεοὺς, καὶ γενεθλίους θεοὺς, hoc eſt Nuptiales & Natales deos coluiſſe veteres, quod vel in primis oſtẽdit Dionyſ. Alicarnaſ. vbi de nuptiali oratione præcepta præſcribit.

Τελεία ἥρα, hoc eſt perfecta Iuno, vel vt Poggius vertit apud Diodorum, Perfectrix, vel potius Nuptialis: nam Iul. Pollux in tertio ait, & matrimonium vocari τέλειος, & τέλειοι qui matrimonium ineunt. quin & ipſa coniunctionis actio ἡρατέλεια: ab Iunone præſide nuptiarum, quam in primis virgines ante nuptias ſacrificiis placabant. Pindarus in Nem. in hymno ad Thiæum Vliæ filium Argiuum, de Hebe Herculis vxore loquens, τέλειαν, id eſt Iunonem Hebes matrem vocat. vbi Græcus enarrator inter cætera & hoc ponit: τέλειος δὲ ὁ γάμος, διὰ τὸ τελειότητα βίου κατασκευάζειν. hoc eſt, τέλειος autem nuptiæ, propterea quòd perfectionẽ vitæ præparant. Citat & hoc Aeſchyli, ἥρα τελεία ζηνὸς εὐναία δάμαρ. id eſt: Iuno Telea Iouis vxor cubiculi. Narratur in Commentariis Theocriti hęc fabula deſumpta ex cuiuſdam Ariſtotelis libro, qui ſcriptus fuit de templo Hermiones. Iupiter cùm inſidiaretur Iunoni, vt cum ea iaceret, eam conſpexit procul à cæteris deis (adeò parum tutæ ſolæ vaguntur virgines) mutatus in coccyga, id eſt in cuculum in monte conſedit, qui prius Thronax dicebatur, poſtea ex re Coccyx dictus eſt. quin & κόκκυξ, id eſt cuculus Iupiter, ipſe & cultus & nũcupatus fuit Argis. Cuculus ergo Iupiter tempeſtatem ſimul commouit: vbi cùm ſola in monte Iuno eſſet, ea parte qua poſtea constructa eſt Teliæ Iunonis ædes, cuculus Iupiter, ob tempeſtatis horrorem in virginis Iunonis gremium deuolauit: quem Iuno miſerata veſte contexit. tum verò Iupiter ſuam indutus formam, Iunonem eſt amplexatus. illa matris metu abnuebat, donec pollicitus connubium obtinuit. pòſt verò ab Argiuis Iuno maximè culta, in cuius templo ibidem conſtructo ſimulachrum hac ſpecie poſitum fuit. Ipſa Iuno in ſolio ſedens, manu ſceptrum tenebat, in cuius ſummitate cuculus fuit. hæc fermè in commentarijs, & in Pauſan. Corinthiacis. Homerus in Iliade huius concubitus meminit: quare à Socrate apud Platonem culpatur. nam ſtatim humi cum dea Iupiter concubuit. ac ne in cubiculum quidem ingredi ſuſtinuit, in terram eſt collapſus, ea locutus quæ mortales amore capti ſolent. Super quem Homeri locum in eius defenſionem aduerſus Socratem Proclus, & Procli magiſter Syrianus, vt putatur, multa ſcripſere, quæ ego miſſa facio. Sanè & de Telia Iunone aliàs fabulam legimus. Temenum ferunt Pelaſgi filium in Arcadia

apud Stymphalum habitaſſe, quo in loco Iunonem educauit, atq; triplex inde dea, & ſacrum cognomen adepta eſt. Nam παρθένος, id eſt virgo primùm vocata eſt: dein cùm Ioui nupta fuiſſet, τελεία, id eſt adulta & perfecta. cúmq; demũ cum Ioue diſſideret, χήρα, id eſt vidua appellata eſt. Stephanus quidem, apud Hermionem Iunonis παρθένου celebre fuiſſe templum affirmat. Pauſan. apud Platæenſes templum fuiſſe ſcribit cùm magnitudine, tum ſtatuarum ornatu inſigne. ingredientibus ſiquidem Rhea in ſaxo cernebatur, enixa Iunonem faſciis involuere, quam ex Saturno concepiſſet. Iunonis verò ſtatuam τελείαν vocabant, recta magnitudine. & conſpicua erat ſtatua ex lapide penteleſio. inibi etiam inerãt Praxitelis opera. Alterum porrò erat ſimulachrum Iunonis ſedentis, quod Callimachum feciſſe aiunt: ea νυμφευομένη ἥρα dicebat, id eſt, Iuno nubens: cuius hiſtoriam plenius in Ioue Cithærone retuli: vnde, ſi libet, repete. & in Cithæronia Iunone nonnulla dicenda. Sanè & ſororiam Iunonem nuncupatã lego, vt apud Feſtum in Sororio tigillo, vbi de eius ara agit, & Iani Curiatij.

Interduca, & Domiduca Iuno, vocabatur à Romanis, quòd ad ſponſi ædes ſponſas comitabatur, vel earum iter protegeret. meminit Martianus, vt oſtẽdimus. D. etiam Auguſtinus libro ſeptimo de Ciuit. dei. Hæc tamen eſt, inquit, Interduca pueris, & opus facit cum deabus ignobiliſſimis, Abeona & Adeona. tum etiam paulò pòſt ſubiungit: Ponitur autem Iuno, quia interduca eſt, & domiduca, quaſi profit quicquam iter capere, & domum duci.

Vnxia Iuno cognominata, teſte Martiano. ea verò cauſa videtur, quòd vetus Romanorum mos fuit, vt nouæ nuptæ mariti domum intrantes, axungia poſtes vngerent. ea enim religione tenebantur, vt axungia putarent pleraque mala arceri. Seruius Grammaticus libro quarto Aeneid. morem fuiſſe ait, vt nubentes puellæ ſimul cùm veniſſet ad mariti limen, poſtes antequàm ingrederentur, ornarent laneis vittis, & oleo vngerent. & inde ſunt vxores dictæ. Sed Plinius & Maſſurius, non oleo, aut axungia, ſed lupino adipe poſtes inungere moris fuiſſe, prodiderunt: ne ſcilicet malum aliquod medicamentum inferretur.

Cinxia Iuno, vt idem ſcribit Martianus, quòd cingulum puellæ ponentes in thalamis, à Iunone protegantur. At Feſtus: Cinxiæ, inquit, Iunonis nomen ſanctum habebatur in nuptiis, quod initio coniugij ſolutiò erat cinguli, quo noua nupta erat cincta. Vnctionibus, inquit Arnobius in tertio, ſupereſt Vnxia, cingulorum Cinxia replicationi. Porrò de cinguli ſeu zonę ſolutione, in Lyſizona Diana copioſius agemus.

Socigena item Iuno, vt idem tradit Martianus, cognominata, quòd nubentes aſſociet ac copulet.

Populona, ſeu Populonea Iuno etiã cognominata, quam populus ſeu plebs precabatur, vt innuit Martianus. In Papyriano etiam iure relatum eſt: Aræ vicem præſtare poſſe menſam dicatam, vt in templo Iunonis Populoneæ auguſta menſa eſt. meminit & Macrobius in tertio Sat. Quidam Populoniam vocant, quod ex nuptiis populi procreentur. Populoniæ præterea & Fulguræ mentio eſt apud Auguſtinum libro ſexto de Ciuitate dei, ex Seneca, quod alibi etiam retulimus.

Magna Iuno, id eſt μεγάλη ἥρα cognominata, vt obſeruat Macrobius libro Saturnaliũm tertio, ex Caſſio Hemina: Samothracas deos ait eoſdem eſſe Romanorum penates, & propriè dici θεοὺς μεγάλους, & θεοὺς χρηστούς, & θεοὺς δυνατούς. Secundum quam doctrinam ait Vergilium loquutum, quum cecinit: Iunonis magnæ primùm prece numen adora. τὴν μεγάλην nominaſſe videtur Ouidius in Faſtis,

Monte ſub Exquilio multis incæduus annis
Iunonis magnæ nomine lucus erat.

Sanè & maxima Iuno dicta eſt. Vergilius in octauo: Tibi enim tibi maxima Iuno, Mactat ſacra ferẽs. quo loco Seruius varias eius poteſtates fuiſſe ait, vt Cu

retis

retis, Lucina, Matrona, Regina, dicatur. & dicunt theologi ipſam eſſe Matrem deûm, quæ terra dicitur, vnde ei etiam porca ſacrificatur. Porrò & Bona vocata fuit Iuno. Vergilius: Adſit lætitiæ Bacchus datur, & bona Iuno. τὴν χρηστὴν vocaſſe videtur, & τὴν δυνατὴν, cùm ait, Dominámq; potẽtem, vt Macrobius etiam obſeruat.

Regina Iuno à Latinis cognominata, quòd ſoror & coniunx Iouis, deorum atque hominum regis: quæ, vt Camillus dictator in oratione ſcripſit, quam ad Pop. Rom. habuit, tranſuecta à Veiis fuit in Auentinum, & celebri die ſummo matronarum ſtudio dedicata. Scribit etiam P. Victor, templum Iunonis Reginæ à Camillo D. D. Veiis captis, in Auentino, hoc eſt, in XIII regione vrbis. Hanc hiſtoriam his verbis Liuius in V. ab V. C. narrat: Cùm iam humanæ opes egeſtæ à Veiis eſſent, amoliri tum deûm dona, ipſoſq; deos, ſed colentium magis, quàm rapientiũ modo, cœpere. nãq; delecti ex omni exercitu iuuenes, purè lautis corporibus, candida veſte, quibus deportanda Romam regina Iuno aſſignata erat, venerabũdi templũ iniere, primò religioſe admouẽtes manus, quod in ſignũ more vetuſto, niſi certæ gẽtis ſacerdos attrectare non eſſet ſolitus: deinde cùm quidam ſeu ſpiritu diuino tactus, ſeu iuuenili ioco, viſne Romam ire Iuno? dixiſſet, annuiſſe: cæteri, Romam conclamarunt. inde fabulæ adiectum eſt, vocem quoq; dicentis, Velle, auditam. motũ certè ſede ſua, parui molimenti adminiculis, ſequẽtis modò accepimus, leuẽ ac facilem tranſlatu fuiſſe, integrámque in Auentinum, ęternam ſedem ſuam, quò vota Romani dictatoris vocauerant, perlatam, vbi templum ei poſtea idem qui vouerat Camillus, dedicauit. Frequens verò Reginæ Iunonis apud ſcriptores mentio. vide & Plutarchum in vita Camilli, qui rem copioſe deſcribit. Libet hoc loco eiuſdem Liuij verbis referre ſacrum illi deæ peractum: Ab æde, inquit, Apollinis boues fœminæ duę albæ porta Carmentali in vrbem ductæ: poſt eas duo ſigna cupreſſea Iunonis reginæ portabantur: tum ſeptem & viginti virgines longam indutę veſtem, carmen in Iunonem Reginam canentes ibant, illa tempeſtate forſitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens & inconditum, ſi referatur. Virginum ordinem ſequebantur Decemuiri, coronati laurea, prætextatíque: à porta iugario vico in forum venêre, in foro pompa conſtitit, per manus veſte data, virgines ſonũ vocis pulſu pedum modulantes inceſſerunt. inde vico Thuſco, Velabróque, per boarium forum in vicum publicum atque ędem Iunonis Reginę perrectum: ibi duę hoſtiæ à Decemuiris immolatę, & ſimulachra cupreſſea in ędem illata. adhuc Liuius. Templum etiã Reginæ Iunonis habuiſſe Capitolium, teſtis eſt idem ipſe Liuius, quod Cn. Flaminius bello aduerſus Ligures vouerat, meminit & M. Cicero ad Equites Roman. in oratione antequàm in exilium iret. Decet etiam non ſileri, vt Plinij verbis agam, Et Ardeæ templi Iunonis reginæ pictorem, pręſertim ciuitate donatum, ibique carmine, quod eſt in ipſa pictura, his verſibus:

Dignis digna loco picturis condecorauit
Reginæ Iunonis ſupremæ coniugis templum,
Marcus Ludius Elotas Aetolia oriundus,
Quem nunc & poſt, ſemper ob artem hanc Ardea laudat.

Quos verſus ego eo libentius aſcripſi, quo & ipſe agnoſcas antiquitatem, quàm ſimplici & incondita vteretur dicẽdi figura. Addit & Plin. eos verſus ſcriptos fuiſſe antiquis literis Latinis: quas quæ eſſent, aliàs oſtendi. Reginæ Iunonis etiam Virgilius in illo meminit:

Aſt ego quæ diuûm incedo regina, Iouiſq;
Et ſoror & coniunx.

Quo loco notandum, vſum poetam verbo Incedo, quod ei deæ propriè conuenit. Quin & ab hoc prouerbium Grecum factum eſt, βαδίζειν ἡραίοις ἐμπεπλεγμένους.

λιγμένως.hoc eſt,incedere Iunonium complicatum,ſcilicet gradum.meminit Athæneus libro XII.Horatius in Sermonibus, Vt ſi Iunonis ſacra ferret.

* Moneta Iuno,à Romanis cognominata.nam cùm non multo ante vrbem captam à Gallis,terræmotus factus eſſet,ferunt vocem extitiſſe à Iunonis templo, quod erat in arce,vt de ſue plena fieret procuratio.quocirca ait Cicero, Iunonẽ illam appellatam Monetam, à moneo videlicet verbo denominatam. Monetæ Iunonis crebra eſt ſcriptoribus mentio. Lucanus,

Numina miſcebat caſtrenſis templa Monetæ.

Ouidius Monetam à Camillo factam cecinit:

Arce quoq; in ſumma Iunoni templa Monetæ
Ex voto memorant facta Camille tuo.

Scribit Macrob.cal.Iunij ædem Iunonis Monetæ dicatam fuiſſe.T.Liuius in VII ab V.C.ait,L.Furium creatum dictatorem contra Auruncos,quòd bellum ab repentina populatione ereptum erat,inter ipſam dimicationem ędem Iunoni Monetæ vouiſſe,cuius damnatus voti victor fuit.Senatus ædem faciendam iuſsit,locus in arce deſtinatus, quæ area ædium M.Manlij Capitolini fuerat:anno poſt quàm ædes vota erat, Monetæ dedicata fuit. Lactantius verò libro ſecundo Inſtit.ait,Iunonis Monetæ ſimulachrum,cùm captis Veiis vnus ex militibus ad eam transferendam miſſus,iocabundus ac ludens interrogaret,vtrùmne Romam migrare vellet? reſpondit,velle:addit Val.Max.eam deuectam Romam.Sunt qui in Auentino monte collocatã,ſunt qui in Capitolio memorent. Eſt & ab aliis traditum,repoſitam in tertia vrbis regione, vt apud P.Victorẽ eſt videre. Nec deſunt,qui,quæ de dea Moneta tradũtur, in deũ Aium Allocutium referant: qui redarguuntur ex iis quæ in Aio deo ſcripſimus, & ante me à Crinito.atque ideo hic parcius. At mihi hoc tibi nequaquam prætereundum duco,T.Liuium lib.quinto ab V.C.referre,non Monetam è Veiis aduectã, ſed reginam Iunonem:id quod planius oſtendemus.Seruabant verò in æde Monetæ libri lintei, qui dicebantur, in quibus imperij Rom.fata continebantur. Vidi & in quibuſdam nomiſmatibus antiquis, ipſam à tergo eorum effictam, cum hac inſcriptione, DIVAE MONETAE. Suidas de Moneta aliam recitat hiſtoriam,quam vt à Græco ſcriptore acceptam refero.ait enim: Cùm Romani pecunia indigerent in bello contra Pyrrhum & Tarentinos, Iunonem oraſſe:quæ illos monuit, ſi iuſtitiæ armis vterentur, pecuniam eis non defuturam.quod cum Romanis rectè contigiſſet,Monetam Iunonem veneratos eſſe. eius rei ſignum fuiſſe,quòd nomiſma,id eſt moneta inſcripta in eius templo aſſeruabatur.

Soſpita Iuno Lanuuij in primis colebat, magno cultu, vt docet Liuius:cuius* ſimulachrum fingebatur cum pelle caprina,& haſta & ſcutulo,& cum calceolis repandis,vt de Nat.deor.ſcribit Cicero.Liuius quidem lib.VIII.ab V.C.Lanuuinis, inquit, ciuitas data, ſacráque ſua reddita cum eo, vt ædes lucúſque Soſpitæ Iunonis communis Lanuuinis municipibus cum pop.Rom.eſſet.Idem in IX.Decad.III.In æde,ait,Iunonis Soſpitæ Lanuuij,cum horrendo fragore ſtrepitum editum. P.verò Victor in X vrbis regione,hoc eſt in Palatio, ædem Matris deûm commemorat, cui fuerit conterminum delubrum Soſpitæ Iunonis. Meminit & M.Cicero in oratione pro Muræna, cui ait Coſs.ſacrificare ſolitos. Sil.lib.XIII,

Lanuuio generate,inquit,quem Soſpita Iuno
Dat nobis Milo,Gradiui cape victor honorem
Tempora murali vinctus turrita corona.

Soſpitæ autem Iunonis delubrum dicatum lib.2.Faſt. cecinit Ouid. vt alibi notaui,cal.Feb.Siſpitem Iunonem,inquit Feſtus,quam vulgò Soſpitem appellant,antiqui vſurpabant,cùm ea vox ex Gręco videatur ſumpta, quod eſt σώζω. Illud præterea par eſt vt te moneam, cùm de Soſpita agunt ſcriptores, pro Lanuuio

nuuio, Lauinium plerunq; perperàm ſcribi,repugnante ſyllaba: vt apud Ouid. in Faſt.& Silium lib.XIII. non multò antè notaui. Offendi etiam modò qui Soſpitam Iunonem,pro Sotera Minerua in Ariſtotelis teſtamẽto repoſuerit,quod eſt apud Laertium.

Matutam Iunonem etiam cognominatam videmus. T. Liuius lib.quarto de bello Maced. Aedes,inquit,eo anno aliquot dedicatæ ſunt:vna Iunonis Matutæ in foro olitorio vota, locatáq; quadriennio antè à Cn.Cornelio Cos. Gallico bello, Cenſor idem dedicauit. Quidam arbitrantur Romæ fuiſſe ad Capitolij radicem, vbi hoc tempore diui Andreæ eſt templum in Mentuza, pro Matuta. Sed hęc cõiectamus.Certè P.Victor in XI regione vrbis ædem Iunonis Matutæ cõſtituit in foro olitorio,vbi & Pietatis ædes. Fuit cùm ego vererer,ne mendum eſſet in T. Liuio, & fortaſſe pro Matuta Soſpitam ſcribendum, præſertim quod eadem Decad.lib.II,votam ædem Iunoni Soſpitæ ab ipſo Cornelio legamus bello Gallico,quo ex voto victoriam reportauit.

Nouella Iuno calabatur à pontificibus, id eſt vocabatur in menſium calendis, vt ex Varrone & aliis oſtenſum in noſtro de Annis,menſibus,&c. Hinc & Calendaris etiam dicta.

Calendaris Iuno vocabatur ab antiquis, quoniam omnes calendas ipſi attributas exiſtimabant: in primiſq; Laurentes patriis religionibus ſuis ſeruabant, qui & hoc cognomen Calendaris Iunonis cerimoniis,vt Macrobius ſcribit, addiderunt,& omnibus calendis huic deæ ſupplicabant. Sed & Romæ quoque pontifex minor in curia Calabra Iunoni rem ſacram faciebat, & regis vxor, id eſt ſacrorum regina porcam,vel agnam in regia Iunoni immolabat.

Februalis Iuno,quæ & Februata,& Februla,ſeu Februa nuncupabatur,vt ex Sex.Pomp.in lib. de Annis & menſibus,&c. diximus, quòd ipſi eo menſe ſacra fiebant: eiúſq; feriæ erant Lupercalia, qua die mulieres februabantur à lupercis amiculo Iunonis,id eſt,pelle caprina.Martianus prętereà ita Iunonem:Februalem ac Februam mihi poſcere non eſt neceſſe,cùm nihil contagionis corporeæ ſexu intemerata pertulerim.

Caprotina Iuno à Romanis culta huius dies feſtus nonæ ſcilicet Iuliæ ancillarum erat, quo die liberæ pariter & ancillæ ſacrificabant ſub arbore caprifico, in memoriam Benignæ Virtutis, quæ ancillarum animis pro conſeruatione publicæ dignitatis apparuit. Nam poſt vrbem captam cùm ſedatus eſſet Gallicus motus, res verò publica eſſet ad tenue deducta, finitimi opportunitatem inuadendi Romani nominis aucupati, præfecerunt ſibi Poſthumium Liuium Fidenatium dictatorem,qui mandatis ad Senatum miſſis poſtulauit, vt ſi vellent reliquias ſuæ ciuitatis manere, matresfamiliæ ſibi & virgines dederentur. cúmq; patres eſſent in ancipiti deliberatione ſuſpẽſi, ancilla nomine Tutela, vel Titula, ſeu Philotis(ſic enim variè legimus) pollicita eſt, ſe cum cæteris ancillis ſub nomine dominarum ad hoſtes ituram.habitúq; matrumfamiliâs et virginũ ſumpto,hoſtibus cum proſequentium lachrymis ad fidem doloris ingeſtæ ſunt.quæ cùm à Liuio in caſtris diſtributæ fuiſſent, viros plurimo vino prouocauerunt, diem feſtum apud ſe eſſe ſimulantes. quibus ſoporatis, ex arbore caprifico, quæ caſtris erat proxima, ſignum Romanis dederunt. qui cùm repentina incurſione ſuperaſſent, memor beneficij ſenatus, omnes ancillas manu iuſsit emitti, dotémque eis ex publico fecit, & ornatum quo tunc erant vſæ geſtare conceſſit, diémque ipſum nonas Caprotinas nuncupauit, ab illa caprifico ex qua ſignum victoriæ ceperunt: & Caprotina culta Iuno, ſacrificiúmque ſtatuit annua ſolennitate celebrandum, in quo lac quod ex caprifico manat, propter memoriam facti adhibebatur. hiſtoriæ meminit Plutarch. diem Ouidius in Arte deſignat:

Porrige & ancillæ,qua pœnas luce pependit
Luſa maritali Gallica veſte manus.

Varro

Varro de Ling. Lat. Nonæ, inquit, Caprotinæ, quòd eo die in Latio Iunoni Caprotinæ mulieres ſacrificant, & ſub caprifico faciunt, & è caprifico adhibent virgam.

Curis Iuno à Sabinis nuncupata, & deinde à Romanis. nam haſtam curin Sabini appellabant. Cato in Originibus (ſi quæ leguntur fragmenta, legitima ſunt) Quirinalis, inquit, collis à Iunone Sabinorum dea, quam illi Curitim, id eſt haſtatam Iunonem vocant. etenim haſtam curim & curinam proferunt, quia his ſimul & Hetruſcis non eſt litera Q, ſicut Romanis. Idem & Feſtus ſcribit. Hinc etiam à priſcis inſtitutum legimus, vt nubentium caput haſta comeretur, quam Cœlibarem vocabant, quòd eſſent in Iunonis tutela nubentes conſtitutæ. Meminit etiam his verbis Arnobius, vir antiquitatis doctiſs. lib. contra Gentes II. Cùm, inquit, in matrimonia conuenitis, toga ſternitis lectulos, & maritorum Genios aduocatis, nubentium crinem cœlibari haſta mulcetis, puellarum togulas Fortunam defertis ad virginalem. De cœlibari etiam Plut. in quæſtionibus Romanis, & in Faſt. Ouid. Feſtus: Cœlibari, inquit, haſta caput nubentis comebatur, quæ in corpore gladiatoris ſtetiſſet abiecti, occiſique, vt quemadmodum illa coniuncta fuerit cum corpore gladiatoris, ſic ipſa cum viro ſit: vel quia Matronæ Iunonis Curetis in tutela ſit, quæ ita appellabatur à ferẽda haſta, quæ lingua Sabinorum curis dicitur: vel quòd fortes viros genituras ominetur: vel quòd nuptiali iure imperio viri ſubiicitur nubens, quia haſta ſumma armorũ & imperij eſt: quam ob cauſam viri fortes ea donantur, & captiui ſub eadem veniunt, quos Græci δορυαλώτους, καὶ δορυκτήτους. Sanè Græci κυριτίας ἥρας vocant. Nam Stephanus, κύρις, ait, metropolis Sabinorum, vnde gentile Cyrites, & poſſeſſiuum Cyretius, & Cyretia Iuno. Ineptè Seruius in primo Aeneid. ſcribit Iunonem Curetim dictam, quod curru vteretur & haſta: vt eſt, inquit, Hic illius arma, Hic currus fuit. Sed iam de Curiti Iunone ſatis: cætera quæ reſtant de Iunone, ſequamur.

Zeuxidia Iuno Argis culta. nam cùm Argis in Aegyptum Apis rex migraſſet, boues illuc tranſmiſit, & ſeminandi rationem: quam rem cùm iunctis bobus rex effeciſſet, Iunoni Zeuxidiæ templum ex re conſtruxit, & ſpicas flores Iunonis vocauit.

Tropæa Iuno à Lycophrone eſt appellata, quod illi trophæa dicarentur, vt notant grammatici: vti etiam Ioui Trophæo, & Tropæucho. vt iam notatum eſt, in Ioue.

Lacinia Iuno, ſic cognominata ab Italiæ promontorio. Verg. Attollit ſe diua Lacinia contrà. Quo loco Seruius ita ſcribit: Lacinium templum à rege conditore dictum, ſecũdum quoſdam à latrone Lacinio, quẽ illic Hercules occidit, & hoc loco expiato iuueni templum conſtituit. Strabo libro VI. poſt Iapygiũ promontoria tria, deinde Lacinium Iunonis templum, ſuperiore ætate locupletiſs. donariis frequentiſs. refertum, cuius deprædati templi hiſtoriam legimus apud T. Liuium, Val. Max. Lactantium, & alios. Liuius libro quarto tertiæ Decad. Vrbs, inquit, Croto murum in circuitu patentẽ XII. mil. paſſ. habuit, ante Pyrrhi aduentũ in Italiam. Poſt vaſtitatẽ eo bello factã, vix pars dimidia habitabatur. Flumen, quod medio oppido fluxerat, extra frequentia tectis loca præterfluebat muros, procul iis qui inhabitabant. ſex millia aberat ab vrbe nobile templum, ipſa vrbe nobilius, Laciniæ Iunonis, ſanctũ omnibus circà populis. Lucus ibi frequẽti ſylua, & proceris abietis arboribus ſeptus, læta in medio paſcua habuit, vbi omnis generis ſacrum Deæ paſcebatur pecus ſine vllo paſtore, ſeparatimque egreſſi cuiuſque generis greges nocte remeabant ad ſtabula, nunquam inſidiis ferarum, non fraude violati hominum. magni ergo fructus ex eo pecore capti, columnáque inde aurea ſolida facta & ſacrata fuit: inclitúmque templum diuitiis etiam, non tantùm ſanctitate fuit. Hactenus Liuius. Ex hoc templo Fuluius cenſor tegulas marmoreas cùm ſuſtuliſſet, quibus ædem Fortunæ

equeſtris,

equeſtris, quam Romæ fecerat, tegeret, mente captus eſt, & amiſſis duobus filijs in bello conſumptus eſt. hoc ſcribit in primis Lactantius in II. & T. Liuius libro ſecundo quintæ Decad. plenius totam hiſtoriam exequitur duobus in locis. Idem T. Liuius III Decad. ſcribit, ad Hannibalis receſſum ex Italia, delubrum Iunonis Laciniæ violatum à cæde fuiſſe. nam Italici generis milites, qui eum ſequi in Africam abnuerant, qui in id confugerant, in ipſo fœdè trucidauit. Scribit Plin. in ſecundo, apud auctores reperiri, in Laciniæ Iunonis ara ſub diuo ſita cinerem immobilem eſſe, præflantibus vndiq; procellis.

Feronia Iuno à pleriſq; credita. Seruius enim grãmaticus ait: Apud Circeios & Rutulos Iuno virgo colebatur, quæ Feronia dicta fuit. Feroniæ verò templũ ſummo cultu fuiſſe, teſtis eſt hiſtoria. Scribit T. Liuius, Hannibalem diuitijs & donarijs illud ſpoliaſſe, intactum ob religionem ad id tempus. Idem quoq; auctor ait, cùm prodigia procurarent, ſtatutum fuiſſe, vt libertinæ mulieres, vnde Feroniæ donum daretur, pecuniam pro facultatibus ſuis cõferrent. Dionyſ. Alicarn. in ſecundo ſcribit, cùm Lacedæmonij quidam ob duras Lycurgi leges Lacedæmone exceſſiſſent, vbi multum mari agitati fuiſſent, quod deis vouerũt in quamcunque primùm terram incidiſſent, ſedes in ea ſe poſituros: cùm circa Pomentinos primùm conſtitiſſent, Feroniam ab æquorea latione locum nominauerunt. fanúmq; Feroniæ deæ conſtruxère, cui vota nuncuparunt: quam quidem, inquit, vnius nunc literæ detractione Feronam vocant. hæc fermè Alicarnaſſ. qui & libro tertio, cũ de bello agit, quod aduerſus Sabinos Tullus rex geſſit, ita ſcribit: Poſt hoc, inquit, bellum aliud Romanis aſtitit ex Sabinorum gente. Principium autem & cauſa eius fuit huiuſmodi. Fanum eſt communiter à Sabinis & Latinis honoratum, ſanctum maximè inter cætera, eius deæ quæ Feronia vocatur, quam vertentes in Græcam linguam alij quidem ἀνθοφόρον, alij φιλοστέφανον, alij etiam φερσεφόνην vocant: & cætera quæ ſubdit. Sed enimuerò ſcribit in VIII Aeneid. comment. Seruius, Feroniam deam libertorum fuiſſe, cuius in templo raſo capite pileum accipiebant, cuius rei meminit & Plautus in Amphitryone. Hinc clarius tibi conſtare poteſt, cur Romani, quod modò dixi, iuſſerint libertinas pecuniam pro facultatibus conferre, vnde Feroniæ deæ daretur. Feroniæ meminit & Verg. in VII, Et viridi gaudens Feronia luco. quo loco idem Seruius, Feroniam ait Iunonem virginem exiſtimatam, veluti Iouem Anxurũ, id eſt ſine nouacula, & perinde nondum abraſum: qui colerentur Terracinæ, quæ etiam aliquando Anxur dicta fuit. Strabo verò lib. V, de Feronia vrbe agens, quæ altera videtur, eam ſub montem Soractis collocat, quo (inquit) Feroniæ nomine & dea quædam nuncupatur, quam finitimi miro dignantur honore: quo in loco ipſius templum eſt, mirificum ſacri genus habens. nam qui eius numine afflantur, nudis pedibus prunas, & copioſum inambulant ſub hac dea nulla læſione cinerem. eò ingens mortalium multitudo confluere ſolebat ad celebritatem, quæ quotannis ibi agebatur. atq; hæc de Feronia. Extat Iani Pannonij elegia de Feroniæ fonte, in qua tamen non videtur rem ſatis intellexiſſe:

Sacri fontis aue mater Feronia, cuius
Felix Pæonius Narnia potat aquas.

Non enim apud Narniam, ſed Terracinam potius, vt liquidò oſtenſum eſt. & Horatius Sermonum lib. 2.

— Ora manuſq; tua Feronia lympha,
Millia tum pranſi tria repſimus, atq; ſubimus
Impoſitum ſaxis latè candentibus Anxur.

Et Silius lib. XIII Punicor.

—Itur in agros
Diues vbi ante omnes colitur Feronia luco,
Et ſacer humectat fluuialia rura Capenas.
Fama eſt intactas longæui ab origine Fauni.

Creuiſſe in medium congeſtis vndiq; donis,
Immenſum per tempus opes.

Demum & in regis Deſiderij decreto, quod Viterbi habetur, hæc verba legũtur: Et Petram Sanctam olim Fanum Feroniæ. ex quibus omnibus planè videmus, diuerſis in locis Italię huius deæ fuiſſe fana, qua de re noſter F. Leander Bononienſ. nõ patriæ ſuæ tantùm illuſtrator, vt qui de ea iam alteram Decada perſcribat, ſed & totius Italię, cuius exactę deſcriptioni extremam iam manum impoſuit, propediem eam editurus.

Αἰγοφάγος ἥρη, Capriuora Iuno, à ſolis (ait Pauſan.) Lacedæmonijs & cognominata eſt, & culta: cui & capras ſacrificabant. id quod Herculem tradunt conſtituiſſe, ipſúmq; capras primùm immolaſſe, cùm aduerſus Hippocoonta & eius filios pugnaret: cùm aliam nullam in promptu victimam haberet, & inter cæteros deos Iunonem propitiam ſibi cognouiſſet. Pauſanias in Laconicis.

Samia Iuno nuncupata, à Samo inſula notiſſima: quæ Cariæ appoſita, Parthenia, alíiſq; nominibus eſt appellata, teſte Stephano. Verg.

Quam Iuno fertur terris magis omnibus vnam,
Poſthabita coluiſſe Samo.

Scribit Pauſ. in Achaicis, Iunonis templum in Samo ab Argonautis conditum. Dicunt autem Samij, Iunonem apud ſe natam, penes Imbraſum fluuium: vnde & Imbraſia vocata, vt diximus. ſub λύγῳ verò plãta edita, id eſt, vitice, quæ diu in eius templo permanſit. Templum à Smilace coætaneo Dædali factum fuit. Samum ſcribit Varro prius Partheneam nuncupatam, quòd ibi Iuno adoleuerit, ibíque etiam Ioui nupſerit: itaq; nobiliſſimum & antiquiſſimum templum eius fuit Sami, & ſimulachrum in habitu nubentis figuratum, & ſacra eius anniuerſaria nuptiarum ritu celebrabantur. Hæc fermè ex Varrone Lactantius in 1. Diuinarum inſtitutionum. meminit & Diodorus.

Imbraſia Iuno, id eſt ἥρη ἰμβρασίη, apud Nicandrum in fine Alexipharm. eadem videtur eſſe quæ & Samia, ab Imbro inſula Sami: ſed mea quidem ſententia, ab Imbraſo fluuio Sami, cuius meminit Strabo libro x, qui antea Parthenius dicebatur. Perperàm verò legitur apud Stephanum ἰάμβρασος, cùm Imbraſos legendum ſit. ἴμβρασος, inquit, Samos à flumine dicta: gentile, Imbraſius & Imbraſia. de Samia porrò Iunone, iam copioſius actum eſt.

Argiua Iuno ab Argis denominata, quo loco ἡραῖα & Iunonis ſacra celebrabantur, in quibus Hecatombe, id eſt ex centum bobus ſacrificium fiebat. huius quidem celebritatis præmium fuit æreum ſcutum, & ex myrto corona: id quod in comment. in Pindarum legimus. Argiuæ quoq; Iunonis ſignum à Pauſania deſcribitur hoc ferè modo: Deæ, inquit, ſignum in ſolio ſedet eximia magnitudine, auro & ebore fabricatum, Polycleti opus, corona capiti impoſita. ea Gratias & Horas egregiè factas habet. Dea manu altera punicum malum, altera verò ſceptrum tenet. Quæ de malo punico arcanis conſignata ſunt ſacris, ſilentio prætereo. Cuculum verò auem iccirco ſceptro aiunt impoſitum, quòd virginis Iunonis amore captus Iupiter, in eam ſe auem verterit, quam puella tanquam ludicrum captarit. qua de re & ſuprà in Telia Iunone copioſe dictum eſt. Annotat Strabo lib. IX, Homerum hoc verſu Iunonem & Mineruam iunxiſſe,

ἥρη τ' ἀργείη, καὶ ἀλαλκομενηὶς ἀθήνη. id eſt.
Iunóq; Argiua, & Alalcomeneis Athena.

Propterea quòd Iuno Argis nata feratur, & Minerua Alalcomenis: & per vtriuſq; patriam coniunxiſſe. Verùm mox, vt eſt apud Pauſaniam, Eurydice Lacedæmonis filia, vxor Acriſij Abantis filij, Iunonis Argiuæ templum in colle cõdidit. à quo non multo longè fuit & ſacellum ὑπερχειρίας Iunonis, eodem Pauſan. auctore. Heſychius ſacrificium ab Argiuis Iunoni factum, λεχέρνα ait vocari. Homerus etiam Argiuam Iunonem facit. Quidam putauêre Argiuam eandem eſſe cum Pelaſga, apud Propert. lib. 2,

An contem-

An contempta tibi Iunonis templa Pelaſgæ.

Pelaſgos enim aiunt Argos tenuit, vnde Argiui Pelaſgi. Ego tamen ſecutus Euſtathium, Samiam Iunonem intelligo. nam de ea agens inquit: Samus Pelaſgia dicta eſt, à Pelaſgis quibuſdam, ex quibus & Iuno Pelaſgia culta: quæ inſula adeò eſt ferax, vt Lac gallinæ, inde prouerbium factum ſit: eodem Euſtathio & Strabone auctoribus. Porrò & apud Argiuos templum fuiſſe legimus Iunonis Anthiæ, id eſt floridæ, id quod ſcribit in ſecundo Pauſanias. Porrò & Iunonis Argiuæ celebritatem Palæphatus in Incredibilium hiſtoria commemorat: quo loco & de duobus fratribus hiſtoriam legimus, qui currum ſubierint, quo mater de more ad ſacra perficienda pergeret. Idem ſcribit Herodotus, & Valerius Maximus, alij. Horum nomina, Cleobis & Biton. Sanè & apud Hyginũ in Fab. poeticis, vbi de his qui primi ludos fecerunt, agit: Sextò, inquit, Argis facti ſunt à Lynceo Aegypti filio Iunoni Argiuæ, qui vocantur ἀσπὶς ἐν * ἄργωις. quibus ludis qui vicit, accepit pro corona clypeũ: ideo quòd Abas Lyncei & Hypermeſtræ filius nunciauit Danaum parentibus periſſe: cui Lynceus de templo Iunonis Argiuæ detraxit clypeum, quod Danaus in iuuenta geſſerat, & Iunoni ſacrauerat, & Abanti filio muneri dedit. In his ludis qui ſemel vicit, & iterum deſcendit ad certamen: vt niſi iterum vincat, ſæpe deſcendat. Hoc verò loco Hyginus commemorat, ludos diuerſos factos à diuerſis, numero XV, quos breuitatis cauſa prætereo. Nam & Romanorum ludos potuiſſem, ſi tantum ocij fuiſſet, apponere.

Proſymna Iuno, ab vrbe Argolica vocata, vt Strabo ſcribit. Papinius Statius in Thebaid. Hinc celſæ Iunonia templa Proſymnæ. Pauſan. in Corinth. cùm ἡραῖον, id eſt Iunonis templum deſcribit apud Mycenas, tres ait fuiſſe nutrices Iunonis, Eubœam, Proſymnam, & Aſcræam: à quibus ſunt nomina indita locis proximis, ipſi Heræ, trésque has Aſterionis fluuij filias ait. Porrò & templum deſcribit, & in eo hanc Iunonis ſtatuam, Polycleti opus. ea ingens erat: capiti corona fuit impoſita, ita efficta, vt Horas & Gratias haberet: in altera manu punici mali pomum, altera ſceptrum ferebat. ſceptro cuculus inſidebat: quippe Iunonis deſiderio Iouem ferunt in hanc auem cõuerſum, quod in τέλεια planius retulimus. Sanè Olen vetuſtorum hymnorum poeta apud Pauſaniam cecinit, ab Horis Iunonem educatam, quæ Martem atque Heben liberos ſuſcepit.

Alea Iuno, ἀλέα ἥρα. Menæchmus Sicyonius in Græcis commentarijs in Pindari Nemea, ſcribit, quòd Adraſtus frater Pronactis, fugiens iuit Sicyonem, & Polybi aui materni, id eſt μητροπάτορος regnum adeptus eſt, & Iunonis Aleæ nũcupatæ templum erexit: quod ita appellatum tradunt, quòd à fugiente Adraſto erectum ſit. quidam enim φυγεῖν, id eſt fugere, ἀλᾶσθαι dicunt.

Hoploſmia Iuno apud Elidem culta fuit, quin etiam vnà Iupiter Hoploſmius: quorum cùm ſacerdos eſſet occiſus, nec à quo id factum ſciretur, fuerunt qui aſſererent, ſe audiuiſſe ab ipſo capite ſacerdotis occiſi, fuiſſe quempiam Cercidã. qua de re in præſentia plura quæ afferam, non habeo.

Fluonia Iuno appellata fuit, quòd fluoribus menſtruis adeſſet: & proinde ei fœminæ ſacra faciebant. Fluoniam, ſcribit Feſtus, mulieres colebant, quòd eam ſanguinis fluorem in conceptu retinere putabant.

Λευκώλενος ἥρα, Iuno cognominata à poeta, quòd albas vlnas & albos haberet lacertos. ſed non poetæ modò hoc epitheto vſi ſunt, vt etiam Heſiodus in Theogonia, ſed & Lucianus in Charidemo, vbi de pulchritudine agit, ſi modò legitimus ſit Luciani liber.

Acrea Iuno vocata, cuius vetuſtum admodum oraculum (ait in octauo Strabo) fuiſſe inter Lecheum & Pagus in Iſthmo. ſcribit libro ſecundo, IIII decad. T. Liuius: Promontorium eſt aduerſus Sicyonem Iunonis, quam vocant Acream, in altum excurrens, &c. Acreæ Iunonis & Pauſ. in ſecundo meminit. & Euripides quoque in fabula Medea eam inducit, filios cæſos ad ædẽ Iunonis Acreæ

deferre, ne quis eos violaret. Tertullianus in lib. ad vxorem: Acreæ, inquit, Iunoni apud Aegium oppidum virgo ſortitur. Legimus etiam Acream Fortunam, id & apud Plin. notat Herm. Barb.

Bunæa Iuno, teſte Pauſ. in Corinth. nominata fuit à Buneo filio Mercurij, qui ei deæ Corinthi fanum conſtruxit.

Pharygæa Iuno cognominata, vt Strabo & Stephanus oſtendunt, ab vrbe Pharygis, quæ fuit in Locride: quæ prius, ſi Straboni ſtamus, Scarphe dicebatur: ſi Stephano, hanc Homerus Tarphen vocauit. Iunonis verò Pharygææ fanum à Pharygis conſtructum, in Argiua terra. nam & Argiuorum colonia dicitur.

Dirphya Iuno, denominata (vt Stephanus ſcribit) à Dirphy mõte in Eubœa, vt Euphorion meminit: à quo gentile nomen Dirphyus.

Parthenos, id eſt virgo Iuno nuncupata fuit, vt in Telea, id eſt connubiali & perfecta Iunone expoſuimus. Sed quia tunc non ſuccurrebat, etiam cognominatam παρθενίας, id eſt Virginalem, à Pindaro in hymnis Olymp. ad Ageſiam Syracuſanum vel Stymphalium, Olympionicam, in hoc loco retuli: tametſi expoſitores potius à Parthenio monte Arcadiæ Iunonem Partheniam declinent. quamuis & Parthenie Samos inſula appellata eſt, vt in Samia Iunone dictum eſt.

Ἰπνοῦντις, ἡ ἰπνουσία ἥρα, id eſt, Ipnuntis vel Ipnuſia Iuno, ſimiliter à Sami regiuncula denominata eſt, vt Stephanus prodit. In ea quippe regiuncula templum fuit Iunonis celebre.

Κανδρηνὴ ἥρα, Candrena Iuno, nomen ſumpſit (vt Stephanus ſcribit) à Candara vrbe Paphlagoniæ.

Cithæronia Iuno, celebri memoria apud Plut. legitur in vita Ariſtidæ, nec ſemel: de qua in Ioue Cithæronio egimus, & hiſtoriam ex Pauſania recitauimus. quam cum aliqua ex parte aliter Euſebius in tertio Præparationis euang. recitet, hîc referre non grauabor. Dicitur, inquit, Iunone irata, diſſidenteq́ ab Ioue, mœſtus ipſe ea de cauſa nimium fuiſſe. quem Alalcomenes indigena docuit, vt alteram ducere ſimularet. ita conſilio eius, ex quercu ſimulachro mulieris confecto, quod Dædalon appellarunt, nuptias præparare fingebant. Nymphæ igitur Cithæronides, & vniuerſa Bœotia confluebat, quibus rebus Iunonem commotam, à Cithærone deſcendiſſe, & Platæenſium multitudine mulierum ſequẽte, ad Iouem perueniſſe, ſimulationéq́ patefacta, ſumma cum lætitia reconciliatam fuiſſe. Honorem autem ſimulachro tantum feciſſe, vt Dædala nomine ipſius diem feſtum inſtituerit: quod tamen ex zelotypia, quamuis omni anima expers eſſet, cremauit. Hæc quidem fabula, quam (vt dixi) Pauſanias diuerſè recitat: non enim dicit Alalcomenem ſimulare nuptias Iouem docuiſſe, ſed Cithæronem regem: qui etiam à monte & Ioui & Iunoni nomen dedit. Hoc præterea addit Euſebius ex Plutarchi ſententia, quod & allegoriam affert. ait enim: Huius fabulæ talis ratio eſt. Iunonis ac Iouis bella & diſſidia nihil aliud quàm elementorum intemperiem ſignificant, quæ niſi certis proportionibus contemperentur, natura rerum ſoluta magnam perniciem afferunt. Si ergo Iupiter, id eſt calida virtus ac ignea nimium exceſſerit, ſiccitate omnia pereunt: ſin verò Iuno, humida ſcilicet & ventoſa natura, Iouem aſpernata ſuperauerit, magna vis pluuiæ delata diluuio cuncta vaſtabit, quod illis temporibus factum Bœotiam maximè regionem proluit, quæ multitudine aquarum tecta fuiſſe dicitur, quia quamprimùm tempeſtate tranſacta terræ apparuerunt, deorum reconciliatio facta fingitur. prima verò arborum omnium quercus effloruit, quæ non modò pijs hominibus, (vt Heſiodus ait) verùm etiam diluuij reliquijs opitulata eſt, cùm glandes ramalia ferant, & apes cùm tegat truncus. Hactenus vel Plutarch. vel Euſebius.

Ammonia Iuno, id eſt arenaria, culta in Græcia ab Eleis, de qua Pauſan.

Βοῶπις

Βοῶπις ἥρα, cognominata in primis ab Eupoli, quòd pulchros & magnos haberet oculos. Heſychius, aliíq́ue aliqui & Mineruæ attribuunt.

Tethlæ Iunonis templum apud Platæenſes.

Europia, id eſt, εὐρωπία etiam Iuno cognominata: Heſychius.

Telchinia Iuno, à Telchinis dicta. nam vt plurib. à Diod. traditur, Telchines inter cætera quæ multa reperêre, etiam deorum ſtatuas fecerunt, quæ & ab illis nonnullæ nuncupatæ ſunt: vt à Camireis Iuno Telchinia, & Telchinius Apollo à Lydis. Cætera, vbi de ipſis agemus, tractabimus.

Cypra Iuno nuncupata. Catellum ſcribit Strabo in quinto, Piceni emporium fuiſſe, ponè quod templum fuit Cypræ Iunonis, à Tyrrhenis conditum & conſecratum: illi quippe Iunonem Cypram nuncupabant: hinc apud Silium Italicũ in octauo quidam ita legunt,

Et queis littoreæ fumant altaria Cypræ.

Propter ſcilicet ſacrificia Iunonis Cypræ: etſi alij Cupræ libentius per u pronuntiant, quod antiqui in vſu habebant. De Iunone Cupra extat epigraphe pulcherrima apud B. Aegium, virum & bene doctum, & quem ideo ego ſummo amore proſequor.

Gabinam præterea Iunonem vocat poeta libro Aeneid. 7, quòd ſummo cultu à Gabinis coleretur.

——*Quiq́ue*, inquit, *arua Gabinæ*
Iunonis, gelidumq́ue Anienem, & roſcida riuis
Hernica ſaxa colunt.

Apud Gabios igitur colebatur religioſiſſimè Iuno, quod etiam ibidem Seruius notat: & Silius lib. 12. cùm ait,

— *Nec amœna retentant*
Algida, nec iuxta Iunonis tecta Gabinæ.

Eſt & Romæ Iunonis Gauiæ inſcriptio, pro Gabinæ (vt opinor) propter literam græcam β.

ῥησκυνθὶς ἥρα, Rheſcynthis Iuno cognominata eſt, à monte Thraciæ. Nicand. in Theriacis, ἑκὰς ῥησκυνθίδος ἥρης: id eſt, procul à Rheſcynthide Iunone. montem eſſe Thraciæ aiunt, & ipſius deæ templum, vnde dea Rheſcynthis eſt appellata. quo eodem loco Cytinus Apollo colebatur.

Anthiæ Iunonis mentio fit à Pauſ. in Corinth. quæ Florida latinè dici poteſt, cuius templum celebrat, ante quod earum mulierum ſepulchrum fuit, quæ cum Dionyſio aduerſus Argiuos depugnarunt.

HYMENAEVS, THALASSVS.

QVoniam, vt à principio huius Syntagmatis docui, Iunonẽ non modò Græci, ſed & Latini nuptijs præeſſe putarunt: ideo congruum eſſe exiſtimaui, Hymenæum & Thalaſſum, & ipſos deos nuptiales, tibi poſt Iunonem aſcribere, vt diſpoſitè atq́ue ordinatè procedamus. Hymenæus igitur, qui & Hymen dictus eſt, nuptiarum deus à Græcis habitus eſt, vt à Romanis Thalaſſus, quibus tamen nominibus & noſtri vſi ſunt. Hymenæi verò numero multitudinis, pro nuptijs ipſis, tam à noſtris quàm à Græcis dicuntur, quod notiſſimum eſt. at Hymenæa eodem plurium numero, ſed neutro genere, ſacra nuptialia dicta ſunt, vt Suidas notat: vnde illud eſt Ouidij, Hymenæa canunt. & Martiani in Muſica,

Inſtaurare iubet tunc Hymenæa Venus.

Quare eorum manifeſtum errorem noſſe potes, qui Hymenæa accuſatiuum ſingularem & interpretati ſunt, & ſuis etiam verſibus vſurparunt. Pingebatur Hymenæus, vt ex Catullo facilè colligimus, coronatus floribus & amaraco, dextera facem tenens, ſiniſtra flammeum, (lutei velaminis id genus)

in pedibus croceos ſoccos habens. Seneca verò in Medea ſic effinxit his verſibus: Aſclep.

Et tu, qui facibus legitimis ades,
Noctem diſcutiens auſpice dextera,
Huc incede gradu marcidus ebrio
Præcingens roſeo tempora vinculo.

Claudianus verò in quodam Epithalamio ita de Hymenæo canit:

Hunc muſa genitum legit Cytheræa, ducemq́;
Præfecit thalamis: nullum iunxiſſe cubile
Hoc ſine, nec primas fas eſt attollere tedas.

Et poſt illum idem poeta deſcribit:

Dulce micant oculi, niueas infecerat igni
Solq́; Pudorq́; genas: dubiam lanuginis vmbram
Cæſaries intonſa tegit, &c.

Dictus autem eſt Hymenæus, vel Hymen, ἀπὸ τῆς ὑμένος, id eſt à membrana, quæ & Eugion dicitur, quæ cùm ſit clauſtrum virginitatis, in nuptijs rumpitur. Alij dictum putant ἀπὸ τοῦ ὁμοῦ ναίειν, hoc eſt à ſimul habitando, quia vir & vxor cohabitant. Alij Hymenæum iuuenem fuiſſe volunt, qui nuptiarum die ruina oppreſſus interierit. inde ad expiationem inſtitutum, vt eius nomen in nuptijs frequentaretur. Sunt quibus magis placet, vt ab hac hiſtoria quam Lactantius grãmaticus libro Thebaidarum tertio commemorat, deducta res videatur. Hymenæus, inquit, puer Athenienſis fuit. is cùm annos puerilis ætatis excederet, neque adhuc virum poſſet implere, ea pulchritudine præditus fuiſſe dicitur vt fœminam mentiretur. Hunc cùm vna ex ciuibus ſuis virgo nobilis adamaſſet, ipſe mediocribus ortus parentibus, quia nuptias deſperabat, quod poterat tamen, puellam extrema amoris linea diligens, animum ſolo ſatiabat aſpectu. cumqúe nobiles fœminæ cum virginibus ſacra Cereris Eleuſiniæ celebrarent, ſubitò piratarum aduentu raptæ ſunt: inter quas etiam Hymenæus, qui illo & amatam fuerat ſubſecutus, & ipſe puella creditus. Quum igitur per longinqua maria prædam piratæ vexiſſent, ad quandam regionem tandem delati perueniunt, ibiqúe ſomno oppreſſi, ab inſequentibus ſunt interempti: Hymenæus relictis ibi virginibus reuerſus Athenas, pactus eſt à ciuibus dilectæ nuptias, ſi eis filias ſuas reſtituiſſet. quas vbi pro voto reſtituit, exóptatam accepit vxorem. quod coniugium quia felix fuerat, placuit Athenienſibus, nomen Hymenæi nuptiis miſcere. Hæc quidem Lactantius, ſeu Lutatius grammaticus. Donatus verò in Adelphis fabula Terentij, & Seruius in primo Aeneid. commentario nonnihil ab hac hiſtoria euariant, ipſum enim Hymenæum tradunt puellas liberaſſe, cùm piratas ſomno fatigatos interfeciſſet. Hymenæum Catullus noſter Vraniç filium dicit. Alij, vt in Muſis retulimus, Clius tradidêre. Aſclepiades verò, ex Calliope & Apolline tres filios ſuſceptos prodidit, Ialemum, Orpheum, & Hymenæum. Hinc Claudianus & Martianus, Muſa genitum cecinerunt. Hoc Martiani carmen eſt,

Tu quem pſallentem thalamis, quem matre Camœna
Progenitum perhibent copula ſacra deum. & cætera.

Sunt qui non Apollinis, ſed Magnetis filium putent, ipſumq́; à Thamyra amatum, vt in ſecundo de Poetarum hiſtoria ſcripſimus. Seneca in Medeæ tragœdia, Bacchi filium Hymenæum, alij Bacchi & Veneris prodiderunt.

Thalaſſum, & Thalaſſium, & Thalaſſionem latinè rectè dicimus, deum nuptiarum. Martialis;

Nec tua defuerint verba Thalaſſe tibi. Idem:
Quid, ſi me iubeas Thalaßionem. Catullus:
Lubet iam ſeruire Thalaßio.

Feſtus:

Feſtus ex Varrone, hanc dictionem ſine aſpiratione in prima ſyllaba enunciare videtur. Hæc Feſti verba: Thalaſſionem in nuptijs, Varro ait, ſignum eſſe lanificij. Thalaſſionem enim vocabant quaſillum, qui alio modo appellatur calathus, vas vtiq; lanificijs aptum. Hanc eandem ſententiam & Plutarchus affert: quin & hodie Græci ταλασιουργίαν lanificium vocant, & ταλασίαν. Scribit Titus Liuius, Romæ in raptu Sabinarum, virginem vnam longè ante alias ſpecie & pulchritudine inſignem, à globo Talaſſij cuiuſdam raptam fuiſſe, multisq; ſciſcitantibus cuinam eam ducerent, identidem, ne quis eam violaret, Talaſſio ferri clamitatum: propter quod nuptialem hãc vocem factam. Plutarchus & alij non abſimilem hiſtoriam afferunt. Seruius in primo Aeneid. Apud Romanos, inquit, Talaſſio inuocatur. cùm enim in raptu Sabinarum plebeius quidam raptam pulcherrimam duceret, ne ei auferretur ab alijs, Talaſſionis eam ducis eſſe ſimulauit, cuius nomine fuit puellę tuta virginitas. plura ſi cupis, Plutarchum lege in Romuli vita. Sanè & in connubijs Romani ex ritu quinq; deos inuocabant: τέλειος ſcilicet Iouem, hoc eſt adultum: τέλειαν Iunonem, id eſt adultam: Venerem πειθώ, id eſt Suadelam: & Dianam, vt Plutarchus docet. Hos deos intelligere videtur Lucanus in ſecundo, cùm Martia Catoni loquitur, poſt Hortenſij obitum ad ipſum priorem virum rediens. ait enim,

Fœdera ſola tamen, vanaq; carentia pompa
Iura placent, ſacrisq; deos admittere teſtes.

Et quoniam hi dei quinque fuerant, ideo etiam quinque tantùm cæreos, nec plures nec pauciores in nuptijs accendi mos fuit, vt in cauſis Romanis Plutarchus teſtatur. Hos deos D. Auguſtinus libro tertio de Ciuitate Dei, Nuptiales vocauit, vel vt eius alia habent exemplaria, Coniugales: Deis, inquit, coniugalibus quid opus erat commendare nubentes, vt bene coniugarentur?

SYNTAGMA QVARTVM, DE SATVRNO, RHEA, VESTA, IANO, VERTVNO: AD CL. V. BERNARD. BARBVLAEVM.

Hos tibi mitto deos, coluit quos priſca vetuſtas,
Qui teſtes noſtri & pignus amoris erunt.
Non hîc inuenies pictæ tectoria linguæ,
Nec phaleras, cùm ſit ſermo didaſcalicus.
Si tamen hos quiſquam viroſo dente laceſſet,
Dic, aliena premat, qui meliora facit.

AMaui ego te, mi frater Bernard. Barbulæe, à primis vſq; noſtræ adoleſcentiæ annis, cùm ambo nos operam daremus bonis literis & moribus, ſub doctiſſ. & integerrimo viro Bap. Guarino. ex cuius ludo tot ex omni fermè Europa viri excellentes in omni literarum & optimarum diſciplinarum genere, tanquam ex equo (quod dicitur) Troiano effluxerunt. At noſtrûm vterq; in humanitatis ſtudijs tantum profecit, quantum vel natura noſtra, & ingenij vires patiebantur: vel quantum tenues admodum facultates permiſere, & anguſta domi res. quib. quidem difficultatibus haud facilè homines (vt ait poeta) emergunt, & virtutib. inſignes ac illuſtres euadunt. Hinc eſt, quod nos noſtra gloriola contenti, quã in Muſtaceo (vt ait Cicero) quæſiuimus: donec tu quidẽ hic Ferrariæ ſubſiſtens, iuuentutem cum Cœlio noſtro inſtituiſti, adeò vt tu dignus iudicarere qui ſacerdotio diui Petri præficereris. Ego verò procul à patria peregrè profectus, eam de me expectationem concitaram, vt omnes me crederent in aliquem procerum ſacrorum ordinem cooptandum: & præſertim ſub Leone, Adriano, & Clemente, pontificibus: apud quos mea ita domeſtica familiaritas accepta viſa fuit, vt à me nihil vnquã ab eis fruſtrà petitũ ſit, quinimmo & pleraq; vltrò oblata: præcipuè meo in humanis adhuc agẽte alũno & diſcipulo Hercule Rãgonio, Romæ diuæ Agathæ Diacono. Poſt cuius immaturũ obitum, & vrbis direptionem, ita reflãtem

habui fortunam, vt ab eo tempore non tantùm res meæ deteriore loco eſſe cœperint, ſed & corporis vires ita debilitari, vt in eam articulorum omnium aduerſam valetudinem inciderim, vt non modò ambulare (vt tu quidem frater optime noſti) ſed nec etiam in latus decumbere poſſim, niſi ſim à valente aliquo miniſtro adiutus. Nec tamen cùm ita morbis affligar, ceſſo, quin aliquid indies per amanuenſem puerum vel ſcribam, vel dictem. Sicut ſuperioribus his diebus faciebam, cùm de Deis gentium magnum Opus confeci: cuius tibi duo Syntagmata mittere conſtitui, in quorum altero Saturnum & Magnam deûm matrem, & Veſtam, tum etiam Ianum *&* Vertunum, *ſum complexus: in altero Neptunum, & deos cæteros marinos, nymphasq́ varij generis: ad hæc & Aeolum & ventos. Accipe igitur amantiſs. frater ab ægroto tuo Lilio, & penè cõclamato, qualecunq́ munus: non quod ex me aliquid tibi ignotum & reconditum habere poſſis, vel quod ex tua illa refertiſſima de omni librorum genere Bibliotheca non facilè haurire queas: ſed ea dũtaxat ratione, omnibus vt conſtet, mutuam inter nos amicitiam ex multo fuiſſe tempore conſtitutam. Dij faxint, vt & per ſcripta noſtrum vtriuſq́ nomen poſteritati notum eſſe contingat. Vale.*

SATVRNVS, RHEA, VESTA, IANVS, VERTVNVS.

SATVRNVS itaq; Cœli filius, vt de Nat. deor. ſcribit M. Cic. Ennius: Quem Cœlus genuit. idem tradit & Lactantius, & Seruius in illo poetæ Vergilij: Vnde genus ducis. Arnobius Cœli quidem filium ait, & Hecates. Cœlus verò Græcè οὐρανὸς vocatus eſt, à quo frequens Græcorum patronymicum οὐρανίων, id eſt Vrani filius, aut nepos. Vranus ergo, ſeu Cœlus, vt Phurnutus ſcribit, dictus eſt, quaſi οὖρος, hoc eſt conſeruator omnium quæ ſuprà ſunt: & ὁρίζων, hoc eſt finitor, vel terminus naturæ. Sunt qui tradant ἀπὸ τοῦ ὁρᾷν, vel ὁρέγεσθαι deduci, hoc eſt, quod & cuncta videat, & conſeruet. Alij porrò ἀπὸ τοῦ ὁρᾶσθαι ἄνω deriuant, hoc eſt, quòd ſuprà cernatur. Ex poetis etiam quidam ἄκμονος filium dixêre, id obſcurè ſignificantes, τὸ ἀκμητὸν τῆς περιφορᾶς: id eſt, quòd dum circumfertur, ſit indefeſſus: ſeu quòd ſit incorruptibilis. dicimus quippe κεκμηκέναι, id eſt opus abſoluiſſe, qui iam fato functi ſunt. Theocritus in Alarum poematio valde ingenioſo, Vranum, ſeu Cœlum videt ſignificare, cùm obſcurè ait, ἄνακτ᾽ ἀκμονίδαις, regem ſcilicet Acmonis filiũ Vranum. nam, vt interpretes aiunt, terra peperit Acmonem, ex Acmone natus Vranus, id eſt Cœlus, qui Terminus. &c. Porrò & Acmona inter Idæos Dactylos ab aliquibus repoſitum, iam in primo libro dictum eſt. Cultus verò fuit Vranus multis in locis, humanis etiam victimis, & præcipuè in tota Africa, & Lybia. Sed nos de Saturno, quod cœpimus, proſequamur. Saturnus, vt ex Trogo Iuſtinus ſcribit, Aboriginum rex, tantæ iuſtitiæ fuiſſe dicitur, vt neque ſeruierit ſub illo quiſquam, neque quicquam priuatæ rei habuerit, ſed omnia communia & indiuiſa omnibus fuerint, veluti vnum cunctis patrimonium eſſet. ob cuius exempli memoriam cautum eſt, vt Saturnalibus exæquato omnium iure paſſim in conuiuijs ſerui cum dominis recubarent. Itaque Italia regis nomine Saturnalia appellata fuit, & mons quem inhabitabat Saturnius: in quo veluti à Ioue pulſo ſedibus ſuis Saturno, Capitolium eſt. Et hæc quidam fermè vel Trogus, vel Iuſtinus. D. verò Cyprianus: Ab Ioue, inquit, Saturnum fugatum eſſe, manifeſtum eſt: inde Latium de latebra eius nomen accepit. hic literas imprimere, hic ſignare nummos in Italia primus inſtituit, vnde ærarium Saturni vocitatur. nam & ruſticitatis hic cultor fuit, vnde ferens falcem pingitur. Saturnum tamen ſic Saxones effingebant, cui nomen κρόνῳ, ſenem in piſce ſtantem, qui rotam vrnámq; tenebat: quod ſymbolum erat apud ipſos arcanum, vt in eorum hiſtorijs legimus. Saturnus autem à Latinis dictus eſt: à Græcis verò κρόνος, quaſi temporum pater. χρόνος enim tẽpus. M. Cicero libro ſecundo de Nat. deor. Saturnum, inquit, eſſe voluerunt, qui curſum & conuerſionem ſpaciorum ac temporum contineret, qui deus Græcè id ipſum nomen habet: κρόνος enim dicitur, qui eſt idem ſpaciũ temporis. ita Cicer. Idipſum & Macrobius primo Sat.

Satur-

Saturnus,inquit,ipſe qui auctor eſt temporum.& ideo à Græcis immutata litera κρόνος,quaſi χρόνος vocatur.Plato:κρόνος quaſi κόρος ὤν τοῦ νοῦ,hoc eſt,mentis ſatietas,dici putauit.Hinc teſte Plutarcho κρονολῆροι dicti ſenes,garruli & ętate decipientes,quaſi Saturni modo delirantes.Phurnutus tamen κρόνον dictum ait ἀπὸ τοῦ κραίνειν,id eſt à commiſcendo.At verò Saturnus dictus,vel à ſatu, quòd ſtercorationi agrorum & agriculturæ præeſſe putabatur:vnde & cum falce pingebatur.Alij Saturnum dictum volunt παρὰ τὴν σάθην, qua voce membrum virile ſignificabant antiqui, propter ſcilicet generationem, hinc & Satyri appellati. Macrobius auctor.M.Cicero & Lactantius dictum Saturnum tradunt, quòd annis ſaturetur,quippe qui tempus ſit.Fulgentius verò:Propter annonæ, inqt, erogationem ad ſe populos attrahēs;à ſaturando dictus eſt Saturnus. Ops quoque eius vxor,eo quòd opem eſurientibus ferret,dicta eſt.Citat idem Apollophanem in epico carmine ſcribentem,Saturnum quaſi ſacrum νοῦς, aut ſatorem νοῦ,quaſi creantem ſenſum & mentem. Varro de Lingua latina,Saturnum Cœlū facit his verbis:Quare quòd cœlum principium,à ſatu dictus eſt Saturnus: & quòd ignis,Saturnalibus cærei ſuperioribus mittuntur. Verùm de cęreis cur in Saturnalibus mitterentur,Macrob.& alia,& hoc ſcribit:Alij,inquit,cæreos nō ob aliud mitti putāt,quàm quod hoc principe ab incomi & tenebroſa vita,quaſi ad lucem & bonarum artium ſcientiam editi ſimus. Saturnum aiunt abſcidiſſe Cœli patris pudenda,quibus in mare deiectis Venerem procreatam, quæ à ſpuma,id eſt ἀφρῷ,vnde coaluit,Aphrodite nomen accepit. Iſidorus, patris abſcidiſſe genitalia dicit,quia nihil in cœlo de ſeminibus naſcitur. Cæterùm & apud Orpheum Iupiter Saturno patri inſidias melle ſtruxit. Leguntur Orphei verſus hac de re:

Vt primùm ſpectabis eum ſub quercubus altis,
Dulci quod comportat apum grex melle madentem
Conſtringas ipſum vinclis.

Ebrius igitur melle Saturnus ab Ioue ligatus caſtratur, vt Cœlus. quare, vt Porphyrius ſcribit in ſpelunca Homerica,theologus (inquit) Orpheus innuit, diuinas eſſentias voluptate captas quodāmodo ligari, & in generationem detrahi.Fulgentius autem:Saturnus,inquit,Pollucis filius dicitur, Opis maritus, ſenior,velato capite,falcem gerens,cuius virilia abſciſſa & in mare proiecta Venerem genuêre.Phurnutus tamen,Saturnum ait de Cœlo deſcendiſſe, Terræq́ commixtum,donec Iupiter illum caſtrauit,& in Tartarum præcipitauit. Alij dicunt,Saturnum ab ipſo Ioue in compedibus poſitum. Verrius Flaccus cauſam ſe ignorare dicit,ſed Macrobius ex Apollodoro hāc recitat. Saturnum, inquit, alligari per annum laneo vinculo,& ſolui ad diem ſibi feſtum,id eſt menſe decēbri. atq; inde prouerbium ductum,Deos laneos pedes habere. Significari verò, decimo menſe ſemen in vtero animatum,in vitam grandeſcere:quod donec erumpat in lucem,mollibus naturæ vinculis detinetur. Sacrum ſuo etiam tempore D.Epiphanius,quod ab Aegyptijs fieret,irridet. quoſdam ait ſe vinculis ferreis includere,comam prolixam nutrire,veſtitum ſordidum detritúmq; geſtare, annulóq; naſum includere,ac perforare,in Saturni honorem: & reliqua,nō minus ridicula,quæ vir ſanctus colligit. Plutarchus etiam Saturnum ait in inſula quadam fortunata in ſpecu dormire,ſaxa complexum aurea,ſomnumq́ ex vinculis Iouis contingere,& cætera quæ in libello leges De facie in orbe lunæ apparente.Redeo ad noſtra.Falcem quidam Saturno putant attributam,quod tēpus omnia metat,execet,& incidat:vel propter agriculturæ ratiōem,cuius ipſe repertor fuit,& proinde Falcifer cognominatus à poetis.Ouidius,

Cauſa ratis ſupereſt,Thuſcum rate venit ad amnem,
Ante pererrato Falcifer orbe deus.

Ab eadem falce,quæ Græcè δρέπανον dicitur, Pauſanias promontoriū dictum

ait.alij vrbem,quam variè tamen ſcriptores recenſent,quidam Siciliæ, quidam Bithyniæ,alij alibi:Strabo,Stephanus,Seruius.quin etiam Zancle eadem ratiõne appellata.Nicander,

Καί τοι καὶ ζάγκλης ἰδάη δρεπανήϊδος ἄσυ. hoc eſt,

Necnon & Zancles didicit Drepaneidos Vrbem.

Saturnum præterea aiunt filios ſuos ſolitum deuorare,eodémq; rurſus euomere:per quod ſimiliter ſignificatur,eum,vt diximus,tempus exiſtimatum fuiſſe,à quo per vices cuncta gignantur,abſumantúrq;,& ex eo denuò renaſcãtur. Hinc & in vrbibus quibuſdam homines illi liberos ſuos immolabant,vt alibi dictum,& à noſtris pluribus irriſum eſt.Sed Rheam vxorem ferunt eum fefelliſſe,lapidémq; pro Ioue marito porrexiſſe,ipſúmq; Iouem Corybantibus clàm nutriendum dediſſe:qua de re alibi plenius locuti ſumus.Saturnum demùm ab Ioue pulſum filio,quid aliud ſignificat,quàm tempora ſeneſcentia ab ijs quæ pòſt nata ſunt depelli?Vinctum autem,quòd certa lege naturæ connexa ſunt tempora:vel quòd omnes fruges quibuſdam vinculis nodiſq; alternentur. Nam & falcem volunt fabulæ in Siciliam decidiſſe,quod ſit inſulæ illius terra vel maximè fertilis.Huic etiam deo inſitiones ſurculorum,pomorúmq; educationes, & omnium eiuſmodi fertilium rerum tribuebant diſciplinas.Cyrenenſes etiã cùm rem diuinam ei faciebant,ficis recentibus ſe coronabant, placentáſque mutuò miſſitabant.Mellis inſuper & fructuum repertorem Saturnum veteres putauêre.Hunc Rom.etiam Sterculium vocabant,quòd primus ſtercore fœcunditatem agris comparauerit.Sed de Sterculio & Stercutio,alibi diximus,in Pilumno videlicet.Huic deo ex inſtituto antiquo & peregrino,ſacrum aperto capite faciebant.hoc ait Macrob.primo Sat.cap.x.Idem tamẽ cap.VIII. Illic, inquit, græco ritu capite operto res diuina fit,quia primò à Pelaſgis,pòſt ab Hercule ita factitatum putant.Sed plenius hoc in Syntagmate de Sacrificijs tractandũ. Scribit Theopompus,& repetit Plut.in lib.Iſidis & Oſiridis,quoſdam qui occidentem habitant,hyemem Saturnum appellaſſe,æſtatem Venerem,ver Proſerpinam.ex Saturno autem & Venere cuncta eſſe generata.Sed Phryges, exiſtimantes deum per hyemem ſomno vacare,æſtate euigilare: & hyeme quidem dormitationes,id eſt κατάυνασμὸς,æſtate verò ἀνεγέρσεις,hoc eſt vigilias,bacchantes diſcurrentéſq; deo peragebant.At verò Paphlagones,Saturnum deum coerceri vinculis per brumam,vere autem moueri atq; reſolui aſſerebãt, &c. Nũc, etſi quo pacto fingeretur Saturnus ab antiquis,ex his quæ ſuprà narrata ſunt, elicere poſſumus:nihilominus & quo modo à Martiano eſt deſcriptus, hîc tibi etiam apponam.Verùm,inquit,Sator(Satoris enim nomine Saturnus quoque eſt appellatus)greſſibus tardus ac remorator incedit,glaucóq; amictu tectus caput,prætendebat dextera flammiuomum quendam draconem caudæ ſuæ vltima deuorantem,quem credebant anni numerum nomine perdocere:ipſius autem canicies pruinoſis niuibus candicabat,licet etiam ille puer poſſe fieri crederetur.hæc ille,ſuis verbis.Macrobius verò ſcribit,Ianum,cùm Saturnus ſubitò non comparuiſſet,ſimulachrum illi conſtituiſſe cum falce,meſſis inſigne.Porrò & illud legimus,Saturnum podagroſum ab antiquis effictum, & oculis lemis lippientibus.vnde & Græcis prouerbium,κρονικαὶ λῆμαι,hoc eſt Saturniæ lemæ. Lema quippe pituita eſt in oculis,vel humor quidam concretus,vt medici docent. Pythagorici verò ſymbolo quodam Saturni lachrymam mare dicebant, quod Plutarch.ſcribit in Iſi & Oſiri.Maris enim aqua non ſalſa ſolùm & amara, ſed & craſſa & impura eſt.Saturnalia huic deo ſacra fiebant,de quibus in primis Macrob.Lucianus,& nos nonnihil de Annis & menſibus. Hæc, κρόνια à Græcis dicebantur.Et primò vno die tantùm,id eſt decimoquarto Calend. celebrari ſolita:ſed pòſt in triduum propagata,primùm ex adiectis à Cæſare huic menſi diebus,deinde ex edicto Augusti,quo trium dierum ferias Saturnalibus addixit.à 16 igitur cœpta,in 14 deſinebant, quo ſolo fieri antè conſueuerant. ſed

Sigilla-

Sigillariorum adiecta celebritas, in ſeptem dies diſcurſum publicum & lætitiã religionis extendit. Sed plura hoc loco de Saturnalium celebritate commentari ſuperuacaneum videtur, & præter inſtitutum. Verſus tantùm L. Accij, antiquiſſimi poetæ, ex ſuis Annalibus afferam:

Maxima pars Graium Saturno, & maximè Athenæ,
Conficiunt ſacra, quæ Cronia eſſe iterantur ab illis,
Cumque diem celebrant per agros, vrbesq́ fere omnes
Exercent epulis læti, famulosq́ procurant
Quiſq́ ſuos, noſtriq́ itidem: & mos traditus illinc
Iſte, vt cum dominis famuli tum epulentur ibidem.

Saturnalibus bellum ſumere nefas, pœnas à nocente exigere piaculare fuit. Templa huic deo Romæ variè referuntur extructa. Macrobius ait ſe inueniſſe, Tullum Hoſtilium fanum ex voto Saturno conſecrauiſſe, & Saturnalia tum primùm Romæ inſtituta. Varro in libro de ſacris ædibus ſexto, L. Tarquinium regem dixit ædem locaſſe ad forum faciendum: T. verò Largium dictatorem conſecraſſe. Gellius ait, ſenatum decreuiſſe ei rei L. Furium Trib. Mil. præfectum. Aedem verò Saturni ærarium Romani eſſe voluerunt, quòd nullum ſit furtum in eius finibus commiſſum, aut quia ſub illo nihil erat cuiuſquam priuatum:

Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat, in medium quærebant.

Plutarch. in queſt. Rom. ideo ait, quòd eo regnante non fuit auaritia, nec improbitas, ſed iuſtitia. D. Cyprianus ait ea cauſa, quòd primus in Italia nummos inſtituit ſignare, & propterea Saturni ærarium vocari. Ianum ait Macrobius ſic æra ſignaſſe: in vna parte ſui capitis effigies, in altera Saturni nauis expreſſa eſt. qua de re plenius in meis Nauigijs. Feſtus ærarium prope Saturni ædem fuiſſe ſcribit. Seruabantur porrò in ærario, præter pecuniam, etiam tabulæ, & libri elephantini, in quibus continebantur 35 tribus vrbis. Item libri rationum, aliáq́.

Saturno hymnum concinuit Orpheus, cum ſtyracis ſuffimento, cuius hoc initium eſt,

αἰθαλὴς μακάρων τε θεῶν πάτερ, ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν. in quo hymno Saturnus diuerſis cognominibus inuocatur, & his præcipuè: ἀμίαντος, id eſt impollutus, incontaminatus: μεγαλοσθενής, id eſt magni roboris ac virium: γενάρχης, id eſt generationis princeps: in illo.

ὃς ναίεις κατὰ πάντα μέρη κόσμοιο γενάρχα. hoc eſt,
Omnes qui partes habitas, mundiq́ genarcha. Et idem,
ὃς δαπανᾷς μὲν ἅπαντα, καὶ αὔξεις ἔμπαλιν αὐτός. id eſt,
Abſumis qui cuncta, idem qui rurſus adauges.

ἀγκυλομήτης ab eodem, id eſt, verſutus cognominatur, quem Homerus & Heſiodus ſecuti ſunt: quin & Proclus in ἔργοις interpretať, eadẽ in re Plutarch. aduocãs. meminit & Phurnutus, & exponit: licet quidã hallucinati, Ioui hoc epitheton attribuant. Inuocat & illum Orpheus alijs nominib. quæ ego conſultò prętereo, quòd latino ſermoni, niſi circumſcripta comprehendi non poſſunt.

Vitiſator Saturnus à Vergilio in 7. Aeneid. cognominatur. nam & ſuprà diximus, eundem & Satorem appellatum. Vergilij verſus hi ſunt,

Vitiſator curuam ſeruans ſub imagine falcem,
Saturnúsq́ ſenex, Ianiq́ bifrontis imago,
Veſtibulo aſtabant.

Vbi Seruius: Vitiſator, inquit, nõ inuentor vitis, ſed qui genus vitis Italis demõſtrauit populis. ſanè ex Critolao, qui Phænomenon lib. ſcripſit, Plutarch. ſcribit Saturnum hoſpitio ſuſceptum ab agricola quopiam, cuius filiam Oenotriam vitiauit, quo partu nati ſunt filij quatuor, quibus Saturnus pater ſerendæ vitis

& conficiendi vini rationem demonſtrauit,& vt alios hoc idem edoceret permiſit. hinc igitur Vitiſator.

OPS, RHEA.

Rhea (quæ Ops latinè vocatur, & Cybele, & deûm mater, & vt Strabo colligit, dea Phrygia, magna mater, Veſta, Idæa, Dindymene, Pylena, Peſinũtia, Cybele, aliiſq; nominibus: quæ nos ſeorſum, prout commodius ſe obtulerint, interpretabimur) filia fuit, vt in hymnis canit Orpheus, Protogoni. Scribit verò Cornutus, ideo Rheæ tympana & cymbala adhibita fuiſſe, item faces & lampades, propter tonitrua & fulgura, quæ pluuijs præuia eſſe ſolent. ipſam enim Rheam pluuiarum cauſam tradit. Sed de his plura in Magna matre dicemus. Huic etiam deæ cor ſacrificabant, ſignificantes, hanc cauſam eſſe viuificæ generationis. Propter quod circa eius pectus alij quidam typi apponi conſueuere, omnium rerum & colorum. quæ tamen obſcurè Phurnutus explicat, propter quæ videtur naturæ, vel Iſidis imaginem ſignificare, cuius etiã in Iſide meminerimus. Cybele, quæ & duplici ll ſcribitur, id eſt Cybelle, apud poetas (vt Claudianũ in primo de rap. Turrigerámq; petit Cybelem. & paulò pòſt, Adytis gauiſa Cybelle Exilit) res eſt notiſſima. Nam & Seruius idem in decimo Aeneid. annotat in eo, Quas alma Cybelle Numen habere maris, &c. ait enim, Bacchium eſſe pedẽ, qui conſtat prima breui & duabus longis. Cybele ergo Saturni vxor à gentibus exiſtimata (de qua tamen variæ traduntur opiniones, quæ ſuis locis hoc toto capite referentur) dicta eſt Cybele, à monte Phrygiæ, vt Stephanus ſcribit: vt Strabo, à loco: vt Suidas, à montibus: vt verò Feſtus & Seruius, ἀπὸ τοῦ κυβιϛᾶν τὴν κεφαλὴν, id eſt à capitis rotatione, quod proprium fuerat eius deæ ſacerdotũ, qui per furorem motu capitis comam rotantes, vlulatu futura prænunciabant. Hinc Lucanus:

—— Crinémq; rotantes
Sanguinei populis vlularunt triſtia Galli.

tametſi in vulgatis Feſti codicibus, dictam legamus ἀπὸ τοῦ κύβου, quam lectionem & ex doctis pleriq; ſecuti ſunt. quin & eadem ratione κύβος, id eſt cubus, ei ab antiquis dicabatur. Addit Seruius in tertio, Alios dicere Cybelum ſacerdotem eius deæ primum fuiſſe, & ab eo Cybelẽ dictam. Soſides Atticus in libro Theologumenon, vbi ait, Atym florem ſignificare, ſcribit, Matrem deûm in modum potentiæ poni: vnde, inquit, Cybele dicitur, quaſi κῦδος βαλιὸν, id eſt gloriæ firmitas, vt recitat Placiades Fulgentius. Κύβελα, ſcribit Heſychius, montes Phrygiæ, vbi antra & thalami Cybeles matris deorum. Hæc quidem dea curru vehi dicebatur, qui ipſa credebatur terra, vt ait Seruius, quæ pendet in aere. Ideo rotis ſuſtineri dicebatur, quia mundus rotatur & volubilis eſt, & eidem ſubiugabantur leones: vt oſtenderetur, maternam pietatem omnia poſſe ſuperare. Inde Corybantes eius miniſtri cum ſuis gladijs eſſe fingebantur, vt ſignificaretur, omnes pro terra ſua debere pugnare. quod autem turritam geſtaret coronam, oſtendebat, ſuperpoſitas terræ eſſe ciuitates, quas inſignitas turribus eſſe videmus. Sanè quoniam de Cybele agimus, rideamus & nos cum Origene contra Celſum philoſophum Epicureum, eam fabulam, quam ille recitat libro ſecundo: Aegyptius præterea (inquit) quiſpiam, qui Moſi rebus mirabiliter geſtis nihil fidei præbeat, credi poteſt & Rhapſimythum illum mox producturus, ita vt eum affirmet ad inferos deſcendiſſe, & aleam luſiſſe cum Cybele, & aureum velum retuliſſe, in ſignum, ad inferos ſe perueniſſe, & inde remeaſſe ad ſuperos. Et hæc quidem Origenes, qui & eandem fabulam alibi recitat. Sed iam ſatis hac de re.

Dindymene etiam Cybele dicta fuit. Catullus: Simul ite Dindymenæ dominæ vaga pecora. Strabo & Heſychius putant, à montibus Phrygiæ, vel Troadis (vt Ste-

(vt Stephanus)Dindymis nuncupari. Idem Catullus: Dea Dindymi domina procul à mea Tuus ſit furor omnis hera domo: Alios age incitatos, alios age rabidos. Horatius libro primo Carm. Non Dindymene, non adytis quatit Mentem ſacerdotum incola Pythius. Apollon. primo Argon. μητέρα δινδυμίην πολυπότνιαν ἐγκαλέοντες. id eſt, matrem Dindymiam valde venerabilem inuocātes. Dindymen etiam, & Dindymenem Heſychius vocare videtur. Diodorus Siculus, à nomine matris dictam innuere videtur, quæ Dindymene vocaretur. ita enim ſcribit: Aſſerunt (inquit) incolæ Phrygiæ Lybiæq;, antiquum regem fuiſſe Meonem, qui vxorem Dindymenem duxit. (caue ne fallaris, latinis factis codicib. Hæc enim inuerſa leguntur non modò apud Diodorum, ſed Euſebium etiam de Præparatione Euang.) Ex ijs nata eſt fœmina, quam mater educare nolens, expoſuit in monte Cybello, vbi ferarum vberibus nutrita fuit. puellam hāc mulier quædam pecora paſcens cùm vidiſſet, facto ſtupens abſtulit, atq; à loco Cybelem nominauit. aucta ætate forma, ingenióq; ac prudentia excelluit. fiſtulam enim calamis compactam, & cymbalum, tympanúmq; prima adinuenit, puerorum inſuper & pecorum morbis remedia excogitauit. qua ex re factum eſt, vt mater ab omnibus appellaretur. Cætera quæ de Marſyæ & Apollinis amore erga illam, déq; eorum certamine, & Atyos caſtratione & nece, in Phrygum theologia ex Diodoro & Euſebio leges. Nūc ea prodamus quæ Pauſanias in Achaicis, vbi de Mineruæ templo agit in Dymæis, & de ſimulachro vetuſtiſſimo. Et aliud eſt, inquit, templum in Dymæis Dindymenæ matri & Attæ confectum. qui verò hic eſſet Attes, cùm id arcanum foret, comperire nequiui: verùm ex Hermeſianacte elegiarum ſcriptore ita traditum eſt, quòd videlicet Attes Calai Phrygis filius fuit impotens generandi (ſi rectè vertimus, οὐ τεκνοποιός) à matre genitus. qui cùm adoleuiſſet, in Lydiā demigrauit, & Matris deûm orgia apud Lydos peregit. quare cùm ab eo in honore eſſet, Iupiter inuidit, ſuémq; immiſit, qui Lydorum labores & opera diripiebat. & cùm alios pluréſq; interemiſſet, tum & ipſum Atten. vnde &, quod ijs conſentaneum eſt, Galatæ Peſinunta habitantes, ſues non attingunt. neq; enim exiſtimant ita de Atte, ſed de eo alius eſt apud eos ſermo indigena. Iouem ferunt in ſomnis ſemen in terram effudiſſe, quæ in tempore dæmona edidit duplici pudendo, hoc eſt virili & muliebri, noménq; illi impoſuit ἀγδίστιν. verùm dei hunc ἀγδίστιν metuentes, illi virile pudendum abſciderunt. atq; exinde nata amygdala: quæ matura cùm facta eſſet, Sangarij fluuij filiam aiunt cepiſſe, & in ſinum poſuiſſe, tum ſtatim fructus euanuit: ipſa autem puella prægnans facta, cùm peperiſſet, hircus puerum expoſitum curauit. Sed ſupra hominē cùm formoſus adoleuiſſet, pueri amor Agdiſtin cepit. adultum autem iam Atten propinqui Peſinunta miſerunt, ad regis filiam. canebatur Hymenæus, inſtat Agdiſtis: Attes verò furore correptus, ſibi virilia amputauit. amputauit & rex, qui filiam illi dabat. Porrò pœnitentia Agdiſtin cepit ob ea quæ fecerat, & ab Ioue impetrauit ne quid corporis Attes putreſceret, néue liqueſceret. hæc fermè quidem Pauſanias. Sed enim totam hanc fabulam longè copioſius cùm ex alijs ſcriptoribus, tum maximè ex Timotheo, antiquo theologo, Arnobius in quinto aduerſus gentes explicat. ait enim: In Phrygiæ finibus, inauditæ per omnia vaſtitatis petra eſt quædam, cui nomen eſt Agdus: ex ea lapides ſumptos, vt Themis mādauerat, in orbem mortalibus vacuum Deucalion iactauit, & Pyrrha. ex quibus cum cæteris & hæc Magna quæ dicitur informata eſt mater, atque animata diuinitùs. Hanc in vertice ipſo petræ datam quieti & ſomno, inceſtis Iupiter cupiditatibus appetit. Sed quum obluctatus diu, id quod ſibi promiſerat, obtinere nequiuiſſet, voluptatem in lapidem fudit victus. Hanc petra concepit, & mugitibus editis multis prius, mēſe naſcitur decimo, materno ab nomine cognominatus Agdeſtis. Huic robur inuictum, & ferocitas animi intractabilis, inſana & furialis libido, & ex vtraq; ſexus vi rapta deuaſtare, diſperdere, immanitas animi quò duxerat, non deos curare, non ho-

m mines,

mines,nec præter ſe quicquam potentius credere,terras,cœlum & ſidera contemnere.Longa eſt hiſtoria.ait enim:Ex eius ſanguine humi fuſo, natum malũ Punicum,cuius Nana regis filia mali in ſinu poſiti attactu prægnans facta. pater puellam claudit,vt inedia intereat,Pomis ſuſtentatur à matre.ipſa paruulum enititur,quem rex exponi iubet.à quodam inuẽtus,hircino lacte nutritur.Hinc Atys dictus,quoniam Phryges hircos Atagos nuncupãt.Reliquam huius Agdeſtis fabulam ex Arnobio collige,ex cuius & Pauſaniæ verbis,rectius ea percipies quæ à Strabone ſcribuntur libro duodecimo,vel græca,vel latinè expoſita.ita enim ego illa meis verbis:Peſinus verò eſt emporium eorum qui ſunt in regione,templum maximum habens Matris deorum,magnæ religionis : vocãt autem illam Angidiſtin.Crediderim ego Agdiſtin legendum.Lucianus quoq; de dea Syria varias recenſens opiniones:Alius,inquit,ſermo fertur, quem ego à viro ſapiente audiui,quod Rhea ipſa ſit,& templum Attes opus. Attes quidẽ Lydus fuit,primus qui ſacrorum ritus,quibus Rhea coleretur,prodidit: & quibus Phryges,Lydi,& Samothraces in ſacris vterentur,ea ab Atte omnia accepiſſe.nam vbi Rhea ipſum caſtrauit,virilem vitam agere deſijt,& muliebrẽ formam aſſumpſit,& veſtes.itaq; per orbem terrarum obambulans, vbiq; ſacra faciebat,& quæ ipſe paſſus fuerat narrabat:& cætera,quæ ille multa narrat. Sanè Attis,non Attes,apud Suidam & Lucianum legimus.Diodorus Pappan etiam Atyn dictum ait.noſtrorum pleriq; Atyn,vt Catullus & Perſius,aliiq; ferè omnes.Macrobius Attinem vocat,ita enim ſcribit:Similiter Phrygiæ fabulis circa Matrem deûm & Attinem eadem intelligunt.quis enim negat, Matrem deûm terram haberi?hæc dea leonibus vehitur validis,impetu atq; feruore animalib. & paulo pòſt:Attinem verò ornant & fiſtula,& virga.Sed de hac fabula,præter iam dicta alia poetæ,vt Catullus,& Ouidius in Faſtis:alia quoq; Diodorus, qui & hoc ait,Cybelen clàm cum Aty concubuiſſe:parentes id cùm intellexiſſent, Atym & nutrices interfecêre,& inſepultos abiecêre:Cybelem inſanam factam, ſparſis capillis vrbem ſolam pſallendo circuiſſe,& eam ſequi ſolitum Marſyam. hæc fermè Diodorus.qui non multo pòſt ſubdit:Phrygas à morbo occupatos, adeò vt nec terra fructus redderet,ſciſcitatos eſſe propterea oraculum. quibus illud reſponſum,vt Atys corpus ſepelirent,& Cybelem deam venerarentur.verùm Atys corpore non inuento,eius ſimulachrum Phryges effecêre, & Cybelis aram,ad quam rem diuinam facerent.Quare verò Atys ſe caſtrauerit, lege allegoriam apud D.Auguſtinum libro ſeptimo de Ciuitate Dei,ex Porphyrij ſententia.Euſebius autem in tertio de Præparatione Euang.Atys,inquit, maximè flores ſignificat,qui antequàm ad fructum veniant,defluunt,quapropter pudẽda ei fuiſſe inciſa feruntur:quoniam flores defluxi,ſemina producunt. Fulgentius etiam in Mythologico,Atym florem ſignificare interpretatur: & ſuper id citat Soſidem Atticum.Sanè quæ de Atti myſtica & arcana celebrabantur, ea ſcriptis Anthes manifeſtauit,vt eſt apud Arpocrationem.Initia & myſteria deæ Cybelis Catullus crotalum & tympanum fuiſſe oſtendit,ita canens, Niueis citata capit manibus breue crotalum,Leue tympanum Cybelle tua mater initia.Lucretius quoq; tympana & cymbala adhibet,idq; pluribus verſibus.Sed & Ouidius in quarto:atq; id à Corybantibus & Curetibus per imitationem acceptũ. Varro tamẽ,& Auguſt.lib.7.de Ciuitate Dei,per tympanum ſignificari orbem terræ,per cymbalorum ſonitus ferramentorum ictus:quæ in Magnę matris interpretatione dicenda.Vergilius de his ſacris mollibus:

*——Ite(*ait*)per alta*
Dindyma,vbi aſſuetis biforem dat tibia cantum,
Tympana vos buxusq; vocat Berecynthia matris
Idææ,ſinite arma viris,& cedite ferro.

Hinc noſter Picus hæc ridens in hymno ad Virginem:

Semiuiri iam non vlulata ad Dindyma Galli,

Nec Cybeles gemini coeunt ad frena leones,
Vt dominam Matremq́ deûm cum turribus altis
Excipiant, fictoq́ vehant per inania curru.

Romæ vetuſtum epigramma legitur, cuius hi duo primi verſus:

Qui colitis Cybelen, & qui Phryga plangitis Atyn,
Dum vacat, & tacita Dindyma nocte ſilent,
Flete meos cineres, &c.

De eiſdem item Lactantius: Ab hoc, inquit, genere ſacrorum nõ minoris inſaniæ iudicanda ſunt publica illa ſacra, quorum alia ſunt Matris deûm, in quib. homines ſuis ipſi virilibus litant. amputato enim ſexu, non viros ſe, nec fœminas faciunt. Tibullus ad hæc ſacra reſpicit, cùm canit:

Idææ currus ille ſequatur Opis.
Et ter centenas erroribus impleat vrbes,
Et ſecet ad Phrygios vilia membra modos. Ouidius:
—Mollesque miniſtri
Cedant iactatis vilia membra comis.

Hinc & ipſa dea à furore vocata eſt interdum Enthea. Martialis:

Cùm ſectus vlulat matris Entheæ Gallus.

Orpheus etiam φιλοιστρομανῆ, id eſt œſtro furentem cognominauit in hymnis, & τυμπανοδούποις, id eſt tympanicrepam. His quidem inſanis ac furentibus miniſtris & ſacerdotibus ſtipes & æra petere moris fuit, vt manifeſtè monſtrat Lucretius, eodem quo ſuprà loco, in quo de Magna matre agit:

Ergo cùm primùm magnas inuecta per vrbes,
Munifica tacita mortales muta ſalute,
Aere atq́ argento ſternunt iter, omnia mirum
Largifica ſtipe ditantes, &c. Ouid. in Faſt.
Dic inquam parua cur ſtipe quærat opes?
Contulit æs populus, de quo delubra Metellus
Fecit, ait, dandæ mos ſtipis inde manet.

M. Cic. in libris de Legibus, Præter Idææ matris famulos, eósq; iuſtis diebus, ne quis ſtipem cogito. ſubdit quare: Stipem ſuſtulimus, niſi eam quam ad paucos dies propriam Idææ matris excepimus. Implet enim ſuperſtitione animos, & exhaurit domos. Auguſtinus etiam libro ſeptimo: De mollibus, inquit, eidẽ matri Magnæ contra omnem virorum mulierúmq; verecundiam conſecratis, qui vſq; in heſternum diem madidis capillis, facie dealbata, fluẽtibus membris, inceſſu fœmineo per plateas, vicóſq; Carthaginis, etiam à populis vnde turpiter viuerent, exigebant: & reliqua, quæ multa eo loco D. Aurelius. Vide de his etiam apud Apuleium plura, libro octauo Metamorphoſeos. Hos porrò ſacerdotes Gallos vocatos fuiſſe, notiſſimum eſt: qui & Semiuiri dicti, quia caſtrati & execti. & Galli quidem à flumine Phrygiæ, auctore Feſto: quia qui ex eo bibiſſent, in eo furere incipiebant, adeò vt ſe virilitatis parte priuarent. Alij id feciſſe dixerunt, ne fieri poſſent parentes, violato patris matriſue nomine. quidã tamen Gallum puerum ipſum putauêre, qui contracta offenſa deę ſe execuerit, & ſimul fluuio nomen dederit. Horũm verò ſacerdotum antiſtites Archigalli nominabantur, vt in antiquis elogijs aduertimus. Epitaphium eſt Romæ in S. Martina in montibus, dignum vt hîc aſcribatur: D. M. C. Camerius Creſcens Archigallus Matris Deûm Magnæ Idææ & Attis Po. Ro. Viuus Sibi Fecit & Camerio Eucratino Lib. Suo. Cæteris autem Libertis Vtriuſque Sexus Loca Singula Sepulturæ Cauſa. H. M. H. N. S. Plinius libro vigeſimoquinto, de picturis Parrhaſij: Pinxit, inquit, & Archigallum, quam picturam amauit Tiberius princeps, atque, vt auctor eſt Decius, Eculeo LX-HS æſtimatam cubiculo ſuo incluſit. Eſt item Archigalli mentio apud Villium, ſeu vt vulgò dicitur, Iul. Firmi-

cum. Ridet Tertullianus his verbis eum qui pro Cęſare precabatur, qui iam defunctus erat: M. Aurelio, inquit, apud Sirmium reipublicæ exempto, die decimoſexto calend. April. Archigallus ille ſanctiſſimus die nono calend. earundem, quo ſanguinem impurum lacertósq; caſtrando libabat, pro ſalute Imper. Marci iã intercepti, &c. D. Auguſt. lib. 2. de Dei ciuit. cùm ridet q̃ in ſacris turpia agerentur à gentibus: Adoleſcentes, inquit, ſpectabamus arreptitios, Gallos puto: audiebamus ſymphoniacos ludis turpiſſ. qui deis deabúsq; exhibebantur: oblectabamur, cœleſtiq; virgini Berecynthiæ matri deorum omnium, &c. Cur virginem appellet, neſcio. Subdit ipſe Auguſtinus: Ante cuius lecticam die ſolenni lauationis eius talia per publicum cantitabantur à nequiſſimis ſcenicis, qualia non dico matrem deorum, ſed matrem qualemcunq; ſenatorum, vel quorumlibet honeſtorum virorum, immo verò qualia nec matrem ipſorum ſcenicorum deceret audire, &c. his verbis Auguſtinus attingit pompam ſacrorum, quę à Gallis ſacerdotibus ad Almonem fluuium quotannis agebatur, qui fluuius nõ procul ab vrbe Tiberinò miſcetur, cuius Vibius Sequeſter ad Vergilianum filium meminit his verbis: Almon, ait, vbi Mater deûm, VI. calend. Aprilis lauatur. Ammianus libro XXIII. Diem, inquit, ſextum calend. quo Romæ matri deorum pompæ celebrantur annales, & carpentum quo vehitur ſimulachrum Almonis vndis ablui perhibetur. Abluebatur verò Magnæ matris ſimulachrũ, quod è Peſinunte allatum fuerat. hinc Lucanus in I.

Et lotam paruo reuocant Almone Cybellem. Ouid. in Faſtis:

Eſt locus in Tiberim quo lubricus influit Almon,
Et nomen magno perdit in amne minor.
Illuc purpurea canus cum veſte ſacerdos
Almonis dominam ſacraq; lauit aquis. Val. Flaccus VIII Argon.
Sic vbi Mygdonios planctus ſacer abluit Almo,
Lætaq; iam Cybele. Et Claudianus:
Prælatoq; lauas Phrygios Almone leones.

Quod autem turpia ac obſcœna paſſim iactaretur, etiam Herodianus in hiſt. Commodi teſtatur. ita enim ſcribit: Veris initio ſolenniq; die pompam Matri deûm Romani celebrant, in ea quæ apud quenq; ſunt diuitiarum præcipua, ſupelléxq;, pleraq; imperatoria materiæ aut artis ſpectandæ, præferri ante deam ſolent, paſſimq; omnibus ludendi licentia permiſſa, ſic vt perſonas induãt, quas cuique libitum: nullámq; nõ magiſtratuum quoq; imaginem, prout cuiuſq; ſtudium, repræſentent, ſic vt non temerè à falſis veros dinoſcas. Hactenus Herodianus. Sed par eſt, vt hoc etiam loco tibi exponam varias de Gallis ſacerdotibus ſententias, quæ leguntur. Feſtus: Galli, inquit, qui vocantur Matris magnæ comites, dicti ſunt à flumine, cui nomen eſt Gallo: quia eo qui biberent, in hoc furere incipiunt, vt ſe priuent virilitatis parte. Ouidius in IIII,

Inter, ait, viridem Cybelen, altaſq; Celænas
Amnis it, inſana nomine Gallus aqua.
Qui bibit inde, furit: procul hinc diſcedite, queis eſt
Cura bonæ mentis: qui bibit inde, furit.

Attribuuntur autem Galli, vt Lucretius canit in ſecundo:

Gallos attribuunt, quia numen qui violarint
Matris, & ingrati genitoribus inuenti ſunt,
Significare volunt indignos eſſe putandos,
Viuam progeniem qui in oras luminis edant.

Aliam inſuper ex Varrone Auguſtinus recitat opinionem, quam in Magnæ matris interpretatione referam: aliam quoq; huius deæ & Atys allegoriam Fulgentius Placiades in tertio Mythologicôn confingit, quam, vt iam modum faciam, nunc ipſe miſſam facio.

Magna

Magna mater, & Mater deûm, Græcè μεγάλη μήτηρ; καὶ θεῶν μήτηρ, καὶ μητρῷα. Orpheus, μήτηρ μέν τε θεῶν, ἠδὲ θνητῶν ἀνθρώπων. id eſt, Hæc vna eſt materq́ hominũ materq́ deorũ. Orpheus quidẽ ſeorſum tres hymnos concinuit, quorũ primum Rheæ dixit, cum aromatibus: alterum Telluri, cum omni genere ſeminũ, pręter fabas & aromata: tertium Matri deûm, cum variarum rerum ſuffitu. Idem tamen Orpheus, teſte Diodoro, Terram omnium matrem dixit, diuitias & opes largientem: vel, vt diximus, quòd remedia multis non modò pecorum, ſed & hominum, in primis puerorum morbis excogitarit: quod idem Diodorus ꝓdit. Seruius grammaticus Matrem deûm appellari putat, quòd ipſa ſit ex ijs deis, qui ἄζωνοι dicuntur: id eſt, qui cœli certas non habent partes, ſed vbiq́ generatim ab omnibus colũtur, vt Mater (inquit) deûm, cuius poteſtas in omnibus zonis eſt, & communis eius eſt poteſtas. Hæc ille, & alia præterea. Magna mater ſic à Martiano confingitur: Grandæua, corpulentáq́ Mater, quamuis fœcunda circumfuſáq́ partubus, tamen floridam diſcolorámq́ veſtem herbida palla contexuerat, in qua totus gemmarum metallorúmque cenſus, atque omnium prouentus, frugúmq́ & ſationum, larga admodum vbertate ferebantur. hæc quidẽ Martianus. Qui allium guſtaſſent, arcebantur procul ab huius deæ templo, vt Athenæus ſcribit. De Magnæ matris templo legimus, quòd non manibus, ſed precibus aperiebatur: vnde vult Seruius illud à Sibylla dictum in VI, Ceſſas in vota precésq́, &c. Sic verò de Magna matre Varro apud Auguſtinum in VII de Ciuit. dei: Tellurem eandem dictam eſſe Magnam matrem ait: quòd tympanum habeat, ſignificari eſſe orbem terræ: quòd turres in capite, oppida: quòd ſedes figatur circa eam, cùm omnia moueantur, ipſam non moueri: quòd Gallos huic deæ vt ſeruirent fecerunt, ſignificat eos qui ſemine indigeant, terram ſequi oportere, in ea quippe omnia reperiri: quòd ſedes apud eam iaceant, præcipitur (inquit) qui terram colant, ne ſedeant, ſemper enim eſſe quod agãt. Cymbalorum ſonitus, ferramentorum ictus iactatorum, ac manuum. & eius rei crepitus in colendo qui fit, ſignificat, quòd ferramenta illa erant ideo ex ære, quòd eã antiqui colebant ære, antequàm ferrum eſſet inuentum. quin teſte Heſychio, ab eo æris ſonitu, dea ipſa χαλκόκροτος à Græcis nuncupata eſt. Sequitur Auguſtinus: Leonem, inquit, adiungunt ſolutum ac manſuetum, vt oſtendant, nullum eſſe genus terræ tam remotum, ac vehementer ferum, quod non ſubijci cuique conueniat. deinde adiungit, & dicit Tellurem, & Matrem, & nominibus plurimis & cognominibus nominatam, & reliqua quæ Varro, immò Auguſtinus ipſe ſcribit. Addit Iſidorus libro VIII, quòd ſimulachrum eius cum claui fingebatur, quia hyeme tellus clauditur, vere aperitur, vt fruges naſcantur. Sed & de Magna matre extat Lucretij præclarum carmen libro ſecundo de Rerum natura, quòd & antè citaui, ad quod examinandum vel hoc te principium inuitat.

Quare magna deûm mater, materq́, ferarum,
Et noſtri genitrix hæc dicta eſt corporis vna:
Hanc veteres Graiûm docti cecinere poetæ,
Sedibus in curru bijugos agitare leones, &c.

Ne nimius ſim. Plus enim quàm ſex & XL verſus ea de re expoſuit doctiſſimus poeta. Sed iam ad reliqua redeo, quæ inſtitueram de BONA DEA dicere. Cornel. Labeo & ipſe hanc Magnam matrem, & terram, & Maiam eſſe exiſtimabat, vt oſtendere Macrobius laborat: quòd ſus prægnans ei mactaretur. quæ propriè terræ hoſtia fuerat. Idem Labeo, & hanc Maiam Bonæ deæ nomine nũcupatam aſſerit, & ei Kalend. Maij ædem fuiſſe dicatam. ait inſuper, Bonam deã & terram ex ipſo ritu occultiore ſacrorum eandem eſſe doceri poſſe. quin & eãdem, Bonam, Faunámque, & Opem, & Fatuam, pontificum libris indigitari ſolitam fuiſſe. Bonam, quòd omniũ nobis ad victum bonorum cauſa eſt: Faunam, ꝙ omni vſui animantiũ fauere putaretur: Opem, quòd ipſius auxilio vita con-

ſtare crederetur:Fatuam verò à fando,quod infantes partu editi non prius vocem edere crederentur,quàm terram ipſam attingerent. Putabat Varro hanc Dryadem fuiſſe,Fauni filiam:vel vt Plutarch.refert,vxorem nonnulli Græcorũ ex Liberi nutricibus fuiſſe,quam ne fari liceat exiſtimabant. vnde & mulieres. cùm ei feſtos dies peragebant,tabernacula vitiligineis intexebant ramis,ſacrũque draconem deæ ſecundum fabulam erigere ſolebant,vt ait Plutarch. Sunt q deam hanc affirment Iunonis potentiam habuiſſe,ideóq; regale ſceptrum in ſiniſtra manu ei additum.Eandem alij Proſerpinam crediderunt, porcáq; ei rem diuinam fieri ſolitam:quia ſegetes, quas Ceres mortalibus tribuiſſe ferebať,porca depaſceret.Alij Hecaten Chthoniam,Bœotij Semelem credebant. Plerique Fauni filiam dixerunt,quæ obſtiterit in amore patris voluntati lapſi,ita vt virga myrtea ab eo verberaretur,cùm deſiderio patris nec vino preſſa ceſſiſſet. demũ tamen pater in ſerpentem ſe transfiguraſſe,& cum filia coijſſe creditur. Horum hoc tale proferũt indicium,quòd virgam myrteam in eius templo haberi nefas fuerit,& quod ſuper caput eius extenderetur vitis, qua maximè cauſa eam pater decipere tentauerit:quòd vinum in templum eius non ſuo nomine ſoleret inferri,ſed vas in quo vinum inditum eſſet,mellarium nominaretur,& vinũ lac: quódq; ſerpentes in eius templo nec terrentes,nec timentes apparerẽt.Sex.Clodius,qui græcè ſcripſit,vt recitat Lactantius,prodit,hanc vxorem Fauni fuiſſe: quę quia contra morem decúſq; regium clam vini ollam ebibiſſet,& ebria facta eſſet,virgis myrteis à viro vſq; ad mortem cæſa eſt. poſtea cùm regem facti ſui pœniteret,& vxoris deſiderium ferre non poſſet, diuinum illi nomen detuliſſe fertur,idcircóq; in ſacris eius obuolutam vini amphoram poni ſolitam.hæc Clodius,vel potius Lactantius.Plutarchus in Probl.ita hanc hiſtoriam recitat: Flauij diuinatoris vxorem fuiſſe,quę clàm cùm vinum largius biberet,à marito deprehenſa,flagris cæſa eſt.atq; inde factum,vt myrtus in eius deæ ædem non inferretur:vinúmq; cùm mulieres ebiberẽt,non vinũ,ſed lac appellarẽt. Conſiderandum in Plutar. Problem.id eſt,Romanis capitib.male latinè ſcribi:Quid eſt, inquit,quod Florę,quam Bonam deam nominant,omni florum genere templũ exornantes,&c.cùm pro Flora Gynæceæ deæ ſcribendum ſit,quam Bonam vocant:quod alia probatione nõ indiget,cùm ita certè Gręcè,vt nos expoſuimus, legatur.Tum etiam ibidem paulò pòſt,cùm Floram Flauij vatis vxorem latinus interpres dicat,perperàm factum eſt.nam Floræ nomen vtiq; additum eſt:id qđ pleriſq; viris etiã eruditis errandi cauſam præſtitit,vt Bonam deam eãdem cum Flora fecerint,cùm ſecus ſit omnino,& eius nihil omnino Plutarchus tradiderit.Quidam præterea deam hanc Medeam putauêre,quòd in eius æde omne genus herbarum eſſet,ex quibus antiſtites plerunq; medicinas exhiberẽt:& quòd templum eius virum introire non licebat,propter iniuriam,quam ab ingrato viro Iaſone ipſa perpeſſa fuiſſet.Hæc θεὸς γυναικεῖα,vt Plutarchus & Macrobius oſtendunt,dicebatur,κυζράνας nomine,vt ait Heſychius.Gynæcea verò,quam qdam ineptè Geneſiam vocant,dea exiſtimata fuit,quæ ex corruptibilibus generationem facere putaretur.Cui cùm res diuina fiebat, optabant nemini bonum euenire,qui domi naſceretur.ſtulta & vana precatio.Sed hæc Geneta,id eſt γινέτα,in Græco Plutarchi exemplari dicitur.ait enim:Cur Genetæ nuncupatæ ſoli canem immolant?quod ſacrum alienum mihi eſſe videtur à Bona dea.Fuit & Cynetia dea,de qua in Neruene actum eſt:ſed ſequar dę Bona dea, quam Varro Fauni filiam dixit,adeò pudicam, vt extra gynæconitin nunquam tradatur egreſſa,neque nomen eius in publico fuerit auditum,nec virum vnquam viderit,vel à viro viſa fuerit,propter quod nec vir templum eius ingrediebatur.Hãc hiſtoriam,ſi non potius ſuperſtitioſam cerimoniam,cùm aliter recitet Lactantius ex eiuſdem Varronis ſententia,me exiſtimare facit,in Macrobij codicibus erratum eſſe:quod vt quiuis ex ſe percipere poſſit,Lactantij verba appoſui: Eandem,inquit,Faunam Varro ſcribit tantæ pudicitiæ fuiſſe,vt nemo eam quoad vixe-

ad vixerit(præter virum ſuum)mas viderit:nec nomen eius audierit.Idcirco vbi mulieres in operto ſacrificabant,Bonam deam nominabant.hinc dictum eſt ab Iuuenale,

Nota Bonæ ſecreta deæ. & à Tibullo:

Sacra Bonæ maribus non adeunda deæ.

Quæ tamen à P.Clodio violata fuerunt,vt in primis de Aruſpicum reſponſis M.Cicero,& Plut.& alij prodiderunt.qua de re & Seneca in Epiſtolis ita: Credat,ait,aliquis pecuniam eſſe verſatam in eo iudicio,quo reus erat Clodius, ob id adulterium,quod cum Cæſaris vxore in operto commiſerat,violatis religionibus eius ſacrificij,quod pro populo fieri dicebatur: ſic ſemotis extra conſpectum omnibus viris,vt picturæ quoque maſculorum animalium contegerentur.ita inquam viri his ſacris arcebantur,vt cùm in Italia cum bobus Geryonis Hercules ſitiens tranſiret,& ei petenti aquam,mulier reſpondiſſet,ſe ei præſtare non poſſe,quod fœminarum deæ dies celebraretur,nec ex eo apparatu viris guſtare liceret:execratus hoc ſacrum,& ipſe à ſuis ſacris mulieres arcendas Pinario & Potitio ſacrorum ſuorum cuſtodibus præcepit.Macrobius auctor, & ex parte Athenæus,Plutarchus:ſed copioſiſſimè & elegantiſſimè Propert.lib. 4.Elegiarum ad Herculem.

Idæa mater etiam Cybele dicta fuit,vel ab Ida Cretæ,vel potius ab Ida Phrygiæ:vtrobiq; enim culta fuit,vt oſtenſum eſt.Lucret.lib.2.

Hanc variæ gentes antiquo more ſacrorum,
Idæam vocitant matrem. Vergil.
Alma parens Idæa virum,&c. Ouid.in Faſtis:
Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit,& Idææ feſta parentis erunt. Item alio loco Vergilius.
Buxusq; vocat Berecynthia matris Idææ.

Illi verò hic mons Ida conſecratus,à quo & ipſa vocata eſt:quoniam à longe & procul ἐστιν ἰδεῖν,id eſt,videre eſt,cùm tempeſtates & pluuię fiunt.quin etiam Montana ipſa cognominata,id eſt ὀρεία,eſt,vt Phurnutus oſtendit.

Aedes deæ Cybeles in Ida pulchrè deſcribitur à Claudiano poeta, de Cerere loquente,in primo de Raptu Proſerpinæ:

Sic ait,& fuluis ſerpentibus attigit Idam.
Hic ædes auguſta deæ,templiq; colendi
Relligioſa ſilex,denſis quam pinus obumbrat
Frondibus,& nulla lucos agitante procella,
Stridula coniferis modulantur carmina ramis.
Terribiles intus thyaſi,veſanaq; mixto
Conuentu delubra gemunt,vlulatibus Idæ
Bacchatur,timidas inclinant Gargara ſyluas.
Poſtquam viſa Ceres,mugitum tympana frenant,
Conticuere chori,Corybas non impulit enſem,
Non buxus,non æra ſonant,blandiq; leones
Summiſere iubas:adytis gauiſa Cybelle
Exilit,& pronas intendit ad oſcula turres. Et hæc Claudianus.

Notiſſima verò eſt hiſtoria apud Lactantium,Liuium, Valerium, Auguſtinum,& alios,Claudiæ virginis Veſtalis:cùm ex libris Sibyllinis Idæa mater eſſet Romam accita,& nauis qua vehebatur vado hæſiſſet:Claudia,quæ ex nimio cultu impudica habebatur,ſuo cingulo eam nauem facillimè traxit: quod miraculum conſimile accidiſſe ferunt de Herculis ſtatua, quæ è Tyro rate Erythras aduecta eſt,vt in Hercule dicetur.Scribit diligentiſſ.antiquitatum Romanarum auctor Dionyſius Alicarnaſſ.lib.2. Hiſtor. ſacrificia Idææ deæ quotannis,& certamina prætores Romanos agere ſolitos fuiſſe,Romanis legib.ſacra

tamen ea non Romani peragebant,ſed vir & mulier Phryges,qui illa per vrbē circunducebant,congregantes matronas(qui mos fuit illis)imagines pectoribus annectentes,decantantéſq; ipſi à ſequentibus matronalibus carminibus, tympana tenentes.Romanorum autem indigenarum nec matronas vllus congregans,neq; cantibus tibiarum ſeptus per vrbem incedebat, variam indutus ſtolam,neq; colens deam Phrygijs cerimonijs.Hæc fermè Dionyſius:oſtendēs, Romanos peregrinis externiſq; religionibus minus ſtuduiſſe. id quod tamen Satyrici poetæ identidem illis obijciunt.Libet ex libro IX. Decad. III Liuij particulam aſcribere,de ipſius deæ aduentu in vrbem.Nam cum pauloante ex Sibyllinis verſibus legatos quinq; oſtendiſſet in Aſiam miſſos ad Attalum, vt ex Peſinunte Romam deferrent,& id Rex ipſe procuraſſet,ita ſubinfert:Eò,inquit,acceſſit conſultatio de matre Idæa accipiēda,quam præterquam quòd M. Valerius vnus ex legatis regreſſus,actutum in Italia fore nūciauerat,recens nūcius aderat,Terracinæ iam eſſe.tunc haud paruæ rei iudicium ſenatum tenebat, qui vir optimus in ciuitate eſſet.veram certè victoriam eius rei ſibi quiſq; mallet,quàm vlla imperia,honoréſue ſuffragio ſeu patrum, ſeu plebis delatos.P. C. P.Scipionem Cn.filium,eius qui in Hiſpania occiderat,adoleſcentem nondum quæſtorium,iudicauerunt in tota ciuitate virum optimum eſſe.id quibus virtutibus inducti ita iudicauerint,ſicut traditum à proximis memoriæ temporum illorum ſcriptoribus,libens poſteris tradiderim:ita meas opiniones, cōiectando rem vetuſtate obrutam,non interponam.P.Cor.cum omnibus matronis Oſtiam ire iuſſus obuiam deæ,iſq; eam de naue acciperet,& in terram elatam traderet ferendam matronis.poſtquàm nauis ad oſtium amnis Tyberini acceſſit, ſicut erat iuſſus,in ſalum naue euectus,à ſacerdotibus eam accepit,extulitque in terram.Matronæ primores ciuitatis,inter quas vnius Claudiæ Quintiæ inſigne eſt nomen,accepere:cui dubia,vt traditur,antea fama,clariorem ad poſteros tā religioſo miniſterio pudicitiam fecit.eæ per manus ſuccedentes,deinde aliæ alijs,omni effuſa ciuitate obuiam,thuribulis ante ianuas poſitis, quà perferebatur,atq; accenſo thure,precantibus,vt volens propitiaq; vrbem Romam iniret, in ædem Victoriæ,quæ eſt in Palatio,pertulere deam pridie idus Aprilis,iſq; dies feſtus fuit.populus frequens dona deæ in Palatio tulit,lectiſterniúmq; & ludi fuêre,Megaleſia appellata.Hactenus quidem de aduentu in vrbem,deæ.Libro verò de bello Macedon.ſexto.Per idem,inquit,tēpus ferè ædes matris magnæ Idææ dedicata eſt,quam deam is P.Cornelius aduectam ex Aſia,P.Cornelio Scipione,cui poſt Africano fuit cognomen,P.Licinio Coſs. in Palatium à mari detulerat.locauerant ædem faciendam M.Liuius, C. Claudius, cenſores, M.Cornelio,T.Sempronio Coſs.decimotertio anno poſtea quàm locata erat, dedicauit eam M.Iunius Brutus.ludíque ob dedicationem eius facti:quos primos ſcenicos fuiſſe, Valerius Antias eſt auctor,Megaleſia appellatos.

Berecynthia mater deorum dicitur, & Phrygia, vt in primis docet Strabo. Vergilius in ſexto,

—Qualis Berecynthia mater
Inuehitur curru Phrygias turrita per vrbes,
Læta deûm partu,centum complexa nepotes.

Berecynthus inquit Seruius,caſtellū eſt Phrygiæ iuxta Sangariū fluuium,vbi mater deûm colebatur.Fulgētius verò in tertio ait,quod ea Berecynthiis mōtibus præeſſet.Cynthos enim,vt idem ſcribit,Attica lingua flos nuncupatur:vnde & hyacinthus dicitur,non vt ipſe interpretatur Fulgentius, quaſi ſolus flos, ſed violæ flos,vt ego arbitror.Agatharchides in lib.Phrygiaco, ait Berecynthū primū fuiſſe Matris deûm ſacerdotem,qui monti nomē dederit.Putat Heſychius,Phrygiā prius vocatā Berecynthiam,& abſq; afflatu ſcribit : tū etiam genus quoddā Phrygū Berecynthas fuiſſe ait:id quod & Strabo teſtat in X, quo loco de Rhea & Berecynthia agit.Subiungit Heſychius, & tibia Berecyntia : aliáq;

inſuper

inſuper addit, quæ ad rem non faciunt. Idem tamen alibi Berecyndas per d, ſcribit, & eo nomine ait Phrygas dæmones nuncupari. & βρύγες etiam Phryges, vel barbaros, vel ſolœciſtas, hoc eſt inconditè loquentes. Iuba verò, à Lydis dicere videtur Briga Liberum ſignificare. Phrygia quoque hæc dea vocata, vt cùm alij, tum etiam Phurnutus ſcribit, quod celebri cultu apud Phryges celebraretur.

Δαμία, Damia, vt Feſtus ſcribit, Bona dea cognominata eſt, & eius ſacerdos δαμίας. vnde & Damium, eodem auctore, ſacrificium, quod in operto fiebat in ipſius Bonæ deæ honorem. dictum videtur à contrario, quòd minimè eſſet δημόσιον, id eſt publicum. η enim litera nonnunquam apud nos in a conuertitur. Sanè Bonæ deæ ædes Subſaxanæ, in XII regione vrbis fuit: P. Victor.

Metragyrtes, μητραγύρτης, Magna mater à Græcis vocata, eiusúe ſacerdos, vt in tertio ſcribit Iulius Pollux: & μητριάζειν, feſtũ huius deæ celebrare. hinc Plut. in Cleomenis vita (quãquam Latinus interpres male expoſuerit) quo loco Ptolemæum irridens Plut. Metragyrtem nuncupat, quaſi mollem & effœminatum ad Cybelis, vel ſacerdotum eius ſimilitudinem ille mitratum interpretatus eſt. Legimus Metragyrtæ ſtatuam Athenis fuiſſe, qui cùm mulieres Matri deûm initiaret, ab Athenienſibus necatus eſt. Budæus μητραγύρτας & ipſe interpretat, Matris deûm ſacerdotes ſtipem cogentes, tympanáque geſtãtes. Origenes quoque libro primo contra Celſum, de Metragyrte meminit, licet perperàm in peruulgatis codicibus legatur. quare mirum eſt, virum doctiſſimum Eraſmum allucinatum in hoc vocabulo. nam à Mithra Perſarum deo vocabulum deduxit, in prouerbio, Mitragyrtes non daduchus.

Cybeca, κυβήκη etiam mater deûm vocata fuit, teſte Heſychio. Sed & Venus hoc nomine fuit: & vt alij dicunt, Diana etiam, & βούδης, vt in Dianæ cognominibus oſtenſum. Idem ſcribit & Phauorinus. Strabo etiam Cyben vocatam hanc deam ſcribit, vt ſuprà retuli.

Paſitheam etiam Cybelen nuncupari quidam exiſtimant, quòd deorum omnium mater vocaretur. illúdque afferunt Catulli: Trepidãtem eum recepit dea Paſithea ſinu. quaſi πᾶσι θεοῖς μήτηρ, id eſt, omnibus deis mater. Porrò Paſitheam Homerus inter Gratias, id eſt Charites commemorat. Itémque inter Leonis tres filias, vt in Gratijs oſtendimus.

Iſodroma mater à nonnullis vocatur. Strabo lib. X. de Lariſſæ nomine: Vrbibus ſupra oppidum ad Cayſtri campum, qua per mediterraneum itur ad Iſodemees matris templum, ſitum habẽs ſimilem, locíque virtutem ipſi quam diximus penſili Lariſſæ, &c.

Πυργοφόρος, hoc eſt Turrigera & Turrita à Græcis vocata Magna mater, vt in Græco libello legimus, in quo deorum antiquorum imagines conſcribuntur, vbi de ſimulachro agit turrim ferente, vbi ita meis verbis legitur: Priſci terram vocabant Cererem, quoniam ἕδρα, id eſt ſedes eſt totius ciuitatis terra. & quoniam etiam contineat ciuitates, πυργοφόρος vocatur ſed & Latini Turritam & Turrigeram appellant. quin & eius adhuc marmoreæ ſtatuæ tales cernũtur, hoc eſt turritas coronas in capite gerentes. Propertius,

Claudia turritæ rara miniſtra deæ. Papinius:

Ille Phryges lucos matri penetralia cædit Turrigeræ. Vergil.

Inuehitur curru Phrygias turrita per vrbes.

Tradit Phurnutus, quòd πύργωτος στέφανος, id eſt turrita corona adhiberi ſolita ſit huic deæ, propter vrbes & arces, quæ in ſummitate montium fiebãt antiquitùs: & quæ cætera dicit. Porrò & hanc eandem legimus querna coronari corona, quod Apollodorus prodidit, & in Apollonij commentarijs referunt. quin etiam pinu aliquando, quæ illi dicata exiſtimabatur, coronabant. vnde apud Martialem pinus loquitur,

Poma ſumus Cybeles, procul hinc diſcede viator,
Ne cadat in miſerum noſtra ruina caput.

Tametſi Conſtantinus Cæſar in libro Geoponon aliter ſcribit, vt in Pane deo referam.

Mygdonia mater etiam Cybele vocata fuit, vel à Mygdonia Phrygiæ, vbi colebatur: Vel à Mygdono, de quo ſic ferè Diod. Nonnulli, inquit, volunt Idęos dactylos ex Ida, quæ eſt in Phrygia, extitiſſe, indéq; cum Mygdono tranſcendiſſe in Europam, diuinandi arte peritos cantum docuiſſe, initiationes & myſteria. Val. Flaccus,

Mygdoniæ Pan iuſſa ferens ſæuiſſima Matris. Idem, lib. VIII,
Sic vbi Mygdonios planctus ſacer abluit Almo,
Lætáq; iam Cybele, feſtæq; per oppida tedæ.

Eadem ratione & Phrygia dicitur, vt ex poetis & Strabone, & Cornuto videmus in primis.

Antæa, ἀνταίαις Rheam vocat Apollonius Rhodius in primo Argon. vt interpretes ſcribunt, propterea quòd Telchinibus facta ſit contraria. Orpheus quoque in hymnis, ei hymnum matri Anteæ dedicat, cum thymiamate aromaton,

ἀνταία βασίλεια, θεὰ πολυώνυμε μῆτερ,
ἀθανάτων τε θεῶν, ἠδὲ θνητῶν ἀνθρώπων.

hoc eſt: Antæa regina, dea multinomia mater, immortaliúmq; deûm, mortaliúmq; hominum, &c. Opis, vel potius Ops, dicta eſt coniunx Saturni, ait Feſtus: per quam voluerunt terram ſignificare, quia omnes opes humano generi terra tribuit. vnde & opulenti, terreſtribus rebus copioſi: & hoſtiæ opimæ, præcipuè pingues: & opima, magnifica & ampla ſpolia. Hinc etiam Opalia dies feſti dicebantur, quibus Opi ſupplicabatur, eodem Feſto auctore. Opalia quidem Macrobius commemorat inter Saturnalia menſe Decembri. Et quoniam vxor Saturni credebatur, agrorum cultoris, à ſatu nominati, & cum falce fingebatur, inſigne agricolæ, ita & illa quoq; cognominata Conſiua eſt, & terra exiſtimabatur: ideóq; in regia colebatur. De Ope verò Conſiua Varro de Ling. lat. his verbis: Ope Cōſiua dies, inquit, ab dea Ope Conſiua, cuius in regia ſacrarium: quod ideo actum, vt eò præter virgines veſtales & ſacerdotem publicum introeat nemo: is cùm eat, ſuffibulum haud habeat. ſcriptum id dicitur, vt à ſuffiendo ſubligaculum. Sanè quidam libentius pro Saturni vxore Ops legunt. Ops enim Diana eſt, vt dicemus. Auſonius in monoſyllabis,

——*Prima deûm Fas,*
Quæ Themis eſt Graijs: poſt hanc Rhea, quæ Latijs Ops.

Et Varro: Terra, inquit, Ops, quod hic omne opus, & hic opus ad viuēdum. Ideo dicitur Ops mater, quòd terra mater: quæ Ops in obliquis primam corripit. Tibullus,

Ideæ currus ille ſequatur Opis.

Idem Varro apud Auguſt. VII. de Ciuit. dei: Tellurem, inquit, putant eſſe Opē, quòd ope fiat melior: Matrem, quòd plurima pariat: Magnam, quòd cibum pariet: Proſerpinam, quòd ex ea proſerpāt fruges: Veſtam, quòd veſtiatur herbis. Huic deæ ſedentes vota concipiebant, terrámq; de induſtria tangebant, demonſtrantes ipſam matrem terram. Philochorus, Saturno & Opi primùm in Attica aram ſtatuiſſe Cecropem ſcribit.

Titea inter Cœli, id eſt οὐρανοῦ vxores fuit, ex qua XVII filios ſuſtulit, qui Titanes, à matre dicti ſunt, vt in Atlantidum theologia legitur. Titea, cùm prudentia plurimùm mortalibus profuiſſet, poſt obitum in deorum numerum relata, & terra cognominata eſt. filias etiam duas habuit, βασιλέαν, id eſt reginā, vt Diodorus ſcribit: & Rheam, quam Pandoram vocabant. βασιλέια annis, prudentia & virtute præſtantior, fratres in matris gratiam educauit, ideóq; Magna mater eſt appellata. hæc patre defuncto, & facto deo, de fratrū conſenſu regnū adminiſtrauit, nulli adhuc nupta: ſed cùm liberos ſuſcipere cuperet, Hyperionem fratrem

virum accepit,ex quo duos filios peperit,Solem & Lunam: quorum formam prudentiámq; admirantibus omnibus tradunt,reliquos fratres prolis inuidia actos,veritóſq; ne aliquando imperium ad Hyperiona veniret,ſceleſto excogitato facinore fratrem communi conſilio obtruncaſſe:Solem adhuc puerum in flumen Eridanum proiectum,ſuffocatúmq; fuiſſe.qua re vulgata, Luna præter modum fratrem diligens,ex tecto ſe præcipitem dedit.Matri quærenti iuxta flumen corpus,cùm in ſomnum incidiſſet;viſum ei per ſomnium eſt,à Sole ſe conſolari,ne lugeret:homicidas pœnas daturos.dicente ſe cœleſtem ignem, id eſt ἥλιον futurum:ſororem verò μήνα,Lunã,id eſt σελήνην vocãdam eſſe.ſomno experrecta,rem vulgaſſe dicitur,& filios deos conſecraſſe,& innupta poſthac vixiſſe: & facta inſana,tympana cymbaláq; quatiens,per vrbem ſparſis paſſim crinibus erraſſe.Tandem coorto hymbre & iactis fulminibus reginam euanuiſſe, nec viſam amplius fuiſſe ferunt.quam rem populus cernens, ἡλίου καὶ σελήνης nomina ad aſtra tranſtulit,Reginámq; deam & Matrem vocitauit,& ſacra illi cymbalis & tympanis celebrata peregit.Sanè & idem Diod.alio loco de Titea nonnihil euariat,ex Cretenſium videlicet hiſtoria.Porrò Aramæi Titheam & ipſi aiunt, quoniam mater erat Aretia.id eſt terra dicta,poſt mortem Veſtam vocauerunt. Sed hæc nimis ſuperſtitioſa,curioſis mittamus,qui Titheam volunt eſſe Iani vxorem:& Ianum ipſum Nochum,id eſt Noac arbitrantur.Commentatores etiam Apollonij in primo Argon.ſcribunt ex Menandri ſententia,Mileſios, cùm Rheæ ſacrificarent,prius Titiæ rem ſacram facere ſolitos fuiſſe:ſubiungitq; & de heroe Titio,qui Iouis filius fuerit:vel vt alij,inter Mariandyni Cimmerij liberos ſeniorem.

Peſinuntia dea,quæ à pleriſq; corruptè Peſimõtia dicta eſt,Magna deûm mater vocata eſt,de qua breuiſſimè referam,quæ pluribus ab Herodiano libro primo Hiſt.traduntur.Simulachrum,inquit,è cœlo cecidiſſe ferũt in quendã Phrygiæ agrum,qui ab eo caſu Peſinus appellatus eſt:alij licet aliter referant. In hoc igitur loco Peſinunte Phryges orgia ipſi deæ agitabant,apud Gallũ fluuium, à quo & ſacerdotes appellati.ſed cùm Romani rerum potirentur,oraculum acceperunt,res ſuas in dies magis auctum iri,ſi Peſinuntiam deã ad ſe tranſtuliſſent. Proinde legatos petitum miſerunt:ac facilè id impetrarunt. deuectum ſimulachrum ex Phrygia,& magnificè ac religioſe collocatum eſt,vt ex Liuio alibi locupletius recitaui.Ammianus Marcellinus lib.hiſt.XXI, quo loco de Iuliano Cæſ.ait,alia quædam recenſet,inter quæ & hoc:Quamobrem hoc nomine oppidũ ſit appellatũ,variant rerũ ſcriptores.Quidam enim figmento deæ cœlitus lapſo πίωσιν,quod cadere nos dicimus,vrbẽ aſſeruere cognominatã. alij memorant,Ilum Trois filiũ Dardaniæ regem,locũ ſic appellaſſe.Theopompus non Ilum,ſed Midiam affirmat Phrygiæ quondã potentiſſ.regẽ.& hæc fermè Ammianus,quæ & confirmãtur ab Arnobio in ſecundo aduerſus Gentes ita ſcribẽte: Quid,inquit,Phrygiã matrem,cuius eſſe conditor iudicatur vel Midas,vel Dardanus,&c.

Phaſiane,hoc eſt φασιανὴ θεὸς,deſcribitur ab Arriano in Periplo Ponti Euxini. ait enim,quòd ingredientibus Phaſin fluuium,in dextra eſt erecta dea Phaſiane,quam ille ſubueretur ex eius figura an dea Rhea ſit. Nam in manu(inquit) cymbalum tenet,& leones ſunt ſub eius throno: & ita ſedet,vt in μητρῴῳ,id eſt, in templo Matris deûm Athenis,quæ à Phidia fabrefacta fuit.neq; de Phaſiane dea plura memini me legere.

Lemnus mater deorum antiquitus nũcupata,vt Stephanus ſcribit, cui & virgines ſacrificare ſoliti fuerant,& ab ipſius deæ nomine Lemnus inſula nuncupata fuit.hanc verò primùm Thraces incoluêre,qui Sinties vocabantur, qui & Sapæi:de quibus varia traduntur à ſcriptoribus,Strabone,Hellanico, & grammaticis,L.Tarrhæo & Theone.Sed hæc non noſtri ſunt inſtituti.

Andirina mater deûm cognominata à loco,de quo Strab.lib.XIII. Sub Andira,in-

dira,inquit,templum eſt Matri deûm Andirinæ ſacrum,& ſubterraneum antrũ Palean vſq;.eſt verò Palea habitatio quædam,ſic appellata,quæ ab Andiris diſtat ſtadijs CXXX.ſubterraneum hunc meatum torrens quidam, os eius incidens,aperuit,qui poſtera die à paſtore quodam ad ſacrificium eunte apud Andira fortuitò repertus fuit.

Aſporina etiam mater deûm nuncupata,eodem Strabone teſte,eodem libro, ab Aſporino monte vrbi Pergamo proximo,aſpero & ſterili,à quo & dea Aſporina,& templum Aſporinum nuncupatum fuit.

Ma Rhea vocabatur à Caribus,vt ſcribit Stephanus:vnde & Maſtaura vrbs Lydiæ nuncupata fuit.huic Ma Iupiter dedit Dionyſium alendum. quare Ma ab Iunone rogata,cuius ille eſſet infans?ea,ἄρεος,id eſt Martis reſpondit. vnde & apud Cares Dionyſius Maſares nuncupatus eſt,vt in Bacchi nominibus retulimus:& Rhea ipſa,Mâ.& illi taurus ſacrificatur à Lydis:vnde Maſtauræ nomen vrbis,quam interfluit Chryſaorus fluuius.Sanè & Mâ Bellonæ nomen fuiſſe inuenimus,vt alibi dicemus.

VESTA.

VEſtam,quam ἑςίαν Græci vocant,cum Rhea connumeramus, quoniam cũ ea à Strabone coniungitur, vt in huius Syntagmatis exordio retulimus. hanc tamen cum Cerere deſcribit Phurnutus,& vtranq; ait non videri aliam à Terra.Veſta verò ab antiquis fuit multa veneratione culta, nunc eam ignem, nunc terram exiſtimantibus,vt docet D.Auguſtinus libro quarto de Ciuit. dei. Ouid.in Faſtis,

Veſta eadem eſt,& Terra:ſubeſt vigil ignis vtriq;:
Significant ſedem terra focusq; ſuam. Idem paulò pòſt:
Stat vi terra ſua,vi ſtando Veſta vocatur.

Alij non à vi ſtando,ſed à veſtiendo,quòd terra varijs tum herbis,tum plantis,cæteriſq; veſtiatur.nam & Plato pro terra ſumere ἑςίαν videtur, cùm ita ſcribit,μένει δὲ ἑςία ἐν θεῶν οἴκῳ μόνη.hoc eſt,manet autem Veſta in deorum domo ſola: quòd ſcilicet terra immobilis,vt Macrobius exponit,intra domum deorum, id eſt,intra mundum.Sic & Euripides,καὶ γαῖα μῆτερ,ἑςίαν δέ σ' οἱ σοφοὶ βροτῶν καλοῦσιν, ἡμένην ἐν αἰθέρι.id eſt,Et terra mater, Veſtam quam ſapientes homines vocãt,quæ ſedet ſub æthere.Orpheus quoq; in hymno,ἣ μέσον οἶκον ἔχεις πυρὸς ἀενάοιο μεγίστου.hoc eſt,quæ mediam domum habitas ignis perpetui maximi. Veſtã autem,ait Phurnutus,διὰ τὸ ἑςάναι διὰ πάντων,vocarunt antiqui:hoc eſt, quòd per omnia conſtet,vel quòd in ipſa tanquam in fundamento totus ſtet orbis. Alij alia dicunt. Quod verò pro igne ponatur,Ouidius idem in Faſtis:

Nec tu aliud Veſtam,quàm viuam intellige flammam,
Nataq; de flamma corpora nulla vides.
Iure igitur virgo eſt,quæ ſemina nulla remittit,
Nec capit,& comites virginitatis amat.

Phurnutus:Ignis,inquit,ſemper viuens Veſtæ attribuitur,quòd & ipſa videatur exiſtens eſſe.Fortè verò,quod inde ignes nutriantur,qui ſunt in mundo,& per ipſam ſubſiſtant.aut quod ζείδωρος ἄρουρα eſt,id eſt fœcunda tellus, & animalium mater,quibus vis ignea viuendi in cauſa ſit. Virgo porrò Veſta inducitur, quòd continua motio nihil gignat.& idcirco hæc dea à virgine cuſtodiebatur, vt Phurnutus ait.M.Tullius ſecundo de Nat.deorum:Veſtæ, inquit, nomen à Græcis.ea enim eſt,quæ ab illis ἑςία dicitur.vis autem eius ad aras & focos pertinet.Idem in lib.de Legib. Veſtam,ait,quaſi focum vrbis,vt Grȩco nomine eſt appellata,quod nos propè idem Græcum interpretatum nomẽ tenemus.Quare mihi mirũ valde eſt,Philelphũ octauo Pædiæ Xenephontis illud vertiſſe latinè,Lari Cyrũ ſacrificaſſe,&c.quod eſt Grȩcè, πρῶτον μὲν ἑςίᾳ ἔθυσε. id eſt,primum quidem

quidem Veſtæ ſacrificauit. Diſputat longo orationis ductu Dionyſ. Alicarnaſ. libro ſecundo Hiſtoriarum, de Veſta Romanorum dea, à quo primùm inſtituta, Romulóne an Numa: deq; Veſtalibus, Sex Veſtæ ſacerdotes, ſcribit Feſtus, conſtitutæ erāt, vt populus pro ſua quiſque parte haberet miniſtrum ſacrorum, quia ciuitas Romana prius in ſex erat diſtributa partes: ſed pòſt tamen plures fuiſſe legimus. Scribit Gellius, quòd virgo dum à pontifice caperetur, Amata appellabatur, ea ratione, quòd quæ prima capta fuit, hoc nomine fuerit. Plut. tamen in Numa, primò Geganiam, & deinde Beremiā & Camillam & Tarpeiam captas, dicere videtur. Sed tu ſi ſcire cupis, virgo Veſtæ quid ætatis, ex quali familia, & quo ritu, quibúſq; cerimoniis & religionibus, quo cognomine à Pont. Maximo caperet, & quo ſtatim iure eſſe inciperet, ſimulatq; capta eſſet: quódq; nec inteſtato cuiquam, nec eius inteſtatæ quiſquam iure hæres eſſet, lege Gellium libro primo, qui ex Antiſtio Labeone & aliis pleraq; omnia retulit. Veſtā de numero penatum deorum, Macrob. in tertio eſſe ait, aut certè eorum comitem, adeò vt & Conſules & Prætores & Dictatores cùm inirent magiſtratum, Lauinij rem diuinam faciebant Penatibus pariter & Veſtæ. hinc Vergilius ex perſona Hectoris dixit,

Sacra ſuóſq; tibi commendat Troia Penates. Mox adiecit:
Sic ait, & manibus vittas, Veſtámq; potentem,
Aeternumq; adytis effert penetralibus ignem.

Sed cùm Veſta ignis putaretur, Virgo etiā dicebatur: vnde & virgines eius iure miniſterio adhibebantur; quæ ſacrum ignem cuſtodirent, Veſtales (vt diximus) appellatæ: quas detonderi ſolitas, vt nunc quas Moniales appellat vulgus, ex eo pleriq; arbitrati ſunt, quòd XVI Nat. hiſt. Plin. ſcribit. Antiquior, inquit, lotos eſt, quæ capillata dicitur, quoniam virginum Veſtalium ad eam capillus defertur. quibus verbis id aſtruere conantur, nec ego reclamo: præſertim etiam cùm Gellius de Diali flamine illud citet, Vnguium Dialis & capilli ſegmina ſubter arborem felicem terra integunto. Sextus etiam Pomp. Feſtus, Capillarem arborem ea ratione dictam exiſtimauit, quòd in ea attonſus capillus ſuſpenderetur. Veſtam, vt Alexand. ait, virginis ore tympanum geſtantis, quòd ſcilicet ventos terra cōtineat, quidam effinxêre. at alij templum cum ara in eius medio, & igne accenſo. Sed hæc à me parum probātur. Inter Veſtales verò, quæ leuiter deliquiſſet, verberibus à Pont. Max. cædebatur. Sin parùm caſta fuiſſet, conuicta, viua defodiebatur, nec igne abſumebatur, vt pluribus Plut. in Quæſt. oſtendit. Nam ſanda pila ad portam Collinam, ceu mortua efferebatur, cū propinquorum ſuorum luctu, ſequentibus mœſto cum ſilentio pontificibus & ſacerdotibus. Prope portam locus fuit ſubterraneus, in quem ſcalis quibuſdā deſcendebatur. in eum locum ſolam virginem demittebant, & ſcalæ auferebātur, locúſq; ipſe occludebatur, in quo ne fame necari videretur, panis, lactis, & olei nonnihil apponebatur, vnáq; ardens lucerna: quibus peractis, ſacerdotes aliiq; diſcedebant. eo die iuſtitium erat in vrbe, & mœror pauórque non exiguus: magnum enim aliquod malum ciuitati portendere putabant, Veſtalium ſupplicium. Scribit Seruius lib. vndecimo Aeneid. Imperatores & virgines Veſtæ in ciuitate ſepultos fuiſſe, quòd legibus nō teneretur. Idem & Plut. in Cauſis. quinetiam, ait Seruius, nocentes virgines licet viuæ, tamen intra vrbem in campo Scelerato obruebantur. Illud etiam apud ſcriptores proditum obſeruaui, extincto igne Veſtales à pontifice verberari ſolitas. quibus mos erat, tabulam felicis materiæ tam diu verberare, donec ignis conciperetur, qui cribro aheneo in ædem à virgine deferebatur: quotannis tamen & nouus ignis excitabatur à Veſtalibus, ſicut & à noſtris in cærei Paſchalis (qui dicitur) conſecratione. Ouidius in Faſtis,

Adde quòd arcana fieri nouus ignis in æde

Dicitur, & vires flamma refecta capit.

Sed ad Veſtam ipſam reuertamur. Scribit Diod. in Bibliothecæ libro quinto, vbi Cretica explicat, ex Saturno & Rhea ſex natos filios, Veſtam, Cererem, Iunonem: mares, Iouem Neptunum, & Plutonem. Idem in Faſt. Ouid.

Ex ope Iunonem memorant, Cereremq; creatam,
Semine Saturni, tertia Veſta fuit, &c.

Orpheus quoque in hymno ipſius, cui adolet aromata, Veſtam filiam canit potentis Saturni. harum vtique Veſta fertur ſtructuram domus inueniſſe. Martianus, Veſtam ait Magnæ matri adhæſiſſe, quòd Iouis nutrix fuerit, ſuóque illum ſuſtentaſſe gremio, cùm à matre occultatus nutriretur. Sed Lactantius ait Veſtam Vrani, id eſt Cœli vxorem, his verbis: Legi in Sacra hiſtoria, Vranum potentem virum Veſtam habuiſſe coniugem, &c. quibus verbis quidam duas Veſtæ nomine fuiſſe credunt. At verò Fabius Pictor (ſi legitimus, vt alibi dixi, liber eſt, qui legitur) Veſtam tradit Iani vxorem fuiſſe, quæ prima ſacrorum regina, ſempiternum ſacrificiorum ignem virginibus credidit. Myrſilus verò Lesbius, Veſtam ait Labith horchiam dictam, Tyrrhenorum lingua. Labiti quoque, ait Herodotus, à Scythis vocata eſt. Quo magis mihi mirum viſum eſt, in Commentariis in poeticam Horatij, qui Parrhaſij nomine editi ſunt, ita ſcriptum eſſe: Scythæ Gongoſiron Apollinem vocant, Neptunum Thageſmana, Venerē Argenpaſam, Argempaſam, vel Artinpaſam, vt in aliis codicibus legitur. Extat & inſcriptio apud B. Aegiū Græca, in qua bis ΑΡΤΙΜΠΑΣΑ vocatur: Veſtam Tamuti. cùm legendum ſit: Scythæ Oetoſyrin Apollinem vocant, Neptunum Thagymaſa, Venerem Arginipaſa, Veſtam Labiti, atq; ita rectè Græco & Latino legi codice. Sed huiuſmodi errata ſunt in editorem, quàm in auctorem, referenda potius: tametſi & apud Origenem libro ſexto, ſimili modo corrupta legantur. Scribit Phurnutus in fabulis traditum, Veſtam eſſe primam genitam, & poſtremam, quoniam ex terra cuncta nata, & in terram reſoluuntur. & propterea Græci ab ipſa ſacra incipiebant, & in eam deſinebant. Sed enim non Romanos modò, ſed aliquot alias nationes ſacrum ignem publicè cuſtodiſſe legimus. Nam Athenis in Prytaneo ignis ſempiternus aſſeruabatur, nō à virginibus, ſed (vt ait Plutarch.) à mulieribus iam matrimonio ſolutis. Strabo libro nono, Poliadis Mineruę templum in ſaxo vetuſtum ſcribit, in quo lychnus inextinguibilis, & virginū domus, id eſt παρθενών, quam Ictinus condidit, vbi Minerua Phidiæ opus eburneum fuit. Aegyptij quoque ignem ſeruabant, vt teſtatur Diod. Quin etiam Delphis. Perſæ quoque ſumma religione, vt notum eſt, ignem cuſtodiebant, & venerabantur. qua de re contentus ero verbis Procopij hiſtorici, ex ſecundo libro belli Perſici, cum Coſdroe in Romanorum agrum inuadere conſtituiſſet per Perſarmenios, ita ſubdit: Hic magnum Pyreum eſt, quod Perſæ deorum maximè venerantur, vbi ignem perpetuum cuſtodiunt magi: ac alia quidem diligenter ſacrificantes, cum vaticinio in rebus maximis vtuntur. Hic eſt ignis, quem Veſtam olim Romani vocabant. hæc quidem Procopius. Strabo verò libro decimoquinto, de Cappadocia agens, ſcribit, apud eos magos fuiſſe multos, quos Pyrethos vocabant. tum illud ſubiungit: Suntq; Pyrethia ſepta ingentia, in quorum medio ara eſt: in ea magi & cinerem multum, & ignem inextinguibilem ſeruant, quò quotidie ingreſſi imprecationes faciunt. Illud in commentariis Græcorum legitur, ignem cœlitus in agrum Argiuum primùm decidiſſe, qui in Apollinis templo ſeruabatur, quod Argis fuerat in foro conſtructum: in quo ſi quando extingueretur, vt Athenis accidit Ariſtone tyranno, & Delphis templo à Medis incenſo, & Romæ Mithridatico & ciuili bello: tum verò fas non erat ex altero igne ſuccendere, ſed nouum elicere oportebat. ex ſole accendebatur flamma pura: certáque ratione vaſa ſcaphia parabant, cauata, in quæ ſolis radij excepti, in fomite arido

ignem iniiciebant. Sed & aliàs elicit̃ ignis ex ſole & ſpeculo, vel ex vitrea phiala, aqua gelida plena. & de his ſatis.

Βυλαῖα ἑςία, hoc eſt, conſiliatrix Veſta cognominata eſt, cuius ita Dinarchus orator meminit: μαρτύρομαι τὴν ἑςίαν τὴν βυλαίαν: id eſt, teſtor deam Veſtam conſultricem. Dicta verò, quòd in ſenatu, hoc eſt, ἐν τῇ βυλῇ eſſet conſtituta. Val. Arpocration. Thręcia, id eſt, θρᾳκια, Veſta etiam, teſte Heſychio, eſt appellata.

Pingebatur verò Veſta mulieris forma ſedentis, & geſtantis tympanũ, quòd terra ventos intra ſe contineat. Et Romani eius ædem rotundam conſtruxêre, in cuius medio ſeruaretur ignis, qui & à pleriſq; in terræ medio eſſe traditur. Phurnutus & ipſam Veſtam rotundè effingi ſolitam prodit, atq; ita per medios humeros conſtitui, quòd & ipſa taliter ſtatuatur conſtricta, vel coagulata. vnde & χθὼν, terra vocatur: fortè quod terra capiat omnia, hoc eſt, ἀπὸ τοῦ χεῖσθαι, ſiue ἀπὸ τοῦ χωρεῖν. Porrò & albis & candidis ſertis coronari dicebatur, eadẽ ratione, quòd terra vndiq; ab albiſſimo elemento ambiatur, aere ſcilicet. Sunt qui deam ſupra pinnaculum templi ſtatuant, vt ſcribit Albricus, qui auctor mihi proletarius eſt, nec fidus ſatis. Porrò duas Veſtæ nomine quidam ſtatuunt, alteram Saturni vxorem, alteram filiam: hanc ignis, illam terræ ſymbolum gerere, vt antè meminimus.

Libet in fine huius capitis de Veſta & Veſtalibus, quod nunc ſuccurrit, tibi aſcribere de Caſſandrę templo, quod in Italia fuit propè Salpem paludem, & oppidum Dardanium dictum, vt ait Lycophron: in quo templo ſi quæpiam virgo accola, virginitatis amore nuptias ſpreuiſſet, ſiue ob deformitatem, ſiue aliam ob cauſam virum peroſa confugiſſet, ſui poſthac iuris erat, & inde inuitam abducere ſummum fuit nefas. Hæc poſtmodum comas detondebat, atráſque veſtes induebatur, faciémq; coloribus quibuſdam deturpabat, vt deformior eſſe videretur, atq; ita in virginitate perſeuerabat. Hoc ea cauſa aſcripſi, vt nos noſtrarum ſacrarum virginum pudeat, quę plerunq; inuitæ in clauſtra & ſepta coercentur, nedum ſponte ipſæ illuc confugiant.

IANVS. VERTVNVS.

IAnus antiquiſſimus Italiæ deus habitus, & Latij rex: vnde Ianiculum collem & oppidũ dictũ, notius eſt quàm vt hîc pluribus referamus. Hinc Vergilius,

Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit vrbem:
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Dictus verò Ianus, vt Cicero & Macrobius tradunt, ab eundo, quòd cœlum & tẽpus ſemper eat: vel quod ianuis præſit, vt Ouidius docet. Feſtus, vbi Chaos ex Heſiodo deſcribit: Chaos, inquit, ex eo quod χαίνειν Græci, id nos hiare dicimus: vnde Ianus detracta aſpiratione nominatur, id quod fuerit omnium primum, cui primò ſupplicabant velut parenti, à quo rerum omnium factum putabant initiũ. Arnobius quoq; inter multa: Incipiamus, inquit, & nos ab Iano patre: quem quidam ex vobis mundum, annum alij, ſolem etiam prodidêre nõnulli. & paulo pòſt: Quem ferunt Cœlo & Hecate procreatum, in Italia regnaſſe primùm, Ianiculi oppidi conditorem, patrem Fonti, Vulturni generũ, Iuturnæ maritùm, quémq; in cunctis anteponitis precibus. Martianus tamen Argionã vxorem Iani dixit, Græci verò Cameſen ſororem & vxorem ſcribunt, quos ſecutus Leon. ex ea prodit Cliſthenen filiam ſuſtuliſſe: tametſi Cato & F. Pictor Cameſen principem cum Saturno commemorent. Sed auctor hic vterque non modò ſuſpectus, ſed & apocryphus. Effingebatur Ianus ab antiquis variè. nam & biceps, & quadriceps, vt oſtendam, formabatur. vnde & eius quædam deducta cognomina. Plinius libro trigeſimoquarto, Ianum à Numa rege dicatum ait, digitis ita figuratis, vt CCCLXV nota per ſignificationem anni, temporis & ęui, ſe deum indicaret. Plinij quædam exemplaria CCCLV tantùm lectionem ha-

bent. Sed cùm Macrobius de hac eadẽ,vt opinor,ſtatua agat in primo,& idem CCCLXV legat,plura hîc non comminiſcar,cùm multa poſſem. Macrobij hęc ſunt verba: Inde,inquit,plerunque Iani ſimulachrum fingitur manu dextra trecentorum, & ſiniſtra ſexaginta & quinque numerũ tenens, ad demonſtrandam anni dimenſionem,&c. ex Plinij verbis,& Macrobij,planè percipimus,ita figuratum Ianum fuiſſe,vt manibus & digitis, hoc eſt, eo numerandi ordine qui per articulos manus fit,ab vnitate vſque ad nonageſimumnonum,manu ſiniſtra numeratur: à centenario verò numero dextra computatur, vt planius ex Beda & Iſidoro,aliiſque cognoſcimus,ſed & noſtro nos Annotationum dialogo primo oſtendimus. non igitur Ianum ipſe intelligas in manu habuiſſe has Græcas numerorum literas, τ' dextra, & ſiniſtra ξε, ſed ita compoſitis & complicatis manuum articulis, vt id ſignificaretur. qua in re viri alioqui eruditi quidam decepti,qui ea cauſa ideo fortaſſe hallucinati, quòd Ianuarij ſimulachrum cùm Suidas deſcribat, perperàm ab eis exponitur. Ita ergo Suidas, meis verbis: Ianuarius ſimulachrum quadriforme, propter quatuor τροπὰς, id eſt anni conuerſiones,ſeu partes. Alij autem effingunt ipſum, in dextra manu tenentem clauem, vt temporis principium, ac anni recluſorem, ianitorémque: alij verò in dextra CCC, ſiniſtra quinque & ſexaginta continentem,vt annum ſignificet. hæc Suidas.quibus quidem verbis non ſubinfertur,quod illi putant,quòd has numerorum notas manu contineret: ſed eum numerum, quem nos oſtendimus,per manuum articulos exprimebat. quandoquidem & Macrobius planè oſtendit, tribus his modis, & pluribus etiam, Ianum ab antiquis effingi ſolere. Obſeruamus & apud F.Pictorem, Ianum etiam ſic formatum, vt in manu virgam & clauem, & ſub pedibus biſſenas aras haberet. idq; ideo factum, quòd primus valuas,ſeras & claues excogitarit: & ab eo propterea dictas ianuas. Duodenas etiã colonias dederit, & totidem pomœria, aráſque ſacrarit. Macrobius etiam cum claui & virga effictum ait, quaſi portarum eſſet cuſtos, & rector viarum. Porrò deſcribitur Iani templum à Procopio in hiſtoriis ad ſua vſq; tempora, hoc eſt Iuſtiniani Cæſ.Imp. Vnde & Ianũ quidam in throno ſedentem ſtatuunt, & ante ipſum templum nunc clauſum,nunc apertum. Ianum quoq; coronarum inuentorem veteres exiſtimauêre, id quod Dracon Corcyræus apud Athenæum pluribus docet, & nos ab eo in noſtris Nauigiis. Porrò & ab Iano, Ianualis porta Romæ dicta fuit: de qua poſt Feſtum Valturius libro 9.

Bifrons, & quadrifons, Ianus & fictus & nuncupatus. Vergilius in duodecimo Aeneid.

——Mare,ſidera,iuro,
Latonæq; genus duplex, Ianúmq; bifrontem.

Et quidem bifronti Iano, Seruius ait, Romulum & T.Tatium, cùm in fœdera conuenirent, ſimulachrum duplicis frontis effeciſſe, quaſi ad duorum populorum imaginem. Dictus eſt etiam Ianus Geminus, quòd præterita & futura reſpicere exiſtimaretur. Ouid.

Iane biceps,anni tacitè labentis imago,
Solus de ſuperis,qui tua terga vides.

Quin & in vetuſtis quibuſdam nomiſmatibus adhuc biceps cernitur. Sed & Plutarch.cur biceps effingeretur,in cauſis Romanorũ capitum pluribus ediſſerit.ait enim,cùm ipſe Ianus Perrhębus eſſet,pòſt cùm in Italiã veniſſet,linguã & viuẽdi rationem immutaſſe: vel quod Italos,cùm agreſtes ac barbari eſſent, eos ad manſuetiorem vitã, & rempub.adminiſtrandam pellexiſſet. Seruius item in illo poetæ Vergil. libro ſeptimo, Sunt geminæ belli portæ, &c. Sacrarium, inquit, hoc Iani Numa Pompilius fecerat circa imum Argiletum, iuxta theatrum Marcelli, quod fuit in duobus breuiſſimis templis. duobus autẽ, propter Ianum bifrontem. poſtea captis Faliſcis, ciuitate Thuſciæ, inuentum eſt ſimulachrum

Iani

Iani cum frontibus quatuor. vnde quod Numa inſtituerat, translatum eſt ad forum tranſitorium, & quatuor portarum vnum templum eſt inſtitutum.

Quadrifrons ergo, & Quadriceps Ianus vocatur, id quod & Mart. innuit illo hendecaſyllabo:

Et lingua pariter locutus omni.

Nam omnes de duobus, ait Seruius, non dicimus. Scribunt Plutarchus & Critolaus, qui Phænomenon lib. compoſuit, Saturnum à Latino quopiam agricola hoſpitio ſuſceptum, eius filiam Oenotriam vitiaſſe: quo partu natos ferunt, Ianum, Hymnum, Feſtum, & Felicem, quibus Saturnus pater ferendæ vitis & vini conficiendi rationem oſtendit, eiúſque muneris vt alijs auctores eſſent, permiſit. hinc ergo finitimi agricolæ, cùm vinum guſtaſſent, inconſuetæ potionis vi diu graui ſomno preſſi iacuêre. mox expergefacti, & ſibi venenum propinatum ſuſpicantes, Ianum eius inuentorem ſaxis & lapidibus obruerunt. cuius filiæ puellæ patris interitu mœrore percitæ, laqueo vitam finiuêre: quas in cœlũ omnes ſuſtuliſſe Saturnum tradunt, appellatáſque προτρυγητῆρες, quòd earum ortus vindemiam præcedat. verùm multo pòſt tempore laborantibus peſtilentia Romanis, Apollinis oraculum reſpondit: Non antea peſtilentiam ſedandam, quàm Saturni ira expiaretur, quam ex filij nece conceperat. hinc Lutatius Catulus ędem Saturno in rupe Tarpeia conſtruxit, Ianúmque ſacrauit quadrifrontem: ſeu à puellarum numero, quę patri laqueo & ſpiritu parentauerant: vel à quatuor anni temporibus. Alij ideo Ianum quadriformem dictum prodiderunt, quòd vniuerſas orbis partes ſua maieſtate complexus ſit, ipſáſque conſpiciat. plura Macrobius in Saturnalibus, & D. Auguſtinus in 7. de Ciuit. Dei. Seruius, captis Faliſcis, vt diximus antè, tale ſimulachrum inuentum tradit.

Sed audi vanitatem longè etiam Iano Romano vaniorem. Iudæorũ rex Manaſſes ſtatuam ſibi quinqueformem, hoc eſt, vt Græci ſcribũt, πεντεπρόσωπον poni curauit. Sanè quadrifrontem Ianum Romæ in Velabro eſſe, exiſtimant antiquitatum eruditi, non quidem à Numa erectum, ſed poſtea reformatum. fermè enim integrum hoc tempore cernitur, cuius teſtudo quatuor columnis pilatis ſuſtentatur, quatuor perurijs ianuis, in ſingulis verò loculamenta 12, tanquã feneſtellæ, in quib. ſtatuæ reponerentur. has quidam exiſtimant 12 menſium habere ſignificationem, quod & Ianum annum ipſum ſignificare iam ſuprà dictum eſt. Varro quoque in lib. Humanarũ ſcribit, duodecim aras antiquos poſuiſſe Iano, pro totidem menſibus. Quin & Ianus item Iunonius dictus fuit, quod omnium menſium ingreſſum teneret, vt etiam Iuno. Libet hîc tibi annotatiunculam meam aſcribere, vt ſcriptorũ aliquot loca, quàm hactenus expoſita, melius intelligantur. Verba hæc Suetonij ſunt in Domitiano: Ianos, inquit, arcúſque cum quadrigis & inſignibus triumphorum, per regiones vrbis extruxit. hæc Suet. T. Liuius libro 1. quintæ Decad. Et forum, inquit, porticibus taberníſque claudẽdum, & Ianos tres faciendos. quibus ſcriptorum verbis id ſignificari videtur, quod & hoc tempore in celebritatibus & pompis à regibus & principibus, Rebúſque publicis fieri conſpicimus. vt his ipſis, quibus hęc ſcribimus, diebus Hercules II. Ateſt. Dux noſtræ vrbis IIII. egit in lætitiam, dum PAVLVM III. P. M. hoſpitio ſuſcepit. Qua de re ego, eo ſpectaculo priuatus ob articularis morbi infirmam valetudinem, quodam ad Barth. Riccium hendecaſyllabo inter cætera ita luſi:

Non Vrbis mihi templa, non theatra,
Non prætoria celſa ſpes videndi,
Non arcus, tibi, peruioſque Ianos,
Qui nunc Maxime PAVLE conſtruuntur,
Non pompam, reliquum nec apparatum,
Vt hac magnificè hoſpiteris Vrbe, & reliqua.

Vocantur igitur Iani numero plurium, huiuſmodi ædificia quadriformia &

peruia, ſeu ſtata illa & lapidea, ſeu ex materia pro tempore excitata, vt ex ſuprà recitatis Liuij & Suetonij verbis audiuiſti. Sed & M. Ciceronem attende lib. de Nat. deor. 2. Cúmq; inquit, in omnibus rebus vim haberent maximam prima & extrema, principem in ſacrificando Ianum eſſe voluerunt, quod ab eundo nomen eſt deductum: ex quo tranſitiones peruiæ Iani, foréſq; in liminibus profanarum ædium ianuæ nominantur. hæc Cicero. P. Victor in octaua vrbis Romæ regione, hoc eſt in foro Romano: Iani, inquit, duo celebris mercatorum locus. nam argentarij ac numularij, cæteríq; eiuſmodi in Ianis nuncupatis, qui & ab aliquibus Vertuni dicti ſunt, ſuam artem exercere ſolebant, vt ex diuerſis auctoribus colligi poteſt. Horatius: Poſtquàm res mea Ianum Ad medium fracta eſt. Idem: Ianus ſummus ab imo Perdocet. Ouid. Cùm tot ſint Iani. & illud: Ad medium Ianum ſedentibus. M. Cic. Philippica ſexta, ſtatuam ridens poſitam L. Antonio cum hac inſcriptione, L. ANTONIO, IANO MEDIO, PATRONO. PO. ROM. XXXV. Trib. Poſ. Non poſſem, inqt, ſine riſu dicere, L. Antonio Iano medio patrono. Itáne? Ianus medius in L. Antonij clientela ſit? quis vnquã in illo fano inuentus eſt, qui L. Antonio M. nummũ ferret expenſum? Aliqui tamen fœneratorum locum ſignificare autumant: ſed omnino ad verſuram faciendam, & res contrahendas ſpectabant. ideo P. Victor, mercatorum celebrem locum appellauit.

Clauiger Ianus appellatus eſt, vt ſuprà oſtenſum eſt, quòd cum claue & virga formaretur. Cluſius præterea Ianus, & Patulacius, & Conſuuius cognominatus. Ouid. in Faſtis:

Nomina ridebis, modò namq; Pacultius idem:
Et modò ſacrifico Cluſius ore vocor.

à claudendis videlicet, & patefaciendis Iani portis, de quibus poeta in ſeptimo Aeneid.

Sunt geminæ belli portæ (ſic nomine dicunt)
Relligione ſacræ, & ſæui formidine Martis.
Centum ærei claudunt vectes, æternáq; ferri
Robora, nec cuſtos abſiſtit limine Ianus.
Has, vbi certa ſedet patribus ſententia pugnæ,
Ipſe Quirinali trabea, cinctúq; Gabino
Inſignis reſerat ſtridentia limina conſul.
Ipſe vocat pugnas, ſequitur tum cætera pubes.

Idem libro primo:

——Diræ ferro & compagibus arctis
Claudentur belli portæ, Furor impius intus
Sæua ſedens ſuper arma, & centum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

Hinc audio, hoc anno, quo omnia bello feruent inter Cęſarē & Gallorũ regem, Romę Paſchillũ, templũ hoc Iani recluſum effinxiſſe, & catenis ſolutũ Furorē pręcipitē exire, hincinde poetis de more vaticinãtibus. Porrò hoc Iani templũ ter cõſtat fuiſſe clauſum, vſq; ad tēpora aduentus Chriſti ſeruatoris: primùm regnãte Numa Põpilio, deinde poſt bellum Punicũ primũ, tertiùm poſt bella Actiaca, quæ confecit Auguſtus. Huius autē aperiendi vel claudendi ratio varia refert. Alij dicuut, Romulo contra Sabinos pugnãte, cùm in eo eſſet vt vinceret, calidam aquam ex eo loco erupiſſe, quæ fugauit exercitũ Sabinorum. hinc ergo tractum morem, vt pugnaturi aperirent templum, quod in eo loco fuerat conſtitutũ, quaſi ad ſpem auxilij priſtini. Alij dicunt, Tacium & Romulum facto fœdere hoc templum ædificaſſe. vnde & Ianus ipſe duas facies habuiſſe dictus, quaſi oſtenderet duorum regum coitionem: vel quòd ad bellum ituri, debeãt de pace cõgitare. Aliam meliorem affert Seruius rationem, quòd ad prælium euntes, optant reuerſionem.

Conſuuius Ianus dictus eſt, vt Macrobius tradit, à conſerenda ſcilicet propagine generis humani, quæ Iano auctore conſeritur.

Quiri-

Quirinus etiã pater Ianus vocatus eſt, quaſi bellorum potens, ab haſta quam Sabini curin vocabãt. hinc & Curitis Iuno, vt pluribus ſuo loco dicemus. Quin etiam & Iunonius Ianus dictus eſt, teſte Macrobio: quòd ita huic deo Iano omnis ingreſſus eſt dicatus, vt Calendæ omnes menſis Iunoni. Sed & Varro lib. 5. Rerum humanarum, Iano ait duodecim aras pro totidem mẽſibus dicatas: quas aliter tamen, vt paulò antè diximus, F. Pictor interpretatur. Scribit Macrobius, quòd Iano primus anni mẽſis à Numa rege attributus ſit, quòd proſpiciat & reſpiciat præterita & futura.

Matutinus deus etiam Ianus dictus eſt ab Horatio, in hoc,

Matutine pater, ſeu Iane libentius audis,
Vnde homines operum primos, vitæq; labores *Inſtituunt.*

Sic verò dictus, quòd ſit diei dominus, vt ait Seruius, in quo ortus & occaſus. Pater autem eſt appellatus, vt etiã Macrobius notat, quaſi deorum, vt ait, deus. A Græcis etiam dictus προπάτωρ, vt in illo hymno qui κοινός, id eſt communis dicitur, χαῖρ᾽ ἴανε προπάτωρ ζεῦ ἄφθιτε, &c. Nolo tibi nunc recenſere, quæ Ioãnes Annius commentus eſt, de Vadimone, & aliis nonnullis, quoniã eius hominis ſcripta mihi neſcio quo pacto doctrinam exoticam, ne ſuperſtitioſam dicam, redolere videntur. quis enim Nochum, ſeu Noa, Ianum fuiſſe exiſtimet? & Ianũ quis vitiferum, vel viniferum, ſignificare putet? At Ianuam Heſychius nunc Græcã, nunc Helenam eſt interpretatus.

Vertunus etiã Ianus dictus eſt, ſi F. Pictori credimus: ſi quidem, qui eius nomine circumfertur liber, legitimus eſt. ſic enim ſcibit: Imus Argiletus eſt, vbi Ianus quadrifons, qui & Vertunus, in fine vici Thuſci, &c. Idem fermè & Varro, & P. Victor, Aſc. Pæd. in vltimo thurario tradit. Ouid. in 1. Faſt. ita canit:

Quicquid vbique vides mare, cœlum, nubila, terras,
Omnia ſunt nõſtra clauſa, patentq; manu.
Me penes eſt vnum vaſti cuſtodia mundi,
Et ius vertendi cardinis omne meum eſt.

Licet de Iano dictum ſit. Tibullus in vltimo:

Talis in extremo felix Vertunus olympõ,
Mille habeat formas.

Vel vt alij legunt,

Mille habet ornatus, mille decenter habet.

Non conſtitutũ habeo, an apud Feſtum legẽdum ſit pro Portunno, Vortunnum, cùm cætera Iano vel Vertunno conueniãt, vt clarius in Portunno dicam. Vide integram de Vertunno elegiã Propertij libro quarto, in qua poeta recenſet doctè, quis deus eſſet Vertunus, & qualis, & vnde nuncupatus. quo in loco interpretes, Beroaldus & Volſcen. ex variis auctoribus plura attulerunt, quæ hîc ego conſultò prętereo. Meminit præterea Varro, & Horatius, qui à Iano diuerſum facere videtur in 1. Epiſtolarum,

Vertunnum, Ianúmq; liber ſpectare videris.

Putauit Acron, Vertunnum deum fuiſſe, qui præeſſet ſenſibus. ſcribit verò Donatus in Terentij commentariis, emanaſſe ab hoc deo illud quod dicimus, vel bene, vel male vertat. Vertunnus, inquit, deus dicitur, qui rebus ad opinata reuertentibus præeſt. Sæpe autem malè cedit quod bonum putatur, & hoc eſt malè vertiſſe: vt ille gladius qui muneri datus, adminiculum fuit reginæ pereunti. de quo Vergilius,

——Enſemq; recludit
Dardanium, non hos quæſitum munus in vſus.

Hæc quidem ille in Adelphis, qui nec procul, nec abſimilia repetit. Huius dei vxorem fuiſſe Pomonam, de qua alibi ſum locutus, fabulati ſunt poetę. Non defuerunt qui Vertunnum Hetruriæ regem prodiderint. ille ſe Volſinium vocat apud Propertium:

Thuſcus ego, Thuſcis orior, nec pœnitet, inter
Prælia Volſinios deſeruiſſe focos.

Fuit & Voltunna, vel Vulturna, celebris Hetruſcorum dea, ad cuius fanum frequens Hetruſcorum concilium haberi ſolebat. eius non ſemel meminit T. Liuius in prima Decad. cuius tamen exemplaria variant. Huius deæ fanum prope Volſcinios non procul à Ciminio monte & lacu fuiſſe, viri antiquitatum periti exiſtimant, quo facilior eſſet aditus toti Hetruriæ. A Vertunno quidem Vertunnalia dies feſtus, qui menſe Octobri celebrabatur, Vertunni feriæ, vt ait M. Varro.

SYNTAGMA QVINTVM, AD EVNDEM D. BERNARDVM BARBVLAEVM.

NEPTVNVM à nubendo dictum putauit Varro, quòd nubat, id eſt operiat terras: quod idem ſcribit Arnobius. At M. Cicero à nando vocatum exiſtimauit. à Græcis ποσειδῶνς dictus, quòd pedibus terram quatiat: à πoὺς videlicet, id eſt pes: & σέω, quatio: & δᾶ, pro γῆ, doricè, id eſt terra. Socrates verò apud Platonem in Cratilo, nunc dictum ait quaſi ποσὶ δεσμὸν, hoc eſt, pedibus vinculum: quia pedibus eunti, maris natura ne procedat, impedit: nunc quaſi πολλὰ εἰδῶν, id eſt multa videns. vel, inquit, fortaſſis ab eo quod dicitur σείειν, id eſt quatere. σείων enim, id eſt quatiens eſt nominatus, cui π ac δ fuit adiectum. Alij dictum putant à πόσις, id eſt à potione, quod Neptunus ſymbolum gerat aquæ, quæ mortalibus prima potio fuit. Sed & Fulgentium audiamus (quamuis hic auctor non omnino mihi, vel fide rerum, vel loquendi proprietate ſatis probatus, vtcunque tamen audiendus:) Neptunum, inquit, tertium aquarum eſſe voluerunt elementũ, quem ideo Græci & ποσειδῶνα nuncupãt, quaſi ποιὸν εἰδῶ, quod nos Latinè facientem imaginem dicimus: illa videlicet ratione, quod hoc ſolùm elementum imagines in ſe formet ſpectantium, quod nulli alij ex quatuor competat elementis: quamuis ſpecula & ſpecularia imagines repræſentẽt, alia (vt creditur) ratione. Tridentem verò ob hanc rem ei fortè appingunt, quòd aquarum natura triplici virtute fungatur: id eſt, liquida, fœcunda, potabili. Hinc & Neptuno Amphitriten in coniugium deputant. ἀμφὶ enim Græcè circumcirca dicimus, eo quòd omnibus tribus elementis aqua concluſa ſit: id eſt, ſit in cœlo, ſit in aere, itẽ in nubibus & in terra, vt fontes, putei. & hæc fermè Placiades. Scribit Herodotus in ſecundo, Neptuni nomen, id eſt Poſidonos, ab initio non fuiſſe apud Aegyptios: idque nomen ab Africanis eos audiuiſſe, deúmque putaſſe, verùm nullo honore cultum. Fuit autem Neptunus maris deus creditus: vnde illum poeticè Liquidum deum Propertius illo verſu vocauit:

Quæ voluit liquido tota ſubire deo.

Vidi & qui Poſidona eſt interpretatus, terræ maritum. Sanè & Neptuni amores fabuloſi quidam referuntur, vt quos Ero commemorat apud Ouidij Heroidas:

At tibi flammarum memori Neptune tuarum,
Nullus erat ventis impediendus amor.
Si neque Amymone, nec laudatiſſima forma
Criminis eſt Tyro fabula vana tui.
Lucidáque Alcyone, Ceyceque, & Amymone nata,
Et nondum nexis angue Meduſa comis.

Flauáque

Flauaq́ȝ Laodice, cœloq́ȝ recepta Celeno,
Et quarum memini nomina lecta mihi:
His certè pluréſq́ȝ canunt Neptune, poetæ,
Molle latus lateri conſeruiſſe tuo.

Sed & alios huius dei amores quos legimus, miſſos facimus: vt quos ridet Arnobius, Amphitrites, Hippocoontis, Menalippes, aliarum. Sed hoc loco libet tibi recenſere, quæ de Ammione in Fab. tradit hiſtoria, ab Hygino in Mythologico poetico, cap. CLXIX: Amimone, inquit, Danai filia miſſa eſt à patre aquã petitum, ad ſacrum faciendum. quæ dum quærit, laſſitudine obdormiit. quã Satyrus violare voluit. illa Neptuni fidem implòrauit. quod cum Neptunus fuſcinam in Satyrum miſiſſet, illa ſe in petram fixit. Satyrum Neptunus fugauit: qui cum quęreret in ſolitudine à puella, illa ſe aquatũ miſſam eſſe dixit à patre, quam Neptunus compreſſit. pro quo beneficiũ ei tribuit, iuſsitq; eius fuſcinã de petra educere. quæ cum eduxiſſet, & tres Silani ſunt ſecuti, qui ex Amimonis nomine Ammionius fons appellatus eſt. ex qua cõpreſſione natus eſt Nauplius. Hic aũt fons Lernęus eſt poſtea appellatus. Hucuſq; Hyginus. qui etſi alibi hãc eandem fabulam recitat, atq; alij pleriq;, volui tamẽ eam repetere ea de cauſa, quòd tres ſilanos commemorat: quod eſt vocabulum parum multis cognitũ, vt in quadam mea Annotatione oſtendi in Lucretium et Corn. Celſum. ſed ad reliqua, quę de Neptuno reſtant, accedamus. Scribit Gellius, antiquos vocaſſe Neptuni filios, immanes ac feroces homines, ab omniq; humanitate alienos, tanquã è mari genitos: cui & Seruius in 1. Aeneid. ſubſcribit. ait enim, de Harpyis agens, Neptunum prodigiorũ omniũ patrem: & perinde etiam factũ, vt quotieſcunq; deſunt parentes, redeamus ad generalitatẽ. Sic & peregrinos, Neptuni filios dicimus: quorum ignoramus parentes, vt etiã antè retulimus, Iouis & terræ filios. Sed enim & Phurnutus ait, propter maris violentiam omnes violenti & audacioris animi homines Neptuni filij vocati ſunt: vt Cyclopes, Leſtrygones, & Aloidæ. Donatus Neptunum ſcribit, quia medius eſſe putaretur inter cœlum et inferos, vtriuſq; regni participem fuiſſe, habuiſſeq; elementorũ potiorem partem. ideóq; tridentẽ habere, pro numero elementorũ: vnde & τριαινοῦχος, hoc eſt Tridentifer. quod & Proclus refert in Cratylum Platonis, vbi de fratrum trinitate agit. Phurnutus tamen in maris impetum retulit: ipſum lege. Pingebatur Neptunus & ipſe variis modis, nunc pacatus & tranquillus, nunc commotus, vt in primis in Homero & Vergilio poetis videmus: nunc nudus etiã cum tridente & concha, quo modo ipſe conſpexi: nunc in veſte cærulea, id eſt cyanea, vt Phurnutus ait. Lucianus in Sacrificiis, cyaneis capillis & nigris effingit. Sic tamen à Philoſtrato in Imaginibus, cum equis ſcilicet & cetis in mari tranquillo incedere. Sed & cũ buccino & fuſcina, qualem marmoreũ vidi. Scribit in Delphino Hyginus: Qui Neptuno, inquit, ſimulachrum faciunt, delphinum aut in manu, aut ſub pede eius conſtituere videmus, quòd Neptuno gratiſſimum eſſe arbitrantur. Scribit Plato in Critia, vel Atlantico, templũ amplitudinis eximiæ, & ſtructuræ admodum mirandæ: deúmque ipſum Neptunum curru inſiſtentem, & tenentem equorum alatorum habenas, laquearia alta ceruice tangentem. Hunc circa Nereidas delphinis inſidentes centum: tot enim eſſe putabantur. Martianus verò ita expreſſit: Maritima, inquit, inundatione viridior, coronam albidi ſalis inſtar candidam, atque ſpumarum caniciei concolorem habens. Nomiſmata ipſe duo conſpexi, alterum Veſpaſiani, alterum Adriani, quæ ambo habebant à tergo has literas, NEPT. RED. hoc eſt, Neptuno reduci. pulchra verò erat imago nudi ſtantis, in læui humeri tergo propendebat amictus, dextera trilorem ſcuticam, læua elatum tridentem tenebat. A Neptuno porrò Neptunalia dicta. huius enim dei VI feriæ, ait M. Varro. Gręci verò octauum cuiuſque menſis diem Neptuno ſacrum eſſe voluerunt, vt Plutarchus in Theſeo, & nos in Faſtis retulimus. Sed iam ipſius dei nomina interpretemur. Secũdus Iupiter aliquando

Neptu-

Neptunus vocatus eſt. Statius: Dextrámq; ſecundi, Quod ſupereſt, complexa Iouis. Vt Iupiter tertius, Pluto dictus eſt.

βασιλεὺς ποσειδῶν, id eſt Neptunus rex cognominatus eſt apud Trœzenios. nam cùm inter Neptunũ & Pallada certamen ortum eſſet de Trœzeniorum regione, Iupiter ſtatuit, vt amborum communis eſſet ditio: qua ex re Neptunus rex; & Vrbana Minerua, id eſt πολιὰς ἀθήνα, item fortis, id eſt Sthenias, dicti ibi fuêre. hiſtoriam in 2. Pauſan. pluribus exponit.

Tridentifer, & Tridentiger deus Neptunus dictus eſt. Ouidius in vndecimo Metamorphoſeos.

Cumq; tridentigero tumidi genitore profundi.

Hinc τριαινοῦχον Grçci nuncupant, id quod et in Scholiis Procli in Cratylum Platonis ſcribitur. Sed & εὐτριαίνης interdum dictus eſt, hoc eſt, tridente & fuſcina bonus. Quare verò fuſcina Neptuno attribuatur, præter quæ iam ex Fulgentio aſcripſi, pluribus etiam oſtenditur. vel quòd ea piſcatores vtantur, vel quod aptum ſit inſtrumentum ad mouendam terram. Iidem præterea Græci Neptunum ὀρσοτρίαιναν, id eſt Tridente furentẽ vocant. Pindarus, & ἀγλαοτρίαιναν, hoc eſt illuſtrẽ fuſcina. Legi & his diebus Græcum elegans epigramma, quod Corinthi in Iſthmo poſitum fuit, quo & τριαινοκράτορα appellatum obſeruauimus.

Μυκίταν Neptunum appellatum apud poetas, & Phurnutum, & grammaticos legimus, à mugitu, & maris (vt ſic dicã) boatu. quin & mare ipſum ſonorum vocant, & perſtrepens, ἀγάστονον, & πολύφλοισβον, ab ipſo ſtrepitu, quem nõ abſimilẽ à boum mugitu ipſum mare edere videtur. Sed & huic deo ταύρους παμμέλανας, id eſt tauros valde furuos nigróſue immolabant, vt etiam in De ſacrificiis Syntagmate dicemus. Hoc quidem loco Phurnutus ait, propter maris colorem. vnde etiam, ait, & illum κυανοχαίτην appellabant, quod cyaneas & cæruleas iubas haberet. Sed & fluuios ταυρώπους καὶ κερασφόρους, id eſt cornigeros & tauriformes interdum, eadem ratione appellatos videmus: tametſi aliter in Baccho relaturi. Quin & ſi Heſychio ſtamus, Neptunus ipſe ταῦρος & ταυρεὺς nuncupatus eſt, & ταυρεία ipſius dei celebritas, quod & Phauorinus probat. At verò in Scholiis ſcuti Herculis Heſiodi, ſuper eo verſu, καὶ ταύρεος ἐννοσίγαιος, ſcribit: ταύρεος epitheton Neptuni, Bœoticè, quòd ei deo tauri mactabâtur in Helicone: vel vt alij dicunt, in Oncheſto: idq; vel propter vndarũ fluctuúmq; ſonitum, ex quo etiam ταυρόκρανος, id eſt Tauriceps dictus eſt. Porrò ab eadem Oncheſti vrbe, idem Oncheſtius, vt Pauſan. docet, cognominabatur. Homerus,

ὀγχηστόν θ' ἱερὸν, ποσιδήιον ἀγλαὸν ἄλσος. hoc eſt,

Oncheſtumq; ſacrum, Neptuni ſplendida templa.

Proſclyſtius Neptunus hac de cauſa cognominatus eſt. Cùm enim Iuno & Neptunus de agro Argiuo contenderẽt, Inachus & alij electi iudices ipſum Iunoni adiudicarunt. at Neptunus grauiter commotus, agrum ipſum inundauit: qua ex re Iuno Neptunum rogauit, vt alluuionem reduceret. quod cùm ſororis precibus Neptunus delinitus feciſſet, Argiui in huius rei memoriam templum Neptuno conſecrarunt, quem ex re προσκλύστιον appellarunt. hiſtoria pluribus à Pauſan. recitatur.

Tænarius Neptunus dictus, vt Suidas & alij tradunt. Tænarus Laconiæ eſt promontorium, vbi ad inferos aditum eſſe putarunt veteres: in quo etiam fuit Aſphalij Neptuni templum, ad quod cùm Hillotes, id eſt ſerui Lacedæmoniorum ſupplices confugiſſent, eos Lacedæmonij nihil verentes, interemerũt: qua ex re impij habiti ſunt, & ſceleſti, quòd templi religionẽ violaſſent. Hiſtoriç meminit in primo Thucydides. vnde prouerbium, Tænarium malum, factum eſt, cùm maximum malum ſignificatur: quoniam atrociſſimè Lacedæmonij ſe geſſerunt aduerſus Hillotas ſupplices. A Tænaro etiam, vt Heſychius ſcribit, celebritas Tænarias: & Tænariſtæ, qui in ea exercebantur. Hinc igitur Tænarius Neptunus dictus. Poeta in Priapeis:

Vnde

Vnde Tænarus, æquoriſq́ regi. Propertius:

Non ſic Aemonia Salmonida mixtus Enipeo
Tænarius facili preſſit amore deus.

Ποντομέδων, id eſt Ponti rex, Neptunus cognominatus frequenter à Græcis, à noſtro verò poeta Ouidio rector pelagi ideo vocatus. ita enim canit: Mulcet aquas rector pelagi. Neptunus verò iratus Aeolo & ventis libro 1. Aeneid. apud Vergilium,

Non illi imperium pelagi, ſæuumq́ tridentem,
Sed mihi ſorte datum, &c.

Tenedius Neptunus. Strabo lib. 10. Tenus quoq, inquit, vrbem non ſanè magnam habet, verùm Neptuni fanum ingens in luco extra muros, ſpectatu dignum, in eo capaciſſima diſcumbentium conuiuarum ædificata triclinia: illud ſignum eſt, abundantem finitimorum multitudinem eò conuenire ſolitam, qui vnà Neptuni ſacrificia celebrantes epularentur.

Elytius Neptunus, & item Elymnius cognominatus, in Leſbo & in Eubœa inſulis, vt Heſychius teſtis eſt. Stephanus verò: Meſopotius, inquit, Neptunus, qui & Ereſius. Sic enim in Ereſo vrbe Leſbi colebatur, vt Callimachus in primo αἰτίων ſcriptum reliquit.

Conſus Neptunus à Romanis, qui & equeſtris, vocatus eſt, vt Liuius ſcribit. vnde dicta Conſualia, quæ primùm dicebantur, mox Circenſes, & ludi magni, & Romani, quorum apud ſcriptores crebra mentio habita. Conſum quidam conſilij deum ſcribunt, à quo Romulus conſilium de rapiendis Sabinis accèperit. & ideo etiam Auguſtinus in quarto de Ciuit. Dei, Conſum à conſilio dando denominatum ait. Et D. Cyprianus: Conſus, inquit, quem deum fraudis, velut conſiliorum deum coli Romulus voluit, poſtquàm in raptum Sabinarum perfidia peruenit. Arnobius in tertio, Conſum dictum putat, quòd ſalutaria & fida conſilia noſtris ſuggerat cogitationibus. & in contrarios exitus cur aſſiduè vertitur placitorum inopinata mutatio? Sed quòd Conſus Neptunus ſit, Auſonius oſtendit in Monoſyll.

Tum Iouis, & Conſi germanus, tartareus Dis. Idem alibi:
Cænea mutauit proles Saturnia Conſus.

Cuius Cænei fabulam habemus in Ouidij Metamorph. Sed de Conſo cætera proſequamur. Plutarch. cùm alibi, tum maximè in Romulo, Romulum ait cuiuſdam dei aram conditam ſub terram in Circo inueniſſe, eíque deo indidiſſe nomen Conſo, ſiue à conſilio, quòd conſiliarius foret: ſiue Neptuni equeſtris. arámq ipſam reliquum tempus latêre, in equeſtribus verò certaminibus aperiri. Sic verò & Dionyſius Alicarn. in primo Hiſtor. Dedicarunt, inquit, & Romani Neptuno equeſtri templum, atque diem illum ſolennem, quem Arcades Hippocratia, Conſualia Romani vocant, ijdem conſtituêre. quo in die apud Romanos ex conſuetudine ceſſant ab operibus equi, & muli redimiti floribus capita. Varro, Conſualia dicta ait à Conſo, quod tum feriæ publicæ ei deo, & in Circo ad aram eius à ſacerdotibus fiunt ludi illi, quibus virgines Sabinæ raptæ. Conſuales ludos ait Feſtus celebrari mulis ſolitos eſſe in circo maximo, quod id genus quadrupedum primò currui vehiculiſq adiunctum putetur. Idem tamen alibi, mulos Lunæ aſcribit. Sed enim de Conſo & Neptuno idem Alicarn. Dionyſ. lib. 2. clarius locutus eſt, cùm de Sabinarum raptu ageret. Sacratam autem, inquit, illam ſolennitatē nunc etiam Romani celebrant, & Conſualia vocant, in qua etiam ara ſubterranea cōſtructa iuxta Circum maximum circunfoſſa terra, ſacrificiiſq, & igneis ſolennitatibus colitur, curſúſq equorum iunctorum agitur, & non iunctorum. vocatur autem is deus, cui hæc ſacra peraguntur, Conſus à Romanis, quem quidam interpretantes in linguam Græcam, ποσειδῶνα & σεισίχθωνα eſſe dicūt, hoc eſt Neptunum & Terriquaſſorē: ac propterea ſubterranea

coli ara

coli ara eum tradunt, quòd hic deus terram habeat. Ego verò, ſubdit idem Alicarn. alterum quoque ſermonem audiui, quòd hi quidem dies feſti Neptuno agantur, quódque curſus & equites etiam huic deo fiant: ara verò poſtea genio cuidam arcano conſtructa fuerit, occultorum conſiliorum duci atque cuſtodi. Neptuno enim incerto, non domitori deo terræ, neque à Græcis, neque à Barbaris ara vſquam erigitur. hæc Dionyſius. Quidam ideo Conſum à Neptuno diſtingunt, ex his Dionyſij verbis, quòd ara quidem Conſo dicata fuerit, Neptuno verò templum. Ego nihil ſtatuo. memini tamē, cùm ego ingratis Romæ ætatem tererem, ad Palatij radices ponè Anaſtaſiæ templū, ſacellum effoſſum fuiſſe, quod tum pleriq; Conſi putarunt, id eſt Neptuni, propter frequentes cōchas marinas ibi repertas. vbi & effigies albæ aquilæ cum criſta rubra in ſacelli fornice ſeu teſtudine, quod tum pleriq; conſilij ſymbolum interpretabantur. & certè P. Victor in hac vrbis regione vndecima, id eſt in Circo maximo, ędem Conſi ſubterraneam ſtatuit. Sed & de hoc deo Seruius in octauo Aeneid. Conſus, inquit, deus conſiliorum, qui ideo templum ſub tecto in Circo habet, vt oſtendatur, tectum debere eſſe conſilium: hinc eſt quòd Fidei panno velata manu ſacrificabatur, quia fides tecta eſſe debet, & velata. ideo autem dicato Conſi ſimulachro rapuerunt Sabinas, vt tegeretur initum de rapto conſilium: vnde etiā in eius honorem Circenſes celebrantur. Conſualia hoc loco Seruius Martio menſe ſtatuit, Plut. Auguſto, vt in Faſtis notaui.

Ιππειος, ἢ ἵππιος ποσειδῶν, Hippius Neptunus, id eſt equeſtris: cùm alias cauſas ab aliis fuiſſe exiſtimatas, in Achaicis dicat Pauſanias. Ego, inquit, ſic puto cognominatum, quod τῆς ἱππικῆς, id eſt equitationis inuentor fuerit. nam & Homerus in equorum certamine Menelao ab Dei huius appellatione adhibuit iuramentum, quod equis conueniret,

——γαιήοχον ἐννοσίγαιον
ὄμνυθι, μηδὲν ἑκὼν τὸ ἐμὸν δόλῳ ἅρμα πεδῆσαι.

Pampho verò, qui Athenienſibus antiquiſſimos hymnos fecit, eſſe dixit Neptunum ἵππων τε δωτῆρα νεῶν τ' ἰθυκρηδέμνων, non aliunde niſi ab equeſtri appellationem deflectens. In Arcadicis autem idem Pauſanias ex Neptuno ait, in equū mutato Cererem peperiſſe filiam, cuius nomen non eſt profanis enunciandum, & Arionem equum. quare ſubdit: Neptunus primùm apud Arcadas Hippios cognominatus eſt. Fuit quoq; templum huic deo apud Haleſum montem Mantineæ, quod qui ingredi auſus fuiſſet, vndarum aſperſione occæcabatᷣ, nec multo pòſt moriebatur, ſi rupto filo, quod Agamedes & Trophonius in aditu templi abdiderant qui eius templi fuerant conſtructores: filum enim tranſilire aut ſubire oportebat. quam rem contemnens Aegyptus, & filum confringens, periiſſe dictus eſt. Adrianus Cæſ. Imp. & his amplius addidit, ne intus introſpiceretur, neu quid auferretur. Hactenus fermè ex Pauſan. Poſſumus hîc conferre quæ paulò antè ſcripſimus de Conſi ara ſubterranea, cùm & Conſus & Hippius equeſtris iidē ſint, quod facilè ex T. Liuio, & Feſto cognoſcimus. Hippius Neptunus & Damæus vocatus eſt, ut alibi dicendum. Legimus & Hippium Martem, & Hippiam Iunonem & Mineruam. Sed & aliorū quorundam ſcriptorum opiniones hîc ſubſcribam. Diodorus Siculus de Cretenſibus agēs. Addunt, inquit, etiam Neptunum equos primùm domuiſſe, artémq; equitandi ab illo traditam, ex quo Hippius ſit appellatus. Val. Probus in commentariis Vergil. ſuper ea in Georg. verba:

Tuq́; ò cui prima frementem Fudit equum tellus, &c.

Campi, inquit, in Theſſalia ſunt Petręi, in quibus locus Petra nominie, percuſſus tridente Neptuni equum, qui Scyphius vocatus eſt, edidit. Romani autem Neptunum equeſtrem vocant, Græci ἵππιον ποσειδῶνα, quòd exiſtimetᷣ princeps originis equorum: & cętera. Feſtus quoq; ita: Hippius, id eſt equeſter Neptunus dictus eſt, vel quòd Pegaſus ex eo & Pegaſide natus ſit: vel quòd equuleius, vt

putant,

putant, loco eius ſuppoſitus Saturno fuerit, quem pro Neptuno deuorauit: vel quòd tridētis ictu terra equum excierit, cui ob hoc in Illyrico quaternos equos iaciebant nono quoque anno in mare. hæc Feſtus. At verò Iſidorus de Circenſib. ludis agens: Itaque, inquit, Caſtori & Polluci deputātur hæ ſpecies, quibus equos à Mercurio diſtributos hiſtoriæ docent: ſed & Neptunus equeſtris ludis præeſt, quem Græci ἵππιον appellant: ſed & Marti & Ioui in ludis equeſtres ſunt conſecrati, & ipſi quadrigis præſunt. Porrò & Phurnutus inter cætera & hoc ait, quòd ideò Hippius dictus eſt Neptunus à velocitate nauigationis maritimæ, quódque naues in mari quaſi equi eſſe videntur. Hippij Neptuni meminit & Artemidorus in 1. Onirocriticon.

Hippocronius Neptunus cognominatus fuit, cuius & Thebis ſacrum celebrabatur, vt Pindarus in Iſthm. itémque in Nem. manifeſtat. legi & Hippocurium Neptunum alicubi nuncupatum.

Aſphalius, qui & Aſphalion aliquando dictus, id eſt Tutelaris, Neptuni cognomen fuit, cui (vt ait Phurnutus) vbique ſacra antiqui faciebant: ſed in primis Lacedæmonij, vt Pauſ. docet. Suidas quoque Tænarum promotorium ait Laconiæ, vbi aditus eſſet ad inferos, & Neptuni ſacellum Aſphalij cognomine, ad quod Hillotes confugientes, nihilominus à Lacedæmonijs, vt ſuprà dictum eſt, trucidati fuêre. Scribit Strabo lib. 1. Rhodios mari imperantes, capta fiducia ad loca circa Theram & Theraſiam nauigantes, templum Tutelari, id eſt Aſphalio Neptuno in inſula ædificaſſe. Porrò & apud Patrenſes in Achaia Neptuni hæc fuiſſe cognomina legimus, Aſphaliæus, Pelagæus, & Hippius. Sed & Macrob. Sat. lib. 1. non mirum eſſe debere ait, ſi deorum gemini effectus varijs nominib. celebrantur, cùm alios quoque deos ex contrario in eadem re duplici cenſeri & poteſtate accipiamus, & nomine: vt Neptunum, quem aliàs Ennoſichthona, id eſt terram mouentem: aliàs Aſphaliona, id eſt ſtabilientem vocāt. hæc Macrob. Sanè ridiculus eorum eſt error, qui vbi Phurnutus ait, Aſphalio Neptuno ſacrificari, ipſi neſcio quid repoſuerunt, & talpas interpretati ſunt. Sed hæc codicib. parum ſynceris, vt alibi diximus, imputanda ſunt.

Iſthmius Neptunus dictus ab Iſthmo Corinthi, vbi nauigia tranſuectabant. ibi fuit Neptuni fanum, vt Strabo lib. 8. ſcribit: In Iſthmo, inquit, Neptuni quem Iſthmium vocant, templum eminet, picearum arborum luco circunclusum, vbi ludos Iſthmios decertatos Corinthij celebrare ſoliti erant. Stephanus verò: Alicarnaſum vrbem Cariæ Iſthmum vocatam ait. & mox ſubdit: Eſt & Corinthi Iſthmus, in qua eſt Iſthmius Neptunus, & victoria Iſthmia, &c. Sed de Iſthmijs ludis, qui ibi celebrabantur, & Syracuſis, lege in Pindarum commentaria: ne te in re nota ſermonis prolixitate demorer.

Samius Neptunus dictus, vt Strabo teſtatur. huius templum fuit apud Lepræum, in quo (vt eſt apud Homerum) Telemachus Pylios offendit, dum rem ſacram facerent. Sic enim Homerus, interprete noſtro Guarino:

Deuenere Pylum Nelei turribus altam,
Hic maris ad littus ſolennia ſacra fiebant,
Mactabantque nigros Neptuno in littore tauros.

Heſychius quoque cultum ait à Samijs ἐπακταῖον ποσειδῶνα, quem interpretari poſſumus littoralem, quod in Acta templum haberet: à Bœotijs ἐπακμόνιος, eodem Heſychio auctore, dictus eſt.

Petræus Neptunus, hoc eſt πετραῖος ποσειδῶν. huius meminit Pindarus in Pyth. in hymno ad Arceſilaum Cyrenæum. vbi interpres: Petræus, inquit, colitur Neptunus à Theſſalis, quoniam is deus diſcidit montes Theſſalicos, dico Tempe, & per ipſos fluuium deduxit, qui prius per vrbem fluebat, & maximam eius regionem corrumpebat. vnde Callimachus, φεῦγε δὲ καὶ πηνειὸς ἑλισσόμενος διὰ τεμπέων. hoc eſt, Fugit Peneius per Tempea Theſſala flexus. Quin & hanc rem aſſerere videtur Herodot. in 7. cùm ad hūc locum, eius viſurus ſitum, Xerxes Per-

ſarũ rex acceſſit. Meminit & de Petræis campis Probus grammaticus in primo Georg. vt antè dixi. Sunt & qui tradant hunc in modum hanc fabulam, quòd Neptunus aliquando dormiens in petra quapiam, per ſomnum Venere pollutus ſit: quod effuſum ſemen terra ſuſcipiens, equum primùm exhibuit vocatum Scyphion. Alij diſpoſitum fuiſſe certamen ſcribunt Petræo Neptuno, in eo loco vbi primus equus ἐξαπίδιων, egreſſus eſt: propter quod & Hippius Neptunus eſt dictus. de quo alia, & diuerſa ex aliis, ſuprà retuli.

Heliconius Neptunus vocatus eſt ab vrbe Helice, quæ ab Aegio XL ſtadijs diſtabat verſus mare: & hæc quidem Helice irato Neptuno, vt ait Pauſan. quòd ſupplices Iones de templo abegiſſent, & interfeciſſent, terræmotu conſciſſa corruit. Meminit etiam Strabo libro octauo. Heliconio Neptuno feſta celebrabantur, quæ Panionia vocitata fuerunt, vt idem Strabo & Herodotus in primo ꝓdiderunt. Sedenim & Heliconius Iupiter ab antiquis cultus fuit, de quo in Ioue iam dictum eſt.

Niſyreus Neptunus cognominatus ab inſula Carpathij & Cretici maris, cuius & Homerus meminit: Quiq; colunt Niſyron celſam, & cætera. hæc Telo cõfinis eſt ab aquilone, ab ea verò ſtadia circitèr ſexaginta diſtans, rotunda, celſa, ſaxoſa, molaribus abundans lapidibus. finitimis igitur vrbibus ex ea molarum ſuppetit copia. Sui etiam nominis habet oppidum, & portum, calidarum aquarum & thermarum ſcaturigines, fanúmq; Neptuni Niſyrei, cuius ambitus eſt ſtadiorum octoginta. Fama eſt, Niſyrum fragmẽtum Coæ inſulæ fuiſſe. additur rei fabula: Neptunum gigantèm quempiam Polyboten perſequẽtem, ab inſula Co tridente ſuo fruſtum auulſiſſe, inq; illum iaculantem fragmentum, ipſum proiectum inſulam manſiſſe, appellatámq; Niſyrum, ibiq; gigantem ſepultum. hæc ex Strabon. lib. 10.

Phythalmius Neptunus nuncupatus fuit, quòd Trœzeniorum precibus deus motus, non amplius aquam ſalſam fructibus eorum & plantis inſpergeret. cuius dei templum propter eorum mœnia celebre fuit, vt Pauſan. docet in Corinth. Phurnutus verò & Phytalion, ſeu φυτάλιος cognominatum ſcribit, ſi peruetuſto codici credimus. Phythalmius igitur, ſeu Phitalmius, ſeu Phytalios legere malumus, ea humoris vis eſt, quæ cauſa antiquis putabatur, vt quæcunque è terra producuntur, germinarent.

Σωτὴρ ποσειδῶν, hoc eſt Seruator Neptunus, Valla & liberatorem in 7. Herodoti interpretatus eſt. nam Græci çùm audiuère claſſem Xerxis naufragio periſſe, factis Ioui Seruatori primùm libatiõibus, ad Artemiſium profecti, iterum ſtationem habuère ad templum Neptuni Seruatoris: quod nomẽ ab illis inditum, ad hoc vſq; tempus (ait Herodotus) perdurat.

Δωματίτης ποσειδῶνος, Domatites, vel cubicularis Neptunus, teſte Pauſ. cognominatus, quòd eius templum eſſet inter platanos arbores ferè obtectum: vnde etiam illi nomen datum putatur.

Portunum etiam Neptunum appellatum videmus à Latinis, interdum à Palæmone ſeorſum. Martianus in 5, eo carmine:

Portuni trifidam ſuſpirans flagitat haſtam.

Idem in primo, cùm Mercurius de ducenda vxore cogitat: Nec ſolùm superùm regem atteſtabatur vxorium, idq; etiam Diti propoſitum, idque Portuno. M. quoque Cicero in libro de Natura deorum, cùm ait Neptunum à nando, Portunum à portando dictum: de Neptuno agens. Arnobius quoque in tertio: Per maria, ait, tutiſſ. prçſtat Portunus commeantibus nauigationes, ſed cur inſanum mare tam frequentes expoſuit crudelium naufragiorum ruinas? Apuleius etiam in quarto de Aſino aureo, parum licet animaduerſum ab interprete in fabula Pſyches: Et Portunus, inquit, cærulis barbis hiſpidus, & grauis piſcoſo ſinu Salacia, auriga paruulus delphini Palæmon, iam paſſim maria perſulcantes. Tritonum cateruæ, hic concha ſonaci leniter buccinat, ille ſerico tegmine flagrãtiæ

Solis

Solis obſiſtit,inimici,aliâs ſub oculis dominæ ſpeculum prægerit. Vide vt hoc loco Portunum à Palæmone diuerſum facit,eiq; Salaciam adiungit,quę Neptuni vxor fuiſſe dicitur,vt Varro,Gellius,Auguſtinus,Seruius & Martianus oſtẽdunt.Sed de Palæmone,qui à noſtris Portunus dictus eſt, alibi etiam nonnihil agam,à quo Portunalia dicta,vt ait Varro,& feriæ inſtitutæ, cùm eius ædes in portu Tiberino facta fuit.Feſtus:Claudere,ait,& clauis,ex Græco κλείω καὶ κλεὶς deſcendit:cuius rei tutelam penes Portunum eſſe putabant, qui clauem manu tenere fingebatur,qui deus putabatur eſſe portarum.hæc Feſtus:quibus verbis parum mihi conſtat,an pro Portuno Vortunum legendum ſit,cùm pleriqué Ianum & Vortunum eundem fecerint,& ei deo ſit clauis attributa,vt alibi etiam dixi.

Epoptes Neptunus etiam cognominatus,cuius templum apud Megalopolin in Arcadia,vt teſtis eſt Pauſan.Dictus verò quaſi ἐπόπτης, id eſt inſpector, & vrbis tutelaris.

Ἁλικλύων,hoc eſt mari inclytus Neptunus,à Sophrone in Mimis cognominatus.meminit Heſychius.

Aegæus Neptunus cognominatus eſt ab Aegis Eubœę inſulę,vt notat Strabo in 9.In his verò fuit Neptuni templum Aegæi.meminit & Pherecydes, & Phauorinus.

Cenchreus,id eſt,κέγχρεος ὁ ποσειδῶν dictus,vt Stephanus ait, à filio Herois Cenchreo.Fuere autem Cenchreæ diuerſis in locis vrbes:vna Troadis, vbi diuerſatum Homerum fuiſſe legimus,vt ediſceret quæ ad Troiam pertinerent:altera fuit ciuitas & nauale non longè à Corintho,vnde Cẽchreus vocatus eſt deus:tertia fuit Italiæ vrbs.

Canobus Neptunus nuncupatus eſt,teſte Stephano. eſt verò Canobus, vel Canopus,ciuitas c & xx ſtadijs diſtans ab Alexandria,pedeſtri via.dicta verò à Canobo Menelai gubernatore,qui ibi perijſſe fertur, & templum Poſidonis Canobi & inſula.Sed enim de Canobo deo iam actum eſt pluribus in deis localibus,in 1.lib.

Erechtheus inſuper Neptunus ab Athenięſibus & cultus & dictus,teſte Heſychio:& à Cyrenæis Pellanius nuncupatus.Delubrum Erechthei Neptuni nũcupati,in Achaia hoc memorabile habuiſſe tradit,vt aqua in eius puteo auſtro flante fluctuaret,cæteris autem ventis perflantibus immota manebat.

Damæus Neptunus,idem & Hippius vocatus,vt ſuprà proditum, quòd videlicet equos domuerit,παρὰ τὸ δαμάζω.Sed hac de re in Hippio & Petræo Neptuno iam dictum eſt.

Κυανοχαίτης ποσειδῶν,hoc eſt cyaneis, ſeu cæruleis iubis ſiue capillis Neptunus.frequens verò hoc epitheton eſt Græcis,Orpheo,Homero,Heſiodo, alijs: ipſúmq; Phurnutus & grammatici interpretantur de aquæ maris colore.

Ἐνοσίχθων,γνοσίγαιος,σεισίχθων, & τινακτογαῖος,eadem penè ratione Neptunus nuncupatus eſt,vt Phurnutus notat,qui & eorum cauſas exponit: hoc eſt, Terriquaſſor,& Tellurimotor,vt apud Gelliũ in 2 Theod.Gaza expreſſit.Ammianus Marcellinus lib.17.hiſtor.Ideo,inquit,humentis ſubſtantię poteſtate Enoſigæum & Siſichthona poetæ veteres & theologi nuncupauerunt: de terræ motibus differens,qua ratione fierent.meminit & Macrobius Saturnal. libro 1. Sane Ennoſigæus duplici nn aliquando ſcriptum inuenimus, apud poetas in primis,propter ſyllabæ moram.nam cum ἔνοσις prima breui enuncietur, ad carminis normam aliquando litera duplicatur:quod non modò à Græcis fit,ſed & apud Latinos.Iuuenalis,

Ipſum compedibus qui vinxerat Ennoſigæum. res eſt notiſſima.

Γαιήοχος, & θεμελιοῦχος etiam Neptunus ſæpius nuncupatur, teſte Phurnuto, quòd terram quatiat,eiúsq; fundamenta contineat.hinc poeta Verg.

Neptunus muros,magnoq; emota tridenti

Fundamenta quatit.

Quo loco Seruius ait, Neptuno fundamenta conſecrata eſſe. Variè tamen hæc cognomina expoſita legimus: ſed vt mihi magis quadrare uiſa ſunt, retuli.

Νυμφαγέτης Neptunus ab aliquibus cognominatus eſt, vt ſcribit Phurnutus, quaſi dicas Nympharum & aquarum actor. unde etiam κρηνοῦχος appellatus, qđ fontibus & aquis præeſſe crederetur.

Pelagæus, etiam in Achaia dictus eſt Neptunus, vt Pauſanias & Heſychius docent.

γενέσιος ποσειδῶν, id eſt Geneſij Neptuni, eſt mentio facta à Pauſania in Corinth. cum de vico Geneſio ageret: Vbi, inquit, in littore Neptuni Geneſij ædes eſt, non ea ſanè magna, non longè à Lerna.

Εὐρυβίας ποσειδῶν à Pindaro aliiſq; poetis Neptunus cognominatus eſt, hoc eſt qui latæ amplæq; violentiæ ſit, & potentiæ. vt illud eſt, καλέωσ εὐρυβίαν: id eſt, inuocans Neptunum. tametſi quidam εὐρυβόας potius velint legere: hoc eſt latè reboans. Sed de boatu & mugitu maris antè ſum locutus: nunc de violentia agendum, quæ quanta ſit, maris præſertim, non eſt cur multis commemorem, quum non hinc multum Ferraria diſtantes Adria, Cymachium, & Clodia, inſignes olim vrbes, hoc tēpore maris violentia ac æſtu ſub aquis obrutæ cernantur. Quare etiam Neptunus ideo εὐρυμέδωνς, & εὐρυμεδόντης à poetis ſæpe vocatus eſt, hoc eſt latè regnans, ſeu imperans: & interdum etiam εὐρυσθενής dictus, quòd latè robuſtus ſit, & valens. εὐρύστερνος etiā ποσειδῶν cognominatus, vt Phurnutus notat, quòd latum, & perinde robuſtum pectus haberet, & latum ſit æquor pelagi. vnde etiam illud frequens apud Homerum, ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης: hoc eſt, per latos humeros maris. Vocatus etiam ab Heſiodo in Theogon. ἐρίκτυπος, à ſonitu, & οἰνοσίδης. θαγυμάσα verò à Scythis, vt in quarto hiſtor. Herodotus ſcribit, licet Tageſmana perperàm ex Latinis ſcribant. Heſychius etiam Neptunum appellat θεέπιον.

Salacia Neptuni vxor. Auguſt. in quarto de Ciuit. dei: Salaciam inferiorem maris partem vocatam ait. in ſeptimo verò: Iam vtique, inquit, habeat Salaciam vxorem Neptunus, quam inferiorem aquam maris eſſe dixerunt. Feſtus quidem: Salaciam, inquit, dicebant deam aquę, quam putabant ſalum ciere, hoc eſt mare mouere: vnde Ouidius, Nymphęq; ſalaces dixit: quo vocabulo poetæ pro aqua vſi ſunt. Pacuuius: Hinc ſæuitiam Salaciæ fugimus. Varro quoque à ſalo Salaciam deduxit. Seruius ab aqua ſalſa Salaciam dictam ait, vxorémq; ipſe Neptuni facit. Meminit præterea Gellius & Martianus. Salaciam tamen alteram puellam ex Ophionide lego, quæ vt Alexander apud Stephanum ait, ferre ſolebat ſacra deo Apollini in Pataris. Priorem quidem Salaciam nonnulli eandē eſſe putant, quæ Amphitrite Græcè dicitur. Amphitriten porrò Heſychius pro toto mari interpretatur, à timore & formidine dictam, qua ij vndique circundātur, qui per mare nauigant. Scribit Oppiani interpres, Amphitriten dictam ἀπὸ τοῦ ἀμφοτέρωθεν τρίτην τάξιν ἔχειν, quòd videlicet vtrinque tertium obtineat ordinē. æther enim, aer, aqua: & rurſus infrà erebus, terra, aqua. alij dictam volunt ἀπὸ τοῦ ἀμφιτρίβειν, hoc eſt à circumterendo, quòd mare terram vndique terat. alij ἀπὸ τοῦ ἀμφιτρεῖν, quod ſignificat circunterrere, quòd mare vndique terrore nauigantes afficiat. Sunt qui dicant ἀπὸ τοῦ τρεῖν, id eſt à terendo, quod nauigantes mare ἀμφοτέρωθεν terat. Fabulantur Græci, hanc perpetuam deis virginitatem vouiſſe: ſed cùm à Neptuno ſolicitaretur, ad Atlantem confugiſſe, vbi à delphino perſuaſa, Neptuno aſſenſit. Vnde eſt illud poetæ,

Neptunum gremio complectitur Amphitrite: Claudianus.
Margine terrarum porrexerat Amphitrite: Ouid.

Pro, mare. hoc nomine duas fuiſſe, inter Nymphas annotabimus.

MARINI DEI.

CVm de Neptuno, eiúsq; vxore iam dixerim, ſupereſt vt de Marinis reliquis deis dicam. Marini igitur dei à Græcis vocantur θαλάσσιοι θεοὶ, vel ἅλιοι, vt à Luciano. Ingens horum turba fuit: quorum princeps Neptunus, & eo antiquiores Nereus & Oceanus. Fingebantur verò dei marini cani & ſenes, propter maris ſpumas: ipſíq; colore cæruleo, qui color eſt pelagi. eorum nonnulli in piſcem deſinebant, vt Glaucus, & Triton, alíiq;. Alij fuére in hoc numero littorales dei, qui à Græcis αἰγιαλιοι nuncupantur. Catullus:

Neque vlla vota littoralibus deis ſibi eſſe facta.

Sanè hoc loco eſt à nobis aſcribendum, quomodo Dei fluuiorum ab antiqs pingerentur. Vidimus enim nos ſæpe Romæ marmoreos fluuiorum deos effictos: ſicuti Nilum in forma, qua Philoſtratus & alij ſcripſerunt: & Tyberim cum lupa & Romulo ac Remo, alióſq; nonnullos peregrinos fluuiorum deos. Sed præſtat apponere verba Aeliani ex lib. 2. de Varia hiſtoria, ſcribentis: Fluuiorũ naturam, illorúmq; fluxus cernimus, nonnulli tamen eorum qui ipſos honorãt, ſtatuáſq; ipſorum effingunt, informes fecere: alij bobus ſimiles eſſe voluerunt. Stymphalij Eraſinum & Metopen, Lacedæmonij Eurotam, Sycionij & Phliaſij Aſopum, Argiui Cephiſſum, bobus aſſimulant. Pſophilij Erymanthum, Alpheum Heræenſes: Cherroneſij, qui à Gnido profecti ſunt, & ipſi eundem fluuium viris aſſimularunt. Athenienſes Cephiſum ſub virili ſpecie honorant, cornua tamen præferentem. In Sicilia Syracuſani Anapum viro aſſimularunt, Cyanem verò fontem muliebri imagine decorarunt. Aegeſtæi Torpaca, Criniſſũ, & Telmiſſum virili forma honorant. Agrigentini eiuſdem nominis fluuium formoſo puero aſſimulantes ſacra faciunt: ijdémq; puerilem ſtatuam ex ebore ſculptam Delphis ſacrarunt, & infrà fluuij nomen inſcripſere. Atq; hęc quidem Aelianus. Porrò quòd flumina plerunq; cornuta fingerentur, planius oſtendemus, cum de Baccho Bugene agemus, vbi & de Epidio rhetore ex Tranquillo hiſtoriam repetemus. Nereus ergo ex mari & terra natus, grãdæuus & ſenior dictus, Græci ἁλινὸν γέροντα vocant, Nereidum nympharum pater, mirificè laudatus ab Heſiodo in Theogonia. Huic hymnum Orpheus concinuit, cum myrrhæ thymiamate. vxorem Dorida habuit. dictus ἀπὸ τοῦ νεῖαζ, vt ait Phurnutus: hoc eſt, à natando.

Oceanus, deus & ipſe maris, dictus Græcè ὠκιανὸς, ab ὠκὺς, id eſt à velocitate: Cœli & Terræ filius ab Heſiodo dictus. vir verò Tethyos, pro toto mari à poetis capitur: totum qui circuit orbem, vt ait Catullus. Oceanus, inquit Phurnutus, ἀκαλαῤῥείτας nuncupatur, quòd lenis & tranquillus eius ſit fluxus, vt ſolis motum imitari videatur. Vocatur idẽ & βαθυδίνης, quod citò & à profundo moueatur. Tauriceps etiam dictus eſt, hoc eſt ταυρόκρανος, vt etiam Neptunus. meminit in Oreſte Euripides. Tethys autem vxor eius appellata, quòd pura omnia & ſplendida efficiat, réſq; contrarias concordi ac mutuo nexu decenter copulet.

Proteus deus marinus & ipſe à gentibus exiſtimatus, CERES ab Aegyptijs, vt Diod. ait, dictus: hic ſeſe in varias figuras mutare ſolitus erat, vt Homerus & Vergilius poetæ cecinêre, & hiſtorici inſignes, Herodotus & Diod. vt alios mittam. hic in inſula Pharo apud Aegyptum, ſi Homero credimus, regnauit: vnde eſt aliquando Pharius cognominatus. Hyginus verò in fabulis de Proteo ita tradit: In Aegypto Proteus ſenex marinus diuinus dicitur fuiſſe, qui in omnes ſe figuras conuertere ſolitus erat. Quem Menelaus, Idotheæ filiæ eius monitu catenę alligauit, vt ſibi diceret quando domum repetitionem haberet. quem Proteus edocuit, iram Deorum eſſe, quòd Troia eſſet deuicta. ideóq; id fieri debere, quòd Hecatombe græcè dicitur, cum centum armenta occiduntur. itaque

Menelaus hecatomben fecit.tunc demum poſt octauum annum,quàm ab Ilio diſceſſerat,cum Helena in patriam redit.

Ponticus Heraclides ait,Proteum informem rerum materiam è poetis ſymbolicè nuncupari,ſub figmento.& declarat,quare ita vocaretur,& in varias formas mutari diceretur.Idotheámq; illius filiam, eius prouidentiam eſſe arbitratus eſt:& cætera,quę idem exequitur in libro Homericarum allegoriarum.Proclus quoq; in his quæ pro Homero aduerſus Socratem ſcribit in Platonis legib. Proteum mentem ait angelicam ordinis Neptuni habẽtem,& in ſe complectẽtem omnes rerum formas in mũdo genitarum: ſubijcitúrq; illi Idotheo anima, ſcilicet dæmonia quædam diuinæ Protei menti iuncta conuenienter,& cogitationes ſuas eius intelligibilib.formis connectens.hæc & alia ſubtilius Proclus. Alij Proteũ ſophiſtam interpretati ſunt,qui apparentib.argumentis hominib.illuderet. Alij eum veritatem dixêre,ſeſe haud omnibus paſſim oſtentãtem, ſed paucis duntaxat,his qui probè eam arripere norint.Alij Protei hiſtoriam ad regum Aegyptiorum inſignia retulerunt,quæ diuerſa & varia fuerint: quibus etiam moris fuerit,ea ſubinde immutare,nunc leonis ſpecie, nunc tauri, & cæterorum,quæ docet hiſtoria. Quid dicã,& aliquos fuiſſe qui ſaltatorem Protea interpretati ſunt? quid,& alios fuiſſe qui hãc ſubeſſe Phyſicam rationem putarunt? dicentes,hominem in libidinem habere ſtultitiam,ferocitatem, dolum: quæ dum inuicem in vno homine vigẽt,pars illa quæ vicina eſt diuinitati, id eſt prudentia,non apparet:quæ tunc poteſt ſuas vires tenere,cùm fuerint illa religata,id eſt,cùm quis omnibus vitijs caruerit.Sed hæc non noſtri ſunt inſtituti, niſi cùm ſe ſponte offerunt.Scribit Iſaacius in commentarijs in Lycophronem, Proteum genere Aegyptium fuiſſe,ſed ex Aegypto migraſſe Phalagram Pallenes,vxorémq; duxiſſe Toronem,ex qua Tmolum & Telegonum filios ſuſtulerit,qui hoſpites occiderent.ab eis Proteus aufugit,Neptuni ope, qui ſubterraneam ei cauernam præparauit,ex qua ſubtus mare in Aegyptum vſq; penetrauit.pòſt verò Hercules in Thraciam perueniens, Tmolum & Telegonum interemit:quorum interitu pater neq; lętatus,neq; fleuit. hinc Pallenius Proteus cognominatus eſt,& Phalagræus,ex iam recitata fabula. dictus item Pharius, ſed & Carpathius.Seruius:Carpathos,inquit,inſula eſt contra Aegyptum,à qua vicinum pelagus Carpathium appellatum eſt.hîc aliquando regnauit Proteus, relicta autem Pallene ciuitate Theſſaliæ: ad quam tamen reuerſus eſt poſtea, quod oſtẽdit etiam Vergilius cùm ait,Patriámq; reuiſit Pallenem. Statius ideo Carpathium appellauit,eundem & Neptuni paſtorem,in Achilleide.Vergilius verò de Proteo ſic,vt ſemper,diuinè:

Eſt in Carpathio Neptuni gurgite vates,
Cæruleus Proteus,magnum qui piſcibus æquor,
Et iuncto bipedum curru metitur equorum.
Hic nunc Aemathiæ portus,patriamq; reuiſit
Pallenen. hunc & nymphæ venerantur, & ipſe
Grandæuus Nereus:nouit nanq; omnia vates,
Quæ ſunt,quæ fuerunt,quæ mox ventura trahuntur:
Quippe ita Neptuno viſa eſt,immania cuius
Armenta,& turpes paſcit ſub gurgite Phocas. Hæc Poeta:

Sed & Orpheus hymnum compoſuit, cui & ſtyraca adoleuit, eundémq; Ponti claues tenere,& totius naturæ exordia, & multiformibus ſpeciebus materiam mutare.Poſſem & plura de Proteo afferre:nam & eius vſq; nomen in prouerbia deductum eſt.Cognominatus præterea Cæruleus à Vergilio. Ambiguus ab Ouidio.Horatius verò ait,

Quo teneam vultus mutantem Protea,nodo.

Triton Neptuni filius,& Amphitrites,vt canit Heſiodus:Seruius tamen, Salaciæ.

laciæ.vt putare poſſimus,quod iam ſcripſimus in Salacia,eandem eſſe Amphitritē & Salaciam.Iſaacius in commentarijs in Lycophronē,Tritonē & ipſe Neptuni & Amphitrites filiū ſcribit,à ſuperiori parte ad vmbilicū hominis effigie, ab vmbilico ad caudā delphini:tanquā,ait,ſi dicas ex piſce cētaurus:hoc eſt ἰχθυοκένταυρος.Phurnutus tamen Tritonē ita deſcribit:Biformis(inquit) fuit hominis partem habens,partem ceti,propter duplicem liquoris vim,alteram quidem vtilem,alteram verò noxiam.dictus ἀπὸ τοῦ τρεῖν,Tritō,vel ἀπὸ τῆς ῥύσεως,id eſt fluxu, τ litera ſuperiuncta:vel vt in Amphitrite dictum eſt,per antiphraſin, ꝙ non timeat.Triton elegantiſſimè ita in Metamorph.ab Ouidio deſcribitur,

Cæruleum Tritona vocat,conchaq́ue ſonanti,
Inſpirare iubet,fluctusq́ue & flumina ſigno
Iam reuocare dato,&c.

Et ab huius forma Vergilius in X.Aeneid.nauem effinxit,

Hunc vehit immanis Triton,& cærula concha
Exterrens freta,cui laterum tenus hiſpida nanti,
Frons hominem præfert,in priſtin deſinit aluus.
Spumea ſemifero ſub pectore murmurat vnda.

Tubicen Triton à poetis Neptuni fingitur.huius Hyginus in Cancro meminit,& poeta Claudianus.Macrobius hunc in Saturni templorum faſtigijs poni ſolitum tradit.Dicimus & Tritones,numero plurium.Vergilius:Tritonésq; citi,Phorciq; exercitus omnis.Sanè ſciendum,quòd Nilus Aegypti fluuius Triton quoq; dictus eſt,Lycophrone teſte.quo loco interpres ideo Tritonem illū appellatum obſeruat,propter eius tria in primis nomina.Primò enim Oceanus dictus eſt:deinde Aetos,id eſt aquila,ab eius curſus velocitate: demum Nilus, ἀπὸ τοῦ νέαν ἄγειν ἰλύν,quòd ſcilicet nouum limum agat.Sed de Nili nominibus aliàs memini à me XII eſſe collecta.Fuit & Triton fluuius alius Libyæ, ſeu palus,vnde Tritonia & Tritogenia,vt in Pallade abūdè dicturi ſumus.Scribit Plinius in Nat.hiſtoria,Tritonem ſuo tempore viſum fuiſſe.Idem ſcribit et Pauſan. qui ait,à ſe viſum apud Tanagræos in Bœotia:& item alterum Romæ inter miracula habitum,Tanagræo minorem:eóſq; commixtam habuiſſe hominis ſpeciem cum piſce.caput enim capillis contectum fuiſſe,neq; facile diſcerni potuiſſe:colore eo fuiſſe,quo eſſe videntur ranæ paluſtres in dorſo: nares humanas habuiſſe,branchias ſub aures,os reſciſſum latúmq;,ferinos dentes,glaucos oculos,manus cum articulis ad humanam effigiem,vngues oſtreorum conchis ꝓſimiles,reliquum porrò corpus paruulis ſquammis cōtectum, & in piſcem deſinere non diſſimilem extremis delphinorum partibus. Tanagræum vino captum prodit Pauſ.poſitum in templo Bacchi conſpiciendum. Demoſtratus in lib.de Piſcatione,conditū Tritonē in oppido Tanagra ad ſpectaculū ait,cætera (inquit)fictis & pictis ſimilē.Scribit verò Alex.Neapolitanus,ſuo quoq; tempore viſum hominem marinū,& melle ſeruatum,ex Mauritania in Hiſpaniam delatum.Notiſſima etiam hiſtoria,noſtra ętate in Epiro vnum eiuſmodi laqueis captum,qui puellis inſidiaretur, dum ad fontem aquatum proficiſcerentur. de hac eadem re plura in Aeliani additamentis P.Gilius.

Phorcus,qui & Phorcys,Ponti & Terræ filius, vt canit Heſiodus in Theog. ex quo & Cetone Grææ natæ dicuntur,quæ natæ ſtatim canæ factæ ſunt: quia vnda colliſa breuibus canentes ſpumas faciat.Grææ autem,quaſi γραῦς,id eſt anus appellatæ.Sed de Græis aliàs.Illud ſanè te ſcire velim,Phorcū dici,& Phorcyn,& Phorcynū,Homero & Heſiodo in primis,vt eſt in XIII Odyſſ.de Phorcyni antro,quod Porphyrius philoſophus eſt doctiſſimè interpretatus.Seruius verò:Phorcus,inquit,Thooſæ nymphę & Neptuni filius:vt autem Varro dicit, rex fuit Corſicæ & Sardiniæ,qui cùm ab Atlante rege nauali certamine cū magna exercitus parte fuiſſet victus & obrutus,finxerunt ſocij eius, eum in deum marinum eſſe conuerſum.

Saron deus marinus,qui nauticæ arti præeſſe exiſtimabatur,à quo datum eſt mari nomen,vt Græci ſcriptores meminêre,& qui de Situ orbis ſcripſerunt, vt Strabo.Ariſtides rhetor hæc fermè in Themiſtocle ſcribit:Nec vti per omne tẽpus in mari habitent,quemadmodum aiunt Glaucum Anthedonium, & Saronem mari cognominem eius.& Pauſ.in Corinth.meminit,qui Althepiæ regioni imperauit.hinc & prouerbium apud Græcos, σάρωνος ναυτικώτερος.

Glaucus deus marinus,de quo Seruius:Glaucus,inquit,piſcator fuit de Anthedone ciuitate,qui cùm captos piſces ſuper herbam poſuiſſet in littore, & illi recepto ſpiritu rurſus mare petiſſent,ſenſit quandam herbarum potẽtiam, quibus eſis conuerſus eſt in numen, & deum marinum. Fabulam copioſè Ouidius eſt in Metamorph.executus:& Auſonius in Moſella,

Sic Anthedonius Bœotia per freta Glaucus,
Gramina guſtatu poſtquàm exitialia Circæ
Expertus,captas moribundis piſcibus herbas
Sumpſit,Carpathium ſubijt nouus accola pontum.
Ille hamis & rete potens ſcrutator operti
Nereos,æquoream ſolitus conuertere Tethyn,
Inter captiuas fluitauit prædo cateruas.

Sed & Oppianus in Halieutico,Strabo præterea,& Athenęus in ſeptimo copioſius. Pauſ.lib.9.de Glauco vero propiora ſcribit:Eſt,inquit,præterea ad mare locus,quem Glauci ſaltum nuncupant.Piſcatorem Glaucum & repentè herba quadam guſtata inter maris deos receptum,& futura prædicere,cùm alij credidere, tum præcipuè nauiculatores,multa quotannis de eius diuinatione memorant.quæ cum Anthedonij Pindarus & Aeſchylus accepiſſent, illi quidem curæ non fuit multa de Glauco verſibus ſuis mandare,cùm Aeſchylus totius fabulæ argumentum à Glauco deduxiſſet.Palæphatus in libro Incredibilium, fabulæ huius allegoriam explicat, Glaucúmq; Anthedonium vrinatorem fuiſſe ait:qui aliquando natans per aliquot dies delituerit,& propterea ab hominibus deus factus exiſtimatus:& cætera,quæ ille de eius etiam morte interpretatur: déq; altero,itémq; altero Glauco,hoc eſt Siſyphi & Minois filijs. Porrò Nicanor Glaucum Melicertam fuiſſe credidit.Nicãder verò in primo Aetolicorum, Apollinem à Glauco diuinandi ſcientiam accepiſſe voluit. Glaucus à Philoſtrato ita in Imaginibus effingitur:Liquidi ſunt Glauco barbæ cirri, cæruleo aſpectu, comarum cincini graues,in humeros diffluentes, denſa & arcuata ſupercilia,inuicem ſe contingentia,ita vt vnum eſſe videantur:brachia habet natantia,pectora habet inſperſa herbis marinis,fuco ſcilicet,& alga: venter reſtrictus,reliquo corpore piſcis,cauda ad lumbos reflexa:illum circumuolant alcyones, &c.

Portunus deus & ipſe marinus,vt ait Seruius,qui portubus præeſt. Plautus in Rudent. Sed ô Palæmon ſancte Neptuni comes.huius nota eſt fabula:Athamas poſt furorem à Iunone immiſſum, cùm occiſo Learcho, qui etiam Clearchus dictus,Melicertam alterum filium cum Ino vxore ſua perſequeretur, & illi ſe in mare præcipitaſſent,voluntate numinum in deos verſi ſunt. Melicerta in Portunum,qui Græcè Palæmon dicitur,Ino in matrem Matutam, quæ Græcè dicitur Leucothea.ſi copioſius fabulam quæris,Ouid.in quarto Metam.legito, & Lactantium grammaticum in Theb.Statiana,& Hyginum in fabulis: ſed & Gręca & Latina ꝓuerbia,Inus dolores,hoc eſt ἰνοῦς ἄχη.Legunt̃ ad hęc & duo Orphei hymni,alter Leucotheæ cũ thymiamate aromatũ,alter Palæmoni cũ mãna thuris:ex quib.hymnis eos aduertimus,hoc eſt matrẽ & filiũ, Dionyſij educatores,id quod & in Dionyſio repetã.In XI vrbis Romæ regione,id eſt in circo maximo,qui Cõſo,hoc eſt Neptuno equeſtri dicatus fuerat,duæ ædes fuere Portuni,vt P. Victor ſcribit:altera ad põtẽ Aemilij,olim ſublicij appellati:altera inter Apollinẽ cœliſpicẽ,& Herculẽ oliuarium.Palęmon verò cognominatus eſt à

Verg.

Verg.in quinto.Leucotheæ imago deſcribitur in ſecundo Iconum lib.à Philoſtrato.Leucotheam Orpheus ait ſuccurrere nauibus,& perinde etiam earũ eſſe ſeruatricem,id eſt σώτειραν.hinc Propert.in 2.

Ino etiam prima terris ætate vagata eſt,
Hanc miſer implorat nauita Leucotheam.

Megarenſes verò,vt ſcribit Pauſanias,aiunt Inus cadauer in regionem ſuam maritimam cecidiſſe,idq; à Cleſo & Tauropoli Cleſonis filiabus,Lelegis filij,inuentum ac ſepultum:appellatámq; fuiſſe Leucotheam apud ſe primũ, cui quotannis ſacrificant.Sanè Portunum pro Neptuno à Latinis interdum deſumi, ſuprà à nobis iam oſtenſum eſt.

Aegæon etiam deus fuit marinus, ſi Græco Eumelo & noſtro Ouidio ſtamus.nam alij gigantem faciunt,vt Homerus. Ouid.

Cæruleos habet vnda deos,Tritona canorum,
Proteáq; ambiguum,balenarumq; prementem
Aegæona ſuis immania terga lacertis.

Heſiodus,Cœli & Terræ filium Aegæona ait.Eumelus, & ipſe poeta vetuſtiſſimus,Aegæonem in Titanomachia Terræ & Ponti filium fuiſſe ait, & in mari habitaſſe,indéque Titanibus opem tuliſſe.Lucillus Tarrhæus Aegæonem gigantem fuiſſe prodidit,atq; ex Eubœa in Phrygiam perueniſſe,ibíq; deceſſiſſe.Conon autem in Herculea ſcribit, Neptunum hunc ipſum Aegæonem deuiciſſe,& in mari demerſiſſe.

Scyllam & Charybdin hîc breuiſſimè aſcribam,quamuis notiſſimæ ſint, potius vt inſtitutum proſequar, quàm vt opus eſſe exiſtimem. ſequar igitur eos Græcos,qui interpretati ſunt phyſicè fabulas Homeri:quæq; à noſtris poetis traduntur,& grammaticis,in præſentia mittam.plurima enim conculcarem.Scylla in antro obſcuro & horrendo deſcribitur.terribili illa eſt latratu, canum videlicet ſimili.pedes habere dicitur XII,colla ſex longa,capita totidem, & dentium triplicem ordinem,ex quibus virus ſtillare videtur.Capita verò aſſiduè in mare porrigit,ac circunſpicit è ſcopulo,an inde nauis aliqua circumnauiget, vt ex eà ſaltem tot deprædetur,quot ipſius ſunt Scyllæ capita.ac totidem ex Vlyſſis ſocijs abſtuliſſe,ac diripuiſſe,poeta dixit.Scyllam ſic deſcribit Hyginus in Fabulis,de Vlyſſe agens:Inde ad Scyllam Typhonis filiam venit,quæ ſuperiorem corporis muliebrem,inferiorem ab inguine piſcis,& ſex canes ex ſe natos habebat.eáq; ſex ſocios Vlyſſis naue abreptos conſumpſit.

Charybdis verò tantum à Scylla diſtat,quantum eſt ſagittę iactus.Hęc ter in die ſub caprificum deliteſcens,aquas abſorbet,térq; inde reuomit. Hinc euaſit Vlyſſes,vt Homerus canit.

NYMPHAE.

NYmpharum vocabulũ apud Græcos varia & diuerſa ſignificare videmus. nam & alatæ formicę,nymphæ vocantur:& item vermes quidam alati,qui in apum aluearijs,quiq; circum calyces roſarum ſtrepunt.Hinc Plin.lib. XI. Apes aliæ in vermiculo,aliæ in nympha eſſe perhibentur.Idem paulò pòſt:Nymphæ,inquit,nominantur.Sed & nouæ ſponſæ hoc nomine dicuntur, vnde & παρανύμφος,& νυμφεύτρια,& νυμφοκόμος:hoc eſt apud nos, pronubus & pronuba.Eſt & nympha inter aſtra,capra Amalthea,de qua mox agemus. Ea prætera particula,quæ eſt à mento & inferiori labro concaua media, nympha dicitur. Nymphę quoque Muſæ nuncupatæ,vt in Muſis dictum. Nympha item pudendi pars,quæ ad virilis interdum membri ſimilitudinem excreſcit, & arrigitur,vt Iul.Pollux ſcribit.Nymphas deniq;,veteres,animas vocabant.Porphyrius:Fõtes,ait,& flumina cum nymphis aquarum numinibus propria ſunt, tum

multo magis nymphis animis,(animas enim veteres,nymphas vocabant)quas olim peculiari vocabulo Meliſſas appellabant, videlicet quòd ſint voluptatis auctores in nobis.Hinc Sophocles non impropriè de animis dixit, Bombos edit examen defunctorum.quin & mulieres. Cereris ſacerdotes tanquam inferorum antiſtites,olim Meliſſæ ſunt vocatæ:& Cereris filia μέλιττα,hoc eſt Proſerpina.hæc quidem Porphyrius,Tyrius philoſophus. Interpretes etiam Pindari in Pyth.Meliſſas nymphas interpretātur,quæ ſacris & myſterijs præſunt. Hinc Pindarus,Meliſſæ oraculum Pythiæ intellexit.Mnaſeas verò Patarenſis Meliſſas nymphas ait mellis vſum reperiſſe in Pelopōneſo,ex fauo.Quidam & Melias putauêre,de quibus paulò pòſt agemus.Sed his miſſis,nos de toto Nympharum genere hac parte tractabimus.Nam ſi Mneſimachum Phaſelitem in Διακόσμοις audire volumus,Nympharum ſunt genera multa.aliæ enim ſunt cœleſtes, id eſt οὐράνιαι:aliæ terreſtres,hoc eſt ἐπίγειοι:aliæ fluuiatiles,id eſt ποτάμιοι:aliæ lacuſtres,vel ſtagniorum,hoc eſt λιμναῖαι,quæ & λιμνάδες dictæ ſunt: aliæ demum θαλάσσιαι,id eſt marinæ. Seruius verò grammaticus in Verg.commentarijs ita cōmemorat:Nymphæ,inquit, montium Oreades dicuntur, ſyluarum Dryades, quæ cum ſyluis naſcuntur Hamadryades,fontium Napææ vel Naiades, maris Nereides,de quibus ſeorſum agemus:tametſi Phurnutus Nymphas dicat fuiſſe fontes aquarum dulcium,ſeu potabilium, quas dictas ait ἀπὸ τοῦ ἀεὶ νέας φαίνεσθαι, id eſt,ab eo quòd ſemper iuuenes appareant:aut ἀπὸ τοῦ φαίνειν quòd ſplendeant. quare ideo & ſponſas,nymphas vocant,quòd tunc primùm appareant,ad illud vſque tempus occultatæ.Sed nobis plura de Nymphis philoſophari haud conuenit,cùm Porphyrius in commentario antri Homerici ex Odyſſ plurima afferat, & exquiſitè interpretetur.Noſtri certè nymphas putant appellatas,vnius literæ mutatione,quaſi Lymphas,vnde & Nymphæa lauacra dicta fuère.

Vraniæ igitur,id eſt cœleſtes nymphæ,appellatę à gentibus animę,& cœleſtes mentes,quę ſphęris cœli præſunt, quas & Muſas & Sirenas etiam vocauêre,vt Plato,Macrobius,alij dixêre,& Proclus in primis.Nec hîc illud congruit, quod aliqui ex ſacris literis afferunt:Aquę quę ſupra cœlum ſunt, & cętera.

Ἐπίγειοι nymphę, quę in terris verſantur, nuncupatę ſunt. Harum aliquę in montibus degebant,quę Oreades dicebantur, & Oreſtiades. Homerus, νύμφαι ὀρεστιάδες κοῦραι Διός,id eſt nymphę Oreſtiades natę Iouis.hę & Orodemniades, & Agroſtinę,ab Heſychio vocatę ſunt,qui ait:ὀροδεμνιάδες nymphę & Meliſſę dicuntur,ἀπὸ τοῦ ὄρους τῶν δεμνίων,quòd in cubilibus montium quieſcerent. vel dictę ἀπὸ τῶν ὀροδάμνων, qui rami ſunt & germina ſtirpium. Idem ſcribit & Phauorinus.

Λειμωνιάδες,Lemoniades nymphę frequenter à Gręcis appellatę,quæ in pratis verſarentur & campis,vnde illis nomē. Sophocles in Philoctete,νύμφαι τ' ἔνυδροι λειμωνιάδες:id eſt. Nymphæque liquentes Lemoniades.hoc eſt, campeſtres, ſeu pratenſes.hoc idem affirmat Heſychius,qui inquit, quoniam hæ Nymphæ ἐν λειμῶσι,hoc eſt in campis verſantur.Orpheus in Hym.Horas Limoniades appellauit. Decipitur Boccatius, qui has Hymniades dixit,cum ſuo neſciō quo Theodotione.

Limnades verò nymphæ dictæ,quæ in ſtagnis & lacub. verſarentur, vt modò dicebam.per has iurat Theocritus in Edyllio v.οὐ μὰ τὰς,οὔτ' αὐτὰς τὰς λιμνάδας, ὦ 'γαθέ,νύμφας. id eſt,Non per,non per ipſas Limnadas,ô bone, nymphas. hæ & Limnææ à Græcis dicuntur.vnde manifeſtus eſt ſcripturæ error in commentarijs Apollonij & Phauorini.qui pro λιμναῖαι ſcriprum habent ἠμναῖαι.Hæ & λιμνακίδες interdum dictæ ſunt.Hinc Ouid.libro quinto Metam. nymphæ nomen deduxit:

Edita Limniace vitreis peperiſſe ſub vndis Creditur.

Nymphæ faciles plerunque appellatæ ſunt. Vergilius:

Et quo,ſed faciles Nymphæ riſere,ſacello. in Bucol. Idem in Georg.

Faciles venerare Napæas.

Sic & D. Auguſtinus lib. VI. de Ciuit. dei. Sic & Theocritus ſtatim poſt citatum carmen,

αἵ τέ μοι ἵλαοί τε καὶ εὐμενέες τελέθοιεν. hoc eſt,

Hæq; mihi facilesq; & mites, ſic rogo, fiant.

Sed de Nymphis illud hoc loco in vniuerſum dixerim, Nymphas apud poetas appellatas, non eas tantùm quas ſuprà dixi, ſed à fluminum nominibus, vt apud Ouid. à Tiberi Tiberiades, & à Pactolo Pactolides. Sic noſter Vida Seriades à Serio, & A. Naugerius Naucelides à Naucelo: id quod nec ſibi denegatū putarunt Pontanus & Sanazarius, ne nunc plures commemorem.

Napææ nymphæ conuallium, ſeu ſaltuum, quamuis Seruius fontium dicat, ἀπὸ τῆς νάπης denominatæ. Harum apud auctores crebra eſt mentio: vt, Faciles venerare Napæas. Napæus etiam Apollo cognominatus, & in Lesbo cultus fuit, vt in Saturn. ſcribit Macrobius.

Dryades & Hamadryades, nymphæ ſylueſtres, ἀπὸ τῆς δρυὸς nuncupatæ, quod generale nomē arborum eſt, & ſpeciale quercus. vnde & Querquetulanæ nymphæ, ait Feſtus, præſidentes querceto vireſcenti, quod genus ſyluæ indicat fuiſſe intra portam Romæ, quæ ab eo dicta fuit Querquetularia. Hamadryades verò nymphas ſcribit Mneſimachus dictas, quod ἅμα ταῖς δρυσὶ, hoc eſt ſimul cum arboribus naſcantur, vel ſimul interire viderent. Pherenicus Hamadryada nympham fuiſſe ſcribit, quæ cum Oxylo concubuerit. & inde natæ ſunt filiæ, Carye, Balanus, Craneum, Orea, Aegirus, Ptelea, Ampelus, & Syce, quæ à nomine matris Hamadryades dictæ fuēre. Idē recitat Athenæus in tertio Dipnoſoph. Charon Lampſacenus de Rhœco & eiuſmodi Hamadryade, fabulā narrat: cui cùm Parœbij pater parcere noluiſſet, dicenti μὴ τεμεῖν, hoc eſt ne incideret, id quod mox illi mortis cauſa extitit: quam fabulam pluribus verſibus eſt executus Apollonius Rhodius in ſecundo Argon. ex verbis Phinei & Iaſonis. Alterum tamen Rhœcum apud Pauſ. legi, qui Samius fuit, & cum Theodoro primi fuderunt formarúntq; ſtatuas. Porrò & fabulam ſimilem aliam recitat elegantiſſimè in octauo Met. Ouid. de Eriſichthone.

Ephydrides nymphæ appellatæ ſunt, quæ in aquis verſantur, vt & nomen oſtendit. de his Artemidorus lib. 2. ὀνειροκριτικῶν. item Alexander Aetolus, αὐτὸς δ' ἐν νύμφαις ᾤχετ' ἐφυδριάσιν: hoc eſt, Hic inter nymphas degit Ephydriadas. meminit & Parthenius.

Nereides nymphæ, quæ & Nerinæ dicuntur, ex Nereo deo marino & Doride natæ, à qua & Dorides nonnunquam dictæ ſunt. Ouid. Doridáque & natas, quarum pars nare videtur. Nereides verò quinquaginta ab Orpheo in hymnis, & à Pindaro in Iſthm. dicuntur. cōnumerantur verò ab Heſiodo in Theogonia, cuius verſus à me expreſſos vtcunq; hîc ſubſcribam, ne corrupta nomina earum in alijs fortè offendas. verſus hi ſunt:

Protoq;, Eucrateq;, Saoque, Amphitriteque,
Eudoreque, Thetisque, Galeneque, Glauceque,
Cymothoe, Speoque velox, Thalieque benigna,
Et Melite ſpecioſa, atq; Eulimene, hinc & Agaue,
Paſitheeque, Eratoq;, Eunece, & pulchra lacertos
Dotoq;, Plotoq;, Pheruſaq;, Dynameneq;,
Neſeeq;, atq; Actæe, cum Protomedea,
Doriſq; & Panope, ſpectabilis & Galatea,
Hippothoeq; cupita, atq; Hipponoe alba lacertos,
Cymodoce, hæc eſt quæ fluctus per cærula Ponti,
Ventorum & celeres flatus, cum Cymatolege,
Mitigat, & talis ſpectabilis Amphitrite.

Cymoq;

Cymóq;,Eionéq;,& ſerto ornata Halimede,
Glauconoméq; hilaris riſu,quæq; æquora tranat,
Leagoréq;,atq; Euagore,& tu Laomedea,
Pulynoméq;,atq; Autonome,& tu Lyſianaſſa,
Forma Euarne & natura inculpabilis vna,
Et Pſamathe grata aſpectu,& tu dia Menippe,
Nyſoq;,Eupompéq;,Themiſtóq;,Pronoeq;,
Nemertésq;:hæc patris mentem habet immortalis.

Ne verò mireris,quod bis inter has Amphitrite commemorati videatur: diuerſæ enim ſunt,id quod & ſyllabarum ratione ac tempore dignoſcimus. prior enim penultimam & antepenultimam corripit:altera verò producit,quo nomine Neptuni vxor vocatur,de qua cum Neptuno actum eſt.ſic Ouidius:

Margine terrarum porrexerat Amphitrite. Claudianus:
Neptunum gremio complectitur Amphitrite.

Oceanitides,quæ & Oceaniæ appellatæ ſunt,nymphæ Oceani & Thetyos filiæ,in quas & hymnus Orphei legitur,cum ſuffimento aromatum. harum nomina ex Heſiodo qualicunq; carmine expreſſimus,ſic:

Pithóq;,Adhmetéq;,Ianthéq;,Electráq;,
Dorísq;,Primnóq;,atq; Vranie cœleſtis,
Hippoq;,Clymenéq;,Rhodeáq;,Callirhoeq;,
Zeuxoque,Clytiéq;,Idyiáq;,Paſithoeq;,
Plexauréq;,Galaxauréq;,& amica Dione,
Meloboſisq;,Thoeq;,& pulchra nimis Polydore,
Et Cerceis amabilis,& bona lumine Pluto,
Perſeisq;,Ianera,& Acaſte,flauaq; Xanthe,
Petrææ dilecta,Meneſthoq;,Europeq;,
Metis,& Eurynomoq;,Teleſtho,& lutea Peplo,
Chryſioq;,Aſieq; ſimul,ſuauisq; Calipſo,
Eudoréq;,Tichéq;,atq; Amphiro,Ocyroeq;.
Et Styx,eſt quæ cunctarum præſtantior vna.
Hæ nymphæ,Oceanum Tethynq; habuere parentes,
Antiquæ mage:porrò alia eſt,ſed plurima turba,
Sunt ter mille quidem pedibus fuſcæ Oceaninæ.

Has etiam Vergil.& alibi,& in quarto Georgicorum commemorat:

Drymoq;,Xanthoq;,Ligeaq;,Phyllodocéq;,
Cæſariem effuſæ nitidam per candida colla,
Neſæeq;,Spioq;,Thaliaq;,Cymodocéq;,
Cydippe,& flaua Lycorias,altera virgo,
Altera tum primùm Lucinæ experta labores,
Clioq;,& Beroe ſoror,Oceanitides ambæ,
Ambæ auro,pictis incinctæ pellibus ambæ,
Atq; Ephyre,atq; Opis,atq; Aſia Deiopeia,
Et tandem poſitis velox Arethuſa ſagittis:
Inter quas curam Clymene narrabat inanem,&c. Idem poeta.
Oceanúmq; patrem rerum,nymphásq; ſorores,
Centum quæ ſyluas,centum quæ flumina ſeruant.

Vbi Seruius ait,aut ducẽtas nymphas aſſerit,aut finitus eſt numerus pro infinito.nam & ipſe paulò ante ex Heſiodo ter mille attuli.Sanè Cymothoe Neptuno à Vergilio aſcribitur,vt in primo Aeneidos,

Cymothoe ſimul & Triton adnixus,acuto
Detrudunt naues ſcopulo.

Dicta ἀπὸ τοῦ θέειν τὸ κῦμα, vt ait Seruius. alij ab vndarum velocitate, hoc eſt, θοῦ τοῦ κύματος.

Naiades, quæ & Naides, fontium nymphæ vocabantur, παρὰ τὸ νάω, quod fluo ſignificat. hæ & πηγαῖαι & κρηναῖαι dicunt. Homerus, νύμφαι κρηναῖαι κοῦραι Διός. hoc eſt, Fontanæ nymphæ natæ Iouis. Naiades verò Porphyrius in commentatione in Homeri antrum, dictas ait ἀπὸ τῶν ναμάτων, id eſt, ab aquis et fontibus. His etenim appellari exiſtimat potentias aquis præſidentes: olim autem, & animas communiter omnes, quæ ad generationem deſcendere putabantur. Exiſtimabāt enim animas aſſidere aquæ diuinitùs afflatæ, vt inquit Nummenius. Hac de cauſa volunt & Prophetam dixiſſe, Spiritū dei ferri ſupra aquam. Sed ab his ego libenter abſtineo.

Potamides nymphæ etiā appellatæ, id eſt fluuiales, quas & fluminibus præeſſe tantummodo putauit antiquitas. meminit Lactantius in tertio Theb. Dictæ, quia ποταμὸς, fluuius dicitur.

Meliæ inter nymphas numerabantur, vt eſt apud Heſiodum, & Apollonij interpretes. Dictæ verò à Melia Oceani, vt Callimachus cecinit in hymno Deli: tametſi eius ſcholiaſtes id parum percepiſſe videatur, ſuper hæc poetæ verba,

ἡδ' ὑποδινηθεῖσα χοροῦ ἀπεπαύσατο νύμφη, αὐτόχθων μελίη. id eſt,

Ipſa autem Melie indigena acta dolore quieuit
Nympha choro.

Sed enim ex Meliis nymphis homines natos fabulati ſunt, quòd vel ſub arboribus naſci contigerit: vel quòd ibi exponerentur, vt Proclus in Heſiodum notat. Palæphatus ἐν ἀπίστοις, eos ridet qui dicunt genus hominum ex fraxino, hoc eſt, ἐκ τῆς μελίας progenitum. nam à Melo, inquit, potius dicti, vt ab Ione Iones. Fuit & Melia nymphę nomen, Iſmeni ſoror, Temeni mater, cuius Pindarus meminit, & eius interpretes. Heſiodus in Theogon. Melias nymphas natas ex amputatis teſticulis Cœli à Saturno, vnà cum Erinniis & Gigantibus ait,

Νύμφας θ' ἃς μελίας καλέουσ' ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν. hoc eſt,

Nymphas quas Melias vocitant telluris in oras.

Quo loco Proclus ait, animalia rationis expertia ex arboribus eſſe. Ioan. Zezes grammaticus nomina Meliarum in Comment. Heſiodi hæc eſſe ait: Helice, Cynoſura, Arethuſa, Ide, Crime, Britho, Celæno, Adraſtea, & Glauce. Idem alibi videtur Melias cū Oreſtiadibus & Hamadryadibus coniungere. Porrò nymphæ etiam ἐπιμηλιάδες eadem ratione vocatæ fuere, item μηλιάδες, vt Heſychius notat: & vt Phauorinus ſcribit, μαλίδες Dorice, & μαλιάδες.

Caberides nymphę à Cabiris nominatæ, vt Argiuus Acuſilaus prodit, & Pherecydes. hic ex Cabera Protei filia & Vulcano tres Cabiros, totidémque nymphas Caberidas ortas ſcribit: ille ex eodem Vulcano & Cabera Camillum natum ait, ex quo Caberi nati ſunt, & è quibus Caberides nymphæ. Idem & Strabo ſcriptum reliquit, & nonnihil ipſe in Caberis attigi. Parum mihi, an eædem ſint quæ Telchimiæ nymphæ dicebantur, quarum apud antiquos mentio inuenitur.

Dodonides nymphæ à Dodona Epiri nūcupatæ ſunt, vbi oracula notiſſima reddebantur. Sacerdotes hæ ibi fuerunt, & miniſtræ, quas ita effingit Philoſtratus in Imaginibus, vt rigida ac ſacra quadam ſpecie eſſe viderentur. nam & ſuffitus & libamina exhibere, & miniſtrare propè videbantur. ipſum lege Philoſtratum. Ab Hygino proditum eſt, ex Pherecydis ſententia ſeptem Hyadas, de quibus paulò pòſt agemus, Dodonidas nymphas appellatas.

Cithæroniades nymphæ, à Cithærone monte Bœotiæ nūcupatæ, in quo oracula dabantur. hæ & Sphragitides dicebantur, ab antro quod in eo monte fuerat, vt Pauſ. in Bœot. ſcribit, in quo hæ nymphæ reſponſa reddebant. Quidā huius montis ſummitatem Sphragitin nuncupant. Harum quoque nympharum Plutarchus in vita Ariſtidæ meminit, quin eis etiam ſtata ſacra ex Aeantide

tribules quotannis peragere ſolebant. hæ, vt puto, & Sphragiæ ab Orpheo in hymnis dicuntur.

Corycides, quæ & Coryciæ nymphæ, à Corycio antro montis Parnaſſi vocatæ, vt idem docet Pauſ. de his & poeta Ouid. cùm in ſexto lib. Metamorph. tum etiam in epiſtolis mentionem facit. Memoratur & celebre alterum Coryciũ antrum in Cilicia, à Mela, & aliis.

Anigrides nymphæ ab Anigro flumine nuncupatæ, teſte Strabone & Pauſ. in Ele. Anigridum nympharum in Samico ſpecus fuit, haud procul à flumine Anigro, in quem ingreſſi vtiliginibus laborantes, huiuſcemodiq; cæteris morbis, ſi nymphis his ſacra ſpopondiſſent, Anigrúmq; fluuium innataſſent, ſanabantur: ſi credere dignum eſt. Fuerunt & Agriades nymphæ, quarum mentio apud Heſychium: niſi ſit mendum in codice, vt ſunt in eo plurima, vt pro Agriades, Anigrides ſcriptum ſit.

Iſmenides nymphæ dictæ ſunt ab Iſmeno Bœotiæ celebri flumine, quarum templũ, vt Pauſ. docet in Attica, fuit apud Myrrhinuſios Atticæ populum. Ouidius Metamorph. libro tertio,

Thuráq; dant, ſanctáſq; colunt Iſmenides aras.

De Iſmenio verò Apolline, agemus in Apolline.

Sithnides nymphæ Megarenſes, vt idem Pauſ. ſcribit. Erat, inquit, in vrbe Athenarum fons, quem ędificiis Theagenes conſtruxit, cuius filiam Cyloni Atheniensi nupſiſſe ferunt: Cylo rerum potitus fontem ædificio ornauit, egregij ſanè ſpectaculi amplitudine, columnarúmq; multitudine. in eum fontẽ aqua illabebatur, quam σιθνίδωας νυμφῶας nuncupabãt, quas Megarenſes populares ſuas eſſe affirmabant: & cum vnius earum filia Iouem concubuiſſe, & inde Megaram natam Deucalionis tempore, qui diluuium euaſiſſe dictus eſt in montem Geraniam, cùm eo tempore nondum ſic eò nomine vocaret: ſed quòd ad γεράνων, id ęſt gruum ſuperuolantium clangorem ille enatarit, inde Gerania eſt monti nomen inditum.

Amniſiades, & Amniſides nymphæ, nũcupatæ ſunt à Cretenſi ciuitate Amniſo, vt Stephanus auctor eſt.

Ionides nymphæ, teſte Pauſ. ab Ione Gargetti filio denominatæ, quarum nomina fuêre Calliphæa, Synallaxis, Pigæa, & Iaſis. harum fons & templum fuit apud amnẽ Cythæron, in agro Eliorum. Huius fontis virtus, vt ſi ægroti in eum deſcenderent, ſanarentur à langoribus.

Luſiades nymphæ appellatæ ab aquis, apud quas homines frigoris captandi gratia diuerſari ſoliti eſſent.

Pteridas nymphas quaſdam Heſychius commemorat, ab herba quapiã quæ πτέρις dicitur Gręcè, Latinè filix.

Heliades nymphę, quæ & Phaethontiades appellatæ ſunt, quòd Phaethontis ſorores eſſent, & in arbores populos cõuerſæ. Ouid. fabulam explicat in Metamorph. à ſole dictę, qui ἥλιος dicitur. Vergilius in Bucolicis;

Tum Phaethontiadas muſco circundat amaræ Corticis.

Fabula eſt notiſſima Græcis & Latinis ſcriptoribus: & has in Imaginibus graphicè effinxit Philoſtratus: vti etiam Centauridas nymphas, Centaurorum filias vario equorum colore aſſimilatas, libro ſecundo.

Hereſides nymphæ quędam, dictę ἀπὸ τῆς ἥρας, id eſt à Iunone: quæ Iunoni lauacra miniſtrabant, vt ſcribit Heſychius.

Themiſtiadæ nymphæ, à Themide nuncupatæ, eodem Heſychio auctore, leguntur.

Gorgones tres fuêre ſorores, Phorcynis filię: Euryale, Stheno, & Meduſa. quarum capita draconum ſquamis obſita fuiſſe dicuntur, dentes maximi ſuũ inſtar. itẽ manus & alæ quibus per aera ferri dicebantur, & in ſe intuentes in ſaxa vertere, ex tribus verò Meduſa mortalis fertur fuiſſe, ideoq; à Perſeo decollata:

reliquæ

reliquę duæ ſorores immortales Perſeum nequiuêre conſequi, quòd Orci galeâ obtectus, vt ait Hyginus, non cernebatur: hinc illæ tandem eum perſequi deſiuêre. Gorgonas Seruius, in extremâ Africæ circa Atlantem montem fuiſſe ſcribit, vnúmq; omnes oculum habuiſſe, quo inuicem vterentur. Serenus tamē ait, puellas eas fuiſſe vnius pulchritudinis: quas cùm vidiſſent adoleſcentes, ſtupore torpebant. vnde fingitur, quòd ſi quis eas vidiſſet, vertebatur in lapidem. Harum allegoriam in primo explicat Fulgentius, & eò ſubtilius Io. Zezes grammaticus in commentario in Heſiodum. Scribit Pauſan. in 2. vbi de Argiuis agit: In foro, inquit, Argiuorum tumulus terræ conſurgit, in quo conditũ ferunt Meduſæ Gorgonis caput. De qua nullam vt fabulæ rationem habeamus, hæc memoriæ prodita ſunt: Phorci eam filiam fuiſſe: patre mortuo, acceptum ab illo regnum, eorum populorum qui Tritonidem paludem accolunt, tenuiſſe: ſolitam in venationes & pugnas exire cum Afrorum, quibus imperabat, manu. quare cùm Perſei copijs, quas illò lectiſſimas ex Peloponneſo adduxerat, acie occurriſſet, noctu per inſidias oppreſſam. Mortuæ pulchritudinem admiratum Perſeum, præciſum caput, vt ſpectaculo eſſet, in Græciã reportaſſe. At Proclus Carthaginenſis Eucratis filius, veri forte ſimiliorem hiſtoriam literis mandauit: in Africę deſertis beſtias gigni multas mirabili ſpecie, atq; inuſitata: feros inter eas viros ac fœminas. ac virum ſe Romam illinc deportatum vidiſſe teſtatur. Conijcere itaq; ſe, ex illis fœminis vnam fuiſſe Meduſam, quæ cùm à ſuis gregib. aberrans veniſſet ad Tritonidem paludem, ciues accolas male mulctaſſe, vſq; dũ à Perſeo eſt occiſa. adiutricem verò Perſeo Mineruam fuiſſe iccirco proditum, quòd qui ſtagnum illud accolunt homines, Mineruæ ſacri ſunt. Sanè & Gorgona Cyrenaici Pallada vocabant.

Grææ quoque Phorci filiæ in nympharum numero habitæ fuêre, tres, Pephredo, Enyo, & Dinon: ſic nuncupatæ, quòd ſtatim vt natæ ſunt, anus fuiſſe ferunt: & vnicũ tribus oculũ, vnicúmq; dentē, quibus viciſſim inter ſe vterent.

Sirenes ab aliquibus etiam inter nymphas connumerantur, quæ & à patre Acheloides vocatæ fuerunt, de quibus Homerus in Odyſſ. XII. & Orpheus in Arg. itémq; Apollonius in quarto, (ne Latinos commemorem) in commentarijs Zezes in Heſiodum, quod & ipſe in Muſis retuli. Sirenes filię dicuntur Terpſichores, ſeu Melpomenes, & Acheloi. Seruius tamen Calliopes ait. Hyginus in fabulis ita ſcribit: Vlyſſes peruenit ad Sirenes, Melpomenes Muſæ & Acheloi filias: quæ partem ſuperiorem muliebrem habebant, inferiorem autem gallinaceam. Harum fatum fuit, tamdiu viuere, quamdiu earum cantum mortalis audiens nemo præteruectus eſſet: & cætera, quæ poetæ narrant. Sed & de his idem Hyginus, in eodem lib. cap. CXLI plura, nec multo aliena à ſupradictis. narrat enim à Cerere dea mutatas, & inſuper addit earum fatum. quidam tres cõmemorant, Parthenopen, Leucoſiam, & Ligiã. Alij Aglaophemem, Thelxiepiam, Piſinoem, & Ligiam. alij duas tantùm, & ſine nomine. vt Euſtathius notat. alij quatuor: nec qui quinq; ſcripſerint defuêre. Græci tradunt grammatici, Sirenas à pectore habuiſſe ad ſuperiora στρουθῶν, id eſt paſſerum ſpeciem, inferiora verò mulierum. De his ita propemodum Seruius: Sirenes ſecundum fabulam tres in parte virgines fuerunt, & in parte volucres, Acheloi fluminis & Calliopes Muſæ filiæ. harum vna voce, altera tibijs, alia lyra canebat. & primò iuxta Pelorum, pòſt in Capræis inſula habitauerunt: quæ illectos ſuo cantu, in naufragia deducebant. Secundum veritatem, meretrices fuerunt, quæ tranſeuntes quoniam ducebant ad egeſtatem, his fictæ ſunt inferre naufragia. has Vlyſſes contēnendo deduxit ad mortem. Buccatius ex Albrico ignobili ſcriptore, eis virgineũ corpus vmbilico tenus attribuit, & gallinaceos pedes. quidam eas in pratis, vbi multa eſſent mortuorum corpora, ſtatuerunt: vel, vt Vergilius cecinit,

Iámq; adeò ſcopulos Sirenum aduecta ſubibat,
Difficiles quondam, multorúmq; oſſibus albos.

In Bœot. eſt à Pauſ. proditum, Sirenas ab Iunone impulſas, vt cum Muſis canendo certarent: quas cùm cantu facilè Muſæ viciſſent, eis pennas euulſerunt, ſertáq; ſibi ex iis effecêre. Stephanus & Apteram vrbem in Creta ex re appellatam ſcribit, quo loco certamen fuit. Strabo de Sirenis lib. primo agit, déq; earũ ſacello, & Sirenuſis inſulis, quæúe loca ipſæ incoluerint. Prætermitto quæ traduntur à Palæphato, & à Fulgentio, ne nimius ſim: ſi vacat, eos legito.

Hyades quoq;, quæ & Pleiades dicuntur, à noſtris verò Vergiliæ & Succulæ: ſunt à Pherecyde Athenienſe nymphæ Dodonides dictæ, quarũ hæc nomina prodit: Ambroſia, Eudora, Pedile, Coronis, Polyxo, Phyleto, Thyene. Aratus verò his duob. verſibus earum nomina protulit, quem & noſtri ſecuti ſunt:

Alcyone, Meropéq;, Celænoq;, Electraq;,
Taygete: Steropéq; ſimul, venerandaq; Maia.

Muſæus Hyades ex Atlante & Electra Oceani filia genitas ait: vnde & Atlãtides cognominatæ ſunt. quarum frater fuit Hyas, à quo illis nomẽ eſt inditum. hoc licet perperam apud Hyginum legatur. Scribit Zezes grammaticus in Heſiodi comment. Atlantis filias fuiſſe 7 (licet corruptè 12, codices habeant) & filium vnum Hyanta, qui ſerpentũ venationẽ exercebat, à quo Hyades dictæ. Alios idem dicit ab Y elemẽto, hoc nomẽ deriuare. Sed & alii ab ὕω, pluo deducunt. Pleiades verò nuncupatæ, vel à Pleione, vel ꝙ plures fuerint. vide Hyginũ. In Commentariis verò in Theocritum, harũ nomina ita legimus, Coccimò, Glaucia, Protis, Parthenia, Maia, Stonychia, & Lampadò. Alii has dicunt: Electram, ex qua Dardanũ: Maiã, ex qua Mercuriũ: Taygetã, ex qua Lacedæmona Iupiter procreauit: Alcyonẽ, ex qua Neptunus Irea: & Celænò, ex qua Lycum & Nyctea, idem Neptunus ſuſtulit: Steropẽ, ex qua Mars Oenomaũ: & vltimã Meropen, quæ Siſypho nupſit. Conſimilia ferè traduntur ab Ouid. in Faſt. Hæ aũt poſt ver exoriuntur, occidũt hyemis initio. plura Hyginus in Tauro, aliiq;.

Hoc loco illud addere viſum eſt, quod idẽ Hyginus in Fab. cap. CXCII ſcribit. ait enim: Alii exiſtimant Meropem conſpici erubeſcere, quia mortalem virum acceperit, cum cæteræ deos haberent. ob eámq; rem de choro ſororum expulſa, mœrens crinem ſolutum gerit, quæ cometes appellatur, ſiue Lonchodes, quia in longitudinem producitur: ſiue Xiphias, quia gladii mucronis effigiem producit. ea autem ſtella luctum portendit.

Thyſiades nymphæ quædam ab Heſychio ſcribuntur, furentes & bacchantes. ſed & hoc eodem nomine ſacratæ quædam Proſerpinæ mulieres dicebanẽ. quin & idem auctor ait, bacchantium vocem Thyſiada dici. Thyadas verò bacchas vocari, notiſſimum eſt, & Thyas numero vnius.

Nyſeides, & Nyſiades nymphę, à Nyſa monte, in quo nutritus, & vnde appellatus Dionyſius. quæ tamen variis in locis fuiſſe traditur. nam & in Bœotia, & India, & Arabia à ſcriptoribus reponitur. Ouid.

—— Inde datum nymphæ Niſeides antris
Occuluere ſuis, lactisq; alimenta dedere. Cætera in Baccho dicta.

Proſelenides nymphæ Arcadicæ nuncupatæ, quo modo Arcades ipſi προσέληνοι dicti, vt auctor eſt Heſychius.

Mycaleſides nymphæ Samiæ dictæ. Callimachus in Deli hymno. γείτονες ἀγκαίου μυκαλησσίδες ἐξείνισαν. hoc eſt, Vicinæ Ancæi Mycaleſides exceperunt. Denominatæ verò à monte Mycaleſo, qui Samo è regione poſitus eſt, vt Stephanus ſcribit: qui præterea & Mycalen Cariæ deſcribit, & Mycaleſſum vrbem mediterraneam Bœotiæ, cuius & Thucydides in ſeptimo meminit. dicta quidem, ꝙ ibi bos Cadmi ἐμυκήσατο, id eſt emugiuerit. Fuit & alia in Caria, teſte Ephoro in tertio.

Lelegeides nymphæ, in primis à poculis nuncupatæ. Ouid. in Metamorph.

Libyſſatides quædam nymphæ connumerantur ab Heſychio: ex loco nomẽ.

Glyphiæ nymphæ, à Glyphio antro & monte dictæ.

Calliſte-

Calliſtephani nymphæ, denominatæ à Calliſtephano olea, teſte Pauſania.

ἀβαρβαλλαῖαι nymphæ quędam nũcupatæ. nã & ἀβαχ̧βαρύη nomẽ fuit nymphæ. Thurides & Muſæ & Nymphæ, à Macedonibus. Idem hoc ſcribit Heſych.

Goniades nymphæ, quarum templum fuit apud Cytherium fluuium, vt ſcribit Strabo in octauo, quod non multum aberat ab Heraclea.

οἰνησιάδες nymphæ à Lesbiis nuncupatæ: & οἰδηίδες nymphæ quędam in Cypro, vt Heſychius teſtatur.

Pyrſanides quoq; nymphæ, vt idem ſcriptor commemorat, quæ à facibus vel igne, hoc eſt ἀπὸ τοῦ πυρσοῦ nominantur, qui dari ſolet in ſignum.

Phruxonides etiam nymphæ à Columella quędam appellantur, quæ Meliſſas, id eſt apes educaſſe dicuntur.

Commitiæ nymphæ, teſte Varrone, vocatæ fuerunt ad lacum Cutilienſem, à Commatu ſcilicet dictæ, quòd ibi inſula in aqua commoueretur. ſic etiam à lacu Velino, dea vel nympha Velina.

Nunc de pleriſq; aliis nymphis ſingularibus agendum, ſeorſum ab his quas antè ex Heſiodo recitaui.

Amalthea & Themis nymphę fuerunt, vt ex Muſęo refert Hyginus, quibus à matre Ope Iupiter alendus eſt traditus. Amaltheam autem ferunt habuiſſe capram in deliciis, quę Iouem aluiſſe dicitur. Parmeniſcus verò Amaltheã capram dixit regis Meliſſei, cuius lacte, cùm aliud non haberent ad puerum alendum, nutriuere: qua de re tot ſunt fabulę Gręcis & Latinis cõfictæ ſcriptoribus, adeò vt eam in cœlo vſque collocarint. Lege Diod. Siculum, & Strabonem, qui hac de re non pauca ſcripſerunt. Palęphatus etiam fabulam expoſuit. Quidam has nymphas Adraſtiam & Idam dixêre, Meliſſei filias. aliter tamen recitat Ouidius lib. 5. Faſt.

Nais Amalthea, Cretæa nobilis Ida,

Dicitur in ſyluis occuluiſſe Iouem. lege cętera. Sed & cornu Amaltheæ in prouerbium deductum eſt, de quo Eraſmus inter cęteros. ſed Amaltheæ etiam pellem, quę dipthera dicta eſt, Iupiter accepit, in qua res humanas perſcriberet. Plutarch. eandem & Adraſtiã Iouis nutrices ait: Iunonis verò vnam, Eubœam: Apollinis duas, Alethiam & Corythalan: Bacchi plures. quod non abſq; myſterio factum ait, quia ſcilicet multa aqua ad vini mixtionem conueniat.

Aega & Helice, nympharum nomina, quæ ex Oleno natę, & ipſæ Iouis nutrices feruntur, vt Hyginus, aliique prodiderunt. quidam Aegam Panos vxorem dixêre, vt alibi docuimus, à qua & Aegis dicta. Plura Hyginus. alij Helicem & Cynoſuram dixêre. Hyginus in ſecundo, alij.

Aegle etiam nymphę nomen: Maro in Bucol. Aegle Naiadum pulcherrima, &c. Solis & Neæræ filia. αἴγλη Latinè ſplendor dicitur. eſt & lunę nomen: item ludi genus, & placentę, vt apud Gręcos obſeruamus. Aegles pręterea viri proprium, qui mutus cùm eſſet, repentè vocalis factus eſt: vt Val. Maximus & Gellius ſcribunt.

Acamarchis nymphę nomen, filię Oceani, apud Diodorum.

Amphithoe quoq; nymphę nomẽ, à circumcurrendo appellata, & velocitate: quemadmodum à circumfluendo Amphirrhoe, & Amphinome à cirumpaſcendo. plura interpretes Heſiodi.

Eunica, Malis, & Nycha, nympharum nomina in 13. edyll. Theocriti, quę Hylam Herculis puerum rapuerunt.

Caſſotis nomen nymphę, quę nomen dedit fonti qui apud Delphos erat, de quo Pauſ. in Phocaicis, his verbis: Vbi lapidem ſpectaueris, ſi pedem retuleris quaſi ad fanum rediturus, fontem videas cui nomen Caſſotis. murus ei obiectus eſt. per murum ad fontem aſcenditur. aquam credunt eius fontis ſub terrã mergi. in templi penetrali fatidicas fœminas verſibus aiunt reſponſa dare, quę fonti nomen dederunt, fuiſſe de nymphis vnam Parnaſſi accolis.

Thetis nympha ex Nereidũ numero, mater Achillis: de qua cùm cæteri poetæ adeò fabulati ſunt, tum maximè Homerus, qui in primo Iliados eã ait Iouem defendiſſe, cùm dei cæteri contra illum conſpiraſſent:

Illum cùm vellent alij conſtringere vinclis
Diui, Iuno, Neptunusq́ue, & Pallas Athena. quam fabulam interpretatur Phurnutus, quo loco agit de Briareo, qui & Aegæon dictus eſt. hanc præterea nympham Iouem optaſſe, & poetæ narrant: ſed oraculo deterritum abſtinuiſſe. Ouidius, alij: inter quos Hyginus in Fab. cap. LIIII.

Calliſthô nymphæ nomen, Lycaonis filiæ, quæ cùm Dianæ comes eſſet, ab Ioue compreſſa filium Arcada genuit: amboq́ue, hoc eſt mater & filius, in cœlum relati: ipſa Arctos, id eſt vrſa: Arcas verò, Arctophylax, dicti ſunt. lege Ouidiũ, & quæ multa in ſecundo libro Aſtronomici poetici ab Higino ſcripta ſunt, & quæ ab Arato, & quæ in Aratũ, tã Græcè quàm Latinè ſcripta ſunt cõmentaria.

Argyra nomen nymphę fuit, cuius amore cùm Selemnus adoleſcens torqueretur, obiit eius nimio deſiderio. qui à Venere in cognominem fluuiũ mutatus fuit: cuius aquam amantibus prodeſſe ad amoris remedia, fuit opinio. in ipſo enim amantes flumine abluti, deſiderij obliuionem concipere putabantur. At verò Argyram ipſam & fonti & vrbi Argyræ nomen dediſſe, Pauſanias tradit.

Daulis nymphæ nomen, Cephiſi filiæ, quæ vrbi nomen dedit: quæ vel Terei & Philomelæ ac Prognes fabula notiſſima eſt. vide Pauſ. in Phocaicis.

Crenis, Crenidis nymphæ nomen, teſte Priſciano grammatico in ſeptimo, & Ouidio in Metamorphoſ.

Echidnam etiam nympham Heſiodus facit in Theog. dimidia ſui parte puellam ſpecioſam, quæ in quaſcunque partes oculos flecteret: dimidia verò altera parte, qua ſerpens immanis erat, in cauerna diuerſans, & cruda mandens. hęc cũ Typhone mixta, peperit Orthum canem, Cerberum, & Hydram. cętera notiora ſunt, & ex noſtris lege. Echenais quoq́ nympha, vel Daphnidis amore cognita: de qua, fabula legitur apud Parthenium.

Salmacis nympha, Cœli & Terræ filia molliſſima, fertur fuiſſe cauſa fontis Alicarnaſſi aquæ appellandæ Salmacidis: quam qui bibiſſet, vitio impudicitiæ molleſceret. ob eam rem, quòd eius aditus anguſtatus parietibus, occaſionem largiebatur iuuenibus petulantibus puerorum puellarúmq́ violandarum, quia non patebat effugium. inde Ennius: Salmacidas ſpolia ſanguine & ſudore. Hęc Feſtus. meminit M. Cicero. vide Victruuium libro 2, cap. 8. Ouidius quarto Metamorph.

Vnde ſit infamis, quare male fortibus vndis,
Salmacis eneruet, tactosq́ue remolliat artus,
Diſcite: cauſa latet, vis eſt notiſſima fontis. Idem libro decimoquinto:
Cui non audita eſt obſcœnæ Salmacis unda?

Thiſoa, ſeu Theſoa, Neda, & Agno, nympharum nomina apud Arcades, quę & ipſæ Iouem aluiſſe dicuntur, vt Pauſ. in Arcad. Theſoa quidem vrbi nomen dedit apud Parrhaſios, Neda fluuio, Agno fonti in monte Lycęo. meminit harum & Marullus in hymnis, & Nedę Callimachus in Iouis hymno.

Nedę & Ithomes in Ioue Ithomate mentionem fecimus. Porrò Pauſ. in eodem libro paulò pòſt, vbi de Creſio monte agit, inquit: Aràm Mineruę tradunt erectam à Melampode Amythaonis filio. aræ inſiſtũt Rhea & Oenoe nympha, paruulum Iouem complexæ, vtrinque quaternis aſſiſtentibus nymphis: ab vna parte, Glauce, Neda, Thiſoa & Anthracia: ab altera Ida, Agno, Alcinoe, & Phrixa, &c.

Aſia nympha, quam inter Oceanitides commemoraui, de ea etiam Varro de Lingua Lat. Aſia, inquit, dicta à nympha, à qua & Iapeto trahit Prometheus. Legimus & ab hac tertiam orbis partem appellatam, vt ab Europa Agenoris alteram, tertiam à Lybia; de quibus plura in Annotationibus.

Acacalis

Acacalis nymphæ nomen, quæ ab Apolline compreſſa in Creta, filios edidit Phylaciden & Philandrum. Pauſ. meminit, & Apollonius in Argon.

Lotus nympha, quæ in plantam ſui nominis conuerſa dicitur, cùm eam fugientem Priapus comprimere vellet: Ouidius.

Orphne nympha Auernalis, de qua Ouid. quintọ Metamorph.

——Solúsq; ex omnibus illud
Aſcalaphus vidit, quem quondam dicitur Orphne.
Inter Auernales haud ignotiſſima nymphas,
Ex Acheronte ſuo furuis peperiſſe ſub antris.

Mintham nympham, in mentham herbam mutatam à Proſerpina, pluribus oſtendi in Iunonis Syntagmate, quare illinc repete.

Cyane nymphæ nomen, quæ Proſerpinæ comes fuit, quam, ea rapta, nimio eius deſiderio in fontem delituiſſe, teſtis eſt Ouid. in Metamorph. meminit eius & Claudianus. Lactantius grammaticus in 5. Theb. comment. hanc ab Anapo amatam tradit, & aliam recitat fabulam.

Melinoe ab Orpheo nympha Chthonia, id eſt terreſtris dicta eſt. ita enim ad hanc hymnum cum thymiamate aromatum exorditur:

Μηλινόην καλέω νύμφην χθονίαν, κροκόπεπλον. hoc eſt,
Melinoem vocito crocea quæ veſte niteſcit,
Nympha inter Chthonias.

Sagaritis nomen nymphæ, à Phrygiæ fluuio denominatæ. Ouid. in 4. Faſt.

Fallit, & in nympha Sagaritide deſinit eſſe,
Quod fuit: hinc pœnas exigit ira deæ.

Sanè fluuius σαγγάριος in Græcis ſæpe legitur, vt in eo Heſiodi in Theogon. Σαγγάριος τε μέγας: & Apollonium in ſecundo. Sangarius verò fluuius (vt dixi) Phrygiæ eſt, quem Marlianus Sangarum vocat. Hermogenes verò in eo quem de Phrygia ſcripſit, Sangam quendam fuiſſe ait, impium erga Rheam, quem illa in hanc aquam immutarit: vnde eſt hic fluuius Sangarius, prope quem Oreę Cereris templum fuit, vt in Cerere etiam repetam.

Bolina nomen nymphæ virginis, quam Apollo amauit: illa autem amantem deum auerſata, ſe in mare proieciſſe fertur: verùm Apollinis beneficio immortalis eſt reddita. ab hac ergo & vrbs, & fluuius, nomina ſortiti ſunt in Achaia. hęc ex Pauſ. & Stephano, ac Rhiano deſumpta.

Iuturna nympha, vt Varro ſcribit in libro de Lingua latina, quæ iuuaret: itaque multi ægroti propter id nomen, hanc aquã petere à fontibus ſoliti. Iuno verò apud Vergilium in duodecimo ait, Nympha decus fluuiorũ. & paulò ſuprà:

Extemplò Turni ſic eſt affata ſororem
Diua deam, ſtagnis quæ fluminibusq; ſonoris
Præſidet: hunc illi rex ætheris altus honorem
Iupiter, erepta pro virginitate ſacrauit.

Quo loco inter cętera Seruius: Iuturna, inquit, fons eſt in Italia ſaluberrimus, iuxta Numicum fluuium, cui nomen à iuuando inditum eſt. de hoc autem fonte Romam ad omnia ſacrificia aqua afferri conſueuerat. hęc quidem adhuc Seruius. Porrò tradunt alij, Iuturnam in lacu fuiſſe ſummerſam, cui ipſa nomen indiderit. Colebatur quidem à Romanis. Ouid. in Faſt.

Te quoq; lux eadem Turni ſoror æde recepit, quæ ædes erat ad aquam virgineam, vt ait P. Victor, in regione circi Flaminij:

Hic vbi virginea campus obitur aqua.

Quibus poetæ verbis oſtenditur, Iuturnam in campo Martio prope Virgineam aquã cultam fuiſſe. Variè tamen ab antiquariis hoc tempore de Iuturnæ aqua traditur. quidam enim eam ſtatuunt in eo loco, qui nunc vulgò Treglio appellatur, qui non infirmis rationibus agũtur: alij alio loco, prope forum ſcilicet,

non procul à Circo, quo loco memini me ſępe cùm Sanga & Iul. Sadol. & aliis deſcendiſſe, vt fontem conſpicaremur.

Aegeriam etiam nympham Numæ Pompilij regis, vt aiunt, vxorem Romani coluêre, eíq; ædem conſtruxêre. cum hac cõgreſſus Numam habere ſolitum, Græci ac Latini hiſtorici prodiderunt. quin & Aegeriæ lucus illi dicatus fuit, quem (vt ait Liuius) medium ex opaco ſpecu fons perenni rigabat aqua: quem lucum Camœnis ſacrum, in noſtris Muſis retulimus. Dionyſius Alicarn. libro ſecundo Hiſt. nympham ſcribit Aegeriam Numam Pompil. adiiſſe aſſiduè, docentem regiam ſapientiam. alij non nympham ipſam, ſed Muſarum vnam: atque hoc dicunt omnibus manifeſtum fuiſſe, & cætera quæ ſubdit: quibus in vtranque partem diſputat, deáne an non fuerit. Plutarchus quoq; in Numa, multa dè Aegeria ſcribit, quæ & ab aliis traduntur. Sed illud prǽterea addit, quomodo huiuſmodi dearum congreſſus fieri cum hominibus exiſtimarentur à gentibus. Feſtus verò, Aegeriæ lucum iuxta portam Capenam conſtituit. Ouid. in tertio Faſtorum:

Aegeria eſt quæ præbet aquas, dea grata Camœnis,
Illa Numæ coniunx, conſiliúmq; fuit.

Idem poeta libro quintodecimo Metamorphoſeos, eam mutari inducit in fontem à Diana:

——*Donec, inquit, pietate dolentis*
Mota ſoror Phœbi, gelidum de corpore fontem
Fecit, & æternas artus tenuauit in vndas.

Fuerit porrò ne hæc, an altera, Egeria, non ſatis liquet, quæ à mulieribus coleretur, quòd eã opitulari credebant partu egerendo: vnde & illi nomen, de qua & in primo Syntagmate meminimus. Huic etenim prægnantes ſacrificabant, quòd eam putarent facilem conceptum egerere.

Egnatia nympha in Apulia celebrabatur, à qua & loci nomen, vbi deam cultam fuiſſe proditum eſt: in cuius ara lignis ſuperpoſitis extructiſque, ignis ſua ſponte excitari accendíq; ab antiquis exiſtimabatur. Plin. lib. 2. miraculi meminit, non autem nymphæ.

Philyra, quæ in tiliam arborem conuerſa eſt, nympha fuit Oceanine, de qua poſt alios ita ſcribit Hyginus in lib. Fab. CXXXVIII. Saturnus, inquit, Iouem cum quæreret per terras in Thracia, cum Philyra Oceani filia, in equum conuerſus concubuit: quæ ex eò peperit Chironem centaurum, qui artem medicam primus inueniſſe dicitur. Philyra poſtquam inuſitatam ſpeciem ſe peperiſſe vidit, petit ab Ioue, vt ſe in aliquam ſpeciem commutaret. quæ in arborem philyram, hoc eſt tiliam commutata eſt. Porrò & Chiron ipſe à Vergilio cæteriſq; poetis Phillyrides vocatus eſt. Tithorea nympha, vna ex his quę cum aliis arboribus, tum maximè quercubus, à Poetis genitæ finguntur, quæ & Dryades & Hamadryades dicuntur. ab hac verò Tithorea & ciuitas & iugum Parnaſſi nuncupatum, ait Pauſan. in vltimo.

Legimus & alia ꝓpè innumerabilia nympharũ nomina apud vtriuſq; linguę auctores, quæ infiniti ſit laboris omnia collegiſſe: vt nõ modò verũ ſit quod Seruius ſcribit, CC fuiſſe nymphas: ſed quod etiã ſcripſit Heſiodus in Theogonia,


Τρεῖς γὰρ χίλιαι εἰσὶ τανύσφυροι ὠκεανῖναι. hoc eſt,
Nam nymphæ tribus extant millibus Oceanitæ.

Quare ideo ad alia me conuertam.

CASTORES, VEL DIOSCVRI.

CAſtor & Pollux, Caſtores dicti, & Gręcè Dioſcuri, Iouis filij, de quibus ita M. Cicero de Nat. deorum: Dioſcuri, inquit, apud Graios multis modis nominantur. Primi tres, qui appellantũ ἄνακες, Athenis ex Ioue rege antiquiſſimo & Proſer-

Proſerpina nati, Tritopatres, Eubuleus, Dionyſius, Secundi, Ioue tertio nati, ex Leda, Caſtor & Pollux. Tertij dicuntur à nonnullis, Aleo, Melampus, & Eumelus, Atrei filij, qui Pelope natus fuit. Hæc quidē M. Cicero. Quos ita natos ſcribit Hyginus in Fabulis: Iupiter Ledam Theſtij filiam in cygnum conuerſus, ad flumen Eurotã compreſſit, & ex eo peperit Pollucem & Helenam: ex Tyndareo autem, Caſtorem & Clytemneſtram. Sed communis opinio Dioſcuros Caſtorem & Pollucē, vt diximus, vocauit: qui & Caſtores & Tyndaridæ dicuntur. Caſtoris, inquit Varro, Gręcum, et Pollucis à Gręcis in Latinis literis veteribus nomen quod eſt inſcribitur, vt ϖολυδεύκης, Polluces: non vt nũc, Pollux. Sanè Caſtor & Pollux, vt idem teſtaẽ Varro, ab aliquibus Samothraces dei exiſtimati. Caſtorum igitur alter pugil, alter equûm domitor, vt eſt apud Homerum. Certè & Theocritus eos ἀεθλητῆρες nuncupauit, in eidyllio peculiari. Item Pollucem ἀεθλοφόρον, & Caſtora ἱππόδαμον, cognominatos inuenimus. Iſidorus lib. x. agēs de ludis Circenſibus: Itaq́, inquit, Caſtori & Polluci deputanẽ hæ ludorum ſpecies, quibus à Mercurio equos diſtributos hiſtoriæ docent. Et Pollux quidem pugil fuit. nã & eum legimus, cum in Caſtorem fratrē quendam obloquentem audiuiſſet, eum pugnis interemiſſe, vt tradit Iſidorus. Hyginus, qui Auguſti libertus fuit, multos reliquit libros à ſe ſcriptos, quorũ pleriq́ deſiderantur. inter eos, qui habenẽ, eſt Fabularũ liber, in quo de Polluce ita legimus: Amycus Neptuni & Melies filius, Bebriciæ rex. in huius regna qui venerat, cęſtis cogebat ſecũ contēdere, & deuictos perdebat. Hic cũ Argonautas prouocaſſet ad cæſtus, Pollux cum eo contendit, & eum interfecit. Sed fabulam hanc poetæ, qui Argonautica ſcripſere, & eorum interpretes, pluribus prodidere. Sanè idē Hyginus hanc Pollucis & Caſtoris fabulã cōmemorat: Idas, inquit, & Lynceus, Apharei filij, ex Meſſenis habuerunt ſponſas, Phœben & Ilairam Leucippi filias. Hæ autē formoſiſſimæ virgines cum eſſent, & eſſet Phœbe ſacerdos Mineruæ, Ilaira Dianæ, Caſtor & Pollux amore incenſi, eas rapuerunt. Illi amiſſis ſponſis, arma tulerunt, ſi poſſent eas recuperare. Caſtor Lynceũ in pręlio interfecit: Idas amiſſo fratre, omiſit bellum & ſponſam, cœpitq́ fratrē ſepelire. Cũ oſſa eius collocaret in pila, interuenit Caſtor, & prohibere cœpit monumentũ fieri: quòd diceret, ſe eũ quaſi fœminam ſuperaſſe. Idas indignans, gladio quo cinctus erat Caſtori inguina traiecit. Alij dicũt, quemadmodũ ędificabat pilã, ſuper Caſtorē impuliſſe: & ſic interfectũ. Quod cũ annunciaſſet Polluci, accurrit, & idē vno prælio ſuperauit, corpúſq́ recuperatũ ſepulturę dedit. Cũ autē ipſe ſtellam ab Ioue accepiſſet, & fratri nō eſſet data, ideo ꝙ diceret Iouis, Caſtorē ſemine Tyndarei & Clytemneſtrã natos, ipſum autem & Helenã Iouis eſſe filios: tunc deprecatus eſt Pollux, vt liceret ei munus ſuũ cum fratre cōmunicare. cui permiſit: ideóq́ dicitur alterna morte redēptus. vnde etiã Romani ſeruant inſtitutũ, cũ deſultorem mittũt, vnus duos equos habet, pileũq́ in capite, & equo in equũ tranſilit, quod ille ſua & fratris vice fungaẽ. atq́ hęc quidē Hyginus. Ex quibus, & Vergilij & Propertij, aliorũq́ poetarũ loca multa interpretari poſſumus. Sed enim amicus meus Thyleſius gloriari ſolebat, ſe primũ cōperiſſe & ꝓdidiſſe, ideo amphitheatra ouali forma cōſtructa, ꝙ Polluci deo pugili ea dicata eſſent, qui deus ex ouo editus fuiſſet. etenim in amphitheatris ludi gladiatorij, & cętera athletarum certamina fieri ſolebant. Specioſa interpretatio Thyleſij. Alij tamen, quòd facilius ea forma multitudo ſpectantium contineretur, & quòd ex duplici theatro conſtare videantur. circum tamen ſoli, alij Neptuno, alij alij dicatum prodiderunt. Caſtores igitur ſub forma duorum fratrum effingebantur, robuſti, formoſi, in capite pilea habentes: vnde & pileati fratres vocati, vt infrà dicam: auctores, Catullus & Feſtus. Supra caput flammam igneam etiã habere videntur, qualem eis apparuiſſe canit Orpheus. Apuleius in x, caſſides in capite geſtare ſcribit, ſtellarum apicibus inſignes: quales & ſuperiores, & hos etiã poſteriores in veteribus numiſmatibus aliquando conſpexi. Suidas tamen, auctore Aeliano horũ effigies ita fermè deſcribit. Duo enim ſimulacra eorũ fuiſſe ait, pari iuuētute,

quæ genas haberent imberbes, forma ſimilia, & in humeros chlamydem haben tia, & enſes ſub chlamyde, & haſtas erectas, quæ per dextram & ſiniſtram extol lebantur. Scribit Plut. in eo qui περὶ φιλαδελφίας, id eſt de amore fraterno inſcribitur: quòd Spartiatæ antiqua Dioſcurorum ἀφιδρύματα, hoc eſt, ſimulachra dedicata, δόκανα vocabant. Erant verò duo ligna parallela, duobus obliquis coniugata. id quod putabāt fraterno Deorum amori oblationis proprium eſſe, id eſt ἀναθήματος commune & indiuiſibile: ſic:  Fuerūt Caſtores etiā interdum equis albis ſedentes effic̄ti, quales apud Sagram Locrenſium in notiſſimo prouerbio celebrati: & quales P. Vacieno, cùm è prætura Reatina Romam veniret, noctu apparuerunt, dicentes, Perſen regem illo die captum, quod ille Senatui nunciauit. qua de re Cic. in tertio de Nat. deorum plura. Scribit enim, apud Regillum in ſilice apparere tanquam veſtigium vngulæ Caſtoris equi: & in foro ab A. Poſthumio ædem Caſtori & Polluci dedicatam. Hiſtoria à pluribus eſt recitata. Quæritur hoc tempore à pleriſq́; qua fori parte eſſet hæc Caſtorum ædes. Quidam D. P. Coſmi & Damiani templum Caſtorum exiſtimarunt: alij, iuxta Iuturnæ fontem, quod innuere videtur Ouidius in Faſtis, ita canens:

Fratribus illa dies, fratres de gente deorum,
Iuxta Iuturnæ compoſuere lacus.

Qui de vrbis Romæ antiquitatibus & regiōibus ſcripſere, & ipſi inter ſe diſſentiunt, cùm tamen frequens ſit eius templi mentio Ciceroni, Liuio, Plut. Horatio, Catullo, Varroni, Dionyſio, Plinio, alijs: ita tamen, vt mihi non vnum, ſed plura fuiſſe videantur. Feruntur & aliquando apparuiſſe peregrino habitu, vt Simonidem ex conuiuio cùm vocarunt. Hiſtoria eſt notiſſima Ciceroni, Valerio Maximo, F. Quintiliano. Sed & Phormioni Lacedæmonio eorum ædes poſſidenti, à quo cùm partem ædium non accepiſſent, in qua eius filia virgo cuſtodiebatur, abijſſe feruntur, ac poſtridie nec puellam inuentam, nec comites. Sed iam nomina interpretemur.

Caſtores igitur interdum dicti, vt ex iam ſcriptis oſtenſum eſt, & interdum etiam Polydeuces. Quin etiam Decaſtores vocati ſunt, ni Arnobij impreſſus codex mentitur. Hæc eius ſunt verba ex primo aduerſus gentes: Tunc clari Decaſtores, equos vnus domitare conſuetus, alter pugillator bonus; & crudo inexpugnabilis cœſtu. Alij tamen codices legunt, Tyndaridæ Caſtores.

Dioſcuri quidem Græcis, Iouis pueri, vel filij, à noſtris dici poſſunt. Sed præter ea quæ ex Cicerone citaui, Theocritus poeta edyllium reliquit, Dioſcurorū titulo inſcriptum, cuius hoc eſt initium.

ὑμνέομες Λήδας τε καὶ αἰγιόχω Διὸς υἱώ,
Κάστορα, καὶ φοβερὸν πολυδεύκεα, &c. hoc eſt:
Cantamus Ledæ natos, Iouis Aegiochiq́;,
Caſtora, Pollucemq́; trucem.

Sed tamen Philo & Euſebius ex Phœnicum theologia ita ſcribunt: E Saturno & Selech natos Dioſcuros, & deinde Dioſcurorum poſteros nauigia fabricantes nauigaſſe aiunt. At nos hæc exotica, & à noſtris & Græcis aliena, mittamus. Pauſanias in Attica, Nemeſin Helenes matrem Græcos tradere ait, Ledam verò nutricem: patrem Iouem, non Tyndarum. Iſaacius quoque ita ferè: Iupiter in cygnum conuerſus, cum Nemeſi Oceani filia in anſerem mutata concubuit: quæ cùm ouum peperiſſet, id in palude reliquit. quod cùm paſtor neſcio quis inueniſſet, Ledæ attulit: ea verò in arca ſeruauit, quouſque ex eo nata eſt Helena, quam vt propriam educauit. Hyginus autem in Aſtron. poetico, hanc aliter recitat, in Olore. ait enim, Iouem, cùm Nemeſim, vt ſecum cubaret, flectere nō poſſet, iuſſiſſe Venerem, aquilā ſimulare & ſe in olorem verſum inſequi: quo facto, ipſe fugiens aquilam Venerē, in Nemeſeos gremium confugit:

quem non auerſata, & conſopita, ab Ioue compreſſa eſt: ſtatutóque tẽpore ouum peperit, quod Mercurius in gremium Ledæ proiecit, ex quo nata Helena. Sunt etiam qui tradant, Iouem in formam ſtellæ mutatum, Ledam vitiaſſe, & Caſtorem atque Pollucem genuiſſe: deinde Helenam, vt ſuprà dictũ eſt. Tradunt alij, Iouem in cygnum conuerſum, Ledæ congreſſum, & nocte eadem Tyndarum: ex Ioue Pollucem & Helenam natos, ex Tyndaro Caſtorem: mortalem hunc, illos autem immortales. Sed mendoſe, vt puto, Heſychius: Dioſcuros ait Helenæ fratres: Zethum & Amphiona, λευκοπώλυς nuncupatos, & ſtellas quæ nauigantibus apparerent, & ſignum ἐνδυτικὸυς. Porrò & Dioſcuria feſtum fuit Caſtorũ.

Tyndaridæ etiã frequenti cognomine vocati ſunt Caſtor & Pollux, quo modo Amphitryoniades Hercules: hoc eſt à marito matris, non à parente Tyndaro. Ouidius:

Vos quoque Tyndaridæ, quos hæc colit inſula fratres,
Mite precor duplici numen adeſte rati.

Illud hoc loco tantùm, quod de ouo fabulantur, cæteris miſſis, afferam. Quidam enim vnum id tantùm tradunt, alij duo: quidam & triplex, vt Auſon.

Triplex Helenæ cum fratribus ouum. Idem:
Iſtos tergemino quos naſci cernis ab ouo.

Sanè quidam exponunt, quòd ὤοις non modò ouum aliquando, ſed ſuperiorem etiam domus partem, id eſt ὑπερῷοις, hoc eſt cubiculum & thalamum, vt Homerus primo Odyſſ. ait, Penelopes ὑπερῷοις. hinc facta fabula, cuius rei & Athenæus meminit.

Therapnæi fratres dicti Caſtor & Pollux, à Therapneuico Laconiæ, vt Pindari interpretes in Pyth. tradunt, item Iſocrates in Helena. Stephanus tamẽ Theramnen, aliíque nõnulli libentius legunt. Theramnæi etiam fratres vocati ſunt. Iſocrates, & Statius noſter in Theb.

——Cùm iam damnata ſororis
Igne Therapnæi fugerunt carbaſa fratres.

Oebalij fratres interdum etiam dicti ſunt eadem ratione, qua Therapnæi & Amyclæi: hoc eſt, ab Oebali parte Laconiæ. Statius idem:

——Proferte benigna
Sidera, & antennæ gemino conſidite cornu,
Oebalij fratres, longè nymboſa ſororis
Aſtra fugate precor, totoque excludite cœlo.

Hoc eſt, Helenam fugate. nam, vt Soſibius monumentis prodidit, Helenam mali, Caſtorem verò & Pollucem boni cauſa apparere exiſtimarũt antiqui. qua de re pluribus capite nono in Re nautica egi.

Anachæ, qui & Anaces, Caſtores appelati ſunt, quòd tempeſtates depellant. idẽ & ἄνακες ſunt, παρὰ τὸ ἀνάσσω ἀνακὸς, vt φυλάσσω φυλακὸς, μαλάσσω μαλακὸς. vel dicti quaſi ἀνακῶς, quòd benignè & humanitùs Athenienſibus affuerunt: vel quòd nauigantes ſeruare crederentur ſtellæ iſtæ apparentes ſuprà & longè, hoc eſt, ἄνω καὶ ἑκάς. vnde Attici componentes, ἀνακῶς dixerunt. Euſtathius ἀπὸ τοῦ ἀναχῶς ἔχειν dictos exiſtimat. Fuit & celebritas apud Græcos, quæ τὰ ἀνάκεια dicebatur, quaſi depulſoria dicas. Sed de hiſce plura in eodem capite nono diſſerui amplius, & Theocritus in edyllio Dioſcuris inſcripto, & Horatius libro primo Carminum:

Dicam & Alciden, puerosque Ledæ,
Hunc equis, illum ſuperare pugnis
Nobilem: quorum ſimul alba nautis
Stella refulſit.
Defluit ſaxis agitatus humor,

Concidunt venti, fugiúntq; nubes,
Et minax (quod ſic voluere) ponto
Vnda recumbit. Idem alibi Horatius:
— Tyndaridæ ſidus ab infimis
Quaſſas eripiunt æquoribus rates.

Hinc & Seruatores, hoc eſt σωτῆρες nũcupati ſunt: teſte Artemidoro libro ſecundo Onirocriticôn: & Orpheo ad Muſæum, cùm ait,

Καὶ μεγάλους σωτῆρας ὁμοῦ διὸς ἄφθιτα τέκνα. hoc eſt,
Et magni Seruatores Iouis optima proles.

Et Theocritus in ſuprà citato poemate eos Soteres, Eqtes, Cithariſtas, ac Athletas nuncupat. Σωτῆρας nonnulli ſeruatores, alij ſalutares interpretati ſunt. Scribit Diodorus Siculus, Orpheum, cùm tempeſtate vnà cum cæteris Argonautis agitaretur, deis Samothracibus vota feciſſe pro ſalute ac incolumitate: & extemplò ſedatam tempeſtatem, cùm duo aſtra ſupra Pollucis & Caſtoris capitibus cecidiſſent, deorúmq; ſe prouidentia ſeruatos credidêre. Vnde, inquit, factum eſt, vt qui tempeſtate deprehenſi forent, Samothracibus deis vota facerent, aſtráque apparentia Caſtori & Polluci attribuerunt. Hæc ferme Diodorus. Sed enim Aelianus ſcribit in quarto de Varia hiſtoria, quòd Mneſtheus Potei filius gratus fuit erga Tyndaridas. ij enim eiectis Theſei filiis, & Aethra Theſei matre captiua facta, regnum Mneſtheo tradidere. atq; ideo Mneſtheus primos ipſos ἄνακας, id eſt reges, vt quidam interpretantur, & ſeruatores, id eſt σωτῆρας appellauit. Scribit Orpheus ipſe in Argon. quòd cùm eſſent Argonautæ tempeſtate & procellis agitati, arrepta lyra tum cantare cœpiſſe: quo cantu mare pacatum, igneúmq; ſplendorem ſupra Caſtoris & Pollucis capita affulſiſſe: quod & Val. Flaccus repetit. Iouem enim ita in prima inducit:

Dixit, & ingenti flammantem nubila ſulco
Direxit per inane facem, quæ puppe propinqua
In bifidum diſceſſit iter, fratréſq; petiuit
Tyndareos, placida & mediis in frontibus hæſit
Protinus amborum, luménq; innoxia fudit
Purpureum, miſeris olim implorabile nautis.

ἑτερημέρους Caſtorem & Pollucem Homerus vocauit, hoc eſt, qui alternis diebus fata ſubirent: & vt canit Vergilius in ſexto,

Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itq; reditq; viam toties. quo loco Seruius: Helena & Pollux de Ioue nati, immortales fuerunt. nam Caſtor Tyndari filius fuit, cuius mortem interitu fraterna pietas redemit. quod ideo fingitur, quia horum ſtellæ ita ſe habent, vt occidente vna, oriatur altera. hæc Seruius. Alij Geminorũ ſignum adeò amplum eſſe dixerunt, vt altero oriente, alter latêre videatur. Sed quos Homerus Heteremeros vocauit, hos Pindarus παρ᾽ ἆμαρ, hoc eſt per diẽ, vel interdiu prope Therapnes domos, nũc in Iouis aula viuere in Pyth. dixit. Porphyrius tamen in Homerũ, ſi modò Porphyrius ea ſcripſit, in 3. Iliad. Idam & Lynceũ ſcribit Aphareī filios, Leucippidũ amatores, ad nuptias Tyndaridas aduocaſſe Caſtorẽ & Pollucem, qui ſponſas Phœben & Ilairam rapere conati ſunt. hinc orto certamine, Idã Caſtorẽ occidit: ſed hac re iratus Iupiter, Idam fulminauit: Pollucíq; optionẽ dedit, vtrũ immortalitate ſolus vti vellet, an cũ fratre vitã communicare. ille cum fratre maluit alternis viuere. Proinde apud ſuperos nunc Caſtor, nũc Pollux, & cõtrà, apparere vident. hinc Homer. ἑτερημέρους ait eos viuere, & mori. Pauſanias tamẽ in Lacon. eos ſcribit, 40 anno poſtquàm pugnaſſent aduerſus Idã & Lynceum, in deorum numerũ fuiſſe relatos. Illud quoq; annotatione dignũ eſt, quod in Quæſtionibus ſcribit Plut. Mixarchageuam Caſtorem vocatum ab Argiuis, quem apud ſe humatum affirmabant. iidem Pollucem vt cœleſtem colebant.

Gemini

Gemini quoque Latinè dicti ſunt, & Græcè δίδυμοι, vt notiſſimum eſt ex iam recitatis vel fabulis, vel hiſtoriis: imò etiam gemelli nuncupati. Catullus: Séque dedicat tibi gemelle Caſtor, & gemelle Caſtoris.

Ambulij etiam cognominati à Laconicis, vt Pauſanias prodit, quorum etiam ara fuit eo in loco, vbi & Iupiter & Pallas eodem cognomine colebantur, vt in Ioue ſcripſimus.

Laperſæ Caſtores cognominati, à λᾶ ciuitate Laconica, cuius Stephanus & Lycophron meminêre, & copioſius Pauſ. Heſychius dictos ait à Laperſe vrbe, quam Homerus Laan dixit: οἵ τι λάαν ἔχον: id eſt, Quique Laan habitant. Sic verò appellata, quòd in petra excelſa ſita eſſet. Lan Strabo ſcribit à Caſtore & Polluce per obſidionem expugnatam: monumentis relatum eſſe, inde illos Laperſas appellatos. Sophocles,

Νὴ τὼ λαπέρσα, νὴ τὸν εὐρώταν, τρίτον,
Νὴ τοὺς γ᾽ ἐν ἄργει, καὶ κατὰ σπάρτην θεούς.

Senarij ſunt, quos ego ita pro tempore,

Per & Laperſas, & per Eurotam, per &
Iam tertium Argis, & prope Spartam deos.

Apheterij Caſtores etiam appellati ſunt, vt Pauſanias ait in Lacon. Aduerſus, inquit, principiũ ſunt Dioſcuri ἀφετήριοι, quaſi quòd in carceribus templum haberent.

Amyclei præterea fratres nuncupati ſunt, ab Amyclis notiſſimo Laconiæ oppido, vbi nutriti dicuntur. hinc poeta in tertio Georg.

Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis Cyllarus.

Atqui, inquit Seruius, Caſtor domitor equorum fuit: ſed fratrẽ pro fratre poſuit, poetica licentia. vt, Quas illi Philomela dapes: pro Progne. item, Reuocato à ſanguine Teucri: pro Dardani. aut certè ideo Pollucẽ pro Caſtore poſuit, quia ambo licenter & Caſtores & Polluces vocantur. nam & ludi & templum & ſtellæ Caſtorum vocantur. Amyclæ verò dicuntur, vt Pauſ. & Stephanus tradunt, ab Amycla Lacedæmonis filio.

Pileati poſtremò fratres dici videntur à Catullo in hoc ſcazonte.

A Pileatis nona fratribus pila. nam pilea Caſtori & Polluci antiqui dedêre. Quin Lacones fuerunt, quibus pileatis pugnare mos fuit, vt Feſtus ſcribit. Sunt qui pileũ ſcribant vinctum fuiſſe foliis harundineis. atque hactenus de Dioſcuris.

AEOLVS, VENTI.

AEolus deus ventorum, Iouis filius, ex Aceſta filia Hippotæ Troiani, à quo, vt ab auo, Hippotades eſt appellatus: non quòd Hippotæ filius fuerit, vt pleriſque placuit, inter quos Ioan. Zezes grammaticus in Heſiodum, nam & ipſum mathematicum fuiſſe ſcribit: Homerus in Odyſſ.

αἴολος ἱπποτάδης φίλος ἀθανάτοισι θεοῖσι. id eſt,

Aeolus Hippotades dis cœli charus amicus.

Ouidius vndecimo Metamorphoſ.

Aeolon Hippotaden cohibentem carcere ventos.

Vt verò Seruius ſcribit, ex Varronis ſententia, Aeolus cùm apud inſulas Siciliæ & Italiæ propinquas temporibus Iliacis regnaret, ex conſurgentibus nebulis futuras tempeſtates prædicebat, ita vt à rudibus hominibus crederetur eas in ſua poteſtate tenere. quod & Strabo etiã notauit. Plinius hunc ait ventorum rationem inveniſſe. de hoc ita poeta in primo Aeneidos, de Iunone agens:

Nimborum in patriam, loca fœta furentibus auſtris,
Aeoliam venit. hîc vaſto rex Aeolus antro
Luctantes ventos, tempeſtateſque ſonoras,

Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.
Illi indignantes magno cum murmure montis,
Circum clauſtra fremunt: celſa ſedet Aeolus arce,
Sceptra tenens, mollitq; animos & temperat iras.
Ni faciat, maria ac terras cœlumq; profundum
Quippe ferant rapidi ſecum verrantq; per auras. & reliqua.

Item paulo pòſt: *—Tenet ille immania ſaxa,*
Veſtras Eure domos: illa ſe iactet in aula
Aeolus, & clauſo ventorum carcere regnet.

Quæ tamen omnia ferè deſumpta ſunt ex 10. Odyſſ. lib. & vterque poeta phyſica ratione vſus. nam motus aeris, id eſt Iunonis, ventos creat, quibus Aeolus præeſt. Diodorus Siculus ſcribit, Aeolum ſeneſcente Liparo, cum ſocijs quibuſdam ad eum deueniſſe, eiúſq; filiam vxorem duxiſſe, & poſt Liparum ſocerum Vulcanijs inſulis, quæ ab Aeoli nomine poſtea Aeoliæ nuncupatę fuerũt, imperaſſe, piúmq; fuiſſe ac iuſtum regem: quin & erga hoſpites perhumanum, & velis nautas vti docuiſſe: ex ignis etiam diligenti obſeruatione, qui venti futuri eſſent, prædicere ſolitum. vnde & illum fabulæ ventorum potentem ac regem finxêre, & ob eius pietatem & iuſtitiam deorum amicum exiſtimatũ. Hæc quidem ex Diod. Hinc ab Homero in Odyſſ. & à Vergilio ventorum deus cõfictus eſt. Palæphatus in lib. Incredibilium, rem ita explicat: Aeolum ait aſtrologum fuiſſe, qui tempora noſſet, quibus venti flare debent: atq; ideo deum ventorum exiſtimatum. Ciuitatiſq; ſuæ mœnia ex ære conſtruxiſſe dictus, quòd ſcilicet armatos haberet homines in eius præſidio. Homeri interpretes quidam Aeolum allegoricè annum interpretati ſunt: & eius duodecim filios, 12 menſes. Strabo verò ex Polybij ſententia: Aeolus, inquit, in ipſius freti locis, in quibus eſt maris reciprocatio, & nauigationis difficultas, per fluxus atq; reflexus aggrediendi ſigna præmonſtrauit. itaq; ventorum cuſtodem atque regem creditum fuiſſe tradit. Legimus verò in Græcis commentarijs, Aeolum vxorem habuiſſe Teleporam Læſtrygionem, quam quidam Leopatram vocant: ex qua liberos duodecim, ſex mares, & totidem fœminas ſuſtulit. mares ſunt hi, Iocaſtus, Phalacrus, Chryſippus, Pheremon, Androcles, & Xuthus. Diod. verò hos ita enumerat: Aſtyochus, Xuthus, Androcleus, Pheremon, Iocaſtes, Agathyrſus, & q́bus in regionibus imperarunt, & nomina dederunt, exequitur. fœminæ autem hæ feruntur, Iphthe, Aeole, Peribœa, Dia, Hepheſtia, & Aſtycrate. Sanè duos Aeoli nomine fuiſſe legimus, qui & interdum confunduntur. nam vt eſt apud Diodorum, & Direchiden, itémq; Seruium, prior Aeolus Hellenis filius fuit, poſterior Hippotę. Alij aliter, vt à principio dicebam. nam ex Ioue natum tradunt, & ex Aceſta, vel Segeſta, filia Hippotę Troiani: vnde eſt Hippotades, vt dictum eſt, cognominatus. Plutarch. etiam in Parallelis, Aeolum Tyrrhenorum regem facit, qui ex Amphithea filias ſex, & totidem mares ſuſceperit. eorũ Macareus natu minimus, vnius amore, quam Canacem noſter vocauit Ouidius, incenſus, eam vitiauit: vnde ex nato infante res eſt cognita. pater iratus enſem filiæ miſit, quo ſe inſelix puella occidit. id mox Macareus intelligens, ſibi quoq; ipſi manus conſciuit, vt Soſtratus libro ſecundo rerum Tyrrhenicarum prodidit. In hoc loco illud tibi ſignificandum duco, Aeolum Tyrrhenorum regem appellatum à Plutarcho & Soſtrato: quia antiqui totum illud mare Tyrrhenum dixêre, quod Italiam & Siciliam alluit. Hinc qui Plutarchum eſt interpretatus, rectius feciſſet, ſi Tyrrhenorum, vt Græcè habet, non Thuſcorum vertiſſet: quod anſam pręſtitit aliquibus, vt hallucinarentur. Audio & hac de re cõpoſitas Tragœdias. Sed nos de ventis ſequamur. Quidam & Ventos ipſos deos fecerunt, vt in primis oſtendit Orpheus, qui hymnos eis adolet cum libano, id eſt thure, Boreæ ſcilicet & Zephyro ac Noto. ſed & Herodotus in Polymnia, ait inter cætera quę ex oraculo Gręci fecêre ad arcendam & expiandam deorum iram in

Perſarum deſcenſu in Græciam, eos Ventis aram in Thyia ſtatuiſſe, eo loco vbi Thyiæ Cephiſi filię fanum fuit. Sed & Ventos antiqui coluerũt. Vnde legimus, Phœnicem Vſoiem ventis templa poſuiſſe, & illis ſacra feciſſe: id quod & Euſebius ex eorum theologia repetit in Præparatione Euangelica. Vergilius etiam Aeneam inducit, pecudem Zephyris felicibus albã immolaſſe. Legimus & Auguſtum vota Circio feciſſe vento, ne Galliam infeſtaret: & votũ ſacrũmq; exoluiſſe. cuius venti plerunq; tãta vis erat, vt tecta auferret. Calabri quoq; in Iapygia, & Apuli, Atabulo vento, Athenienſes Scironi, Pamphylij Gagnæo vota facere conſueuerunt, ne incolas tabe afficerent, néve arua depopularentur. Thurij quoq; magno affecti beneficio, ſacra Boreæ fecerunt, quòd Dionyſij claſſem, quam in eorum perniciem parauerat, funditus euertiſſet ac diſieciſſet. Hac eadem ventorum ratione & Anemotis Minerua cognominata fuit, à ventis, vt in Minerua planius oſtendã. Scribit in Corinth. Pauſanias, in Titanes colle apud Sicyonios, ventorum aram poſitã fuiſſe, in quã quotannis ſacerdos nocte vna ventis ſacrificabat, & ad quatuor ſcrobes alia multa peragere ſolebat arcana myſteria, ad placandam & mulcendam ventorum vim ac feritatem: Medeæ etiam ſimul carmina concinuiſſe. Alia pleraque hîc ex Homero & Apollonio, & aliis Gręcis Latiniſq; poetis afferre poſſem: ſed eorum quædam in ſacrificiorum Syntagmate comprehendam. Nunc ventos ipſos commemorabo. Venti igitur, Aſtræi filij dicti fuere, qui vnus fuit de Titanibus, qui contra deos arma ſumpſerunt. Hic cum Aurora concubuiſſe dicitur, vnde nati ſunt venti, vt ſcribit Heſiodus: quem ſecutus eſt Seruius. Ex quo exit illud Vergilij,

Tantáne vos generis tenuit fiducia veſtri?

Sane & hoc annotatione dignum videtur, tres, non quatuor ventos feciſſe antiquiores, vt Orpheum in hymnis, Boream, Zephyrum & Noton: Acuſilaus quoq;, vt eſt apud Ioan. Grammaticum, tres tantum ab Heſiodo poſitos ait, vt etiam ab Orpheo: nam Argeſten dicit epitheton eſſe Zephyri. Sed Homerus Argeſten Leuconoton vocauit, & Apelioten Eurum. Sed enim iam ventorum ipſorum nomina tibi breuiſſime, & regiones ſubſignabo. In primiſq; quatuor primores ſtatuam, vt videmus ingenioſe in primo Metamorph. Ouidium feciſſe: quos & alatos finxêre Gentes, nedum Hebræi, quorum rex & poeta in Lyricis carminibus cecinit,

ἐπετάσθη ἐπὶ πτερύγων ἀνέμων. Idem & alibi,

περιπατῶν ἐπὶ πτερύγων ἀνέμων. hoc eſt, volauit ſuper alas, vel vt alij reponunt, ſuper pennas ventorum. Nec alatos modo finxêre, ſed & tumentibus buccis, inflatis ac ſpirãtibus. Certè Notus ſic graphicè deſcribit ab eodẽ Ouid.

——*Madidis*, inquit, *Notus euolat alis,*
Terribilem picea tectus caligine vultum,
Barba grauis nymbis, canis fluit vnda capillis,
Fronte ſedent nebulæ, rorant pennæq; ſinuſq;. & reliqua.

De Zephyri pictura à Philoſtrato prodita, in primo diximus, vbi de Come deo agebamus. Sunt autẽ hi. Ab oriente brumali, Eurus, Vulturnus, Syrochus vulgò. Ab oriente æquinoctiali, Apeliotes, Subſolanus, vulgò Leuãtes dictus. Ab oriente ſolſtitiali, vel æſtiuo, Cecias, Iapyx, vulgò Græcus appellatus. Cõtrà, ab occidẽte brumali, Lybs, Africus, Garbinus nautis vulgò vocitatus. Ab occidente æquinoctiali, Zephyrus, Fauonius, Ponentes vulgari ſermone dictus. Ab occidente ſolſtitiali, vel æſtiuo, Argeſtes, Olympias, Chorus, Sciron, vulgò dictus Maeſtro. A ſeptentrione, Aparctias, Septentrio, à nautico vulgo Tramontana nuncupatus. A dextro latere verſus occidentẽ, Thraſceas, Circius, nunc populari ſermone Prouincialis appellatus. A ſiniſtro verſus orientem Boreas, Aquilo, Meſes. A meridie, Notus, Auſter, vulgò dictus Oſtro. A latere dextero verſus occidentem, Libonotus. A latere ſiniſtro verſus orientem, Phœnicias, Euronotus, & Phœnix. Sunt inter eruditos, qui in 24 nomina & regiones diſtin-

guunt. Sunt & qui in plura, ſed non aptis vocibus. Ad cognitionē igitur & ipſe 24 commemorabo, & quadripartito ſenario diuidā, exordiárque à Septentrione, vt à cœli vertice nobis ſublimi. Primus eſt Septentrio, qui & ἀπαρκτίας: ſecūdus, Gallicus: tertius, Supernas: quartus, Boreas, vel Aquilo: quintus, καικίας: ſextus, χαλέβας. Secundus deinde ſenarius eſt ab ortu æquinoctiali, cuius primus eſt ἀπηλιώτης, Subſolanus: ſecundus, ὀρνιθίας: tertius, χυρχίας: quartus, εὖρος: quintus, Vulturnus: ſextus, Leuconotus. Tertius porrò ſenarius, meridies: primus, νότος, id eſt Auſter: ſecundus, Altanus: tertius, Libonotus: quartus, λίψ, vel Africus: quintus, Subueſperus: ſextus, ἀργέστης. Quartus poſtremò ſenarius, ab occaſu: primus, ζέφυρος, qui & Fauonius: ſecundus, quæ ἐτησίαι vocantur: tertius, κίρκιος: quartus, ὀλυμπίας, vel Chaurus: quintus, ἰάπυξ, & Chorus: ſextus & vltimus, θρασκίας. Sunt demum, qui ita de ventis ſtatuant, vocabulis etiam Opicis ac Barbaris, à meridie exordientes, Auſter, Notus, Altanus, Libycus: ab auſtro, Libonotus, Libyci, Garbinus, Africus, Libs, Subueſperus, Libycius, Occiduus, Fauonius, Zephyrus, Chelidonias, Chaurus, Magiſter, Chorus, Argeſtes, Sciron, Olympias, Circius, Helleſpontias, Gallicus, Thraſceas, Meſe Grecus, Septentrio, Aparctias, Tramontanus, Charbas, Græcus. ab occidente, Aquilo, Boreas, Prodromus, Eteſiæ, Supernas, Ornithiæ, Syrochus: ab oriente, Cæcias, Subſolanus, Apeliotes, Oriens Syrochus, Vulturnus, Eurus, Phœnix, Euronotus, Euroaſter, Syrochus, ab Auſtro Leuconothus. Hæc ſunt quæ breuiſſimè collegi. Si verò quæ amplius tradūtur ab auctoribus, Ariſtotele, Theophraſto, Victruuio, Strabone, Plinio, Vegetio, Iſidoro, aliiſq; requiris, omnia fermè collecta leges àpud Valturium in libris de Re militari. Nos ideò hæc pauca attigimus, ne deorum gentiū partem vllam prætериiſſe videremur. Hunc verò laborē omnem exegi 17 calend. Nouembris, 1543. Quam diem ſemper acerbam, ſemper honoratam (ſic Dei voluiſtis) habebo, vt de patris Anchiſæ interitu Aeneas ait apud poetam:

Summus honos tibi ſancta τριὰς, quæ nomine trino
Vna viges, & cuncta foues, tua gloria tota eſt,
Quæ mihi defœto morbis anniſq;, benignè
Qualeſcunq; animi vires robúrq; miniſtras,
Ne viuens taceam elingue & ſine voce cadauer.
Salue æternùm, ſalue, & quaſſam dirige cymbam:
Dirige, ne diſiecta vagis ſit flatibus auſtri.

SYNTAGMA SEXTVM, DE PLVTONE, PROSERPINA, ET CAETERIS DEIS inferis, ad Nicolaum Vincentium.

Pluto & Perſephone, dei ſilentûm,
Et Parcæ, & Furiæ, deiq; Manes,
Omnis deniq; cœtus inferorum,
Hoc Syntagmate ſunt breui notati.
Quod munus tibi Nicolae mitto,
Hoc fratri tamen antè deſtinaram:
Sed poſtquàm irremeabiles tenebras
Hunc Orci Libitina adire iuſſit,
Tu qui hæres ſuus es, tibi hoc habeto:
Nexum ſic quoq; nominum duorum
Vno hoc munere, Nicolae ſoluam.

Magna

Magna fuit Benedicti Vincentij fratris tui indoles, magnumq́; optimarum artium ſtudium, tum omnis liberalis & digna homine ingenuo ab eo perquiſita doctrina. ſed, prò inuida fata, quo tempore in hac florentiſsima vrbe, ſub hoc Illuſtriſs. & prudentiſs. Principe, inter nos florere maximè poterat, caruit omnino rebus humanis. Vt enim de eo mittam illud, πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος, compactamq́; totius corporis ad commenſum compagem, quibus rebus omnibus fermè vrbanis adoleſcentibus antecellebat. Sed quid dicam? quo ſtudio eloquentiam cæteraſq́; diſciplinas, qua denique animi propenſione doctiſſimos quoſque & eruditiſsimos proſequebatur, Varinum, Alex. Cœlium Calcagninum, alioſq́;? quo deniq; animo me poſt longiſs. meam peregrinationem, velut alterum pelago eiectum Vlyſſem, naufragúmq;, non deſpexit, ſed vnà cum iam dictis (vt tu, omnium eius conſiliorum actionúmque conſcius, probè noſti) connumerabat, & liberalitate ſua, quantum iuueni licebat, alebat, ſuſtentabat? Quin audio, cùm extremus illi dies inſtaret (præſens ego propter aduerſam articulorũ & totius corporis imbecillitatem adeſſe nequiui) me ita tibi Nicolae commendaſſe, vt tu poſt eius immaturum & mihi ſemper acerbum interitum, à te ſim aſsiduè aliquo indies ſubſidio & ope perbenignè adiutus, licet ea tibi cũ fratribus tempora contigerint, quibus fortunæ iniquitate, iactura eſſet facultatum maxima facienda, quæ tamen clementiſsimi benigniſsimiq; Principis manſuetudine, & in ſuos ciues beneuolentia, & emendata eſt, & mitigata. Quantum igitur Benedictus, dum in viuis ageret, mihi detulerit, ipſe mihi ſum optimè conſcius, & tute (vt dixi) probè noſti. Quare cùm hoc Syntagma de Plutone & Proſerpina, cæteriſq; deis Manibus in lucem apertumq́; daturus eſſem, putaui me non paruam apud optimos quoſq; gratiam initurum, hac ipſa grati animi mei ſignificatione, ſi eius nomini & tuo, idipſum, qualecunq; eſt, darem. Accipe igitur, Nicolae, exiguum hoc licet, munus: non voluntatis tamen exiguæ, at beneuolæ, & penè dixerim immenſæ. cui ſi ita corporis vires manúſque ſuppeterent, vt merita veſtra expoſcunt, hic non iam libellus eſſet, ſed magna potius Ilias, ne dicam magnum illud Opus Antimachi, vobis mitteretur. Fraternorum manium, meiq; memor Vale. Ferrariæ.

PLVTO, ET CAETERI INFERORVM DEI.

PLVTONEM, & deos inferorum cęteros Manes, hoc Syntagmate tibi Nicolae Vicenti dum ſcribere meditor, chariſs. & amantiſsimi fratris tui Benedicti & diſcipuli mei ſtudioſiſſimi fratris memoria non animo tantùm, quo mihi ſemper inſidet, ſed ipſos etiam ob oculos eius imago obuerſari videtur. nam quo ille maximè vita dignus erat, eo citius illum mors importuna intercepit, & in ipſo adoleſcẽtiæ curſu rapuit, nóſq; adeò certiſs. ſpe, non iam indole fruſtrata eſt. Sed eius lugẽdi mo dum facere, vel illud in primis nos monere poteſt, quòd ea tempora poſt eius obitum nobis ſucceſſere, vt potius illi æternam quietem inuidere, quàm eum lugere videremur. Quare ne pręterita refricem, & obductæ penè cicatrici vngues iniicere videar, iam deos ipſos Inferos interpretandi inſtitutum aggrediar.

Igitur quem nos Latini Ditem patrem, & ſi Lactantium audiamus, & Iſidorum, Dieſpitrem vocamus, Gręci Plutonem & Haden: & qui eius imperio ſubeſſe putabantur, hoc Syntagmate commentabimur. Ditis verò nomine, vt ait M. Cicero, nuncupatus, quòd terrena vis omnis ac natura ipſi dicata putaretur. nam & omnia in terras recidunt, & ex iis oriuntur. Alij tamen, vt eſt apud F. Quintil. ideo Ditem vocatum volunt, quod minimè diues ſit. mortui enim omnibus exuti bonis ſunt crediti. Tertius verò Saturni filius ex Ope, id eſt Rhea fuit, cui inferorum regna obuenêre: vnde & Infernus Iupiter à poetis ſæpe cognominatus eſt, vt etiam Proſerpina Iuno inferna, vt paulò mox planius oſtendam. Plutonem ſcribit Diod. & ab eo ipſe in Sepulchralibus retuli, fuiſſe funerum, ſepulchrorum, & cæterorũ quæ defunctis impenduntur inuen-

torem, & propterea exiſtimatum inferis præeſſe. hinc & ſilentum, id eſt, mortuorum rex dictus eſt. Claudianus:

Rex ille ſilentium Lethæo vehitur curru.

Quem currum quadriiugum idem poeta his verſibus oſtendit:

Orphneus crudele micans, Aethonq; ſagitta
Ocyor, & Stygij crudelis gloria Nycteus
Armenti, Ditisq; nota ſignatus Alaſtor.

Hi ergo Plutonis equi. Non ignoro, alios quoſdam tres tantummodo commemorare, non inſcitè ſolùm, ſed barbaris etiam nominibus. Homerus quidem Clytopolon Plutonē cognominauit, à pullis, id eſt equis generoſis. Sanè à phyſicis & gentium antiquis theologis, omnis aeris à luna diffuſio, ſub Plutonis poteſtate conſiſtere putabatur, & Luna, quæ huic aeri propior eſt, Proſerpina, quę & ipſius coniunx credebatur. quod & Martianus ſcribit, à quo & ita (vt eius verbis agam) deſcribitur: Pluto lucifuga inumbratione palleſcens, in capite coronam ex hebeno tartareæ noctis obſcuritate furueſcens. Alij tamen cupreſſo arbore illum delectari ſcribunt, quòd ipſa ſit arbor funeſta. nam & cupreſſus funeribus adhibebatur, vel quòd cæſa non repullulat: vel quòd per eam funeſtatæ oſtendebantur domus, ſicut lætas etiam hoc tempore feſtæ indicant frondes. M. Varro tamē pyras ait ideo cupreſſo circundari ſolitas, propter grauem vſtrinæ odorem, ne eo offenderetur populi circunſtantis corona: & cætera, quæ in Sepulchralibus diximus. Phurnutus tamen, Ditem coronari ait phaſganiis, ſic appellatis, hoc eſt enſiculis: niſi fortè pro phaſganiis σπαργανοῖς, vel σπαργανίοις legendum ſit, id eſt faſciis. Nam & ita effictum me vidiſſe, ni fallor, aliquādo reminiſcor. Aliqui & adianto herba coronabant. quin & Alibanta fabulantur, διὰ τὴν λιβάδος ἀμυθιξίαν νεκρῶν, hoc eſt, quòd minus amœnitatis vita functi participes ſint. Sed & narciſſus propriè defunctis conuenire exiſtimabatur, & eo Erinnys coronabatur, vt idem ait Phurnutus: quæ, & alia pleraq;, deſiderantur in editis Aldinis & Germanis còdicibus. Pindarus præterea Plutoni virgam attribuit, qua mortuos deducat ad inferos. Nunc etiam curru vehi, nunc ſolio ſedere, finxit antiquitas. Sic verò à Claudiano poeta ex Parcæ verbis lepidè deſcribitur:

—O maxime noctis
Arbiter, vmbrarúmq; potens, cui noſtra laborant
Stamina, qui finem cunctis & ſemina præbes,
Naſcendique vices aliena morte rependis,
Qui vitam letúmque regis. nam quicquid vbique
Gignit materies, hoc te donante creatur,
Debetúrque tibi certis ambagibus æui.

Et quæ ſequuntur. Sed enim Placiades Fulgentius ita deſcribit. Plutonem enim ait ideo terrarum præſidem exiſtimatum, quòd πλοῦτος Græcè diuitiæ dicuntur, & ſolis terris credebant veteres diuitias deputari. Hunc etiam, inquit, tenebris addictum dixēre, quòd ſola terræ materia ſit cunctis elementis obſcurior. Sceptrum quoque manu geſtare putabant, quòd regna ſolis competant terris. Tricerberum verò canem eius ſubiiciebant pedibus, quòd mortalium iurgiorum inuidiæ ternario conflentur ſtatu, id eſt, naturali, caſuali, accidentali, vt Fulgentij ipſius verbis vtar. Alij verò ſic tradunt: Sceptrum breue, quod geſtare fingebatur, inferioris regni ſymbolum fuiſſe: canis autem, frugum à terra partium tripartitò, in proiectionem, arationem, & germinationem diuidi, notabat. Fuēre qui clauem illi tradidēre, quòd qui apud inferos concluderentur, haud ab eo redire poſſent amplius, id quod in Eliac. oſtendit Pauſanias. nam vt ait Maro,

—Facilis deſcenſus Auerni:

Sed re-

Sed reuocare gradum, ſuperasq́ue euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt.

Plutoni etiam galeam dedêre, de qua & Homerus libro quinto Iliad. ſed & Hyginus in Aſtron. poetico, de Perſeo agens. Præterea galeam, qua indutus, ex aduerſo non poterat videri. Itaq; Græci ἄϊδος κυνέην, id eſt Orci galeam dixerunt eſſe, non vt quidam inſcientiſſimè interpretantur, eum Orci galea vſum, quæ res nemini docto poteſt probari. ſic quidem Hyginus. Euſebius verò tertio Præparat. euang. Plutonis, inquit, raptoris galea caput tegitur, quod occulti verticis ſymbolum eſt. Alij galeam Plutonis, nubem ſeu nebulam interpretantur, qua Dei obuoluerentur, quoties videri nollent. hoc pluribus ait Phauorinus. meminit & Plato libro decimo de Republica, & Origenes primo contra Celſum libro, & alij, inter quos præcipuè Eraſmus in Prouerbiis.

Hades verò, hoc eſt ᾅδης, plerique, vt Socrates ait apud Platonem, mihi videntur interpretari, quaſi ἀειδὴς, id eſt triſte, vel tenebroſum. & proinde timentes hoc nomen. Plutonem vocarunt, quam tamen ſententiam idem mox impugnat: ſiquidem, ait, plurimi quotidie illum ſubterfugerent, niſi fortiſſimo vinculo eos qui illuc deſcendunt, ligaret. tum ſubinfert, cupiditate validiſſima eos Haden illigare, qui illuc deſcendunt, quòd nullus reuertatur. & propterea illum tanquam doctiſſimum ſophiſtam Euergeten, id eſt beneficum eſſe dicit, qui ingentia, his qui penes ipſum habitant, conferat beneficia: vtpote qui vſque adeo diuitiis abundet, vt inde Pluto ſit nuncupatus. Atque ita etiam paulò pòſt ſubdit: ᾅδης igitur minimè, quaſi ἀειδὴς, id eſt triſte vel tenebroſum, ſed potius ἀπὸ τοῦ πάντα τὰ καλὰ εἰδέναι, quòd noſcat omnia pulchra. At verò Phurnutus ait Haden appellari, quòd videri minimè poſſit, quaſi ἀόρατον. Hinc & per diæreſin ἀΐδα vocarunt, vel per contrarium, ceu ἀνδάνων ἡμῖν τοῦ θανάτου, hoc eſt, morte nobis placens. Alij ab α & ἰδεῖν, id eſt, non videndo, deriuant, quod & Gaza notat, licet denſo ſpiritu proferatur. vnde & Vergilius dicit,

—Sine ſole domos. Hinc & ἀΐδης dictus eſt.

Aidoneus etiam Pluto cognominatus eſt, ab αἴδης, quæ vox ſcripta per propriam diphthongum, ſine efflatu apud Græcos legitur, per impropriam verò diphthongum, hoc eſt ᾄδης, afflatur. Sic & Aidoneius, de quo ſic Philochorus in Atthidis libro ſecundo, & Euſebius in Chronicis: Fabula Proſerpinæ, quam rapuit Aidoneus, id eſt Orcus, rex Moloſſorum, cuius canis ingentis magnitudinis, Cerberus nomine, Perithoum deuorauit, qui ad raptum vxoris cum Theſeo venerat: quem & ipſum iam in mortis periculo conſtitutum, aduenieus Hercules liberauit. & ob id quaſi ab inferis receptus dicitur. Eandem fabulam Plutarchus in Theſeo recitat: ſed Cererem Aidonei vxorem, & Proſerpinam filiam dicit. cætera penè eodem modo. Sanè & Plutoni Pallacem, id eſt concubinam Minthen aſcribit in primis Iulius Pollux in ſexto, & ante Pollucem Strabo in octauo, ſed & vtroq; antiquior Nicander poeta in Alexipharmacis.

Καὶ χλοερὰ ἀπὸ μίνθης φυλλάδες, ἢ μελίσσης. id eſt, Viridia minthæ folia, ſiue meliſſæ: quo loco & Scholiaſtes fabulam recitat. Quin & poeta noſter Ouidius in Metamorphoſi eam in plantam mutatam innuit, cùm ita in decimo canit:

——An tibi quondam
Fœmineos artus in olentes vertere minthas
Perſephone licuit.

Vide & Oppianum poſt Ouidium, libro tertio Halieuticon, qui copioſius hanc fabulam eſt executus. plura Cœlius, & Ruellius de mentha.

Ageſilaus Pluto cognominatus, παρὰ τὸ ἄγειν τοὺς λαοὺς, quòd ſcilicet populos agat. eſt enim inferorum & mortuorũ deus exiſtimatus à gẽtibus. huius memi-

nit in primo Lactantius Firmianus: & Callimachus, qui ait, φοιτῶσι μεγάλῳ ἀγεσιλάῳ. hoc eſt, Ad magnum pergunt Ageſilaum. de Ageſilao Plutone, ex Methodio & Aeſchylo, plura Athenæus. Sunt tamen qui apud Lactantium, pro Ageſilao Agelaſtum legant, quòd ſine riſu deus ſit, ſed luctuoſus. Legimus quippe Agelaſtum Plutonem vocari: & Agathalyum, quòd mortalium bona ſoluat.

Δαίγιτας quoque Pluto cognominatus eſt Pindaro, quòd (vt exponunt eius interpretes) πάντας ἄγει λαοὺς, id eſt, omnes agat populos.

Axiocerſes Pluto cognominatus eſt in Cabirorum & Samothracum ſacris; ſicut legimus in Comment. in Apoll. Rhodium, & à me alibi pluribus relatum eſt.

ἀρειμάνης verò ἅδης apud Perſas, teſte Heſychio, dictus. Arimanes quidem, & Plutarchus, aliíque meminêre, ſed non Plutonem expreſsè dixerunt.

Eubulus, & Eubulius, καὶ εὐβουλεὺς Pluto cognominatus, quòd mortalibus conſulere crederetur, finémque curis ac laboribus cæteriſque morbis afferre, vt in Alexipharmaco Nicandri interpretes exponunt. Præter Nicandrum, & Orpheus in hymnis hoc cognomine eſt vſus, & Phurnutus interpretatur. alium tamen Eubulium videtur Cicero facere in libro de Natura deorum.

Clymenon etiam Plutonem cognominari, ſunt qui ſcribant: quia ſit cauſa τῆς κλύσεως. ictus enim aer, vox eſt. Aer autem qui animas excipit, ἅδης, διὰ τὸ ἀειδὲς, ex obſcuritatis ratione ab aliquibus dictus, vt ſuperius ex Platone dictum. Idem ſcribit & Phurnutus. Laſus Hermionenſis poeta in principio hymni quem in Cererem compoſuit,

Δήμητρα κὴς μέλπω, κόραν τε κλυμενοῖο ἄλοχον. hoc eſt, Cererem cano Proſerpinámque Plutonis coniugem. De Clymeno Plutone, & Suidas quædam in ea voce ſcribit. Sed & in tertio Epigrammaton libro, duobus in locis Clymeni Plutonis mentio habetur. Quin & Pauſanias libro ſecũdo, vbi de Hermionenſibus agit, de Plutone Clymeno plura ſcribit, quæ nunc ego conſultò prætereo. Legi etiam alicubi κλύμενος ἅδης: quod an rectè ſcriptum, haud definio.

Leptynis Pluto, ſi non potius Proſerpina: dicta eſt, quòd mors ac interitus corpora mortalium attenuet.

Chthonius Iupiter Pluto vocatus ab Orpheo, in hymno Eumenidum. eas enim magni Iouis Chthonij filias, & Proſerpinę, cecinit. Vocatur idem à Triſmegiſto Hermete in Aſclepio, Plutonius Iupiter.

ἰσοδέτης, Iſodetes (inquit Heſychius, & Phauorinus) ab aliquibus Pluto. alij putant nomen dæmonis, vt in Dæmonibus dicetur. Ab aliis Plutonis filius vocatus eſt. πυλάρτην etiam cognominatum ab Homero ait Phurnutus, quòd portas habeat, quas nullus non ingrediatur. Iam nunc ad eius Latina nomina tranſeamus.

Orcus frequenter pro Plutone ipſo, & inferis capitur, ab vrgendo, tametſi quidam ex noſtris Græcum potius putauêre, ab iuramento deductum, & cum afflatu ſcribunt Horcum. alij, aſpirationem additam in poſteriore ſyllaba volunt, vnde deductum nomen proprium Orchius, & lex Orchia apud Macrobium. Nos Feſtum potius audiamus, ita ſcribentem: Orcum quem dicimus, ait Verrius, ab antiquis Vragum, quod etiam V literæ ſonum pro O efferebant, & pro C, G literæ formam vſurpabant. Sed nihil affert exemplorum, vt ita eſſe credamus, niſi quòd is deus nos maximè vrgeat. tantum ait Feſtus. Catullus:

At vobis malè ſit, malæ tenebræ,
Orci, quæ omnia bella deuoratis. Vergil.
Veſtibulum ante ipſum, primíſque in faucibus Orci.

Ab Orco, Orcinius libertus ab Iureconſ. dictus, is qui ſit ipſius teſtatoris defuncti & in Orci familiam aſcripti. Vlpianus: Qui directam, inquit, libertatem acceperunt, Orcinij erunt liberti. Non me fugit aliter alios, & quidem eruditos,

ſentire.

ſentire. Legimus & apud Martialem, illo ſcazōte, Orciniana qui ferunt in ſponda: dici pro feretro, & ſandapila. de Orci verò galea iam actum eſt.

Summanus Pluto vocatus, quaſi ſummus manium, cui (vt Plinius ſcribit) attribuebantur nocturna fulmina. In templi Iouis opt. max. faſtigio Summanus fuit, vt M. Cicero in libro de Diuin. ſcribit: Nónne, inquit, cùm multa alia mirabilia, tum illud in primis, cùm Summanus in faſtigio Iouis opt. max. qui tū erat fictilis, cœlo ictus eſſet, nec vſquam eius ſimulachri caput inveniretur, haruſpices in Tiberim id depulſum eſſe dixerunt: idq́; inuentum eſt eo loco, qui eſt ab haruſpicibus demonſtratus. De Summano & in quarto D. Auguſt. Sic enim, inquit, apud ipſos Rom. legitur. Romani veteres neſcio quem Summanū, cui nocturna fulmina tribuebant, coluerunt magis quàm Iouem, ad quem diurna fulmina pertinebant. Sed poſtquàm Ioui templum inſigne ac ſublime cōſtructum eſt, propter ædis dignitatem ſic ad eum multitudo confluxit, vt vix inueniatur, qui Summani nomen, quod audire iam non poteſt, ſe ſaltem legiſſe meminerit: & reliqua. Quod ignobilis iam factus eſſet, innuit & Ouid. ſexto Faſtorum,

Reddita, quiſquis is eſt, Summano templa feruntur,
Tunc, cum Romanis Pyrrhe timendus eras.

Varro de Ling. Lat. ait, à Tito Tatio inter cæteros deos Summanum repoſitum. Summani & Martianus meminit, & Feſtus. Sed & Plautus in Bacchid. ita inquit: Me Iupiter, Iuno, Ceres, Minerua, Latona, Spes, Ops, Virtus, Venus, Caſtor, Polluces, Mars, Mercurius, Hercules, Summanus, Sol, Saturnus, deique omnes ament. Fuit prope Circum maximum Summani ædes, ait Plinius, prope fanum Iuuentatis, cui canes ſupplicia annua pendunt. Sacellum verò in Capitolio. Summanes demum apud Martianū deos legimus, qui alij ſunt quàm qui Semones dicebantur, de quibus ſuo loco diſſeruimus.

Soranus Pluto à Sabinis nuncupatus, ex quo & Hirpini, Sorani dicti, quaſi Plutonij lupi: vel quòd is deus ibi coleret, vel quòd rapto ex reſponſo viuerent. Quo de nomine talem legimus fabulam in vndecimo Aeneidos, ſuper illo,

Summe deûm ſancti cuſtos Soractis Apollo:

Soractes, inquit Seruius, mons eſt Hirpinorum, in via Flaminia collocatus. In hoc autem monte cùm aliquando Diti patri ſacrum perſolueretur (nam Manibus conſecratus eſt) ſubitò venientes lupi exta rapuerūt: quos cùm diu ſequerentur, delati ſunt ad quandam ſpeluncam, halitum ex ſe peſtiferum emittentē, adeò vt iuxtà ſtantes necaret. & inde orta peſtilentia eſt, quia fuerant lupos ſecuti. de qua reſpōſum fuit, poſſe ſedari, ſi lupos imitarentur: hoc eſt, ſi rapto viuerent. quod poſteaquàm factum eſt, dicti ſunt populi Hirpini, Sorani. nam lupi, Sabinorum lingua, hirpi vocati, Sorani verò, à Dite. nam Ditis pater, eadem lingua Soranus dicitur.

Poſtulio etiam Pluto vocatus, vt Varro docet de Ling. Lat. de Curtio lacu loquens: A Porcilio, inquit, delatum in eo loco dehiſſe terram, & id ex S.C. haruſpicis relatum eſſe reſponſum, deum manium Poſtulionem poſtulare. Non deſunt qui redarguant, ſi dis placet, hoc loco Varronem, vel magis mendoſum codicem putent, Poſtulationémq́; legant: qua voce ſignificari tradunt ſacrum ad prodigium, vel deûm iram auertendam & amoliendam, vt quadam oratione innuit M. Cicero. Sed & Græcis, vt Phurnutus ſcribit, Pluto πολυδέκτης, καὶ πολυδέγμων, καὶ πολύαρχος cognominatus eſt, quòd multis dominetur.

Februus deus Pluto appellatus ab antiquis, à purgationibus & luſtrationibus funerum. Multa Ouidius in Faſtis, & nos plura in libro de Annis & menſibus.

Quietalis etiam Pluto dictus eſt, quia omnibus pauſam afferat. Quietalis, inquit Feſtus, dicebatur ab antiquis Orcus. Vocatus inſuper & Stygius Iupiter. Ouidius,

Sæpe tibi eſt Stygij regia viſa Iouis. Verg.

Sacra Ioui Stygio.

Eadē ratione & ſæpe Infernus Iupiter. Claudianus: Inferni raptoris equos. Dictus idem Niger Iupiter. Silius libro octauo:

Nigro fortè Ioui cui tertia regna laborant.

Vedius præterea, & Veiouis etiam appellatus, vt alio loco notauimus. Dux erebi etiam dictus eſt à poetis, & Rector profundi, & Elyſij, & huiuſmodi aliis pleriſq;, vt ab aliis colligitur, qui hac parte ſtudioſis literarum conſuluerunt.

Beelzebub ab Hebræis & Chaldæis Pluto dicitur, eadem pene qua Latini ratione Iouem Stygium, & Infernum Iouem appellant: quippe Beel, vt diximus, Belus, fuit illis, qui Iupiter eſt. quidam Bahalzebub muſcarum deum interpretantur. Sed ipſe de hoc deo plura iam tibi collegi. Mammona alij appellant, vt nos Ditem, & Græci à diuitiis Plutonem.

Serapin iure cum Plutonis nominibus coniungimus. nam idem cum Plutone exiſtimatus eſt, vt Plutarchus in libro de Iſi & Oſiride docet, & Archematus Eubœus, qui non alium Serapin quàm Plutonem, nec aliam Iſin quàm Proſerpinam eſſe ſcribit. Quin & Ponticus Heraclides oraculum, quod celebre Serapidis fuit, Plutonis fuiſſe aſſerit. quod conſulenti cuidam Aegypti regi, quiſnam ſe eſſet beatior, ita reſpondiſſe fertur:

Principiò Deus eſt, tum Verbum, his Spiritus vnà eſt,
Congenita hæc tria ſunt, cuncta hæc tendentia in vnum. hoc eſt Græcè:
πρῶτα θεός, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς,
σύμφυτα δὲ τρία πάντα καὶ εἰς ἓν ἰόντα. Quod ideo tibi retuli, vt videas, à Plutone Trinitatis myſterium aſſertum eſſe. Cæterum Porphyrius in libro Reſponſorum, Serapin affirmat apud Aegyptios deum eſſe, qui apud Græcos Pluto nuncupetur: vnde etiam reponitur inter ea nomina, quæ Græcè ἑπταγράμματα dicta ſunt, id eſt ſeptem literarum, & ideo abominanda ait ὀργίλοις, & σκληρόν. Cuius etiam ſymbolum canis eſt, triceps ille ſcilicet, qui in aqua, terra & aere, tribus his elementis verſatur, pernicioſiſſimus dęmon, vt ait Porphyrius. Sed Serapis quamvis proprius & peculiaris eſſet Aegyptiorum deus, nihilominus & in Gręcia multis in locis cultus fuit, & in primis Athenis, vt Pauſanias ſcribit: & Romæ, in circo Flaminio, nona vrbis regione, vt Pub. Victor docet, cuius & adhuc nonnulla extāt veſtigia. Catullus de Varri amica, quæ ad Serapidis templum deferri volebat octophoro: Nam volo, inquit, ad Serapin deferri: lepidiſſimum eſt epigramma. Serapidis autem originem Corn. Tacitus Hiſtor. lib. viceſimo, plane deſcribit: ait enim, Ptolemęum Lagi à deo monitum per quietem fuiſſe, vt in Pontum mitteret, eámq; dei effigiem acciret: futuram inclytā ſedem, quam ſimulachrum illud accepiſſet: poſt multa tādem regem illuc miſiſſe, & demum à Sinopenſium rege impetraſſe, templúmq; Alexandriæ magnificum conſtruxiſſe. Plutar. in prędicato Iſidis & Oſiridis libro, in hac hiſtoria recenſenda nonnihil euariat: non enim Ptolemæū Lagi id feciſſe, ſed Sotera ſcribit, & à Soſibio regem admonitum. Euſtathius tamen cum Tacito cōgruit: regémq; non ſomnio, ſed ex dæmonis apparione monitum tradit. Alij tamen, vt idem Tacitus prodit, à Seleucia vrbe Syriæ, non à Sinope deuectum deum putant, & à Ptolemæo tertio: quod, inquit, parum conſtat. Alij non Alexandriam aduectum, ſed Memphim: vtcunque, idem ſubdit Tacitus, deum ipſum à multis Aeſculapium exiſtimatum, quòd ægris corporibus mederetur. Ab aliis Oſirin, antiquiſſimum illis gentibus numen. A' pleriſque Iouem, vt rerum omniū potentem: à plurimis Ditem patrem, ex inſignibus ipſius dei, quæ in ipſo manifeſta, aut per ambages coniectabant. hæc quidem ex Tacito. Diodorus quoque Serapin tum dici aſſerit Oſirin, tum Dionyſium, tum Ammonem, tum Iouem, & Plutonem demum. Euſebius item libro quarto Præpar. euang. ex Porphyrio de Serapide pleraq; recitat. principem enim malignorum dæmonum ſcribit. & ex eiuſ-

ex eiuſdem Euſebij ſententia Bapt. Leo. libro ſexto, Serapin ait ſymbola edidiſſe, quibus dæmones expellerentur, docuiſſéque quo pacto dæmones aſſumpta brutorum figura inſultarent. Ita porrò hic deus effingebatur à Macrobio: Calathum, inquit, eius capiti affingunt, & ſimulachro ſignum tricipitis animantis adiungunt, quod exprimit medio, eodémque maximo capite leonis effigiem, in dextra parte caput canis exoritur, manſueta ſpecie blandientis: pars verò læua ceruicis rapacis lupi capite finitur, eáſque formas animalium draco connectit, volumine ſuo capite redeunte ad dei dextram, qua compeſcitur monſtrum. Quidam tria tempora interpretantur, præſens leoni, præteritum lupo, futurum cane blandiente. & hæc fermè Macrobius. Sanè longè aliter hiſtoriam de Serapide, Euſebius, Auguſtinus, Suidas, & Ruffinus recitant. Sic propemodum Euſebius in x Præparat. Euangel. Apis, inquit, Argiuorum rex, vt Ariſtippus in primo Arcadicæ hiſtoriæ ſcribit, Memphin in Aegypto condidit, quem Ariſtæus Argius Serapidem appellatum tradit. hunc ab Aegyptiis diuinos honores conſequutum, non ignoramus. Nymphodorus autem Amphipolitanus in tertio de Aſiaticis legibus, Apim taurum mortuum, in ſoro Græcè, quod Latinè arcam dicimus, poſitum, Sorapin primò, ac deinde Serapin appellatum fuiſſe contendit. Hæc Euſebius. Auguſtinus verò libro XVIII de Ciuitate dei: His temporibus, inquit, rex Argiuorum Apis nauibus tranſuectus in Aegyptum, cùm ibi mortuus fuiſſet, factus eſt Serapis, omnium maximus Aegyptiorum deus. Nominis autem huius, cur non Apis etiam poſt mortem, ſed Serapis appellatus ſit, facilimam rationem Varro reddidit. quia enim arca, in qua mortuus ponitur, quod omnes iam σαρκοφάγον vocant, σορὸς dicitur Græcè, & ibi eum venerari ſepultum cœperunt, priuſquàm templum eius eſſet extructum, velut σόραπις primò, deinde vna litera (vt fieri ſolet) commutata, Serapis dictus eſt. Conſtitutũ eſt etiam de illo, vt quiſquis eum hominem fuiſſe dixiſſet, capitalem penderet pœnam. Et quoniã ferè in omnibus tẽplis vbi coleret̃ Iſis & Serapis, erat ſimulachrũ quod digito labiis impreſſo admonere videretur, vt ſilentium fieret (is erat Harpocrates, de quo ſepoſito loco iam actum eſt) hoc ſignificare idem Varro exiſtimat, vt taceretur, homines eos fuiſſe. Ille autem bos, quem mirabili vanitate decepta Aegyptus, in honorem eius deliciis affluentibus alebat, quoniam eum ſine ſarcophago viuum venerabantur, Apis, non Serapis vocabatur: quo boue mortuo, quoniam quærebatur & reperiebatur vitulus coloris eiuſdem, hoc eſt, albis quibuſdam maculis ſimiliter inſignitus, mirum quiddam diuinitus ſibi procuratũ eſſe credebant. tantum Auguſtinus. Nunc Suidam meis verbis audias: Sarapis, inquit, cuius ſimulachrum in Alexandria Theophilus archiepiſcopus ſuſtulit, Theodoſij magni tempore: hunc aliqui Iouem eſſe dicebant, alij Nilum, propterea quòd modium haberet in capite, & πῆχυς, id eſt cubitum, hoc eſt aquæ menſuram. Alij autem Ioſeph: alij verò Apin quendam hominem fuiſſe beatum & regem in Memphide, ciuitate Aegypti, qui facta fame Alexandrinis ex propriis facultatibus nutrimenta præbuerit. eo verò defuncto, templum conſtituerunt, in quo bos nutriebatur, ſymbolum gerens agricolæ, & quaſdam habens coloris notas: qui ex appellatione ipſius & ipſe Apis vocabatur. & σορὸς, id eſt arcam ipſius Apidis, in qua eius corpus iacebat, Alexandriam tranſtulerunt, & ἀπὸ τῆς σορῦ καὶ ἄπιδος compoſitum nomen fecerunt, & vocarunt Sorapin, & poſtea Sarapin: huius templum ab Alexandro valde magnificum conditum fuit, & valde clarum. adhuc Suidas. De hoc eodem deo Ruffinus non abſimilia, & plura in Eccleſiaſtica Euſebij hiſtoria, quo loco deſcribitur, & ſimul præſtigia eius ſacerdotum, & ipſius templi demolitio, quæ fermè eadem etiam in Tripartita hiſtoria referuntur. Porrò Serapeum inuenio templum hoc nuncupatum, de quo Strabo, & poſt eum Ammianus in hiſtoria ita ait, vbi mirabilia Aegypti connumerat: His accedunt altis ſuffulta faſtigiis templa, inter

quæ

quæ eminet Serapeum, quod licet minuatur exilitate verborum, atriis tamen columnaribus ampliſſimis, & ſpirantibus ſignorum figmentis, & reliqua operum multitudine ita eſt exornatum, vt poſt Capitolium, quo ſe venerabilis Roma in æternum attollit, nihil orbis terrarum ambitioſius cernat. & hæc Marcellini verba ſunt. Sed enim de hac ſubuerſione templi librum compoſuit Sophronius, vt ait Hieronymus. Libet inſuper Ruffini verba ſubtexere, quæ de Serapidis origine leguntur in hiſtoria: Alij, inquit, Iouem putant, cuius capiti modius ſuperpoſitus, vel quia cum menſura modóque cuncta indicet moderari, vel vitam mortalibus frugum largitate præberi. Alij virtutem Nili fluminis, cuius Aegyptus opibus & fœcunditate paſcatur. Quidam in honorem noſtri Ioſeph formatum perhibent ſimulachrum, ob dimenſionem frumenti, qua famis tempore ſubuenit Aegyptijs. Alij repertum in hiſtorijs Græcorum veteribus ferunt, Apin quendam patremfamilias ſeu regem in Aegypto Memphi poſitum, cùm famis tempore frumenta apud Alexandriam defeciſſent, ex proprio affatim ciuibus alimenta præbuiſſe: & cætera, quæ recitauimus ex Suida. Plutarchus tamen hanc de σορῷ, id eſt arca Apidis opinionem damnat, & cum ea Philarchū: eámque potius ipſe comprobat, quæ talis eſt, quòd Deus ipſe ſit vniuerſi motus auctor. ita enim ait, κυριώτερον δὲ παρὰ τὸ σεύεσθαι, καὶ τὸ σοῦσθαι τὴν τοῦ παντὸς ἅμα κίνησιν. Subiungit idem, fuiſſe ſacerdotum Aegyptiorum, qui Apin & Oſirin eundem aſſererent: nos, inquit, docentes Apin animam eſſe Oſiridis, & cætera. Tum & illud adiungit: At ego, cùm Sarapidis Aegyptium nomen ſit, lætitiam & hilaritatem ſignificare autumo, inde coniecturam ducens, quòd τὰ χαρμόσυνα, id eſt Hilaria feſta Aegyptij appellant σαίρει, & reliqua quæ ſubdit. ſed nos pro re ſatis. Illud quoque annotarim, Serapin, & Sarapin, hoc eſt, per e & per a in prima proferri, illud à Latinis, hoc à Græcis ſępius. Sanè mirandum ſuccurrit, cùm pro deo Apis primam ſemper intendat, cur Martianus in Serapi primam & alteram corripuerit, in illo,

Te Serapin Nilus, Memphis veneratur Oſirim.

Sed in eo auctore, vt linguæ nitorem, ita etiam maiorem ſyllabarum cognitionem deſidero. Sed par eſt, quoniam de Apide nonnihil antè retulimus, vt cætera quæ reſtant de eodem, ſubiungamus, & pręſertim verbis Plinij, qui libro octauo de Api boue Aegyptiorum ita ait: Bos in Aegypto etiam numinis vice colitur, Apin vocant: inſigne ei in dextro latere candicans macula, cornibus Lunæ creſcere incipientis: nodus ſub lingua, quem cantharum appellant. non eſt fas, eum certos vitæ excedere annos: merſúmque in ſacerdotum fonte enecant, quæſituri luctu alium, quem ſubſtituant: donec inueniant, mœrent, deraſis etiam capitibus. nec tamen diu vſquam quæritur, inuentus deducitur à ſacerdotibus Memphim. Sunt delubra ei gemina, quæ vocant thalamos, auguria populorum: alterū intraſſe, lætum eſt: in altero dira portendit. Reſponſa priuatis dat, è manu conſulentiū cibum capiendo. Germanici Cæſaris manum auerſatus eſt, haud multò pòſt extincti: cęterò ſecretus, cùm ſe proripit in cœtus, incedit, ſummoto ſtrepitu lictorum, grexque puerorum comitatur, carmen honori eius canentium. Intelligere videtur, & adorari velle, hi greges repentè lymphati, futura pręcinunt. fœmina bos ſemel ei anno oſtenditur, ſuis & ipſa inſignibus, quanquam aliis: ſempérque eodem die & inueniri eā, extinguíque tradunt. Memphi eſt locus in Nilo, quē à figura vocant Phialam: omnibus annis ibi auream paterā argenteámque mergentes diebus, quos habent natales Apis. Septem hi ſunt: mirúmque, neminem per eos à crocodilis attingi: octauo, poſt horam diei ſextam, redire belluæ feritatem. hęc ex Plinio. Quę ſubiungam, ſunt ex verbis propè Diodori Siculi: Addamus, inquit, quę circa ſacri tauri, quem Apin vocant, curam fieri percepimus: mortuo Api, magnificéque ſepulto, quęrunt ad id delecti ſacerdotes vitulum priori perſimilem: inuento, populus luctum finit. ſacerdotes quibus ea imminet cura, primùm in ciuitatem Nili vitulum perducunt,

cunt, in qua eum nutriunt diebus quadraginta: deinde in nauim contectam, habitaculum aureum habentem, introducentes, & ad Memphin, vt deum ducentes, in Vulcani fano locant. his diebus ſolæ mulieres taurum vident, quando eius faciem aſtantes, veſtibus ſublatis ei abraſum femen oſtendunt, reliquo tempore prohibentur in conſpectum ipſius dei accedere. Honoris boui impẽſi cauſam nonnulli eam tradunt, quòd defuncti Oſiridis anima in bouem trãſmigraſſet, quæ deinceps ad poſteros fuerit transfuga. Alij verò, Oſiride à Typhone interfecto, Apim ferunt eius membra collegiſſe, collecta in bouem ligneum corio bouis albo circumtectum conieciſſe, ideóque ciuitatem Buſiriden appellatã. Hæc ex Diodoro Siculo. Tibullus:

— Pubes
Barbara Memphiten plangere docta bouem. Ouidius:
Et comes in pompa corniger Apis erat. Statius:
— Aut quo ſe gurgite Nili
Mergat adoratus trepidis paſtoribus Apis.

Porrò Apis, inquit Herodotus, ab Aegyptijs, à Græcis Epaphus appellatus. quod his propè verbis negat Aelianus: Apis, inquit, apud Aegyptios, deus magnus & pollens credebatur, ex vacca quæ fulgure afflata concepiſſet. Epaphũ Græci vocant, & ipſius antiquam ſtirpem repetunt, Io Argiuam Inachi filiam eius matrem fuiſſe: ſed hunc ſermonem Aegyptij vt mendacem rejciunt, & vetuſtatem teſtem citant. Epaphum quidem multis pòſt ſeculis extitiſſe tradunt: & reliqua. Habet verò Apis hæc ſigna. toto corpore eſt niger, in fronte habens candorem figuræ quadratæ, in tergo effigiem aquilæ, cantharum in palato, duplices in cauda pilos. ita Herodotus in tertio. Aelianus verò ait, Inſignes eius notas Herodotus atque Ariſtagoras explicant, quibus Aegyptij non aſſentiunt: nouem enim & viginti eas huic ſacro boui aptas aiunt, & conſentaneas. Cætera quæ Aelianus ipſe ex Aegyptiorum ſententia exequitur, miſſa facio, ne nimius ſim: pompas, celebritates, tripudia, pueros diuino afflatu concitatos, futura ſaltantes prædixiſſe. At noſter Mela Pomponius: Apis, inquit, populorum omnium (Aegyptiorum videlicet) numen eſt. bos niger, certis maculis inſignis, & cauda linguáque diſſimilis aliorum: rarò naſcitur, nec coitu pecudis (vt aiunt) ſed diuinitùs & cœleſti igne conceptus: diésque quo gignitur, genti maximè feſtus eſt. Illud etiam eſt in hiſtorijs annotatum, Cambyſen regem Apidis ſacra violaſſe. Quin & ſcribit Epiphanius, à Cambyſe Aſſyriorum rege gladio in femur Apin percuſſum fuiſſe, vt ſcilicet ſi flueret ſanguis, deprehenderetur ipſum non eſſe deum. Aelianus quoque ſcribit, à Serapidis ſacerdotibus aſinum odio haberi, atque deteſtari, quòd Ochus Perſa Apim bouem ſacrum interfeciſſe dicitur, & aſinum conſecraſſe, & Aegyptios iuſſiſſe vt illum colerent ſummo cultu. Sed & Ochus pœnas dedit, vt etiam Cambyſes. Scribit ad hæc Strabo lib. 17. ſicuti Mẽphitæ Apim bouem ſacrum habuêre, ita & Heliopolitanos poſt Solis templum Mneuin bouem pro deo habuiſſe, qui in ſepto quodam nutriretur. Ammianus quoque Marcellinus inter multa quæ de Apide ſcribit lib. XXII. hiſt. & hoc ferè ait: Inter animalia ab antiquis conſecrata Neumis & Apis reponuntur. Neumis quidem ſoli, Apis verò lunæ dedicatus: qui diuerſis notarum figuris expreſſus, & cęt. quare conſiderandum, an Mneuis, pro Neumis, legendum apud Marcellinum, apud quem & longè plura inuenies. Eſt enim, inquit, Apis bos diuerſis genitalium notarum figuris expreſſus, maximéque omnium cornicularis lunæ ſpecie, latere dextro inſignis, &c. quin, vt Aelianus ſcribit, & Veneri Vraniæ vaccam ſacram cuſtodiebant in Hermopoli præfectura, in loco Scuſſa nuncupato, vt alibi relatum eſt.

PLVTVS.

DE Plutone quidem, Inferorum deo credito à gentibus, ſatis puto à me perſcriptum. nunc ſubiungere viſum eſt de Pluto, ipſo diuitiarum deo, quem & plerique

& pleriq; cum Plutone eundem crediderunt, cùm diuerſiſſimus ſit. Extat quidẽ particula apud Græcos elegans & erudita ex anonymo auctore de Pluti comparatione, & Virtutis, in qua hic deus Plutus ſe gloriatur & iactat mortaliũ neceſſitates dirigere ac emendare, & eorum deſideria perficere: ſeorſúmq; ſingula commemorat, quę homini ſuppetit. quam particulam ſi fortaſſe deſideras, apud Stobæum legere poteris, in eo Sermone qui inſcribitur ἔπαινος πλούτου, id eſt Pluti laus. Sed & Theognis poeta de hoc eodem ita canit, οὔ σε μάτην ὦ πλοῦτε θεοὶ τιμῶσι μάλιστα: hoc eſt, Non fruſtra te Plute colunt, ó maxime diuûm. De hoc ergo deo ſic fabulantur, & in primis Heſiodus, circa finem Theogonię: Iaſium, ait, heroem amatum à dea Cerere, quæ illi coniuncta genuit Plutum, in Tripoli Cretę inſulæ: qui fortunatiſſimus fuit terra mariq;, vt & alios fortunare ſoleret. hoc in allegoriam Scholiaſtes refert. ait enim decenter fieri, vt Cereris & Iaſij Plutus filius dicatur, quoniam, inquit, terra Ceres eſt, Iaſion verò agricola: qui conuenientes in agro Tripoli, hoc eſt propter cultum terræ decentem, naſcitur Plutus. Sed enim Hermippus, qui de ſideribus ſcripſit, vt eſt apud Hyginum in Aſtronomico, Cererem ait cum Iaſione Leous filio concubuiſſe: quamobrem fulmine percuſſum, complures cum Homero dixerunt. meminit & Alicarnaſſeus Dionyſius in primo hiſtoriar. Ex his, vt Petellides Gnoſſius hiſtoriarum ſcriptor demonſtrat, naſcuntur filij duo, Philomelus & Plutus, quos negant inter ſe conueniſſe. nam Plutum, qui ditior fuerit, nihil fratri ſuo de bonis conceſſiſſe: Philomelum autem neceſſariò adductum, vt quodcunque haberet, ex eo boues duos emeret. & inde primum plauſtrum fabricatum eſſe. Itaque arando & colendo agros, ex eo ſe aluiſſe. cuius matrem iratam, inuentum vt arantem eum inter ſidera conſtituiſſe, & Booten nominaſſe. hæc fermè Hyginus. Philoſtratus autem in Imaginibus, in ortu Mineruæ Plutum hunc deum ita effingit: Dæmon, inquit, volucris vt è nubibus, aureus autem à materia in qua apparet: pictus autem & oculatus, ijs ſcilicet quibus ex prouidentia acceſſit, vt Rhodijs, quibus aurum depluit. Pacem verò manu tenentem Plutum effinxit Cephiſiodotus, vt in Bœot. Pauſan. ſcribit. Plutum etiam puerum in Fortunæ manibus, alio loco diximus. Sed planè Plutus hic deus in cognomine eius fabula deſcribit ab Ariſtophane. Cæcus enim & claudus, interdum contrà oculatus & celer. cùm enim ad malos mittitur, celerrimus eſt, & cæcus: cùm verò ad bonos, ſanè claudus. Acrem quidem videndi vim Plutum habere exiſtimauit antiquitas, cũ bonis diuitiæ conferuntur, qui probè eis vterentur. nam diuitiæ ſi affluant, non illis eſſe cor apponendum, rex Pſaltes cecinit: quin ita illis vti decet, vt de Herode Attico ſophiſta legimus, qui cùm ditiſſimus eſſet, opibus benè ac magnificè vtebatur. hinc illi non cæcus, ſed oculatus erat Plutus deus. Prô Deus, quotus nunc quiſque eſt, qui hac virtute polleat? quæ, quò vitæ degendæ magis eſt opportuna, eo inter mortales rarior habetur. Sed mittamus quę conclamata, & reliquum noſtræ fabulæ potius exequamur. Sanè & hic deus δειλός, id eſt timidus dictus. primùm quidem ab Euripide, δειλὸν δ' ὁ πλοῦτος καὶ φιλόψυχον κακόν. hoc eſt, res timida Plutus, & amicum vitæ malum. & Ariſtophanes, ἀλλὰ λέγουσι πάντες, ὡς δειλότατός ἐσθ' ὁ πλοῦτος. hoc eſt, Sed dicunt omnes, quàm timidiſſimus eſt Plutus. Idem ferè & in Timone Lucianus. Hinc adagium commentus eſt Eraſmus, non inſulſe. Theocriti expoſitores in decimo Edyllio referunt, cur Amor & Plutus cæci fingantur: ſed nõ pauciora Eraſmus in illo, ἄζυλος πλοῦτος, quod finitimum putat illi, ὁ τυφλὸς πλοῦτος. In vna omnium vrbium, ait Plutarchus, quæ ſub ſole ſunt, Sparta, diuitiarum deum ſeruari & cæcum, & iacentem, vt picturam inanimatam ac immobilem. Citatur ex ſcolio cantico Timocreontis poetæ hæc particula in diuitias, quam hic vobis meis verbis referam: Vtinam ô cæce Plute, neque in terra, neque in mari, neque in continenti apparuiſſes: ſed Tartarum & Acheronta incoluiſſes: per te namque omnia hominibus mala. Sic verò græcè habetur: ὤφελες ὦ τυφλὲ πλοῦτε, μήτε ἐν γῇ, μήτ' ἐν θαλάττῃ, μήτε ἐν ἠπείρῳ φανῆ-

μεναι, ἀλλὰ

μιναι, ἀλλὰ ταρταρόντι ναίεις καὶ ἀχέροντα. διὰ σὲ γὰρ πάντ' ἀνθρώποις κακά. Porrò de Pluto etiam Diodorus ex Cretẽſium hiſtorijs: Plutum, inquit, natum tradũt in Tripoli Cretæ, ex Cerere & Iaſione, vt etiam paulò ſupra ex Heſiodo recitaui. eius genus tamen bifariàm explicat. Nam quidam (inquit) volũt, cùm Iaſion terram ſereret, adhibita culturæ diligentia adeò vberem percepiſſe fructum, vt qui id conſpexerũt, à meſſium fertilitate Plutum illum nominarint. vnde & à poſteris is cui cenſus ſupereſſet, Plutum habere exiſtimatus ſit. Alij Cererem ac Iaſionẽ puerum genuiſſe Plutum volunt, qui cultum vitæ pecuniáſque coaceruare, ac in vſus cuſtodire primus monſtraſſe exiſtimatus eſt. Pluti Cereris & Phurnutus meminit: Quoniam, inquit, frumentum & hordeum Plutus optimus, id eſt diuitiæ. id quod Græcè bellè hoc verſu dicitur,

Σῖτος καὶ κριθὴς, ὦ νήπιε, πλοῦτος ἄριστος. id eſt,

Hordea frumentúmque, puer, ſunt munera Pluti.

Sanè & noſtris & Græcis obſeruatum eſt, vt Iaſius & Iaſion appelletur. Quidam demum ex noſtris, Mammona, Chaldæam ſeu Syram vocem, volunt Plutum hunc deum ſignificare, de qua multa Hieronymus, cęteríque ſacri ſcriptores, qui diuitias vel lucrum interpretantur. Sed enim & Irenæus, vir doctiſſimus, libro quarto, capite ſeptimo, iuxta Iudaicum ſermonem, inquit, quo & Samaritas vti ait, cupidum, & pluſquàm oportet habere volentem ſignificare: iuxta verò Hebraicam proprietatem adiunctiuè dicitur, Mam, vel guloſum, id eſt qui non poſſit à gula contineri. ſanè & Mathmon aliquando legimus pro theſauris poni, vt in Iob & Geneſi inuenitur: quibus omnibus facilè illud Dominicum notiſſimum. vnde neſcio quo modo in mentem venerit amico, viro eruditiſſimo, in quadam ſua epiſtola ita ſcribere: Nam Mamon, ſeu Mamona apud Hebræos, non proprium, ſed generale eſt verbum, ſignificátque præfectum & præſidem, &c. ne Cabaliſtica hîc tibi afferam.

PROSERPINA.

PRoſerpinæ fabula notiſſima eſt ex Claudiani carmine, & Ouidij Metamor. Faſtiſque, atque ideo ab eius ego narratione ſuperſedi: allegoriam tantùm, quam ex Varrone D. Auguſtinus in ſeptimo de Ciuitate dei affert, breuiter recitabo. In Cereris, inquit, ſacris prædicantur illa Eleuſinia, quæ apud Athenienſes nobiliſſima fuerunt: de quibus Varro nihil interpretatur, niſi quod attinet ad frumentum, quod Ceres inuenit: & ad Proſerpinam, quam rapiente Orco prodidit. & hanc ipſam dicit ſignificare, fœcunditatem ſeminum: quæ cùm defuiſſet quodam tempore, eadémque ſterilitate terra mœreret, exortam eſſe opinionem, quòd filiam Cereris, id eſt ipſam fœcunditatem, quæ à proſerpendo Proſerpina dicta eſſet, Orcus abſtulerat, & apud inferos detinuerat: quæ res cùm fuiſſet luctu publico celebrata, quia rurſus eadem fœcunditas redijt, Proſerpina reddita, exortam eſſe lætitiam, & ex hoc ei ſolennia inſtituta. dicit deinde multa in myſterijs eius tradi, quæ niſi ad frugum inuentionem non pertineant. hęc Auguſtinus. Hinc apud Phurnutum legimus, quòd ſementis tempore Proſerpinæ feſta celebrabantur. Cùm verò meſſis eſſet Cereri ſacra, ferebant herbam virentem, cum ludo & lætitia: in illa raptam, in hac repertam ſignificantes Proſerpinam. Euſebius item in tertio Præparationis Euangelicæ: Proſerpina, inquit, ſeminum virtus eſt: Pluto verò ſol, qui tempore hyemis remotiorem mundi partem perluſtrat. idcirco raptam ab eo Proſerpinam, dicunt, quam Ceres ſub terra latentem quæritat. Sed huiuſmodi cætera ſuis locis. Nunc eius nomina & cognomina explicare conabor, ſi eius tamen de ſe ipſa reſponſum prius aſcripſero, quod Porphyrius philoſophus & Euſebius attulêre:

Naturæ triplicis dicor, Lucina, puella,
Taurica: itémque triceps, miſſa è cælo aurea Phœbe,

Quam multæ variant formæ, quàm trinaq́ue ſigna,
Quæ terna & ſimulachra fero, terræ, aeris, ignis,
Quippe meis atris terrarum eſt cura moloſſis.

Proſerpina igitur, à Latinis dicta, vt ſcribit Varro, quòd hæc vt ſerpens, modò in dextram, modò in ſiniſtram partem latè mouetur. Serpere & proſerpere idem dicebant, vt Plautus, qui ſcribit, Quaſi proſerpens beſtia. A Græcis verò περσεφόνη, & περσεφόνεια dicitur, quibus & Latini interdum vtuntur. Tibullus,

At mihi Perſephone nigram denunciat horam.

Cicero de Nat. deor. ſecundo: Proſerpina ea eſt, inquit, quæ περσεφόνη Græcè nominatur, quam frugum ſemen eſſe, abſconditámq; quæri à matre volunt. Varro, Proſerpinam lunam eſſe voluit, ex Epicharmi & Ennij ſententia. D. Auguſtinus ait: Proſerpinam deam exiſtimatam frumentis germinantibus. alibi tamen, eam ait terræ inferiorem partem. Proſerpina dicitur & πηρεφόνεια à Lacedæmonijs, vt notat Heſychius. Legi & Perſephaſan ab aliquib. appellari. Sed & φερρέφαττα, vt cum Platone Proclus notat in Cratylo. Φερρέφατταν & Apollinē (inquit Plato) nominare nonnulli nō verentur, propterea quòd illis ignota eſt nominum rectitudo. Etenim permutantes Pherſephonem ipſam conſiderant, grauéque id illis apparet. hoc autem deæ ipſius ſapientiam indicat. ſapientia vtique eſt, quæ res fluentes attingit, & aſſequi poteſt. Quamobrem Pherepapha meritò dea hęc nominaretur, propter ſapientiam & ἐπαφὴν, id eſt contactum φερομένου, id eſt eius quod fertur, vel tale aliquid. quocirca adhæret illi ſapiens ipſe Pluto, quia ipſa talis eſt. Nunc autem nomen hoc declinant, pluris facientes prolationis gratiam, quàm veritatem, vt Pherephattam nominēt. hactenus quidem Plato. Arnobius libro quinto, de Cerere à Ioue deluſa in tauri forma: Parit, inquit, menſem poſt VII, luculenti filiam corporis, quam ætas mortalium conſequens modò Liberam, modò Proſerpinam nuncupauit. quam cùm verueceus Iupiter bene validam, floridam, & ſucci eſſe conſpiceret plenioris: &c. mox ſubdit: In draconis terribilem formā migrat, ingentibus ſpiris pauefactā colligat virginē, & ſub obtentu fero molliſſimè ludit atq; adulatur amplexibus. vnde fit, vt & ipſa de ſemine fortiſſimo compleatur Iouis: ſed non eadē conditione, qua mater. nam illa filiam reddidit lineamentis deſcriptam ſuis, at ex partu virginis, tauri ſpecie fuſa Iouialis monumenta pellaciæ. auctorem aliquis deſiderabit rei, tum illum citabimus Tarentinum, notúmq; ſenarium, quem antiquitas canit, dicēs: Taurus draconem genuit, & taurum draco. ipſa nouiſſimè ſacra, & ritus initiationis ipſius, quibus Sebadijs nomen eſt, teſtimonio eſſe poterunt veritati. In quibus aureus coluber in ſinum dimittitur conſecratis, & eximitur rurſus ab inferioribus partibus, atque imis. hæc quidem eruditè Arnobius. Porrò & Euſebium audiamus, de eadem loquentem: Ceres, inquit, Perſephonem peperit, educatur puella, κόρη ſcilicet. Pherephattem nonnulli appellant: cui Iupiter, qui genuit, draco factus coniungitur. vnde in Sabaziorum myſterijs draco in ſpiram inuolutus, in ſacrificijs, ad factorum memoriam, imò verò in teſtimonium tantæ turpitudinis, vt ſic dixerim, adhibetur. Peperit & Pherephatte tauriformem filium, vnde poetæ quoque nonnulli taurum laudant draconis patrem, & dràconem rurſus tauri patrem. & in montem arcana hæc facta ducentes, paſtoralē ſtimulum celebrant: paſtoralem (vt puto) ſtimulum, ferulàm, quod ligni genus bacchantes ferunt, appellantes. Sed nequeo latius huius Pherephattæ ſacra enarrare, quaſſillum, rapinam Edoneæ, terræ hiatum, ſues Eubolei, quas eodem hiatu ſimul & duas deas abſorptas fuiſſe aiunt. vnde Megarenſes in Theſmophorijs ſues immittunt. Quæ ſacra varijs modis mulieres, quoniam hæc fabula variè narratur, per ciuitates Græciæ celebrant, Theſmophoria, σκιροφόρια & ἀρρητοφόρια vocantes, & multis modis Pherephattæ rapinam complorantes. Hæc verò Euſebius. hinc & ſacra Pherephattia Proſerpinæ dicta inuenimus, quæ & Theoga-

Theogamia, & Antheſphoria vocata, vt in Luculli vita Plutarchus innuit. Sed & Heſychius Pherſephoneam ait appellari, quaſi φέρουσαν τὸ ἄφενος, hoc eſt ferentem diuitias, propterea quod fructus afferat vtilitatem. Vocatur etiam eodem auctore χειρογονία, quòd ſcilicet manuum opera fructus terræ gignantur. Κόρη etiam, id eſt puella, Proſerpina dicta eſt frequenter à Græcis, etſi alicubi Artemidorus diuerſam facere videtur, de Interpretatione ſomniorum. Ita tamen in ſecundo ſcribit: Bona eſt, inquit, Ceres ad nuptias, & alias omnes res aggrediendas, per ſe conſpecta: non autem pari modo κόρη, propter hiſtoriam quæ de ipſa fertur. hæc enim ſæpe etiam oculis ſomniantis periculum adduxit, propter nomen κόρη. etenim etiam in oculo pupillam ſignificat. Phurnutus verò, vbi de Cerere agit: Non virgo, inquit, Ceres; quæ κόρην peperit, tanquam τὸν κόρον, id eſt ſatietatem. Nam dea Ceres, ipſa materia putabatur, quæ ad ſatietatem vſque nutriret. Sed & in Cratyli ſcholijs, quæ Proclo aſcribuntur, de Core multa habentur. hæc & ἄῤῥητος κόρη, teſte Heſychio & Euripide in Alexandra, dicta eſt.

Azeſia Proſerpina, præcipuè à Trœzenijs culta & cognominata fuit, vt in Amæa Cerere ſcripſimus. Vnde prouerb. Amæa ad Azeſiam. Chthonia præterea dea cognominatur, & Hecate, vt pluribus oſtēdimus in Hecate Diana. Sed noſtri poetæ Iunonis nomine frequentius nuncupant: nunc Stygiam appellantes. Papinius, Stygiæque ſeueros Iunonis thalamos. nunc Auernam: Silius, Comites Iunonis Auernæ. nunc profundam: Claudianus, Caligantéſque profundæ Iunonis thalamos. Interdum infernam & inferam. Vergil. Iunoni infernæ dictus ſacer. Et Statius, Iam complexa manu crinem tenet infera Iuno.

Deois Proſerpina cognominata eſt à Δηώ, id eſt Cerere, forma patronymica. Ouid. in lib. Metamorph. 6.

Mnemoſynem paſtor, varius Deoida ſerpens.

Auſonius in Cupidine:

Virgineas inter choreas Deoida raptam.

Libera etiam vocatur, vt in Libero dictum eſt. Sed M. T. Ciceronis verba hoc ſaltem loco afferam, ex ſexta in Verrem act. Vetus eſt, inquit, opinio (iudices) quæ conſtat ex antiquiſſ. Græcorum literis atque monumentis, inſulam Siciliam totam eſſe Cereri & Liberæ conſecratam. hoc enim cæteræ gentes ſic arbitrantur: tum ipſis Siculis tam perſuaſum eſt, vt animis eorum inſitum atque innatum eſſe videatur. nam & natas eſſe in his terris deas, & fruges in ea terra primùm repertas arbitrantur, & raptam eſſe Liberam, quam eandem Proſerpinam vocant, ex Ennenſium nemore. qui locus quòd in media eſt inſula ſitus, vmbilicus Siciliæ nominatur. & hæc totidem verbis Cicero.

Cyzicorum dea dicta eſt Proſerpina, teſte Stephano. hoc clarius multo etiā Plutarch. in Luculli vita oſtendit. ait enim, ipſum Lucullum Cyzico appuliſſe, quo tempore Proſerpinæ ſacra inſtabant, vbi & miraculum nigræ bouis, quæ quotannis illi mactabatur, commemorat. hinc ergo Poeta in Priapeis,

Raptam Cyzicos oſtreoſa diuam.

Sanè rapta etiam Proſerpina cognominata eſt. Variè verò de loco legitur, in quo rapta ſit. Plures ex Sicilia, Bacchylides ex Creta, Orpheus ex locis propè Oceanum, Damias in conuallibus, hoc eſt ἐν νάπαις, vt Scholijs in Heſiodum legi. Pauſanias verò in Corinth. ait, à Lerna non longè, vbi fluuius Chimarus labitur, ſeptum eſſe lapideum, in quo Proſerpinam ferunt à Plutone raptam, ad inferos deſcendiſſe. alij ſeptum hoc ſupra Megaram tradunt, quo in ſepto lucus, in quo arbores quidem aliæ permultæ, ſed & olea & πρῖνος, quam ilicem plures interpretantur, quæ ex eadem radice coortæ credebantur.

Locrenſis Proſerpina, à Locris Italiæ cognominata, de qua & Valerius Maximus & Lactantius, ſed copioſius T. Liuius libro nono tertiæ Decad. in nobili illa Locrenſium oratione: Fanum eſt apud nos (inquit) Proſerpinæ, de cuius ſanctitate templi, credo aliquam famam ad vos perueniſſe. Pyrrhi bello, qui

cùm ex Sicilia rediens Locros claſſe præteruheheretur, inter alia fœda, quæ propter fidem noſtram erga vos in ciuitatem noſtram facinora edidit, theſauros quoque Proſerpinæ intactos ad eam diem ſpoliauit, atque ita pecunia in naues impoſita, ipſe terra eſt profectus. Quid ergo euenit, P. C.? Claſſis poſtero die fœdiſſima tempeſtate lacerata, omnéſque naues, quæ ſacram pecuniam habebant, in littora noſtra eiectæ ſunt: qua tanta clade edoctus tandem deos eſſe ſuperbiſſimus agnouit Rex, pecuniámque omnem conquiſitam in theſauros Proſerpinæ referri iuſſit. meminêre & alij ſcriptores.

Axiocerſa Proſerpina dicta putabatur in Cabirorum ſacris, & Samothracũ, vt copioſius alibi oſtendimus.

Δέσποινα, id eſt domina, Proſerpina cognominata fuit, licet confundere videatur Pauſanias in Arcad. tamen mox manifeſtè oſtendit Proſerpinam ſignificare, & præcipuè cum duas ſtatuas ſeorſum deſcribit, Cereris & Deſpœnæ. Sed & Vergil. in 6. Dominam eadem ratione illo verſu intelligit:

Hi dominam, Ditis thalamo deducere adorti.

Sed enim δέσποιναν Arcades non Iouis, ſed Neptuni filiam aſſerũt, & in huius deæ templo de omnibus arborum fructibus primitias offerre conſueuerãt, exceptis malis punicis. id ſcilicet innuentes, quòd ideo matri non reſtituta fuiſſet Deſpœna, id eſt Proſerpina, quia grana punica guſtaſſet, Aſcalapho deferente: qui in bubonem ideo deformatus, vt eſt inprimis in Metamorphoſi Ouidij.

Θήρα, id eſt Fera, cognominata Proſerpina, vt Pauſan. in Bœoticis notat.

πρωτογόνη, id eſt Primogenita eadem dicta eſt, teſte eodem in Atticis. quin & Arcades Soteram, id eſt Seruatricem Proſerpinam vocabant: Pauſanias. ἑτάρη etiam vocata: Heſychius. Et μονιτώδη, quod etiam repetit Cœl. Rhod.

Δάειρα, quæ & δαῖρα propter metrum, & per ſyncopen legitur. Proſerpinæ nomen fuit, vt Apollonij Rhodij interpretes in tertio Argonauticôn obſeruant, ſuper carmen illud,

Δαῖραν μουνογένειαν ἐὸν δ᾽ ἵμας ἰκμαίνοιτο.

quo loco & Timoſthenes & Aeſchylus pariter citantur. Quin etiam videmus eandem & Vnigenam, hoc eſt μονογένειαν vocatam: de qua repete quæ in Hecate ſcripſimus. A' δάειρα verò δαειρίτης deducitur, id eſt Proſerpinæ ſacerdos, vt Pollux innuit. Eadem & νυχία, hoc eſt nocturna vocabatur.

Cotytto Proſerpinam dictam, quadam coniectura ducti putauêre nonnulli, ſic canente Iuuenale:

Talia ſecreta coluerunt orgia tæda,
Cecropiam ſoliti Baptæ laſſare Cotytto.

Sacra enim hæc videntur conuenire myſterijs ſecretis Cereris & Proſerpinę, celebratis ab Athenienſibus, quæ Cotyttia à dea dicerentur. vnde in poematijs Vergilianis illud,

Non me vocabis pulchra, at Cotyttia,
Ad feriatos faſcinos, &c.

Et Horatius in Canidiam:

Inultus vt tu riſeris Cotyttia.

quo loco Porphyrion ait, ſacra eſſe inferorum. Sed ridiculè ait, forſan deduci à Cocyto fluuio inferorum. Quin & Merula Cocyton in Iuuenale Proſerpinam interpretatus eſt, illud perperàm citans, Raptam Cocytos oſtreoſa diuam. quare etiam Domitium meritò & illum ridet Politianus, qui Baptas ait, ſacerdotes eius deæ nuncupatos, vnde nomen fabulæ factum. & cætera quæ cap. decimo Miſcellaneorum doctiſſimè eſt executus. Sed miror, illum Heſychium non allegaſſe, qui de Cotytto ita ſcribit: Cotytto, inquit Eupolis, propter odium quod aduerſus Corinthios habebat, dæmonem hunc odioſum & inimicum induxit. hinc Cotyttia celebritas, quæ & κοτυττίς: de quibus ſic apud Plutarchum, ſi modò Plutarchi liber ille Prouerbiorum, ἁρπαγὰ κοτυττίοις, Rapta Cotyttijs. κοτυττίς,

inquit,

inquit, ἑορτὴ τίς ἐστι σικελικὴ, ἐν ᾗ πολλά τινας κλάδους ἐξάπτοντες, πόπανα καὶ ἀκρόδρυα ἐπιτρέπουσιν ἁρπάζειν, hoc eſt, Cotyttis feſtum erat quoddam apud Siculos, in quo placentæ & arborum fœtus ramis alligabantur, eáq; diripienda proponebantur. putauerim ego id inſtitutum propter Proſerpinæ raptum in Sicilia. Porrò Suidas Cotyn dæmonem fuiſſe ſcribit Corynthiorum: alij Thracum, in rebus turpibus. Strabo libro decimo, Bendidia & Cotyttia ſimul enumerat, item deam Cotyn. item & Synеſius in Epiſtolis.

PARCAE.

Μοῖραι καὶ αἶσαι vocatę Græcè, & κῆρες interdum. Parcæ verò à noſtris dicuntur κατὰ τὴν ἀντίφρασιν, hoc eſt, per contrarium. vt ait Seruius, quòd nemini parcant. Parcas tres exiſtimabant veteres: vnam loqui, alteram ſcribere, tertiam fila deducere. propterea Parcas, ſcribas ac librarias ſuperûm vocat Martianus: Clotho, inquit, Lacheſis, Atropósq;, quoniam ſententias Iouis orthographę ſtudio veritatis excipiunt, vtpote librariæ ſuperûm, archiuiq; cuſtodes. Sic & eas Ioui Phurnutus tribuit, Plutoni verò Fulgentius: Tria, inquit, ipſi Plutoni deſtinant Fata, quarum prima Clotho, ſecunda Lacheſis, tertia Atropos. Clotho enim Græcè, euocatio Latinè dicitur, Lacheſis verò ſors nuncupatur, Atropos quoque ſine ordine dicitur: hoc videlicet ſentire volentes, quòd prima, ſit natiuitatis euocatio: ſecunda, vitæ ſors, quemadmodum quis viuere poſſit: tertia, mortis conditio, quæ ſine lege venit. Sedenim hæc Fulgentij theoria cum his quæ à Græcis traduntur, parum conſona videtur. Illi enim μοίρας, id eſt Parcas, à diuidendo & diſtribuendo vnicuiq; ſua, dictas arbitrantur. & Clotho quidem, παρὰ τὸ συγκλώθειν καὶ ξυνείρειν, quod ſcilicet reuoluat & contrahat omnia. Lacheſis verò, παρὰ τὸ λαγχάνειν τὸ πεπρωμένον, id eſt, quòd fatum ſortiatur. Atropon autē, quoniam ἄτρεπτος, quaſi inuertibilis ſit, & incommutabilis. Sunt verò qui Parcas ita interpretentur. per Clothon ſeptem planetas, per Lacheſin res ſublunares: per Atropon autem Aplanen, id eſt inerrantem ſphæram. Alij Clotho præſenti tempori, Lacheſin futuro, Atropon præterito, vt ait Ariſtoteles. Porrò ne à noſtris recedamus, ſunt qui eas ita ſtatuant, vt vna colum teneat, altera fuſum, tertia filum rumpat: vitæ curſum ſtatúmque deſignantes. & hoc verſu id innuunt:

Clotho colum retinet, Lacheſis net, & Atropos occat.

Heſiodus poeta Parcas Nocte & Herebo natas cecinit, propter occultam & abditam fatorum vim. Lycophron, Maris puellas dixit, ob feram & immitem fatorum legem. Illud certè mirum videri poteſt, cur ab Heſiodo in Theogonia bis Parcarum generationem factam legamus. Nam non longè à principio, μοίρας καὶ κῆρας ἐγείνατο νηλεοποίνους, de noctis & Herebi filijs loquens. non longè verò à poematis calce, Iouem dicit ſtabilito regno poſt Titanum bellum, Themidem duxiſſe vxorem, ex qua inter cæteros filios genuit,

Μοίρας θ' αἷς πλείστην τιμὴν πόρε μητίετα Ζεὺς,
Κλωθώ τε, Λάχεσίν τε, καὶ Ἄτροπον. hoc eſt,
Parcas, Iuppiter his dederat rex plurimùm honoris,
Clothóq;, & Lacheſin, ſimul Atropon.

Sed quoniam Parcas diximus ex eruditorum ſententia appellatas, quòd minimè parcant: Varro tamē apud Gellium libro tertio, nomina Parcis antiquos ait feciſſe à pariendo, & à nono atque decimo menſe. nam Parca, inquit, immutata litera vna, à partu nominata. item Nona & Decima, à partus tempeſtiui tēpore. Ceſellius autem Vindex in lectionibus ſuis antiquis: Tria, inquit, nomina Parcarum ſunt, Nona, Decima, Morta. Et verſum hunc Liuij antiquiſſimi poetæ ponit ex Odyſſea,

Quando dies adueniet quem profata Morta eſt.

Sed homo minimè malus Ceſellius,Mortam quaſi nomen accepit,cùm accipere quaſi μοίρας deberet.atque hæc quidem ille.Alij Parcarum hæc nomina eſſe voluerunt,vt recitant Marſil.Ficinus in Platonem,& Socinus Bentius medicus & Philoſophus,in eo qui eſt de Felicitate:Veſtam,Mineruam,& Martiam, vel Martem. Effingebant eas antiqui tanquam anus, niueis velleribus redimitas,quibus & narciſſum attribuebant florem. Sed elegantiſſimè à Catullo finguntur his verſibus,in Pelei & Thetidis epithalamio:

Cùm interea infirmo quatientes corpora motu,
Veridicos Parcæ cœperunt edere cantus.
His corpus tremulum complectens vndiq; veſtis,
Candida purpurea talos incinxerat ora,
Et roſeo niueæ reſidebant vertice vittæ,
Aeternumq; manus carpebant rite laborem.
Læua colum molli lana retinebat amictam.
Dextera tum leuiter deducens fila,ſupinis
Formabat digitis,tum prona in pollice torquens
Libratum tereti verſabat turbine fuſum.

& cætera,quæ apud ipſum poetam doctiſſ.leges.neque enim eas quiſquam pictura magis graphicè formare potuiſſet.Parcarum verò numerus, vt Euſebius ait,& nomina ipſarum,& fuſus,& glomeratum in eo filum,cęteraq; huiuſmodi, ineuitabilem determinationem cauſarum oſtendere arbitrabantur. hinc Plato in decimo de Repub.Alias autem,inquit,tres Neceſſitatis filias æquali inuicē interuallo in throno ſedere,Parcas veſtibus albis, capite coronato, Lacheſin, Clotho,Atropon.quæ ad Sirenum harmoniam canant, Lacheſis quidem præterita,præſentia Clotho,Atropos verò futura:& cætera,quæ multa eo loco de Parcis,& earum matre diuus philoſophus diſſerit:quæ ſi quando otium ſuppetit,legere poteris.De Parcis plura itidem leges in libris de Legibus,apud eundem Platonem.item Chryſippus multa ſcripſiſſe dicitur,vt à Diogeniano reprę henditur apud Euſebium.Fatum dicit,dictum quoddam,determinatúmq; diuinitùs eſſe:Parcas autem è contrario,quoniam nemini parcant: Sortes, quia ita ſortitum vnicuiq; ſit.Atq; ideo tres eſſe Parcas arbitrabantur,quia tria ſunt tempora,quibus omnia inuoluuntur:Lacheſinq; dictam eſſe,quia λαγχάνειν Græcè, euenire per ſortem deſignat:Atropon,quia verti non poſſit:Clothon,quoniam contorta & coordinata omnia teneat:& cætera,quæ contra fatum diſputat Euſebius in ſexto Præpar.Euangelicæ.

Aeſan etiam,hoc eſt αἶσαν,diximus Parcam vocari:hoc eſt,latentem & minus notam eorum quæ fiunt cauſam.αἶσα verò nuncupata eſt,vt Phurnutus innuit, quaſi ἀεὶ οὖσα,id eſt ſemper exiſtens.

εἱμαρμένη etiam Parca,& Fatum dicitur.ſed cuius verbis potius eam deſcribemus,quàm M.Tullij?qui Velleium inducit ita loquentem: Hic, inquit, nobis exiſtit primùm illa fatalis neceſſitas,quam εἱμαρμένην dicitis,vt quicquid accidat id ex æterna veritate,cauſarúmq; continuatione fluxiſſe dicatis. Sed de Imarmene etiam plura Phurnutus de Deorum natura,item Ariſtoteles,& Apuleius de mundo.Proclus in Commentarijs Heſiodi in ἔργοις,Stoicos ait appellare Imarmenen Διὸς νοῦς,ſuper ea Heſiodi verba,ὅτι πῃ ἐστὶ Διὸς νόον ἐξαλέασθαι.id eſt,nuſquam eſt Iouis mentem aufugere.Chryſippus:Imarmenè,inquit,ſempiterna quædam & indeclinabilis rerum ſeries,& catena,ſeſe voluens & implicans per æternos conſequentiæ ordines,è quibus connexa eſt.His conformia ſcribunt & Phurnutus,& Boetius in Topicis.εἱμαρμένη verò dicta,διὰ τὸ εἴρειν τι καὶ χωρεῖν ἀκολούθως, id eſt quoniam trahat & cedat conſequenter.Heſychius ait,Imarmenen à Cretenſib.vocari ἀμορφόν.Plurimi etiam ἀνάγκην,id eſt neceſſitatem, cum Imarmene deſcribunt,inter quos Phurnutus,qui ait:Anance eſt,quam cogere aut vincere non

non poſſumus, ſi quidem ei omnia vt ad cauſam referuntur. Varro, Fatum à fando dictum ait, quòd pueris Parcæ conſtituant fando, dictum Fatum, & res fatales: quidam & Parcarum manes dicunt.

ὄπις quoq; Parca dicta eſt ἀπὸ τοῦ λανθάνειν ὄπισθεν, id eſt à retrò occultando, & obſeruando noſtra facta, & quæ punienda ſunt, puniendo.

Πεπρωμένη verò dicta, διὰ τὸ πεπερατῶσθαι πάντα, id eſt, quòd omnia terminata ſunt, & nihil ſit in iis quę ſunt in infinitum.

Lanificę Parcę à noſtris cognominatę ſunt, quòd penſa & ſtamina vitę humanę trahant candida, vel argentea, id eſt felicia, vel ferrea & pulla: vel nigra, id eſt infelicia. Martialis:

Si mihi lanificæ ducunt non pulla ſorores
Stamina.

Tetricę Parcę, & Sorores etiam vocantur, quod nemini parcant. Idem Martialis,

Ruperunt tetricæ cùm mala penſa deæ.

Hinc & à Græcis ἀμετάτρεπτοι dicuntur, id eſt inconuertibiles. Adraſtiam & Nemeſin cum his coniungit Phurnutus. Sed ipſe in eo, in quo de Fortuna egi, eas copioſę ſum executus. Tu inde petas.

FVRIAE.

QVas Latini Furias appellauêre, Grę̨ci Erinnyes, & Eumenides in primis dixêre. has & Plutoni deſeruire, prodidit antiquitas. Hinc Verg.

Hæ Iouis ad ſolium, ſæuiq; in limine regis
Apparent, acuuntq; metum mortalibus ægris,
Si quando lethum horrificum, morboſq; deûm rex
Molitur meritis, aut bello territat Vrbes. & cętera.

Iiſdem etiam veteres commotæ mentis affectus adumbrabant, proptereáq; furoris deas exiſtimabant. Semper verò virgines etiam prouerbio dictę, quòd cùm malefactorum vltrices ſint, facilè corrumpi nō poſſint, quin etiam pœnas de delinquentibus ſumunt: Suidas auctor. Cicero pro Roſcio Amerino: Nolite putare, quemadmodum in fabulis ſępenumero videtis, eos qui aliquid impiè ſcelerátéque commiſerint, agitari & perterreri Furiarum tędis ardentibus: ſua quenq; fraus, & ſuus terror maximè vexat. & paulò pòſt: Hę ſunt impiis aſſiduę domeſticęq; Furię, quę dies noctéſq; parentum pœnas à conſceleratiſſ. filiis repetant. Idem Cic. in 1. de Legib. Agitant & inſectantur impios Furiæ, non ardentibus tędis, ſicut in fabulis, ſed angore cōnſcientię. Suet. de Nerone: Sæpe confeſſus exagitari ſe materna ſpecie, verberibus Furiarum, ac tędis ardētibus. Sed omnis hac de re plena eſt Tragœdia. Erinnyies quidem ideo ſunt vocatę, quaſi ἔρις νοῦς, hoc eſt mentis lis. Eumenides verò per contrarium εὖ καὶ μένος, quaſi nō bona mens. Erinnyias Heſiodus natas fabulatur ex ſanguinis guttis pudendorum Cœli, in terram cadentibus. quidam Noctis & Herebi filias dixêre, vt Lactantius ait in Theb. Alii Acherontis. Orpheus in Hymno,

ἁγναὶ θυγατέρες μεγάλοιο Διὸς χθονίοιο,
Περσεφόνης τε. id eſt, Caſtæ filiæ magni Iouis terreſtris, & Perſephones.

Furię verò frequētiſſimè in tragœdiis introducunt. vnde Ariſtophanes in Pluto, de Paupertatis dea, τάχα ἴσως Ἐρινύς ἐστιν ἐκ τραγῳδίας. hoc eſt, Fortaſſis eſt Erinnys, ex tragœdia paupertas. Propert. Tū me vel tragicæ vexetis Erinnyes. ſcribit Strabo lib. Georg. 4. apud Caſſiteridas inſulas homines eſſe colore fuſco, tunicis ad talos demiſſis, cingulo pectus incinctis, baculóſq; manu geſtare, Furiis perſimiles. quibus ex verbis Furiarū habitū colligimus. Horrendum aſpectū furiis Phurnutus aſcribit, & igne ac flagello impios & noxios inſequi. Furiis primus Aeſchylus dicit, crines anguib. implicitos affinxiſſe, quas Ceraſtas poetæ appel-

appellant. Claudianus de Alecto:

Mollia lambentes finxerunt membra Ceraſtæ. Idem:

Alecto ſtetit in medio, vulguſq; tacere
Iuſſit, & obſtantes in tergum reppulit angues,
Perq; humeros errare dedit.

Hinc etiam ab Orpheo ὀφιοπλόκαμοι dicuntur, quaſi dicas ſerpenticomæ. Idẽ ſcribit & Phurnutus. ſic à Vergilio Alecto deſcribitur,

Luctificam Alecto dirarum à ſede ſororum,
Infernisq; ciet tenebris, cui triſtia bella,
Iræq;, inſidiæq;, & crimina noxia cordi:
Odit & ipſe pater Pluton, odere ſorores
Tartareæ monſtrum, tot ſeſe vertit in ora. & cætera, quæ ſequuntur.

De Tiſiphone verò Ouidius:

Nec mora, Tiſiphone madefactam ſanguine ſumit
Importuna facem, fluidoq; cruore rubentem
Induitur pallam, tortoq; incingitur angue.

Mox comites illi adiungit, Terrorem, Pauorem, & Inſaniam. plures addit Claudianus in Ruffinum, & item Statius in Theb. quorũ verſus, ne nimius ſim, miſſos facio. Hæ verò Furiæ, tres ſorores dicuntur, Alecto, Tiſiphone, & Megæra. quidam & quartam addũt, Lyſſam, id eſt, Rabiem. vnde Euripides in Hercule furente, Irin inducit Iunonis iuſſu Lyſſam adducere, quæ Herculi furorem ac rabiẽ inijceret. Eſt aũt Lyſſa dea, vt idẽ ait, Noctis filia, ex Cœli ſanguine. hæc rabiem immittere fingebatur, & centum ſerpentum capitibus ſibilantibus caput incinctum, manu verò ſtimulum geſtare. Sic verò de Furijs ſcribit Iſidorus: Aiunt & tres Furias antiqui, fœminas crinitas ſerpẽtibus, propter tres effectus, qui in animis hominum multas perturbationes gignunt, & interdum cogunt ita delinquere, vt nec ad famam, nec ad periculum ſui reſpectum habere permittant. Ira, quæ vindictam cupit, Cupiditas, quæ deſiderat opes, Libido, quæ appetit voluptates. quæ ideo Furiæ appellantur, quòd ſtimulis ſuis mentem feriant, & quietam eſſe non ſinant. De Furijs verò Fulgentius ita: Prima, inquit, eſt Alecto. Alecto enim Græcè impauſibilis dicitur, παρὰ τὸ α, καὶ λήγειν, quòd non deſinat. altera, Tiſiphone. Tiſiphone autem, quaſi τούτων φωνὴ, id eſt, iſtarum vox. inconcinna mihi quidem videtur etymologia. nam potius à τίσις καὶ φόνος deducitur, hoc eſt, vindicta & cæde. quod & Vergilius oſtendere videtur, cùm ait,

Continuò ſontes vltrix accincta flagello
Tiſiphone quatit inſultans, toruoſq; ſiniſtra
Intentans angues.

Sequitur Fulgentius: Primum eſt ergò, non pauſando Furiam concipere: ſecundum eſt, in vocem erumpere: tertium, iurgium protelare. quæ interpretatio, licet mihi parum arrideat, aſcribere tamen eam placuit. eſt enim vulgarem ſecutus humanæ naturæ rationem. Megæra verò dicta ab odio & inuidia, quæ mortalibus inijcit. μεγαίρω quippe id ſignificat. Orpheus duos hymnos his deis concinuit, quorum tamen prior in vetuſtis & manuſcriptis codicibus hanc habet ἐπιγραφὴν, ὀρινυύων θυμίαμα στύρακα καὶ μάννας. licet in impreſſis aliter. alter verò habet, εὐμενίδων θυμίαμα ἀρώματα. In priore, earum trium nomina vno verſu explicat,

Τισιφόνη τε, καὶ ἀληκτὼ, καὶ δῖα μέγαιρα. id eſt,

Tiſiphone, nec non Alecto, & dia Megæra.

Ideo verò Furiæ apud inferos eſſe dicuntur, quoniam cauſæ parum notæ plerunque, vt ait Phurnutus, in occulto ſunt, nec videntur, & ijs in primis qui meriti ſunt. Porrò vt eſt apud Aelianum, turtures aues Furijs ab antiquis dicatæ putabantur, ſed & Parcis, ac Veneri, & Cereri.

Eumeni-

Eumenides Furiæ nuncupatæ, vt dictum eſt, per contrarium, quod minimè beneuolæ ſint, & mites. in has Orpheus hymnum compoſuit, vt antè meminimus: vltricéſque vocat hominum impiorum & iniuſtorum, hoc eſt, ἀσεβούντων, τῶν τ᾽ ἀδίκως τιμωροί. Seneca: Adeſte ſceleris vltrices deæ. Cognominantur & κυανόχρωτοι, quòd obſcuro corpore fingantur, & βλοσυρωνύχιαι, & φοβερῶπιδες, quòd & vnguibus & aſpectu terribiles ſint. Scribit M. Cicero, Athenis Eumenidum fanum fuiſſe, vt planius dicam ἐν σεμναῖς θεοῖς. Has quidam & μανίας vocant, id eſt furentes, vt ait Pauſanias. Legimus Maniarum templum fuiſſe apud Meſſenios. Eumenides plerunque cum facibus finguntur, vt apud Tragicos videmus. hinc Vergilius, Eumenides tenuêre faces. Idem: Ferreique Eumenidûm thalami. quo loco Seruius ſcribit: Furiæ nunquam nupſerunt, vnde igitur thalamos accipimus? Sed accipiendum, in quibus natæ ſunt, & cætera. Eumenidum ſacerdotes λήτειραι dictæ ſunt, vt Heſych. notat.

Σεμναὶ θεαὶ dicũtur Erinnyes. Arpocratiõ ſcribit, Athenienſes ſic vocare, quaſi dicas deas caſtas, & incorruptas. Pauſan. in Corinth. ait, Semnas à Sicyonijs, Eumenidas dici ab Atticis. in Attica tamen etiam ait: Iuxta dearum, inquit, templũ quas σεμνὰς vocãt. Sophocles de his multa præcipuè in fabula Oedipi Epicolono. has vocat Heſiodus in Theogonia Erinnyes. de Semnis deis, & Phurnutus, & Apollonij interpretes. Sẽnis his deis oues prægnãtes immolabãt, & melicratũ. Philemon poeta comicus diuerſas Eumenidas & Semnas fecit in fabulis.

Palæſtinas deas Furias cognominatas ab Ouidio, docti quidam arbitrantur. ita enim ille canit in quarto Faſt. de Aty furente:

Et modò tolle faces, remoue modò verbera, clamat,
Sæpe Palæſtinas iurat adeſſe deas.

Palæſtæ quidem locus Epiri apud Oricum, vt Lucanus in quinto Pharſaliæ innuit:

Inde rapi accepêre rates, atque æquora claſſem
Curua ſequi, quæ iam vento, fluctúque ſecundo
Lapſa, Palæſtinas vncis confixit arenas, &c.

Cæſar in Comment. ciuilibus: Ad eum locum qui appellatur Palæſtæ, omnibus nauibus ad vnam incolumib. milites expoſuit. etſi exemplaria pleraque pro Palæſtæ, Pharſalia legunt. Eum verò locum Palæſtæ dictum aliqui putant, quoniam geminæ columbæ fatidicæ è Syria Dodonam euolauerunt, quæ Palæſtinæ ſunt appellatæ. in illis quoque fuiſſe inferorum oſtium ferunt, item Acheruſiã: item de Aidoneo, id eſt Plutone quæ traduntur, & Proſerpina. Sed & quidam Herculem ea parte Cerberum traxiſſe prodiderunt. hinc eruditi coniectura ducti, Palæſtinas deas Furias interpretati ſunt. Sed & Marſus ait, ſe à Græco accepiſſe, in commentarijs peruetuſtis legiſſe, Furiarum templum in Epiro fuiſſe: itémque in altero Græco codice vetuſtiſſimo. Ego verò nihil vltrà, niſi quòd lego apud T. Liuium in quintæ Decad. lib. 3. Peneſtiam regionem ac terram eſſe Illyrici. Tertio, inquit, die ad Vſcana Peneſtianæ terræ, ea maxima vrbs eſt. tũ paulò infrà: Vſcanenſibus Illyrijsque venditis in Peneſtiam exercitum Perſeus reducit. Item alibi, Peneſtas. Vide verò tu an Peneſtinas deas legendum ſit, potius quàm Palæſtinas. Non me præterit, & Ph. Beroaldum de his ſuam potius opinionem quàm ſententiam attuliſſe. Palæſtinas enim deas ait, deam Syriam, & Phrygiam Cybelem: nec abſurdum eſſe, ex D. Auguſtini ſententia multas deas ad vnam reuocare, vt non tam ſint deæ multæ, quàm multa vnius nomina. hinc putauit Beroaldus, Ouidium deas appellaſſe Palæſtinas, perinde ac Furias, quod ſcilicet in Syria Palæſtini ſint.

Harpyiæ, ſeu Furiæ, ſeu fabuloſæ deæ quædam dicuntur: Vergil.

Virgineus quibus eſt vultus, fœdiſſima ventris
Proluuies, vncæque manus, & pallida ſemper
Ora fame.

Tres fuerunt, Aello, Ocypete, & Celeno: licet quidam quartam addiderint, Thyellam. Apollonij tamen interpretes, Thyellas, procellas & procelloſos flatus interpretantur. Heſiodus & Apollonius duas tantùm nominant Harpyias, quas Iridis ſorores fabulati ſunt antiqui, Thaumantis filias, & Electræ Oceani. Sic enim canit Heſiodus in Theogon.

Θαῦμας δ' ὠκεανοῖο βαθυῤῥείταο θύγατρα,
ἤγαγε τ' ἠλέκτρην, ἣδ' ὠκεῖαν τέκεν ἶριν.
ἠϋκόμους δ' ἁρπυίας, ἀελλώ τ', ὠκυπέτην τε. hoc eſt,

Thaumas filiam Oceani profundi Electram duxit, quæ grauida peperit Irin, & pulchricomas Harpyias, Aello & Ocypeten, &c. Idem apud Lycophronem Iſaacius refert. harũ ſuo more Fulgentius allegoriã cõminiſcitur: ex illo eã repete, ne plura inculcem. Hæ & rapaces aues dicuntur, ait Phauorinus, Phinei filię, Geraſia & Harpyria, cibaria rapientes ex ore ſenis. Alij Harpyias ventorum cõuerſiones interpretantur, & ventos ipſos: alij Neptuni filias & Terræ ſcribunt: Seruius grammaticus, Ponti & Terræ, & ideo ait eas inſulas habitare, partẽ terræ, partem maris tenentes. quidam eas aues & volucres dixêre, vnde illis Vergilius & Apollonius plumas addunt: vt illud,

Sed neq; vim plumis vllam, nec vulnera tergo Accipiunt.

Quod tamen dictum Donatus interpretatur, quòd Stygiæ eſſent, & propterea inuulnerabiles. quam interpretationem non recipit Seruius. Alij Harpyias Iouis canes dictas volunt, quos ſequitur idem Seruius in tertio Aeneid. commẽt. inquit enim, cùm Zetus & Calais Boreæ filij eas inſequerentur ad Plotas vſq; inſulas, Irin eis apparuiſſe, quæ illos moneret, vt canes Iouis inſequi deſiſterent. hoc eſt, vt his verbis canit in ſecundo Apollonius:

Non fas, ô nati Boreæ, vos enſibus alti
Harpyias vrgere canes Iouis.
οὐ θεμὶς ὦ υἱέες βορέου ξιφέεσσιν ἐλάσσαι
ἁρπυίας, μεγάλοιο διὸς κύνας.

Illud tamen hoc loco notandum, quod Apollonij commentatores ſcribunt, decentius Irin miſſam nunciam filijs Boreæ, vt deſiſterent: vel quòd ipſa nuncia ſit, vel potius quòd ipſarum Harpyiarum ſoror eſſet. nam alij Mercuriũ miſſum aiunt, inter quos eſt Heſiodus. ab ea verò conuerſione, Zeti ſcilicet & Calais, inſulæ Plotæ, Strophades appellatæ ſunt: quod ijdem poetæ Apollonius & Vergilius, & ante eos Antimachus in poemate Lydes cecinit. Hyginius verò in libro Fabularum Zetem & Calaim ita deſcribit: Hi capita pedéſq; pennatos habuiſſe feruntur, crinéſq; cæruleos, peruio aere vſi ſunt. Sanè & Furiæ exiſtimatæ ſunt, vnde Celæno apud Vergilium:

Vobis Furiarum ego maxima pando.

Quare palàm eſt, & canes appellatas eſſe Furias. Lucanus:

Stygiaſq; canes in luce ſuperna Reſtituunt, Vergil.
Viſæq; canes vlulare per vmbram,
Aduentante dea.

Horat. in Sermonibus: Viderit infernas errare canes. Illud inſuper addit Seruius, apud inferos Furias dici, & canes: apud ſuperos diras, & aues: vt ipſe idem Vergilius in 12. In mundo verò Harpyiæ dicuntur. eas item ait γαμψώνυχας, hoc eſt vncungues. & vt Vergilius ait, vncæq; manus: æmulatus Apollonium, qui in ſecundo cecinit χειρῶν τ' ἄπο γαμφηλῇσι συνεχέως ἥρπαζον, id eſt, manuum curuitatibus continenter rapiebant. Canit & hoc idem Poeta, fugatas Harpyias à Zeto & Calai, & ſe in ſpecum abdidiſſe in inſula Creta ſub Arginunte, vt etiam Neoptolemus & Pherecydes prodiderunt. Porrò Harpyiarum nomen in prouerbium tractum eſt, de rapacibus, & ijs qui plus iuſto opes per fas & nefas exigunt.

Diræ

Diræ quidem apud ſuperos dicuntur. Vergilius:

At procul vt diræ ſtridorem agnouit, & alas,
Infelix crines ſcindit Iuturna ſolutos. Idem:
Dicuntur geminæ peſtes, cognomine Diræ,
Quas, & tartaream Nox intempeſta Megæram,
Vno eodemq́ tulit partu.

Plutarchus in vita M. Craſſi, Acteium ſcribit his verbis diras imprecatum eſſe: Acteius, inquit, in vrbem citato gradu accurrēs, in via per quam Craſſus iter facturus erat, ſuccenſam cratem conſtituit. cumq́ in eum locum Craſſus perueniſſet, aſſiſtens Acteius, & ſacra quædam ac libationes faciens, diras admodum atque horrendas execrationes obnunciauit; deos quoſdam inauditos antea & horrendos nomine compellans. has imprecationes Romani diras appellant, quas nunc quaſi vetuſtate obſoletas eam vim obtinere dicebant, vt qui illis obnoxius fuiſſet, grauiſſimas pœnas dare cogeretur, & maximo infortunio affici: & cætera, quæ idem Plutarch. exequitur.

Obſcœnę etiam volucres, Furiæ dicuntur à poetis. Idem Vergilius:

Iam iam linquo acies, ne me terrete timentem,
Obſcœnæ volucres, alarum verbera noſco.

Appellantur & luctificæ, & importunæ, alijsq́ huiuſmodi epithetis, quæ diligentius ab alijs collecta habent. Hyginus verò in libr. fabularū has ita depinxit: Hæ inquit, fuiſſe dicuntur capitibus gallinaceis, pennatæ, alasq́ & brachia humana, vnguibus magnis, pedibuſq́ gallinaceis, pectus album, fœminaq́ humana.

Furor, Furiarum ſi non frater, conſanguineus certè à poetis confingebatur: quem graphicè effingit Petronius Arbiter in carmine de Bello ciuili, vt pictor nemo melius.

Furina etiam colebatur à Romanis, teſte Cicerone lib. tertio de Natura deorum, vbi Eumenidas commemorans: Quæ, inquit, ſi deę ſunt, quarum & Athenis fanum eſt, & apud nos, vt ego interpretor, lucus Furinæ. meminit idem ad Atticum. ſed & ego in primo Syntagmate aliquanto plura, de Furore & Furina recenſui. Legimus etiam Forinam deam, quæ ſi eadem ſit cum Furina, incompertum habeo. Certè in Romanis antiquis marmoribus ſic legitur:

P. POETELLIVS P. L. SVRVS LANISTA
AD. AR. FORIN. AR. ROM. DD.
VIX. ANN. XLIIX. H. S. E.

Et ibidem altera Tranſtib. in ædicula S S. XL.

I. O. M. H. AVG. SACR. V.

GENIO FORINARVM ET CVLTORIBVS HVIVS LOCI. TERENTIA. NICE CVM TERENTIO DAMARIONE FILIO SACERDOTE, ET TERENTIO DAMARIONE IVN. ET FONTEIO ONESIMO FILIO SACRORVM SIGNVM ET BASIM VOTO SVSCEPTO DE SVO POSVIT LVSTRO EIVSDEM DAMARIONIS. Benedictus Aegius. Sanè apud Feſtum Pompeium Foria ſtercora liquidiora ſunt. Pomponius Macco: Conforiſti me. Diomedes Lauerius in Panificis: Storiolum eſſe videris, in coleos cacas. Foriolus, qui fores facile emittat, ſoluti ſcilicet ventris.

Sed iam reliquam infernorum deorum, hoc eſt, θεῶν νικρικῶν & Maniū turbam explicabo, Vergilianúmque illud interpretabor,

Dei quibus imperium eſt animarum, vmbræq́ ſilentes,
Et Chaos, & Phlegethon, loca nocte ſilentia latè,
Sit mihi fas audita loqui.

Variè philoſophi de deis inferis dixere. nam per alios exiſtimabãt animas ad inferos deduci: vt,

> *——Hac animas ille euocat Orco*
> *Pallentes, alias ſub tartara triſtia mittit:*

item per alios transferri: vt,

> *Nauita ſed triſtis nunc hos, nunc accipit illos.*

per alios purgari: vt,

> *Aliæ panduntur inanes Suſpenſæ ad ventos.*

per alios verò ad ſumma reuocari: vt,

> *Lethæum ad fluuium Deus euocat agmine magno.*

Sed nos his miſſis, ſeorſum diſcutiamus, primùmque qui propriè Manes dicerentur à gentibus, oſtendamus. Manes, vt Aelius Stilo ait, dei inferi, quaſi boni dicuntur à ſuppliciter eos venerantibus, propter metũ mortis: vt Immanes quoque, pro non valde bonis dicuntur. Manes verò ab auguribus inuocabantur, quòd per eos omnia manare credebãt, eóſque deos ſuperos atque inferos dicebant. Feſtus: Manalem, inquit, etiam lapidem putabant eſſe hoſtium Orci, per quod animę inferorum ad ſuperos manarent, qui dicuntur manes. alij Manalem lapidem vocabant petram quandam, quæ erat extra portam Capenam, iuxta ædem Martis: quam cùm propter nimiam ſiccitatẽ in vrbem pertraherent, ſequebatur ſtatim pluuia, eúmque quòd aqua manaret, Manalem lapidem dixerunt. idem Feſtus auctor. Manias quoque idem Aelius Stilo dici ait, ficta quædam ex farina in hominum figuras, quia turpes fiant, quas alij Maniolas appellabant. Manias autem, quas nutrices minitentur pueris, eſſe Laruas, id eſt Manes deos deáſque putabant, quóſque ab inferis ad ſuperos emanare credebant: aut Mania eſt eorum auia, matérve. Sũt enim vtriuſque opinionis auctores. hinc etiam putarim ipſe hodie, dum terrere volunt infantes, Orcum nutrices vocare. Sed ridicula iſta ſunt, quin & nocumenta plerunque infantibus & puſillulis terriculamenta iſta afferunt. Deorum etiam Manium mundum Cereris eſſe putabãt, qui mundus quid ita diceretur, retulit Cato in Commentarijs Iuris ciuilis: Mundo, inquit, nomen impoſitũ eſt, ab eo mundo, qui ſupra nos eſt. forma enim eius ex ijs qui intrauere, cognoſci potuit aſſimilis illi. atque eius inferiorem partem, veluti conſecratam deis Manibus. hunc autem Cereris mundum ter in anno patere putabant his diebus, poſtridie Vulcanalia, & ante diem tertium Non. Octobris, & ante diem ſextum Id. Nouembris. Inferiorem enim eius partem conſecratam deis manibus, arbitrantes clauſam omni tempore præter ſupradictos dies: quos dies etiam religioſos iudicauerunt eam ob cauſam, quòd ijs diebus ea quæ occulta & abdita religionis deorum Manium eſſent, in lucem adducerentur, & patefierent: nihilq; eo tempore in Republ. fieri voluerunt. Itaq; per hos dies non cum hoſte manu conſerebatur, non exercitus ſcribebatur, non comitia habebantur, non aliud quicquam in Repub. niſi quod vltima exegiſſet neceſſitas, adminiſtrabatur. hæc ex Sex. Pomp. commentarijs. Vergilius cùm cecinit, Quiſq; ſuos patimur manes: Seruius exponere videtur pro Genijs, vt in Genijs pluribus oſtendimus. Martianus verò, Manes, inquit, corpori humano præſules attributi ſunt, qui parentum ſeminibus manauerunt, qui ſub Plutonis poteſtate ſunt: qui ideo Summanus dicitur, quaſi Sũmus Manium. idem auctor paulò pòſt, Verùm manes quoniam corporibus illo tempore tribuuntur, quo fit prima conceptio, etiam poſt vitam ijſdem corporibus delectantur, atq; cum ijs manentes appellantur Lemures: qui ſi vitæ prioris adiuti fuerint honeſtate, in Lares domorũ, vrbiúmq; uertũtur: ſin autem deprauantur ex corpore, Laruę perhibentur, ac Manię. Manes igitur tam boni quàm truces conſtituti, quos ἀγαθοὺς ἢ κακοὺς δαίμονας memorat Graia diſcretio. In his autẽ ſunt Manes, eorúmq; præſtites Mana & Mantuona, dei etiam cum his quos Aquilos dicunt, item Fura, Furináq;, & mater Mania: & cætera quæ Martianus eſt executus. Sed præſtat etiam audire, quæ de his Apuleius ſcribit de Deo Socratis, cùm de Dæmone & Genio locutus fuiſſet. ita enim ſubiungit ſuis verbis: Animus humanus exutus & liber, ſtipendijs vitæ

corpori

corpori ſuo obiuratis, hunc vetere Latina lingua reperio Lemurem dictum. ex hiſce ergo Lemuribus, qui poſteriorum ſuorum curam ſortitu pacato & quieto numine domũ poſſidet, Lar dicitur familiaris: qui verò propter aduerſa vitę merita, nullis bonis ſedibus, interuagatione, ſeu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, cæterùm noxium malis, hunc pleriq; Laruam perhibent: cùm verò incertũ eſt quæ cuiq; eorum ſortitio euenerit, vtrùmne Lar ſit, an Larua, nomine Manem deum nuncupant, & honoris gratia vocabulũ additum eſt. hæc Apuleius. Lemures, quos iam dixi, inter inferorum umbras & manes, Porphyrion Horatij interpres recenſet in eo verſu, Nocturnos Lemures. Lemures, inquit, putant hominum eſſe poſt mortem vagantes vmbras, dictos quaſi remores, à Remo, cuius occiſi vmbras frater Romulus placare cùm vellet, Lemura inſtituit. Vnde Ouid. in Faſt. de Romulo loquens,

—Lucemq; Lemuria dixit,
Illam, qua poſitis iuſta feruntur auis.
Aſpera mutata eſt in leuem tempore longo
Littera, quæ toto nomine prima fuit.
Mox etiam lemures animas dixere ſilentum. idem,
Ritus erit veteris nocturna Lemuria ſacri,
Inferias tacitis manibus illa dabunt.

Sed de his plura in noſtro de Annis & mẽſibus, &c. Varro de vita pop. Rom. apud Noniũ: Quibus temporibus in ſacris fabam iactant noctu, & dicunt ſe Lemures domo extra ianuam eijcere. Auguſtinus lib. 9. de Ciuitate Dei, dicit quidem animas hominum dæmones eſſe, & ex hominibus fieri Lares, Laruas, & Manes. Lares, ſi meriti boni ſunt: Lemures ſeu Laruas, ſi mali. Porrò Tauri ludi dicebantur, qui deis inferis fiebant. Feſt.

Charon deus infernꝰ, dictus per antiphraſin, quaſi Acharõ. alias tamen Phurnutus etymologias adducit, quas non ſatis probo. Deſcribitur probè à Vergilio in ſexto Aeneid.

Portitor has horrendus aquas & flumina ſeruat,
Terribili ſqualore Charon, cui plurima mento
Canicies inculta iacet, ſtant lumina flamma,
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus,
Ipſe ratem conto ſubigit, veliſq; miniſtrat,
Et ferruginea ſubuectat corpora cymba,
Iam ſenior, ſed cruda deo viridiſq; ſenectus.

De hoc lectum eſt in Orpheo, quòd quando Hercules ad inferos deſcendit, Charon territus eum ſtatim ſuſcepit, ob quam rem anno integro in compedibus fuit. Atq; ideo ipſe apud Verg.

Nec verò Alciden me ſum lætatus euntem Accepiſſe lacu.

Portitor Charon dictus, à Gręcis Porthmeus, vt in noſtris Nauigijs oſtendimus. Iuuenalis:

Tetrumq; nouitius horret Porthmea.

Nauita etiam nuncupatus: vt,

Nauita quos iam inde vt Stygiá proſpexit ab vnda. Item:
Nauita ſed triſtis nunc hos, nunc accipit illos.

Cerberus Plutonis canis, qui triceps fingebatᷣ, & propterea Tergeminus dictus, & Trifaux: vt,

Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Perſonat.

Natus traditur ex Geryone & Echidna. hic fertur tractus ab inferis, vt in Herculis vita ſcripſimus, ab Hercule. Hinc Vergilius de Hercule in ſexto,

Tartareum ille manu cuſtodem in vincla petiuit,
Ipſius à ſolio regis traxitq́ trementem.

Cuius fabulæ hæc ratio traditur, quia Hercules omnes cupiditates & cuncta vitia terrena contempſit & domuit. nam Cerberus dictus quaſi κρεόβορος, hoc eſt carnem vorans. vnde & lectum de eo eſt,

—Oſſa ſuper recubans,

Cerberus Meduſæum monſtrum appellatus ideo eſt, quòd villos ac pilos ſerpentinos habere diceretur. Ouid.

Terna Meduſæi vincirem guttura monſtri.

Deſcribitur ſic à Tibullo:

Nec canis anguinea redimitus terga caterua,
Cui tres ſunt linguæ, tergeminumq́ caput.

Sed & à Seneca in tragœdijs. Ianitor Cerberus etiam vocatus. Vergil.

—Ingens ianitor antro
Aeternum latrans exangues terreat vmbras.

Minos præterea, Aeacus, & Rhadamanthus, tres inferorum iudices, Iouis & Europę filij, vt Diod. ſcribit. alij tamen Aeacum ex Aegina natum prodiderunt, vt pluribus à Pindaro eſt proditum. Plato verò ait, Europęos ab Aeaco iudicari, à Rhadamantho Aſianos, à Minoe porrò dijudicari ſi quid ambiguum occurriſſet. Minos Cretenſis quæſitor cognominatus, iuſtiſſimus fuiſſe proditur. Quęſitor *Minos* vrnam mouet, ait poeta. Plato verò, vt puto, in Gorgia: Hæc peccata Aeacus baculum tenens, ſicut & Rhadamãthus, iudicat. Minos autem aureum ſceptrum geſtans, ſolus ſedet, vtriuſq́ iudicium conſiderans, cenſensq́, &c.

Rhadamanthus Gnoſſius vocatus eſt, vt Vergilius:

Gnoſius hæc Rhadamanthus habet duriſſima regna,
Caſtigatq́ auditq́ dolos, ſubigitq́ fateri.

Scribit Heſychius, Rhadamanthia iuramenta dici, veluti per anſerem & canem, vt iurare ſolebat Socrates: & per caparin, vt Zeno, & eiuſmodi. Rhadamantheũ verò iudicium, de incorrupto et ſeuero dici, ait Eraſmus. Alciatus ex Platone, de iudicio quod iuramento finitur, vel quod incorruptè & abſq́ mora terminetur, quod (prô Dei) hoc tempore minus ſeruatur.

Styx palus inferorum. Vergilius,

—Stygiamque paludem,
Dei cuius iurare timent, & fallere numen.

Idem ſcribit & Heſiodus in Theogon. & Auſonius:

Quæq́ piat diuum periuria nocticolor Styx.

Et hoc propter Victoriæ fauorem, Stygis filiæ, quæ bello Gigantum aſtitit: pro cuius rei remuneratione, ſtatuit Iupiter, vt ſi quis fefelliſſet eius numen, vno anno & nouem diebus ab ambroſia & nectare prohiberetur. ratio, quia triſtitia contraria æternitati, & lætitia mœrori. plura Seruius. Sanè Seneca de ſitu & ſacris Aegyptiorum, paludem tradit apud illos fuiſſe, locum tutiſſimum, vbi Iſis Oſiridis membra occiſi ſepeliuit. & ibi breuis inſula ἄβατος, id eſt inacceſſa erat. Lucanus:

Hinc Abatos, quam noſtra vocat veneranda vetuſtas.

Palus verò Styx vocabatur, vbi ſacra quæpiam fieri cõſueuerant, quorũ Seruius, & nos in Sepulchralibus meminimus. Pauſ. verò in Arcadicis, aquam Stygis limpidam eſſe deſcribit. quo loco & Heſiodi, & Lini, & Epimenidis poetarum carmina expendit, quibus Stygẽ alio modo exponit, quàm noſtri grammatici. Dein affert ex Homero de Deûm iureiurãdo, & cætera. Tum demũ quæ de aqua Stygis à ſcriptoribus traduntur, pernicioſiſſima aſcribit, quæ nullo alio vaſe cuiuſuis materiæ contineri poteſt, præterquam vngula equi, vel (vt alij ſcribunt

bunt)mulæ:cuius aquæ veneno ſunt qui Alexādrum Macedonem magna Ariſtotelis infamia periſſe ſcribant.

Acheron inferorum fluuius,quaſi ſine gaudio interpretatus. Vergilius in ſexto Aeneid.

Dicitur & tenebroſa palus Acheronte refuſo.

Legimus tamen Acheronta pluribus in locis fuiſſe, vt in Tænaro,vbi ab Hercule Cerberus eſt ab inferis detractus.Alij in Epiro.Sed conſtat,inquit Seruius, locum eſſe haud longè à Baijs,vndiq; montibus ſeptum.Idem Vergilius,

Hinc via, Tartarei quæ fert Acherontis ad vndas,
Turbidus hic cœno,vaſtáq; voragine gurges
Aeſtuat,atq; omnem Cocyto eructat arenam. Idem,
Cocytúſq; ſinu labens circumfluit atro.

Dictus verò Clocytus παρὰ τὸ κωκύω,lugeo.Fuit & Acheruſia palus, cuius crebra mentio ſcriptoribus,Diodoro,Seruio,& Phurnuto,alijſq;.

Auernus lacus,de quo idem Vergilius:

Spelunca alta fuit,vaſtóq; immanis hiatu
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorúmq; tenebris,
Quam ſuper haud vllæ poterant impunè volantes
Tendere iter pennis:talis ſeſe halitus atris
Faucibus effundens,ſupera ad conuexa ferebat:
Vnde locum Graij dixerunt nomine Auernum.

Sane pleriq; apud Vergilium legunt Aornon.ſed & in Græcis ἄορνος λίμνη dicitur:hinc & poetæ pro inferis ſæpe Auernum poſuere. Lacum ipſi aliquando vidimus,tetrum & horridum. Seruius ſuper ea verba, Tuta lacu nigro: Tuta, inquit, quia hinc lacu,hinc cingitur ſyluis.dicit autem locum,quem nunc Doliola vocant,apud Cumas.

Lethe fluuius,qui & Lethæus amnis,ab obliuione dictus eſt.Sanè Plato libr. decimo de Republic. Campum Lethæum dicit, & fluuium ἀμέλητα per eum labi. Quare decipiuntur,qui hunc fluuium Amelitam appellant , cùm Ameles dicendum ſit.in quarto enim caſu Ameleta apud Platon.eſt. παρὰ,inquit,ἀμέλητα ποταμόν. huius verò & Ficinus meminit, & Socinus meus in ſua de Felicitate ἀναγνώσει.

Phlegethon, & Pyrphlegeton,quòd igne ardeat,appellatus.

De Tantalo, Siſypho, Tityo,Ixyone,Phlegya, Salmoneo, cæteriſq; qui dant pœnas apud inferos,nihil dicemus:quia non ſunt inter deos connumerati,& noſtri ideo non ſunt negotij.

SYNTAGMA SEPTIMVM, DE APOLLINE, AESCVLAPIO, MVSIS, AVRORA, AD CYNTHIVM IOAN. BAPT. Gyraldum.

GYR. GYR.

Senex & æger Lilius,
Dono ſuo dat Cynthio,
Hoc quicquid eſt voluminis:
Orans Deos Nouenſiles,
Vt hoc velint plus ſeculo
Manere amoris mutui,
Sit teſtis vt perennior,

IVRE tibi chariſsime Cynthi, noſtrum de Apolline Syntagma mittimus, vt ſub tuo nomine in vulgus prodeat, non tantum vt dem tibi cognominem deum Cynthium: verum quòd eius etiã dei partes omnes, cum ſumma tua, & vrbis huius laude, impleas. Nam primum quantus ſis in omni poetica, poemata tua iam edita facilè declarant: tum verò in Philoſophia, & Medicinæ facultate, in primis tuæ adoleſcentiæ annis & florenti ætate tale præbueras ſpecimen, vt inter noſtræ vrbis, atque adeò tota Italia, eius ſcientiæ profeſſores eſſes non poſtremum locum habiturus. Memini ſenes doctiſsimos ac ſapientiſsimos Ioan. Manardum, & Lud. Bonactiolum de te ita prædicare ſolitos, vnum ſcilicet te medicam facultatem maximè illuſtraturum, ſi in ea colẽda perſtitiſſes. Sed Cœlij noſtri Calcagnini, viri eruditiſsimi interitus, minimè hoc tempore patriæ opportunus, te ab hac excellentis expectationis ſpecula deduxit, nec ea permiſit te perficere, quæ in ea fueras nauiter aggreſſus. Nam cum in Cœlij locum vnus aliquis eſſet ſubrogandus, in publicè prælegendis & interpretandis Latinæ linguæ auctoribus doctor, te nullum aptiorem idoneumque magis, ciuium ſuorum, totiúſque ditionis amantiſsimus prudentiſsimúſque Princeps noſter HERCVLES Secundus cenſuit: id quod gratiſsimum fuiſſe nonnullis medicæ artis profeſſoribus intellexi, qui tuæ ſurgenti, & iam propè volitanti vbique gloriæ inuidebant. Verùm hæc miſſa facio, noſtrúmque potius incœptum proſequor. Auguror enim, & præuideo, non falſus (opinor) vates, te non minus in hac palæſtra lauream conſecuturum, inuidiamque ſuperaturum. atque in illa iam fueras: tantùm, quod ſaxum indies voluere cœpiſti, ne te ab eo ſudor & labor deterreat, ſed magis ac magis enitere, vt ego, quem vides & ætate & morbis propè cadentem, in tua virtute floreſcente conquieſcam. Interea hanc noſtram qualemcunque lucubrationem, cupio vt aliquando ea perlegas ratione, non quidem vt aliquid addiſcas ex ea, ſed vel vt emendes: vel certè vt videas, quantum ſeni & languenti ſtudia hæc noſtra, qualia qualia ſint, moleſtias, & vitæ tædia leuent. Vale: et liberos quæſo tuos, per eam quam tu mi ſuauiſs. Cynthi ſtrenuè teris ſemitam, ducas, vt ex noſtra familia nouum aliquod patriæ decus ſubinde exoriri videatur.

APOLLO, AESCVLAPIVS, ET MVSÆ.

APOLLINEM, quem deum gentes exiſtimabant, quatuor in primis artibus præfuiſſe legimus, idque etiam ex Homeri & Orphei hymnis colligimus. Nam citharœdum primùm, ac citharœdorum deum putauit antiquitas: deinde Medicinæ inuentorem, ac ipſum etiam medicam conſtituit: tum iaculatorem, & ſagittarium: poſtremò vatem, & vaticinij deum exiſtimauit. ex quibus quidem quatuor rebus, multiplicia ei ſunt attributa cognomina. qua ex re & Cotta apud Ciceronem in III de Natura deorum, Apollines quatuor celebrat: quorum antiquiſſimus, is qui ex Vulcano natus, Athenarum cuſtos dictus eſt: alter, Corybantis filius, natus in Creta, cuius de illa inſula cum Ioue ipſo certamen fuiſſe traditur: tertius Ioue tertio natus, & Latona, quem ex Hyperboreis Delphos ferunt aduenifſe: quartus, in Arcadia, quem Arcades Nomionem appellant, quòd ab eo ſe ferunt leges accepiſſe, Hæc vel Cotta, vel potius Cicero. Sed enimuerò Arnobius, quinque Solis nomine commemorat in quarto aduerſus Gentes, hoc ordine: Sol, inquit, primus Iouis filius dicitur, & Aetheris habetur nepos: ſecundus, Regina & Hyperione proditus genitore: tertius, Vulcano, non Lemnio, ſed Nili qui fuerit filius: quartus, Ialyſi pater, quem Rhodi peperit Heroicis temporibus Achanto: quintus, Scythici regis, & verſipellis habetur Circes. Quæ tamen verba parum caſtigata videntur, & ſumpta ex M. Cicer. ſecundo de Natura deorum, vt paulò pòſt oſtendam. Diuerſos quoque & varios idem Arnobius, Apollinis amores recenſet, Arſinoas, Chryſas, Hypſipylas, Marpeſſas, Zeuſippas, & Prothoas, Daphnas, & Steropas: ne Branchos dicam, & Hyacinthos, Sed enim his miſſis, Apollinis nomen

pro diuerſis ponitur ſignificatibus: nunc pro ſole, nunc pro deo, nunc pro vate diuino, nunc pro mundo, nunc pro ſignificatione humanę vocis: cui ideo & nouem Muſæ iunguntur, vt in Muſis, pluribus docebo. Porrò iuxta Porphyrij librum, quem Solem appellauit, triplicem conſtat verè eſſe Apollinis poteſtatem & eũdem eſſe Solem apud ſuperos, Liberum patrem in terris, Apollinem apud inferos. vnde etiam tria inſignia circa eius ſimulachrum effingebant: lyram, quę cœleſtis Harmoniæ imaginem monſtrabat: gryphon æneum, vel clypeum, vt in quinto legit Buccatius, quòd terrenum numen oſtendat: & ſagittas, quibus infernus deus & noxius indicabatur. vnde & Apollo ἀπὸ τοῦ ἀποβάλλειν dictus, ab iaciendo. Hinc eſt etiam quod Homerus eundem tam peſtilentię dicit, quàm ſalutis auctorem. & Horatius ait,

Condito mitis placidúſque telo
Supplices audi pueros Apollo.

Sanè quoniã de gryphe Apollini dicato, eſt modo facta mentio, id videtur in Fulgẽtio caſtigandum, quod eſt in calce primi libri Mythologicôn: His, inquit, Tryphũ quoque Apollini adijciunt, &c. Ego aliquãdo legendũ Tripodem putaui: nunc verò Gryphen lego. quod cùm parum animaduertiſſet Polymathes interpres, Typhonem ipſe caſtigauit. Sed enim nonmodò gryphes huic deo aſcripſit antiquitas, ſed & coruũ, vt docet Aelianus in Hiſtorijs animaliũ. vnde ab Auſonio, Phœbeius oſcen, coruus dicitur: cuius fabulã & Ouidius exequitur, & Hyginus. Phurnutus tamen hoc abnuere videtur. Coruum enim ait a Phœbo alienum eſſe, quòd vel ipſo colore profanus ac impurus ſit habitus, id eſt μιαρός: illíque potius cycnum auem attribuit, μουσικωτάτους καὶ λευκωτάτους ὀρνίθων, quòd ſcilicet auium ſit maximè muſicus, & candidiſſimus. Sanè & Apollini quidam eruditiſſimi attribuunt accipitris genus, quod perdicoteros dicitur, vt miniſtret illi: vt oſſifragam & harpan Mineruæ, colũbarium verò Mercurio ſacrum eſſe tradũt, Iunoni autem tanyſipteron, buteonem Dianæ, Matri deûm morphnon, itémque alias alijs deis: vt Lunæ ibim. Porrò & huic deo Aegyptij accipitrem dicabãt, vt Aelianus ait, quem ſua lingua thauſtum appellabant, & deum ipſum Horon, vt planius alibi oſtẽdam. Quin etiam huic eidem deo Græci laurum attribuerunt, non tam ob Daphnes fabulam, quàm ob ipſius plantæ virtutem. de qua nonnulla Phurnutus dixit, & Parthenius. Sed & ego plura, quadam mea Annotatione. Tripus etiam huic deo dicatus fuit, propter numeri ternarij perfectionẽ vel propter tres cœli circulos, quorum vnum ſecat Sol, annuum curſum perficiẽs. Qua verò forma tripus eſſet, variè proditur. Quidam menſam, vas alij, plerique perforatum ſedile tradidere. Quid ſi aliqua ex parte omnes vera prodidere? Sed & tripus certantibus præmium dari ſolitus, id quod Pindarus & Horatius oſtendunt. Buccatius inſulſe tripodem putauit lauri ſpeciem. Legimus & ſaltationis genus fuiſſe, quod à mulieribus in Apollinis & Dianæ honorem peragеretur, βαρύλλικα nuncupatum. Nec illud tibi reticuerim, quod eſt annotatione dignum: Lacedæmonios aliquando Apollinis ſimulachrum τετράωτον effinxiſſe, hoc eſt, cum quatuor auribus, quod grammaticus Ariſtoteles annotauit: & ſimul vt quatuor haberet manus, quòd (vt Soſibius ſcripſit) ea ſpecie viſus fuiſſet, cùm apud Amyclas pugnarent. vnde etiam prouerbium emanauit, τετράωτον ἄκουε. hoc eſt, quadriaurẽ audi: hoc eſt prudentem & induſtriũ. Sed iam inſtitutum inchoemus. Scribit Arnobius lib. 2. quòd Apollinis nomen apud Romanos, indigitamenta Pompiliana neſciuerunt. Macrobius Apollinis omnia cognomina à Solis ferè virtute deducta, demonſtrare nititur. Ego autem non modò quæ ille præſcripſit, breuiter afferam, ſed & quæ ipſe ex varia ſcriptorum lectione collegi: atque ab ipſo primùm exordiar Apollinis nomine. Apollo igitur, vt Plato ſcribit, dictus eſt, ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὰς ἀκτῖνας, hoc eſt, à iaculando radios. quin & idem Theſſalos ait non Apollinẽ dixiſſe, ſed ἄπλουν, propter vaticinia, in quibus τὸ ἀληθές τε καὶ ἁπλοῦν, ταὐτὸν γάρ ἐστι: quòd ſcilicet verum & ſimplex idem ſit.

Id quod & Phurnutus cum alijs multis recitat. At verò Chryſippus Apollinem dictum ait ab α, τὸ οὐκ, id eſt, non, particula priuatiua, καὶ πολλοί: quòd non multi, ſed ſolus claritatem obtineat. quo modo & Latini Solem dixere, quòd ſolus luceat. Nam & Varro ait in libro de Lingua Latina. Sol, vel quòd ita Sabini, vel quòd ſolus ita lucet. Speuſippus autem exiſtimat, quòd ex multis ignibus eius vis conſtet, ὡς ἀπὸ πολλῶν οὐσιῶν πυρὸς αὐτοῦ συνεστῶτος. Sed Cleanthes, quòd ab alijs atque alijs locorum declinationibus faciat ortum: hoc eſt Græcè, ὡς ἀπ' ἄλλων καὶ ἄλλων τόπων τὰς ἀνατολὰς ποιουμένου. Cornificius verò Apollinem nominatum arbitratur ἀπὸ τῆς ἀναπολήσεως: quia intra circuitum mundi, quem Græci πόλεις appellant, impetu latus, ad ortus refertur. Sunt qui dictum putent, ὅτι μὴ μετὰ πολλῶν συναριθμούμενος: id eſt, quòd non cum multis connumeratur. Hinc etiam Sol dictus eſt, vt ait M. Cicero ſecundo de Natura deorum: vel quia ſolus ex omnibus ſideribus eſt tantus: vel quia cùm eſt exortus, obſcuratis omnibus ſolus appareat. Iam verò Cotta Balbo reſpondens, ait: Cùmque tu ſolem, quia ſolus eſſet, appellatum eſſe dicas, Soles ipſi quàm multi à theologis proferuntur? vnus eorum Ioue natus, nepos Aetheris: alter, Hyperione: tertius, Vulcano, Nili filio, cuius vrbem Aegyptij volunt eſſe eam quæ ἡλίου πόλις appellatur: quartus, is quem Heroicis temporibus Achanto Rhodi peperiſſe dicitur, auum Lalyſi, Cameri, & Lindi: quintus, is qui Colchis fertur Aetan & Circem procreauiſſe. hæc Cicero, & Arnobius. Sanè Heſiodus in Theogonia, Solis & Lunæ matrem Theian nominat. quem ſecutus eſt Pindarus in cuiuſpiam hymni principio, μᾶτερ ἀελίου πολυώνυμε Θεία. hoc eſt, mater ſolis multinomia Theia. Alij Apollinem nominatum putant, quòd exanimet & perimat animantes, ὡς ἀπολλύοντα τὰ ζῶα, cùm ſcilicet caloris intemperie peſtem immittit: vt in Phaethonte ait Euripides, & innuit Archilochus apud Macrobium. Denique & inuſtos morbo ἀπολλωνοβλήτους καὶ ἡλιοβλήτους, quaſi inſolatos dicas, appellant. Et quia ſunt Solis effectibus effectus Lunæ in iuuando nocendoque ſimiles, ideo fœminas certis afflictas morbis σεληνοβλήτους καὶ ἀρτεμιδοβλήτους, quaſi Luna ac Diana percuſſas vocant. Fuit cùm putarem, quæ ſuprà dicta ſunt nomina, ita enumerari debere, vt μουσολήπτους, νυμφολήπτους. Hinc etiam factum, vt arcu & ſagittis Apollinis ſimulachra prædita ſint: per ſagittas, vt intelligatur vis emiſſa radiorum. Porrò & ipſe idem Apollo auctor eſt publicæ ſoſpitatis, quam creditur Sol animantibus præſtare temperie: ſed quia perpetuam præſtat ſalubritatem, & peſtilens ab ipſo caſus rarior eſt, ideo Apollinis ſimulachra manu dextera Gratias geſtant, arcum cum ſagittis ſiniſtra: quòd ad noxam ſit pigrior, & ſalutem dextera manus promptior largiatur. Hinc eſt quòd eidem attribuebatur medendi poteſtas: quia temperatus ſolis calor, morborum omnium fuga eſt. vnde Apollinem quidam, quaſi ἀπελλῶντα, hoc eſt propellentem & auertentem morbos, cognominatum putarunt: quæ ſententia congruit cum ijs, qui Latinè ab appellendo deducunt, id eſt procul pellēdo. nam & Apellinem pro Apolline veteres dixiſſe, teſtis eſt Feſtus. Hinc & Athenienſes ἀλεξικάκους appellabant, de quo Pauſanias in Attica: Duo, inquit, Apollines pro templo ex quibus alterum Leochares, alterum Alexicacum nomine Chalamis effinxit. id deo nomen inditum aiunt, quòd peſtilentiæ morbus cùm bello Peloponneſiaco in Attica graſſabatur, oraculo Delphis reddito populum liberauit, vnde eſt illi nomen factum. Quidam malorum depulſorem interpretati ſunt, vt Apud Arrianum in VIII geſtorum Alexandri. Pauſanias in Eliacis, Alexicacum vocatum ab Athenienſibus, apud Eleos Aceſium nuncupari, eundemque eſſe. Aceſius autem παρὰ τὸ ἀκέσασθαι, ἢ ἀκέσαι denominari, videri poteſt, quæ verba mederi & curare ſignificant. Sed & Lindij colebāt λοιμίους Apollinem, hoc cognomine finita peſtilentia nuncupatum. eadem opinio ſoſpitalis & Medici dei in Romanorū quoque ſacris habebatur. nanque virgines Veſtales ita indigitabāt: Apollo ἴαι, id eſt medice, Apollo Pæan. Cùm ergo Solis ſint

duot

duo maximi effectus: alter, quo calore temperato mortalium vitam iuuat: alter, quo iactu radiorum nonnunquam peſtiferum mortalibus immittit virus: duo eadémque cognomina vtrique effectui apta eſſe videntur, vt ſit ἰήιος, id eſt medicabilis: qua voce & Orpheus in hymnis inuocat, & Sophocles, ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι, id eſt à ſanando: & Pæan, ἀπὸ τοῦ παύειν τὰς ἀνίας, hoc eſt à ſedando moleſtias. & in malo rurſus ἰήιος, ἀπὸ τοῦ ἱέναι, id eſt ab immittendo βέλους, id eſt ſagittas: & Pæan, ἀπὸ τοῦ παίειν, hoc eſt à feriendo, vt ait Feſtus, quòd ſagittarum ictu eum nocere putabant. eſt enim, vt dixi, παίειν ferire. Alij, quòd remedium afferens morbis, finem faceret telis grauatus. Phurnutus quoque, Pæana ait ideo vocari, ſiue κατ' ἀντίφασιν ἱλαστικῶς, id eſt deprecatiuè, ne morbos immittat, néue immiſſum ab eo aera inficiat. ſiue quòd ſit ipſe ſanitatis corporis cauſa, ob bonam temperiem ipſius ambeuntis aeris. Obtinuit tamen apud gentes vſus, vt cùm ſibi dari ſanitatem precarentur, ἲη παιὰν, per η Græcam literam enunciarent: ac ſi dicerent, medere Pæan. cùm autem ἵε Pæan, per epſilon literam dicerent, cum aſpiratione prioris literæ, ſignificabant hoc dici in aliqua aduerſa precatione, quaſi dicerent, immitte Pæan, vel iace Pæan: qua voce ferunt Latonam vſam, cùm Apollinem hortaretur impetũ in Pythona ſerpentem facere, ipſumq́ ſagittis inceſſere, qua de re in noſtris Poetis nõ adeo diuerſa ex Athenæo & Terentiano attulimus. hinc Claudianus,

Implorat Pæana ſuum conterrita Delos.

Sed hoc loco præſtat afferre, quæ Macrobius de eiſdem dei cognominibus perſecutus eſt. hanc vocem, hoc eſt ἲη παιὰν, confirmaſſe fertur oraculum Delphicum, Athenienſibus petentibus opem dei aduerſus Amazonas, Theſeo adhuc regnãte. nanque inituros bellum, his ipſis verbis ſemetipſum auxiliatorem inuocari, hortariq́ dixit. Apollodorus verò lib. XIV, de deis, ἰήιον Solẽ ſcribit appellari, quòd per orbem Sol feratur, & eat: hoc eſt, ἀπὸ τοῦ κατὰ κόσμον ἵεσθαι καὶ ἰέναι. ἰήιος, ait Heſychius, cum afflatu, Apollo dictus, ἀπὸ τῆς ἀφέσεως, id eſt miſſione ſagittæ: cum tenui verò, ἀπὸ τῆς ἰάσεως, id eſt à medela. medicus enim deus eſt. Orpheus ad Muſæum, καὶ ἰήιε φοῖβε. Sophocles quoque in Oedipo tyranno, chorum inducit ita exclamantem, ἰήιε Delie Pęan. Sed & Bacchus hoc nomine dictus apud Athenęum lib. 8.

Οὔλιον etiam Apollinem, ait Macrobius, deum præſtantem ſalubribus cauſis appellabant, id eſt, ſanitatis auctorem. Menander ſcribit, Mileſios οὐλίῳ Apollini pro ſalute ſua immolaſſe. Pherecydes Theſeum ait, cùm in Cretam ad Minotaurum duceretur, vouiſſe pro ſalute & reditu ſuo Apollini Vlio, & Dianæ Vliæ. Scribit verò Strabo in XIIII, οὔλιον Apollinem vocatum à Delijs & Mileſiis ſalutiferum, & Pæonium. Nam οὔλειν idem eſt quod valeo. Hinc & οὐλὴ, cicatrix. Homerus in Odyſſ. ω. οὖλέ τε καὶ μάλα χαῖρε. hoc eſt, vale, atq́ valde ſalue. Sanè contrario ſenſu Mars Vlios etiã dici videtur in Herculis ſcuto, ἐν δὲ καὶ αὐτὸς ἐναρφόρος οὔλιος ἄρης. id eſt, ibi & ipſe ſpolia ferens Vlius Mars.

Libyſtinus, ſeu Libyſſinus Apollo, apud Pachynum Siciliæ promontorium ſumma religione cultus. nam cùm Libyci eſſent Siciliam inuaſuri, ad id promontorium appulerunt: Apollo qui ibi colebatur, inuocatus ab incolis, immiſſa hoſtibus peſte, cunctis penè ſubita morte interceptis, Libyſtinus Apollo cognominatus eſt. Romanorum quoque continetur annalibus, ſimilis eiuſdem dei præſentiæ maieſtas. nam cùm ludi primò Romæ Apollini celebrarentur ex vaticinio Martij vatis, carminéque Sibyllino, repentino hoſtis aduentu plebs ad arma excitata hoſti occurrit, eóque tempore nubes ſagittarum in aduerſos uiſa ferri, quæ hoſtes fugauit, & victores Romanos ad ſpectacula dei Soſpitalis reduxit. hinc exiſtimat Macrobius victoriæ, non peſtilentiæ cauſa, ludos inſtitutos Apollinares: oblitus, quòd dixerat prius, ludos inchoatos, cum ab hoſtibus aggrederentur.

Loxias etiam cognominatus eſt Apollo, tradente Macrobio ex Aenopidis ſententia

ſententia, quòd per obliquum circulum ab occaſu ad orientem pergit: hoc eſt, ὅτι ἐκπορεύεται τοῖς λοξοῖς κύκλοις ἀπὸ δυσμῶν εἰς ἀνατολὰς κινούμενος: quod etiã Phurnutus copioſius ſcribit. aut vt Cleanthes ait, quòd flexuoſum pergit iter: vel quod tranſuerſos in nos à meridie immittit radios, cùm ad ipſum nos ſimus ſeptentrionales. Scribit verò Iſaacius in Lycophronis fermè calce, quod λοξὰν φωνὴν, id eſt obliquam vocem & oracula nobis edat. eandémque ſimul, quam primo Aenopidis tradidimus, ſentẽtiam affert. Sed enim alij fermè omnes in oraculorum obliquitatem & perplexitatem referunt, inter quos Seruius, item Syneſius de Sõnijs, & Pindari interpretes in Pyth. & Phurnutus.

Delius quoque Apollo cognominatus eſt, vt ait Macrobius, quòd Sol luce ſua cuncta τὰ δῆλα, id eſt clara & manifeſta faciat. vel dictus à Delo inſula notiſſima, in qua & natus & cultus, & oracula habita certiſſima reddebat. Tibullus in eleg.

Fulſerit hic niueis Delius alitibus.

Sanè in limine Apollinis Delij inſcriptos fuiſſe verſus legimus, quibus edocerentur homines, qua herbarum compoſitione aduerſus omnia venena vterẽtur. Delos autem inſula inter Cyclades celeberrima eſt, vt apud Apolloniũ Rhodium notant interpretes, ſacra in primis Apollini, quæ & Aſterie nuncupata à figura, item Ortygie à ſorore Latone: tametſi in hoc variant ſcriptores. Delos & Cynthus vocata fuit, teſte Stephano, vnde & Cynthius Apollo. dicta verò à Cyntho, Oceani filio. Quidam & montem Cynthum ſcribunt, vt Feſtus & Seruius, à quo & Cynthia Diana. Legitur præterea Callimachi poetæ hymnus in Delum, vbi de Delio Apolline multa, inter quæ & hoc:

Delius ex me, ſed poſthac dicetur Apollo.

Fuit & Epidelius Apollo, à vico prope Maleam nuncupatus, vbi Epidelij fuit templum, de quo hanc hiſtoriam legimus: Cùm Menophanes Mithridatice claſſis præfectus Delum euertiſſet, expilatis donarijs, & Delijs in ſeruitutem abductis, barbarus inter eos quidam ſimulachrum dei in pelagus abiecit, quod ad Peloponneſi littora peruenit, & à Lacedæmonijs ſuſceptum honorificè, nuncupatum eſt Apollinis Epidelij, quaſi ex Delo venientis. Phanæum etiam Apollinem nuncupatum videmus, vel ab apparitione, vel quòd eo nomine coleretur à Chijs: cuius Achæus meminit in Omphale, & Heſychius. Stephanus quidem Φαίνας promontorium Chij ſcribit, vnde Phanæus dicatur: ſic verò ἀναφανῆναι, hoc eſt, quòd illic apparuerit Delos Latonæ. Macrobius ἀπὸ τοῦ φαίνειν deducit, quòd quotidie Sol nouus appareat. Seruius grammaticus in ſecundo Georg. Phanæũ montem ait vitibus conſitum in promõtorio Chij, dictum à Phanæo rege, cuius & Lucilius meminit. Sanè Phurnutus Apollinem ſcribit Delium & Phanæum denominatum, ἀπὸ τοῦ δηλοῦσθαι id eſt à manifeſtando, quòd videlicet omnia illuſtret quæ ſunt in mundo: ſicut & Phanæi Apollinis fanum conſtructũ, ἀναφαίνοντος, id eſt illuſtrantis omnia. huic verò id ſubſequitur, & Delon & Anaphen ſacratas eſſe ipſi deo. Sanè in manuſcripto Phurnuti codice Anaphæus Apollo ſcribitur, id quod conuenire perbellè videtur.

Phœbus appellatur, vt ait Cornificius, ἀπὸ τοῦ φοιτᾶν βίᾳ, quòd ſcilicet vi feratur. plerique autem à ſpecie & nitore dictum putant: alij quòd à ſordibus corpora purget. φοιβάω enim eſt purgo, vnde φοιβὸν τὸ καθαρὸν, à quo Phœbus Apollo, vt Phurnutus, & in II Argon. Apollonij ſcribunt interpretes. Alij Phœbum quaſi φώβιον dictum arbitrantur, à φῶς & βίος, id eſt à luce & vita. Sunt qui à Phœbe matre Latonæ deriuant, id quod in allegorijs Homeri redarguit Heraclides Ponticus. Quod verò quidam tradunt, huic deo (quòd ipſe imberbis eſſet) primam barbam & capillum conſecrari ſolitum, non eo inficias id aliquibus contigiſſe, nõ omnibus. nam Achilles apud Homerum Sperchio fluuij deo vouerat. Sanè κουροτρόφος Apollo dicebatur, cui adoleſcentes capillos primùm attondebant.

Ἀρχηγέτη

Αἰγενέτῃ Apollini Camarinenſes, qui ſacram Soli inſulam incolebãt, rem ſacram faciebant vti deo, qui ſemper exoriens gignitur, quiq́ ipſe generat vniuerſa ſeminando, fouendo, producendo, alendo, augendóq́. Quidam non Aigeneten, ſed Argeneten vocarunt, vel Archegeneten potius. Thucydides lib. 6. vbi de Sicilia agit: Gręcorum autem primi Chalcidenſes ex Eubœa tranſeuntes, cũ Theocle illius deductore coloniæ Naxum incoluerunt; & aram Apollinis Archegetæ, quę nunc extra vrbẽ viſitur, extruxerunt: vbi quoties è Sicilia ſoluunt, oracula petituri, primùm ſacrificant. Hæc ex Thucydide.

Lycij Apollinis plures accepimus cognominis cauſas. Antipater Stoicus Lycium Apollinem nuncupatum ſcribit ἀπὸ τοῦ λευκαίνεσθαι πάντα φωτίζοντος ἡλίου: id eſt, quòd omnia albeſcant illuceſcẽte ſole. Cleanthes Lycium Apollinem appellatum notat, quòd veluti lupi pecora rapiunt, ita ipſe quoque humorem radijs rapit. Philoſtratus inducit in primo de Imaginibus, Palamedem loquentem contra Vlyſſem, qui iuſſerat lupos occidi: ille negabat, quòd ipſos vt pręludium peſtis Apollo immitteret. quare, inquit, Lycio ac Phyxio luporum & fugæ præſidi Apollini preces afferamus, vt feras ſuis tollat ſagittis. Priſci quoque Græcorum primam lucem, quę præcedit ſolis exortum, λύκην appellauere, ἀπὸ τοῦ λύκου, id eſt à lupo. hodie quoque Lycophos dicitur: eandem & λύκην Homerus nec ſemel appellauit. quin & Latini videntur lucem à λύκῃ deriuaſſe. Quin idem ipſe Homerus eam lucem, cùm iam tum cernens lupus ſe in viam dare ſolet, *ἀμφιλύκην νύκτα appellare videtur. Theon verò Amphylicen Solis exortum interpretatur. Sed & ſolem vocari hoc nomine λύκον, Lycopolitana Thebaidos Aegypti ciuitas teſtimonium eſſe poteſt, quæ pari religione Apollinem, itémque lupum, hoc eſt λύκους colebat: in vtroque Solem venerans, quia hoc animal rapit & conſumit omnia in modum ſolis: ac plurimum oculorum acie videns tenebras nocturnas euincit. ipſos quoque λύκους à λύκῃ, id eſt luce appellatos, aliqui putant. Pauſanias varius eſt in Lycio Apolline interpretando. nam in Attica dictum ait à Lycio Pãdionis filio, cui & Lyceum ſacrũ Athenis fuit. In Corinth verò, Cùm Danaus (inquit) cum Gelanore de Argorũ imperio cõtenderet, Argiui eum lupo compararunt, & lupus taurum occidit: ideò Danaũ ſortitum fuiſſe Argiuorum dominatum, & exiſtimaſſe Apollinem lupum ſibi miſiſſe, & propterea Lycij Apollinis templum conſtruxiſſe. quam rem ille pluribus explicat. Idem tamen Pauſanias vbi de Lyceo Athenarum agit: Lycius, inquit, deus appellatus eſt primum in Telmiſſes, ad quos Lycus cùm Aegeum fugeret, primùm venit, vnde Lycij appellati dicuntur. Scribit Diodorus Siculus, Lycum cùm in Lyciam veniſſet, templum Lycij Apollinis penes Xantum fluuium erexiſſe. Porrò hic Lycius Apollo, Atticus. λύκειον cum diphthongo in penultima à Stephano & Pauſ. ſcribitur. Fuit & Lycei Apollinis templum apud Sicyonios, hac cauſa conſtructum. Cùm lupi eorum greges infeſtarẽt, ita vt nullum inde fructum perciperent, deus vbi lignum aridum fuerat, prędixit, vt eius ligni cortex cum carne lupis præponeretur: quod vbi feciſſent, feræ guſtãtes interiere. & propterea Lycio Apollini templum conſtructum fuiſſe, Pauſ. in Corinth. tradit. Lycij Apollinis, ait Feſtus, oraculũ in Lycia maximę claritatis fuit, ob luporum interfectionem. Lycij meminit Vergilius,

Lyciæ iuſſere capeſſere ſortes. Idem,

Qualis vbi hybernam Lyciam, Xanthiq́ fluenta. &c. Propertius,

——*Lycio vota probante deo.*

Quidam Pataræum etiam vocant.

Λυκοκτόνος, Lycoctonos Apollo appellatur, hoc eſt, Lupicida, ex lege quapiã ab Athenienſibus lata, qua cauebatur. vt qui in Attica lupi catulum occideret, talento donaretur: qui lupum ipſum, duobus. quod Ariſtophanis interpres ſcribit. Meminit Sophocles in Electra, & Heſychius. Ariſtarchus exiſtimabat, quẽ etiam ſequitur Phurnutus, hunc deum ſic nuncupatum, quia Nomius ſit, id eſt

paſtora-

paſtoralis, & paſcuorũ cuſtodiam ipſe deus gerat, dum ſcilicet lupos interimit. Eſt enim lupus Apollini ſacer: id quod obſeruandum eſt, cùm lupum alij Marti attribuant, vnde & Martius à Vergilio eſt dictus.

Λυκηγενέτην, Lycegeneten Apollinem vocat Homerus, non quod in Lycia generatus ſit, (nam recens admodum eſt fabula, vt ait Heraclides Ponticus in Allegorijs Homeri, neq; temporibus Homeri adhuc innotuerat) ſed vti diem ἠεριγένειαν vocat, propterea quòd τὸ ἦρ, hoc eſt diluculum generet: ita ſolem λυκηγενῆ dixit Homerus, quòd matutinę lucis ac ſplendoris auctor ipſe ſit. vel quòd λυκάβαντα progeneret, hoc eſt annum, quem conficit Sol ſuo per XII ſigna Zodiaci curſu. Sed & aliam de anno Lycabante, ſeu Lycobante ſententiam ex Aeliano & Macrobio in annis & menſibus, &c. docuimus: quæ vt hic repetatur, id monet, quod ibi parùm emendatè legatur. Annum Græci λυκάβαντα vocant, idq; ea ratione, vt ſcribit Aelianus, quòd erga lupum Sol amorem habere dicatur: eóq; animali Apollinem delectari ferunt, quod ipſe in lucem editus feratur ex Latona in lupæ ſpeciem imaginémq; conuerſa. cuius ſanè rei & Homerus meminit, cùm Apollinem vocat Λυκηγενέτην: ob eámq; rem lupi ſimulachrum in Delphico templo ex ære poſitum fuiſſe legimus. Alij non id propterea ibi poſitũ aiunt, ſed cùm donaria ac oblata ex templo direpta fuiſſent, ea demum à ſacrilegis defoſſa lupus indicauit: qui intra templum ingreſſus, vnum ex ſacerdotibus, mordicus veſtem eius trahens, ad locum deduxit, vbi theſauri defoſſi fuerant, atque ita pedibus ſcalpẽs effodit. Porrò, verſus Homeri, cuius meminimus, hic eſt, εὔχεο δ' ἀπόλλωνι λυκηγενέτῃ κλυτοτόξῳ. i. Precare Apollinem Lycegenetem, arcu inclytum.

Λυκωρεὺς etiam Apollo vocatus, vt Diodorus ſcribit, & meminit Apollonius. Sed & Orpheus in hymno ad Apollinem,

ἐλθὲ μάκαρ παιὰν τιτυοκτόνε φοῖβε λυκωρεῦ. hoc eſt,
Sancte veni Pæan Tityoctone Phœbe Lycoreu.

Legimus & Lycoreum Iouem, apud Stephanum.

Cœliſpicem Apollinem à Latinis inuenio nuncupatum, vel quod Cœlũ, vel Cœliũ conſpiceret. nam à P. Victore in vrbis deſcriptione ad ædem Portuni Apollo Cœliſpex conſtitutus eſt, in vndecima regione.

Latous Apollo à matre vocatus, & Latoius, & Latonigena, & Latonius: ſicut etiam Diana. Horat. primo Carminum,

Frui paratis & valido mihi Latoe dones. Catullus,
O Latonia maximi
Magna progenies Iouis.

Vocatus & Latoides, Statius:

Tenuit reuerentia cædis Latoiden.

Sunt exempla horũ apud poetas, & in primis apud Ouidiũ in Metamorph.

Opſophagus Apollo, cultus ab Elæis: ac ſi dicas obſonatorem, & manduconem. Huius facta eſt mentio à Polemone in epiſtola ad Attalum.

Epicurius Apollo id eſt auxiliator, apud Phygaliam in Arcadia cultus, cui nomen inditũ, quòd in peſtilentia tuliſſet opem. ſed & alibi cultus, qua de re copioſius in Parrhaſio.

Spodius Apollo Thebis cultus, cuius ara ex cineribus ſacrificiorum conſtructa fuit, ſupra lapidem Sophroneſtera nũcupatum, vnde nomen illi: ibidem & oracula reddebantur. Pauſ. in Bœot.

Delphinius Apollo cognominatus, cui Theſeus, vt Plut. ſcribit, Marathoniũ taurum immolauit. Delphinius verò appellatus, quod Caſtalio Cretenſi coloniam deducenti ſe obtulit ducem, delphini ſub imagine. quin & nauem ei vſque ad Cryſſæum Phocidis ſinum præceſſit: vnde Delphi etiam dicti. qui locum ab eo munitum tenuere. vel dictus, quòd Pythona Delphina appellatũ interemit. Sed & Delphinia Diana appellata fuit, & culta, vt apud Iul. Pollucẽ legimus. ait

enim lib.8.Delphinum conſtitum ab Aegeo fuiſſe Apollini Delphinio, & Dianæ Delphiniæ, in eóque primum Theſeum iudicatum fuiſſe,&c. Quare miror quoſdam doctos non Dianam Delphiniam, ſed Bellonam, ſcriptis prodidiſſe. Pauſ.in Attica de templo Delphinij Apollonis,cùm conderetur, & Theſeo hiſtoriam recitat.nec multò pòſt idem Pauſ.In Delphinio,inquit,iudicium fuit de ijs qui ſe iurè interfeciſſe contendebant,in quod Theſeus deſcẽdit, & abſolutus eſt,cùm Pallantem filióſque res nouas molientes interfeciſſet. nam ante Theſei abſolutionem,aut fugiendum,aut talionem ſubeundum fuit. Plutarchus in eo quo agit,terreſtriáne an aquatica prudentiora: Delphinium ait Apollinem vocatum,quoniam Delphinem tum emiſerit, quem ſecuti ſunt Cretenſes Cirrham vſque.Fuit & apud Aeginetas Delphinius mẽſis,Apollini Delphinio ſacer,quo etiam menſe ei ſacrificium & rem diuinam faciebant.quiſnam verò menſis is fuerit,non memini me legere: & propterea de eo ſcribere ſuperſedi in noſtro de Annis,menſibus,&c.Sed fortaſſis Thargelion erat,qui cadit in noſtrum Aprilẽ. Porrò quidam Delphion & Delphinion eundem faciunt. Delphion autem Apollinem ita deſcribit Macrob. ideóque Delphion vocatum ait, quòd quæ obſcura ſunt,claritudine lucis oſtendit,ἐκ τῶ δηλοῦν ἀφανῆ,aut,vt placuiſſe ſcribit Numenio,quaſi vnum & ſolum.ait enim, priſca Græcorum lingua δέλφος, vnum vocitari,vnde & frater,inquit, ἄδελφος dicitur,quaſi iam non vnus. Quam ob rem tamen eum nonnulli reprehendunt.nam fratres dictos aiunt, quoniam ex eadem ſint vulua & matrice nati: eſt enim δελφὺς ἡ μήτρα, id eſt vulua, vt Heſychius,Suidas,alij tradunt:nec Pollux tacuit.Ariſtotel.de Animalibus,interprete Gaza: Pars vuluæ interior, loci, & vterus appellatur,vnde vterinos dici fratres ſcimus.ſic Grçcè,καλεῖται δὲ τούτων τὰ μὲν ὕστερα καὶ δελφὺς,ὅθεν καὶ ἀδελφοὺς προσαγορεύουσι. Arpocation Delphij,ſeu Delphinij potius Apollinis templum & iudicium conſtituit ex Demoſthenis auctoritate.Pollux libro octauo Delphinium legit, quem plerique omnes ſecuti ſunt. In eo iudicium primum Theſei habitum eſt, dum ille fateretur ab ſe quidem latrones interfectos,ſed iurè cæſos,&c.Tertium enim tribunal legimus fuiſſe ex Demoſthenis ſententia, Athenis in Delphinio, vbi ius dicebatur ijs qui cędem commiſiſſe non negarent, ſed iure eam feciſſe contenderent.

Delphicus etiam Apollo eſt cognominatus.Ouid.

Placuit tibi Dęlphice certè. Orpheus in hymno,

Γρύνιε καὶ σμινθεῦ, πυθοκτόνε δελφικὲ μάντι.

Dictus verò à Delphis eſt, qui Pythius,orbis vmbilicus, vt legitur in Priapeis. Hinc apud Varronem antiquus poeta: O ſancte Apollo, qui vmbilicum certum terrarum obtines. quod tamen impugnat & exponit Varro pluribus in lib.de Ling.lat.& Phurnutus:ſed & Strabo,quare dictus ſit orbis vmbilicus, & Pindarus,& Lactãtius grammaticus in Theb.& Claudianus, quod pluribus in noſtris annotationum dialogis ſumus executi.Delphicus igitur Apollo, à Delphorum oraculo notiſſimo:quod quomodo cœperit,primùm ſcilicet à capra oſtenſum,tum à paſtoribus,demum à Pythia virgine tãdiu oracula reddita, quoad ab Echecrate vna violata,ſtatutũ eſt,vt à vetere muliere, in habitu tamen puellæ, redderentur, in tripode ſedente, lege XVI Diodori Siculi Bibliotheces librum,qui hanc omnem hiſtoriam copioſè deſcribit.Delphicum verò hoc oraculum multis theſauris donariiſque refertiſſ.legimus,adeò vt à Barbaris & Gallis in primis deprædatum fuerit,& ſæpe etiam arſiſſe.& ter quidem à Thracibus concrematum,prodit Euſebius.Herodotus etiam ab Amaſi rege reſtitutum ait Delphici Apollinis templum,toto orbe terrarum celeberrimum,quinquies extructum,ac reſtauratum ad ſua tempora,ſcribit Pauſanias: & primùm quidem ex lauri ramis è Theſſalia deuectis,in ſpecus modum exædificatum. Secundò ab apibus, ex cæra & alarum membranulis, ex quo πτερὰς nuncupatum: alij,à viri nomine πτερᾶ. Tertiò æneum conditum aiunt:quod mirum non videri de-

t

bere ſcribit, cùm & eiuſmodi alia legantur, & Chalciœcus Pallas. quo conſumpto, quartum ex quadrato lapide Trophonius & Agamedes LI. Olympiade extruxere. Quintò ab Amphyctionibus inſtauratum, ex ſacra pecunia, architecto Spintharo Corinthio, quod ſuo tẽpore Pauſ. durare ſcripſit. Libet hîc Statij verſus afferre, vbi de Amphiarai interitu agit, lib. 8. Theb.

Quicquid es, æternum Phœbo dolor, & noua clades
Semper eris, mutiſq; diu plorabere Delphis.
Hæc Tenedon Cirrhamq; dies, partúq; ligatam
Delon, & intonſi claudet penetralia Branchi:
Nec Clarias hac luce fores, Didymæaq; quiſquam
Limina, nec Lyciam ſupplex conſultor adibit.

Quos verſus libentius attuli: nam de Apolline plura continent.

Triopius Apollo appellatus etiam, à Triopio (vt ait Stephanus) vrbe Cariæ, quæ à Triopo patre Eriſychthonis denominata fuit. dicitur & Triopia. Hellanicus etiam Triopa dixit, à Triops, vnde poſſet aliquis commodè nomen deflectere, à voce vel aſpectu triplici. Scribit tamẽ Diod. Sicul. Triopum Solis filium in Cariam ex Creta profectum, & ab eo promontorium Triopium nuncupatum. Ad Triopij quidem templum & celebritas & certamen celebrabatur, teſte Herodoto in primo, ad quod è finitimis Dorienſibus nemo admittebatur: quin etiã & populares, ſi quando ſacri legem tranſgrederentur, à communicatione ludorum excludebantur. In certamine quidem Triopij Apollinis victoribus ærei tripodes donabantur: quos tamen haud licebat victores aſportare, ſed deo ipſi in loco dono dare. Quare Agaſicles Alicarn. victor ſpreta lege, cùm tripodem extuliſſet, eius patria Alicernaſſus ex Hexapolis participatu amota fuit, & ex Hexapoli Pentapolis conſtituta.

Iſmenius Apollo dictus, teſte Pauſ. in Bœot. ab Iſmeno colle ad dextram portam Thebarum, ad cuius ingreſſum Minerua & Mercurius erant, qui πρόναοι appellabantur, id eſt, pro templo poſiti. horum alterum Phidias, alterum Scopas feciſſe dicũtur. Eſt & fluuius Iſmenus, ab Iſmeno Apollinis & Meliæ filio dictus. Ad Apollinis Iſmenij ingreſſum lapis fuit, δίφρος μαντοῦς, id eſt Currus Mantus dictus, ſuper quo Manto Tireſiæ filiam ſediſſe tradunt, vt eſt apud Pauſan. Stephanus Apollinem Iſmenium vult appellatum fuiſſe à fluuio, non à colle. meminit & Heſychius. Scribit libr. 1. Herodotus, ad ſuam ætatem in templo Apollinis Iſmenij fuiſſe Crœſi regis donaria ex auro ſolido. Idem lib. 5. ait ſe in eodem templo vidiſſe Cadmeas veteres literas, in tripodibus quibuſdam inciſas. eius verò templi ſacerdos, vt Pauſanias ſcribit, Daphnephorus, hoc eſt laurifer cognominabatur, quem forma & genere inſignem quotannis ſacrabat.

Ptous Apollo cognominatus, à Ptois Thebanis montibus, qui à Ptoo Athamantis & Themiſtus filio dicti ſunt, vt Aſius poeta cecinit apud Pauſ. dabantur verò ibi reſponſa certiſſima. Ptoi Apollinis meminit Herodotus in ſeptimo: Ad fanum, inquit, Apollinis Ptoi, quod Thebanorum eſt, ſitum ſupra paludem Copaiden ante montem, prope vrbem Acrephiam. Meminimus & nos in tertio de Poetis dialogo Ptoon quoq; Lycophron Apollinem appellauit, cuius filium dixit Hectorem. Idem Steſichorus, & Alexander Aetolus. Quidam non à monte nomen inditum Ptoo putant, ſed ex formidine à fero ſue Latonæ iniecta, cùm Dianam & Apollinem peperiſſet: vnde Ptous Apollo, & Ptoa Diana vocati ſunt, vna cum matre, ὅτι ἐπτοήθη, id eſt, quòd pertimuit. De Ptoo verò monte tricipite, ſcribit Strabo lib. 9. Homerumq; aduocat ita dicentem,

Καί ποτε τοὺς τρικάρηνον Πτῶον κευθμῶνα κατῆχε

Κερδῷος quoq;, id eſt Lucrionem Apollinem ſeorſum à Mercurio cognominatum lego, quòd oracula ad lucrum daret. Certè legimus etiam Pythiam pecunia corruptam, oracula reddidiſſe & Philippo, & alijs.

Πατρῷου

πατρῷον,id eſt Patrium Apollinem cognominauerunt antiqui, nõ à propria gentis vnius aut ciuitatis regione,ſed vt auctorem,quòd pro generandis omnibus præbuerit cauſam,vt apud Macrobium canit Orpheus,

πατρὸς ἔχοντα νόον,καὶ ἐπίφρονα βουλήν. hoc eſt,

Conſilium prudens & mentem patris habentem.

Scribit in Attica Pauſanias ædem huius dei Athenis fuiſſe,iuxta quam multę erant picturæ hiſtoriarum ab Euphranore pictæ.Eſt & apud Arpocrationẽ huius dei mentio.ait enim,Athenienſes hunc venerari cõmuniter ab Ione, qui Atticam incoluit,vt dicit Ariſtoteles,& ab eo Athenienſes Iones appellatos:& Apollinem patroum apud ipſos cognominatum.Plato in Euthyphrone: Cæteris, inquit, Athenienſib.eſt patrous Iupiter.Nõ eſt,inquam,apud Ionas talis cognominatus,neq; apud eos qui ex hac vrbe manarunt,neq; apud nos,ſed Apollo patrous propter Ionis generationem,&c.Ariſtophanis verò interpres Patrium Iouem,Patriúmq; Apolliné ideo Athenienſes cognominaſſe ait,quòd omniũ primi eos deos & ea regione exceperint,illisq; per ſingulas tam curias quàm populos & cognationes ſacra fecerint:& Apollinem quidem vt patrẽ cultum, quòd Creuſam Erechthei filiam vxorem duxiſſet,ex qua natus eſt Ion,à quo ipſi Iones appellati.Patroi Apollinis & Apollonius meminit. Et huc quoq; Vergiliũ reſpexiſſe volunt,cùm cecinit,Patriásq; obtruncat ad aras.alij tamen potius Iouis Hercei deſignari à poeta aram putant,vt ibi dictum eſt.

Nomium Apollinem cognominarunt antiqui,ait Phurnutus & Macrobius, non ex officio paſtorali,vt habet fabula,per quam fingitur Admeti regis pecora pauiſſe:ſed quia ſol paſcit omnia quę terra progenerat.vnde non vnius generis,ſed omnium pecorum paſtor canitur:vt apud Homerum non modo boum paſtor,ſed & equorum fingitur.Eius præterea ædes, vt omnium paſtoris, fuerũt apud Camirenſes ἐπιμηλίου,id eſt opilionis:apud Naxios ποιμνίου,id eſt paſtoralis: itémq; deus ἀρνοκόμης,id eſt agnorum cuſtos colebatur,& apud Lesbios ναπαῖος. & pleraq; eius cognomina fuerunt per diuerſas ciuitates & gentes, ad paſtoris officia pertinentia:quapropter vniuerſi pecoris antiſtes,& verè paſtor ab antiquis putabatur.Sed enim magis poetæ, & poetarum interpretes ei adhæſere opinioni,vt Nomius appellaretur Apollo,quòd Admeti regis, diuinitate priuatus,armenta pauerit:παρὰ τὸ νέμω(vnde & Vergilius,Paſtor ab Amphryſo) eſt nũcupatus,quam opinionem Callimachus in hymno etiam eſt executus.Phurnutus etiam à paſtorali cura Nomium nuncupatum tradit. interpretes verò Pindari à cantu,id eſt à νόμῳ,dictum putauerunt. Sunt qui ideo Nomium vocatum tradant,ob legum nimiam ſeueritatem,quam Arcadię rex illis populis intulerit, vt Cic.in tertio de Nat. deorum: & Nomionem, non Nomium dicere videtur. Sanè & Agræum,ἀγραῖον,id eſt agreſtem Apollinem vocatum, etiam legimus in commentarijs Pindari, & item apud Pauſ. in comment. in Apollonium ἀγρέα, quod & in Ariſtæo ſcripſimus.

Pythius Apollo nuncupatus,vt notiſſimum eſt.Propertius:

Pythius in longa carmina veſte ſonat.

Dictus à Pythone ſerpente,Apollinis ſagittis confecto,cuius fabula ab Ouidio in Metamor.planè deſcripta eſt. Et perpulchrè ab Hygino in fabulis cap. CL.Sed Aelianus in Varia ſcribit:Ferunt apud Theſſalos Apollinem Pythium ex Iouis mãdato ſeipſum expiaſſe,cum Pythonem draconem ſagittis occidiſſet, adhuc Delphos quidem cuſtodiẽtem,cum illic eſſet oraculum.hæc Aelianus in III.qui & in ſecundo ſic ſcribit:Apollinem Pythium,inquit,Ariſtoteles à Crotoniatis Hyperboreum appellari.Et illa addit,q; eodem die,eodémq; tẽpore Metaponti viſus eſt à multis,& Crotone in certamine ſurrexit,vbi & Pythagoras alterum femur aureum oſtendit.Sanè Hyperborei Apollinis meminit & Ser.libr. III.Aeneidos,his fermè verbis,ſuper eo carmine Vergiliano,

Et nati natorum,& qui naſcentur ab illis:

Hic verſus, inquit, Homeri eſt, quem & ipſe ex Orpheo ſuſtulit: item Orpheus ex oraculo Apollinis Hyperborei. Porrò & Abarim vatem ab Apolline Hyperboreo ſagittam accepiſſe legimus, qua miracula conficiebat, vt planius oſtendimus ex diuerſis auctoribus, in tertio de Poetis Dialogo. Sed à Pythio quidem Apolline Pythia vates Phœbas dicta, quæ oracula & reſponſa dabat. de qua prẹter alios, Diod. Siculus libro 16. Bibliothecę copioſe diſſerit. Si verò quo pacto numen cōciperet, vis ſcire, lege Iāblichum, & Origenē in ſeptimo aduerſus Celſum Epicureū, id maximè ridentem, mulierē numen concipere per eas partes, quas conſpicere nefas pudens vir ducat. Ioan. autem Chryſoſtomus: Traditur, inquit, hæc Pythia fœmina fuiſſe, quæ in tripode ſedens, expanſa malignum ſpiritū per inferna emiſſum, & per genitales partes ſubeuntem excipiens, furore repleretur, ipſaq́ꝫ reſolutis crinibus debaccharetur, ex ore ſpumas emittens, & ſic furoris verba loquebatur. Libet tamen hoc tibi loco altius repetere, quæ de Pythia aliàs notaui. Scribit igitur Plutarchus, ſtultum eſſe, & admodum puerile, putare deum ipſum, ſicut ἐγγαστριμύθους, id eſt ventriloquos ſpiritus, Eurycleas quondam, nunc Pythones appellatos, ſubire corpora vatum & diuinantium, & ore ipſorum & vocibus, vt organis, i. inſtrumentis vtentes reſpōdere: qui ſi ſeſe miſceret vſibus humanis, grauitati parceret, neq́ꝫ ſeruaret dignitatē, & virtutis ſuæ magnitudinem. Hæc fermè Plut. De Euryclia etiā Ariſtophanes in Veſpis, μιμησάμενος τὴν Εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν: Imitans, inquit, Euryclię vaticinium, & ſententiā in alienos ventres immittens, comœdias multas fundi. meminit & Eurycliæ Plato in Sophiſta. Heſychius ita fermē ſcribit: ἐγγαστρίμυθος, hunc (inquit) aliqui ἐγγαστριμάντεις, ſeu στερνομάντεις vocant, ꝙ ventre ſcilicet & pectore vaticinetur, qualis fuit Euryclea. vnde & vatum genus Eurycleis dicūtur, & ἐγγαστρῖται. Eraſmus in ſuis prouerbijs videtur Eurycleæ γαστριμύθου legiſſe, ab aſtris videlicet futura & vera prædixiſſe, cùm ἐγγαστριμύθοις potius legendum ſit. Sed incidiſſe ipſum puto in deprauatos codices, pòſt tamen ſe ex Suida videtur corrigere. Hermolaus peius errare viſus eſt in ſuis in Pliniū Caſtigationibus, qui γαστέρα pro vaſe accipit: & de ea diuinatione intelligit, quæ per vaſculum etiā hodie à ſuperſtitioſis fiat, qualis Lecanomantia, & Coſcinomantia. Sed præter ea quæ de Engaſtromythis ex Plutarcho & alijs dicta ſunt, ſacra quoq́ꝫ Hebræorū hiſt. lib. Regum primo, vbi LXX interpretes nec ſemel, quod latinè ſcriptum eſt mulier quæ ſpiritū Pythonis haberet, γυνὴ ἐγγαστρίμυθος habent. D. Auguſtinus, & alij, Ventriloquos vocant. Sed quid vetat, poſtquàm in hæc incidimus, in ſtudioſorum adoleſcentū gratiam, hîc nuda nomina breuiſſimè aſcribere, quę de eiuſmodi ſuperſtitioſis vaticinantium generibus aliàs collegi? Poſt hos inquam ventriloquos, legimus & Thymomantes, qui & Pſychomantes vocantur ab Heſychio, qui animi furore vaticinantur: item Thyoſcopos, qui per ſacra quædam diuinant. Sunt & qui per ignē, qui Pyromantes vocantur: & Pyromantia, Ignifpicina dicta, cuius auctor Amphiaraus, ſi non potius malus dæmon. Fuerunt et qui per ignes incederent, vt vates Eueclus: qui ideo ἐμπυριβάται cognominati ſunt, vt in Italia Hirpini. Diuinatio verò quæ per aquam fiebat, ſi non & hoc tempore fiat, Hydromantia nuncupata eſt: quæ ex fontibus, πηγομαντία, & ex his vates πηγομάντεις & νυμφόληπτοι dicūtur. eſt & quæ per farinā & eiuſmodi alia fiat, Aleuromantia & Alphitomantia dicta: & quæ punctis & lineis quibuſdam, quæ Geomantia: itemq́ꝫ quæ ex ſpeculis, Catoptromantia. addunt & nonnulli Aſtragolomantiā, quæ ex aſtragolorum iactu exercetur: & quæ ex caſeo, eiúſq́ꝫ diſpoſitione fit, Tyromantiam. & quæ ex fumo fiebat, καπνομαντίαν. ex auibus, hoc eſt Auguria & Auſpicia, οἰωνοσκοπίαν, & Alectryomantiam. & ex extis, qua maximè Hetruſci in Italia valuerunt, Haruſpicinam, & Extiſpicium. Item per cribra diuinationes, quæ Græcè Coſcinomantia. & ex ſecuribus, quę dicta eſt Axinomantia: & ex pelui, quæ Lecanomātia: & ex herbis, quæ βοτανομαντία, & in primis hęc ſagarum & veneficarum mulierum eſt: item ex mortuis & cadaueribus, vmbríſq́ꝫ

Necromantia & Necyomantia & Sciomantia: ex aſtris quoq; & ſtellis, Aſtronomia, & Aſteroſcopia, in quibus Chaldęi peritiſſimi fuiſſe tradũtur: ex aere, Aeromantia: ex Nubibus, Nephelomantia: id eſt, ex imaginib quæ in nubibus plerũque videntur, qua re aliquos vſos, in ſecundo de Poetarum hiſtoria prodidi. Fuit ex aſpectu præterea, & fronte, totóq; corporis filo & natura, Metopoſcopia, & Metopomantia, Phyſiognomia, Proſopoſcopiáq;. ex manuum lineis, ſigniſque, Chiromantia. item ex numeris, quæ Arithmantia vocaẽ: de qua in Poetis, in Nicomachi vita pleraq;. præterea ex piſcibus, Ichthyomantia: quæ & Apuleio obiecta fuit, vt ex Apologijs eius videmus, & ex Aeliano. Ex palpitatione quoque membrorum, & particularum, cùm ſcilicet ſaliunt, quod palmicum auguriũ vocatur. Fit & diuinatio ex inſomnijs, & ſomniorũ coniectura ac iudicio, quæ Onirom antia, & Onirocriſis, in qua Telmiſſei excelluere: vnde Onirocritici libelli, Artemidori & Syneſij. & cætera diuinationum genera, quæ pertinent ad viſa, portenta, oſtenta, omina, prodigia, fulgura, fulgetras, & fulmina: itẽ quæ ad ſternutamenta. de quibus omnibus ad hæc vſq; tempora, in tanta fidei noſtræ luce, ſi Deo placet, reperiuntur qui operam & dent aſſiduam, & in his etiam libros edãt. Sed iam de his plus etiam quàm ſatis. Ad Pythium Apollinem redeo, à quo & ludi dicti Pythia, in victoriæ memoriam inſtituti, ita Ouidio canente:

Hunc deus Arcitenens, &c.
Perdidit effuſo per vulnera nigra veneno.
Néue operis famam poßit delere vetuſtas,
Inſtituit ſacros celebri certamine ludos,
Pythia perdomiti ſerpentis nomine dictos. & reliqua.

His verò ludis præmium pecunia primùm, deinde corona fuit. Sed & nõ vno in loco Pythia agitata fuiſſe comperi. nam & apud Megarenſes & Sicyonios inſtituta legimus, in commentarijs Pindaricis. Sanè nec te lateat, Pythonem hunc ſerpentem etiã Delphinum vocatum, vt Aelius prodit. Alij, inter quos Callimachus poeta eſt, ſerpentẽ aiunt oraculũ cuſtodiuiſſe: vnde & Apollo ipſe Delphinius dictus eſt, vt alibi oſtenſum. Illud præterea addo, Pytho & Delphos eandẽ vrbem ſignificare: vnde & Pythius deus & Delphicus. Sed cùm plurima de Pythone phyſicè tradantur, ego hic breuiter ex Macrobio deſumpta nõnulla referam. Latonæ igitur pariturae Iuno dicitur obſtitiſſe. ſed vbi tandem partus effuſus eſt, dracone ferunt, qui Python vocabatur, infantiũ cunas inuaſiſſe, Apollinémq; in prima infantia ſagittis belluã confeciſſe. quod ita intelligendũ eſt. Poſt Chaos, cùm primùm cœpit confuſa deformitas in rerum formas & elementa niteſcere, terráq; adhuc humida ſubſtantia in molli atq; inſtabili ſede nutaret, conualeſcente paulatim æthereo calore, atq; inde ſeminib. in eam igneis defluentib. hęc ſidera eſſe edita antiqui illi gentium philoſophi credidere: & ſolem maxima caloris vi in ſuperna raptũ, Lunam verò humidiore & velut fœmineo ſexu, naturali quodam preſſam tẽpore, inferiora tenuiſſe, tanquã ille magis ſubſtantia patris conſtet, hæc matris. Siquidẽ phyſici Latonam volunt terrã videri, cui diu interuenit Iuno, ne numina quæ dicta ſunt, ederentur: hoc eſt aer, qui tunc humidus adhuc, grauiſq; obſtabat ætheri, ne fulgor luminum per humoris aerei denſitatem, tanquã ex cuiuſdam partus progreſſione fulgeret. Sed diuinæ prouidẽtiæ vicit inſtantia, quæ creditur iuuiſſe partum. Ideo in inſula Delo, ad confirmãdam fidem fabulæ, ædes Prouidentiæ, quam ναὸν προνοίας appellabãt, adhibita religione celebrabaẽ: & propterea ea inſula Delos vocata, quia ortus & quaſi partus luminum omnia facit δῆλα. i. aperta & clara. hinc Plutarch. in Problem. apud Delphos, ait, tres Enneateridas celebratas fuiſſe, quarũ vnam σεπτήριον vocabant, quę in imitatione pugnę videbatur, quam Apollo aduerſus Pythonem habuiſſe dicitur. alteram Heroidem, tertiam Charilam vocabãt: de quibus omnib. ipſum lege Plutarch. qui eas tres celebritates exponit. Sed enim vt rem noſtram ſequamur, ratio quæ de nece Pythonis eſt, qui ἀπὸ τοῦ πύθειν, id eſt à putreſcẽdo dictus

eſt, naturalis exiſtimatur, vt ſcribit Antipater Stoicus. nam terræ adhuc humidæ exhalatio, in ſuperna meando volubili impetu, atque inde ſeſe, poſtquàm calefacta eſt, inſtar ſerpentis mortiferi in inferiora reuoluendo, corrumpebat omnia vi putredinis, quæ non niſi ex calore & humore generatur: ipſúmque Solem denſitate caliginis obtegendo, nebula videbatur quodammodo lumen eius eximere. Sed diuino radiorum feruore tandem velut ſagittis incidentibus extenuata, exiccata, enecta, interempti Pythonis ab Apolline fabulam fecit, quam Ouidius luculenter in Metamorph. exequitur, & Claudianus in pręfatione his verſibus in Ruffinum,

Phœbæo domitus Python cùm decidit arcu,
Membraq́; Cyrrhæo fudit anhela iugo,
Qui ſpiris tegeret montes: hauriret hiatu
Flumina, ſanguineis tingeret aſtra iubis, &c.

Hinc ab Orpheo in hymnis Apollo eſt cognominatus πυθοκτόνος, id eſt Pythonicida. Sunt & aliæ aliorum rationes, quas ego ne prolixior ſim, miſſas faciã: ſed te vt varietate detineam, ex diuerſis etiam etymologiam recenſebo. Pythiũ igitur, quidam, quos inter Phurnutus eſt, dictum autumant, ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι, hoc eſt, ab interrogando & perſcrutando, quòd videlicet ad Pythium deum ſciſcitandi oraculi gratia mortales proficiſcerentur. Quam opinionẽ Macrobius impugnat: Non, inquit, Apollo Pythius ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι, id eſt, à conſultatione oraculorum dictus à phyſicis exiſtimatur, ſed ἀπὸ τοῦ πύθειν. i. à putreſcendo, quod nunquam ſine vi caloris efficitur. Alij dictum putant à loco ſeu vrbe πύθοι, apud Delphos, vel Delphis ipſis, quæ primò Nape, dein Petroeſſa, poſtea Criſſa, deniq; Pytho appellata eſt: qui locus, ait Phurnutus, dictus eſt ὀμφαλὸς τῆς γῆς, id eſt terræ vmbilicus, iuxta illud in Priapeijs,

Delphi Pythius orbis vmbilicus. quod tamen Varro & ſimul Phurnutus impugnãt, quod ὀμφὴ, id eſt diuina vox ibi funderetur, à qua voce & Panomphæus Iupiter dictus, vt in Ioue Delphico plenius oſtenſum eſt. Porrò Phytius id eſt φύτιος, Sol ac Iupiter dicti, teſte Heſychio, niſi corruptè legatur. ſanè & Pythæũ Apollinem etiam cognominatum apud Hermionenſes legimus, vt Pauſanias auctor eſt, qui ait Pythæi nomen ab Argiuis acceptum. nam ad hos Apollinis filium perueniſſe memorant, id quod eſt à Teleſilla poetria proditum. Sed demũ quoniam hæc Pythica Apollinis ſententia habetur, Cognoſce te ipſum: hoc eſt, γνῶθι σ' αὐτόν: libet etiam hic in ſtudioſorum gratiam afferre, quæ ex Stobęo didici, ex Porphyrij philoſophia excerptis. ait enim, illud ſacrũ fuiſſe præceptum in Pytho quod ſiue (inquit) Phemonoe hoc ad omnes res humanas vtiliſſimum deprompſerit, ſiue Panathea Delphi filia, ſiue Biantis, vel Thaletis, vel Chilonis ſeu anathema quodpiam ex inſpiratione diuina effuſum: ſiue, vt Clearchus tradit, Pythius ipſe deus Chiloni ita reſponderit interroganti quidnam tandem hominibus optimum eſſet; ſiue etiam ante Chilonem in templo illud ipſum inſcriptum fuerit, vt Ariſtoteles alijq; plures exiſtimãt. vnde ſubdit, certiſſimum eſſe, hanc ipſam ſententiam à Deo quidem vel ortam eſſe, vel non ſine Deo. & hæc quidem breuiter ex Stobæo, meis verbis.

Cynthius Apollo vocatus, vt notiſſimum eſt, à monte Deli, vt Feſtus ſcribit. dicta eſt & Cynthia Diana: vt illud eſt poetæ,

Cynthius impoſitis temperat articulis.

Atq; ideo hæc paucis explicui, quoniam poetis cantatiſſima.

Didymæus quoq; Apollo dictus multaq́; veneratione cultus. idem & Mileſius, quod eius celebre fuerit fanum apud Miletum. Orpheus in hymno,

Βάκχι', καὶ διδυμεῦ ἑκαεργὲ, λοξία, ἁγνέ.

Scribit Macrobius Didymæum appellatum, quòd geminam ſpeciem ſui numinis præferre putaretur, illuminando formandóq; Lunam. nam δίδυμοι gemini

dicuntur

dicuntur. etenim ex vno fonte lucis, gemino ſidere, ſpacia diei & noctis illuſtrantur. vnde & Romani Solem ſub nomine & ſpecie anni, Didymæi Apollinis appellatione venerabantur, vt ait Macrobius. Pomponius Mela de Ionia agens: Primùm, ait, à Poſſideo promõtorio inflexum inchoans, cingit oraculum Apollinis, dictum olim Branchidæ, nunc Didymi. Strabo item libro decimoquarto: Poſt Poſſideum, inquit, in Aſia fuiſſe Mileſium oraculum, Apollini Didymæo ſacrum, apud Branchidas, ad octodecim ſtadia aſcendenti: idq; à Xerſe incenſum fuiſſe, vti etiam reliqua templa omnia, Epheſio excepto. et paulò pòſt ſubdit: Hoc loco de Brancho & Apollinis amore conficta eſt fabula. vnde mirũ eſt, virum doctum & polyhiſtora, Dindymæum hunc Apollinem appellaſſe. Sozomenus in hiſtoria, vbi de Licinij interitu agit, huius oraculi ita meminit: Denique etiam Græci dicunt, tunc cum expertum diuinationem Mileſi Didymæi Apollinis, eique conſulenti de bello, reſpondiſſe deum per hos Homeri verſus:

O ſenior, ſeruat iuuenis te miles in armis,
Te durè excipiet ſenium, & tua vita ſoluta eſt.

In vulgatis Sozomeni excerptis pro Mileſij & Didymæi, Latinus interpres parum hoc tenens, Miletij & Gemini interpretatus eſt. Mileſij quoque oraculi Apuleius meminit in quarto de Aſino, in Pſychæ fabula. Apuleij verba appoſui, parum aptè ab interpretibus expoſita. hæc autem ſunt: Sed infortunatiſſimæ filiæ miſerrimus pater, ſuſpectatis cœleſtibus odijs, & iræ ſuperum metuens, dei Mileſij vetuſtiſſimum percunctatur oraculum, & tanto nomine precibus & victimis ingratæ virgini petit nuptias & maritum. Sed Apollo quanquam grecus & Ionicus, propter Mileſiæ conditorem ſic latina ſorte reſpondit. Hæc ille. Non refello interpretes, ſed ego ita expono: propter Mileſiæ conditorem, nõ dictum de vrbe intelligo, nam cur ideò Latinè reſpondiſſet: ſed ad fabulam Mileſiam refero, quam ſcribebat Apuleius, vt ille ſtatim à principio Operis propoſuit: & ad Apuleij perſonam refero, qui Latinè Mileſiam fabulam ſcribebat. Citatur verò & hoc oraculum cùm ab alijs, tum etiam à Lactantio Firmiano libro quarto, ſuper Chriſto.

Hecatombæus Apollo ab Athenienſibus dictus, à quo Hecatombæa celebritas, & certamen, vt Heſychius ſcribit. de Hecatombæone verò, primo Athenienſium menſe, abundè in lib. de Menſibus, annis & reliquis actum eſt, item & in Iouis cognominibus.

Μίτρας καὶ μίτρος apud Perſas Sol, & eorum primus deus, vt ait Heſychius. Mithras, vt Oſthanes, & ab eo Lactantius grammaticus, in antro colebatur: cuius ſimulachrum fingebatur leonis vultu, habitu Perſico cum tiara, ambabus manibus reluctantis bouis cornua retentare: quo ſignificabatur, Lunam ab eo lumen accipere, cùm incipit ab eius radijs ſegregari. ipſa enim indignata ſequi fratrem, occurrit illi, & lumen ſubtexit, obſcuratque. ideòque in antro eſſe dicitur, quia eclipſin patitur, id eſt Mithras: ideo leonis vultu, quia Sol leonem ſignum principale habet: vel quòd, vt leo inter animalia, ita Sol inter ſidera excellit. Luna verò, quòd tauro propius adhæreat, vacca, id eſt boue figurabatur. Sed hæc confuſè licet & implicitè, pluribus tamen explicare viſus eſt Lactantius, in eius hymni extremis verſibus ad Apollinem, qui legitur in primo Statianæ Thebaidos:

Adſis ô memor hoſpitij, Iunoniaq; arua
Dexter ames, ſeu te roſeum Titana vocari,
Gentis Achemeniæ ritu, ſeu præſtat Oſirin
Frugiferum, ſeu Perſæi ſub rupibus antri
Indignata ſequi torquentem cornua Mithran.

Claudianus ita quoq; cecinit:

Defixæq; hoſpite pulchro

Perſides,arcanum ſuſpirauere calorem,
Thuris odoratæ cumulis,& meſſe Sabæa
Pacem conciliant aræ,penetrabilibus ignem
Sacratum rapuere adytis,rituq; iuuencos
Chaldæo ſtrauere magi:rex ipſe micantem
Inclinat dextra pateram,ſecretáq; pelli,
Et vaga teſtatur voluentem ſidera Mithram.

Mithræ meminit Strabo & Suidas. item Martianus ad Solem: Memphis, inquit, veneratur Oſirin, Diſſona ſacra Mithran. In Perſidis montibus Zoroaſter primus antrum floridum Mithræ dicaſſe fertur,prope fontes:ex quo poſtea manſit religio,vt vbicunque coleretur,antrum vel ſpecus ſimiliter eius templi loco ſtatueretur. Scribit D. Hieronymus ad Athletam: Ante paucos annos propinquus veſter Gracchus nobilitatem patriciam ſonans nomine, cùm præfecturam gereret vrbanam,nónne ſpecum Mithræ & omnia portentoſa ſimulachra ſubuertit? Porphyrius quoque in commentario antri Nympharum ex decimatertio Odyſſ. Primum,inquit, Zoroaſtres apud Perſas,vt narrat qui Mithræ hiſtoriam multis voluminibus ſcripſiſſe traditur Eubulus, naturalem ſpeluncam & fontibus ſcatentem in proximis Perſidis montibus conſecrauit in honorem rerum omnium auctoris, parentiſq; Mithræ, vt per ſpeluncam quidem mundum ſignificaret fabricatum à Mithra: per alia verò quædam intus congruis interuallis diſpoſita, elementa & plagas mundi deliniaret. & paulò pòſt ſubiungit: Mithræ verò congruum aſſignare locum ad æquinoctia: quapropter gladium fert arietis, qui Martium animal eſt: inuehitúrque tauro Venereo, quòd ſcilicet vt taurus , ſic & Mithras generationis dominus ſit. hæc ibi Porphyrius philoſophus. Scribit Origenes Adamantius libro ſexto,aduerſus Celſum,de Mithrę ſacris,ipſius Celſi verba afferens in hunc modum:Hęc quidē Perſarum diſciplina oſtēdit & Mithræ ſacra,quæ apud hos ſunt,& in his duplex circumactio ſtellarum prætenditur, fixarum, errantiúmque, & per has animæ tranſitus.cuius in rei argumentum ſcala erigitur altior,in ea ſeptenæ ſunt portę: ex plumbo prima, ſecunda ex ſtanno, tertia ex ęre, ex ferro quarta, quinta ex nomiſmatis corio,ex argento ſexta,ſeptima ex auro conſtat. Primam Saturni eſſe ſtatuunt, plumbo aſtri tarditatem ſignificante: Veneris ſecundam, cui & ſtanni quum ſplendorem, tum molliciem comparant: tertiam Iouis, vt æreis gradibus ſolidiſſimam:Mercurij quartam, operum enim omnium & negotiorum tolerantiſſimum, lucráque factitantem, callidum inſuper & eloquentem, Mercurium dicunt : Martis quintam, ob inæqualem admixtionem, & variam: ſextam Lunæ, argenteam: Solis ſeptimam , quæ aurea ſit, perinde atque aſtrorum hæc imitetur colorem & cœli. Hæc vel Celſus,vel Origenes,qui & alibi huius dei Mithrę meminit. Porrò à Mithra, Mithriaca ſacra dicuntur apud Lampridium in vita Commodi: quæ qualia eſſent, dum explicare Crinitus ſatagit, mihi cauſa fuit, vt hiſtoriam altius multo repeterem. Suidas: Mithram,inquit, exiſtimant Perſæ ſolem eſſe,cui & multas conſecrant hoſtias. neque quiſquam eius ſacris initiari poteſt,niſi per quoſdam gradus conuicij: quibus oſtendat ſe & ſanctum, nec perturbationibus affici. Conſona Tertullianus in libro de Corona ſcribit, ait enim: Mithræ miles cùm initiatur in ſpelæo, in caſtris verè tenebrarum coronam interpoſito gladio ſibi oblatam, quaſi munus martyrij, &c. D. quoque Gregorius Nazianzenus in priore in Iulianum Cæſarem oratione Mithræ meminit, quo loco qui Græcè eius collegit hiſtorias: Mithra, *inquit, id eſt Sol, cui celebritates fiunt*, & in primis à Chaldæis, cui deo qui volunt initiari, duodecim contumelijs afficiuntur, & per verbera, calorē,frigus,& alia huiuſmodi.vnde à Theologo,inquit, hæc cōtumelia vocat̄ ἔνδικοι κόλασις,quòd ſcilicet iuſtè ea pœna afficiant̄.verba hæc ſunt:Neq; Mithrę apud

apud nos cruciatus, & iuſta ſupplicia, his quibus talibus ſacris perſuadetur. Mithræ meminit & Procopius. Hæc igitur ipſe ſacra Mithriaca puto, quæ homicidio Commodus polluit, vt eſt apud Lampridium. Zoroaſter, vt eſt apud Plutarchum in Iſidis & Oſiridis libro, tres in primis deos conſtituit: primum Oromazon, bonum: alterum Aramanum, malum: illum luci, hunc obſcuritati ſimilem: tertium verò, id eſt μεσίτην, quem Mithran appellauit. Agathius lib. 2. hiſt. de Perſarum moribus & religione agens, inter multa quæ recenſet, eos ait duos deos, vt Manichęos, conſtituere, quibus & barbara nomina pro ſua lingua impoſita ſunt. Bonum nanque deum, ſiue creatorem, Ormiſdatin dicunt: Arimanes, perniciofo ac malo dæmoni eſt apud hos nomen. Sed enim apud Stobæum lego nomen huius dei, non Oromazen, ſed ὡρομάγδαν. Maximum enim deorum Magos ait vocare Oromagdan, cuius aiunt corpus luci ſimile, animam verò veritati. Sed vt ad Mithram redeam, ſcribit Duris in ſeptimo hiſtor. apud Athenæum, Perſarum regibus vno tantùm die permitti, vt ebrij fiant, quo Mithræ deo ſacra fierent. Eſt & apud Dionem in hiſt. Tiridaten regem Neroni dixiſſe, ſe perinde ac Mithran eum adoraturum. Xenophon in Oeconomico ita Cyrum iurantem inducit: Iuro, inquit, tibi ô Lyſander per Mithran, quem nos omnium deorum maximum habemus. D. etiam Epiphanius in lib. contra hæreſes 3. de Marcione agẽs, qui ſacram ſcripturam corrumpebat: Dixit, inquit, quidam proprius ipſorum poeta, Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri: per quæ verba Epimenidem indicat, veterem philoſophum, & templi Mithræ ſiue Solis apud Cretenſes ſacerdotem. hoc quidem Epiphanius. quibus ex verbis colligimus, non apud Perſas ſolùm, & Chaldæos, ſed alibi etiam Mithram cultum fuiſſe. quin & Mithræ quoq; templum fuiſſe Alexandrię, & ſacra ſummo cultu exhibita: id quod notauimus in Tripartitæ hiſt. libris.

Phileſius Apollo etiam nuncupatus, vt ſcribit Lactantius in cõmentario li. 8. Theb. cui tẽpla conſecrata fuere, quæ ab oſculo dicta ſunt Branchi pueri Apollinis dilecti: ſiue, ut alij dicunt, filij. nam prægnantem matrem per quietem vidiſſe Solem ſe inſerentem ei per fauces ferunt, qui pòſt per ventrem exierit, vnde puero factum fuit nomen: ſiue à certamine baſiorum puerorum, Phileſia nuncupato, Phileſius dictus eſt. Meminit & his verbis Macrobius: Apollo Phileſius à Phyſicis dictus, lumen eius exoriens amabile, amiciſſima veneratione oſculorũ conſalutamus. Plinius verò Nat. hiſt. 34. Canachus, inquit, Apollinem nudum, qui Phileſius cognominatur, in Didymæo Aeginetici æris temperatum fecit. Sed ſi plura de Brancho, & Branchiadon oraculo, & Phileſio legere cupis ex Varronis libro diuinarum, Lactantium eodem libro legito, itémq; tertio. meminit & Terentianus, & Strabo: ſed & Bucatius, qui nactus Lactantij codicem minus lacunoſum, fabulam in quinto ſuarum Geneal. explicat.

Smintheus Apollo dixit Ouid. in Faſt.

Conſulitur Smintheus, lucóq; operatus opaco,
Hos non mentito reddidit ore ſonos.

Frequenter & in poëtis græcis, Homero, Orpheo, alijs. cognominatus verò à muribus. Cauſa variè proditur. Crinis Apollinis fuit ſacerdos. is cum dei ſacra neglexiſſet, à terreſtribus muribus agrorum fructibus eſt priuatus. cuius detrimento damnóque commotus Apollo, bubulco cuidam Hordæ nuncupato iuſſit, vt Crinin ſacerdotem moneret, illum debere conſueta ſacra peragere. quod ſacerdos cùm feciſſet, Apollo mures ſagittis confecit: hinc Apollo Smintheus cognominatus eſt. Sminthas enim Cretenſes mures vocãt. Aelianus de Animalibus id tradit, mures adorari ab his qui Troadis Amaxitum incolunt: vnde Apollinem qui apud eos maxima religione fuit, Sminthium appellabant. mures enim, Aeoles & Troiani Sminthes nuncupant: ſicut Aeſchylus in Siſypho teſtatur, cùm ait, Sed agreſtis quis eſt Sminthius. tum verò apud eos Sminthas cicures alunt, eiſq; victus publicè præbetur, atq; infra altare, vbi degunt, latebras

tebras habent. Apud etiam tripodem Apollinis mus fuit, de quo etiam fabulam idem Aelianus recitat. Strabo verò libro decimotertio aliam hiſtoriam ſeu fabulam, vt ipſe ait, recenſet: In vrbe, inquit, Chryſa eſt Apollinis Sminthei delubrum & ſimulachrum, quod nominis veritatem ſeruat. nam mus quidem pedi ſtatuæ ſubiacet. hanc ſtatuam Scopas Parius fecit. Hiſtoria ſiue fabula, quæ de muribus narratur, huic loco congruit. nam Teucris è Creta profectis (de quibus primò Callinus elegiæ poeta tradidit, pòſt multi ſecuti ſunt) datum erat oraculum, ibi eos ſedem poſituros, vbi terrigenæ eos adorirentur. id circa Amaxitum dicunt contigiſſe, maximámque agreſtium multitudinem murium noctu exortam, quicquid armorum & vtenſilium ex corio inueniſſet, corroſiſſe, & Teucros ibi manſiſſe, atque Idam ab Ida quæ in Creta eſt, appellaſſe. Heraclides Ponticus auctor eſt, mures ibi circa templum abundare, & ſacros exiſtimari: ſimulachrum autem ita inſtructum eſſe, vt murem pedibus premat. Quidam tamen Sminthеum, quaſi ζέων θέει, hoc eſt, quòd feruens currat, ad Solem reſpicientes, appellatum volunt. Sanè in locis pluribus Smintheus Apollo cultus fuit, nec templa ſolùm illi poſita, ſed & loca aliquot Sminthia ait appellata, ille idem Strabo. Porrò antiquos videmus à paruis rebus plerunque deis cognomina impoſuiſſe, vti à muribus Apollo Sminthius dictus: à culicibus Hercules, quos Oetæi condpas vocant, Conopæus: & Ipoctonus, à vermiculo ipe, vineis infeſto, vt in Hercule diximus. Rhodij quoque à rubigine, quam ἐρυσίβην vocant, Apollinem Erithybium appellauere: & Bœotij Pornopionem itidem Apollinem coluere, quoniam illi πόρνοπας culices vocant. At verò Pauſanias ſic propemodum in Attica, Parnopium Apollinem tradit: Extra, inquit, templum quod Parthenona nuncupant, eſt æneus Apollo, quem à Phidia factum dicũt. Parnopium vocant, quòd ſe Deus parnopas, qui totum agrum magna afficiebant calamitate extra fines pulſurum dixiſſet. & pulſos quidem ſciunt: quo autem modo, non dicunt. Scio equidem ter in Sypilo monte deletos parnopas, nõ vno tamen modo. Nam vehemens aliquando, & ſubita procella eos eiecit: iterum acri æſtus vapore, qui ſtatim eſt imbres ſubſecutus, enecti ſunt: iam tertiò repentino frigore oppreſſi, perierunt. Atque hæc quidem quæ de abolitis parnopis memoraui, ætate mea acciderunt. Porrò Prònopium Domitius interpretatur culiciarium, à culicibus videlicet, quos Prònopas vocari exiſtimabat. Alij verò Parnopas locuſtas, mea quidem ſententia, meliùs interpretantur. Sunt & qui bruchos, qui tamen nonnihil à locuſtis differre videtur. exploſa pridem eorum ſententia, qui Murinum interpretati ſunt pro Sminthеo, apud Martialem illo verſiculo,

Campis diues Apollo ſic Murinis.

Sunt & qui putant de Apolline illud Plinij intelligi: Fecit Praxiteles & Apollinem puberem, ſubrepenti lacertæ cominus ſagitta inſidiantem, quem Sauroctonon vocant, hoc eſt lacerticidam. Sed iam ad alia tranſeamus.

Γαπάριος Apollo, quaſi totus parius, teſte Phauorino, cognominatus à Parijs & Pergamenis.

Horus etiam Apollo dictus eſt ab Aegyptijs, quod pluribus oſtendit Plutarchus in Iſi & Oſiri. vnde & eo nomine Sol etiam ab ijſdem vocatus, teſte Macrobio, & Cenſorino in libro de Die natali: à quo Horæ dictæ diei partes & anni tempora, vt plenius in noſtro ſcripſimus de Annis, menſibus, &c. Videtur tamen Plutarchus Horos duos conſtituere: primùm quidem antiquiorem, ob tenebras cæcum, qui Aruеris dictus, natus ſecundo die, cùm necdum mundus eſſet perfectus, ſed mundi ſimulachrum erat, & effigies quædam: alterum autem Horum perfectum & abſolutum, cuius ſimulachrum in Copto vrbe tradũt fuiſſe, altera manu Typhonis pudenda continere. Hori ſacerdotes, ſcribit Epiphanius in quarto de Hæreſibus lib. & Harpocratis, capite raſos. ferre impudenter ſeruile ac deteſtabile puerile ſignũ: & cætera quæ ridet idẽ D. ſcriptor. ſed & alia plura de hoc Horo Apolline produnt, quæ ad occultã rerũ interpretatione

& naturæ

& naturæ pertinere credebant, quæ noſtri non videntur eſſe inſtituti. Diodorus Siculus Aegyptiorum deos commemorans, Horum ait Iſidis filium per inſidias à Titanibus interfectum, inter aquas inuentum, à matre ad vitam reuocatum, factúmque immortalem. Hunc Apollinem interpretatur, medendíque & vaticinandi peritiſſimum fuiſſe. Sanè & ab Hermioneſibus Horius, hoc eſt ὅριος Apollo, id eſt Terminalis & dictus & cultus fuit. Vt enim coniectatur Pauſan. cùm aliquando Hermionenſes de finibus vel bello vel iudicio contenderent, & victores facti eſſent, ἀπόλλωνι ὁρίῳ rem ſacram fecere, & templum aramque conſtruxerunt. Sunt nonnulli, qui quòd deus ſit διαλεκτικώτατος, id eſt maximè dialecticus, ideo Horium appellatum arbitrati ſunt. Porrò & Græcorum & Latinorum quidam Orum Apollinem, ſine afflatus nota ſcribunt.

Plataniſtius Apollo cognominatus, teſte Pauſ. cuius templum fuit via Trœzenia, quæ ad Hermionem ducebat, ſecus petram, quæ prius Sthlenij Iouis ara dicebatur, mox verò Theſti dicta fuit.

Thearius Apollo colebatur apud Trœzenos, cuius templum Pauſaniæ ætate vetuſtiſſimum habuit ſimulachrum, ab Auliſco dedicatum. Legimus & θεώριον, apud Heſychium, Apollinem nuncupatum.

Tortorem etiam Apollinem à Latinis nominatum videmus, vt apud Suet. notatur. quin & in vrbe colebatur, vt Domitius teſtatur. *et ipsemet Suetonius in A*

Hyperionides, & Hyperion etiam cognominatus eſt Sol, & id quidem frequenter, non modò Græcis, ſed & Latinis poetis. nam Hyperionis Titanis filius fuiſſe fingitur, vt in Titea meminimus. quin etiam Titan ideo appellatur.

Scribit Pauſ. in Corinth. in Sicyonia Titanis lucum fuiſſe, qui ſolis frater exiſtimatus ea ſit ratione, quòd in obſeruandis anni opportunitatibus admodum ſolers fuerit, vnúſque optimè omnium norit, quibus, quæ ſemina, quáſque ſtirpes temporibus, quos item fructus Sol facilè augeret & coqueret. Sed & Heſiodus eius genus recenſet in Theogonia. Vel ſi ad rem phyſicam referas, vnde dictus tradit ab eruditis, παρὰ τὸ ὑπὲρ ἡμᾶς ἰέναι, quòd videlicet ſuper nos eat. Diod. tamen ſcribit: Hyperion reuera ſolis, lunæ, & cęterorum aſtrorum motus horáſque primum ſumma cura obſeruauit, & à ſe percepta cæteris quoque popularibus noſcenda prodidit: ideo horum parens dictus eſt.

Φαεσίμβροτος Apollo ab Homero cæteríſque poetis cognominatus, φαὸς lumen, & βροτὸς mortalis, quòd ſua luce mortalia iuuet. quidam & φαυσίβροτος apud Pindarum eadem ratione legunt.

Τριόπιος Apollo, teſte Dionyſio Alicarn. in quarto hiſto. à Doribus cultus, cui templum eo apparatu ſtruxerant, vt in eo conuenirent ad conſilia, cæteráque negotia obeunda. Sed & Epiſcopon aliquando legimus cùm apud alios, tum apud Phurnutum: μουσαγέτης, inquit, Apollo vocatus eſt, & ἐπίσκοπος, & cum Muſis ludere exiſtimatus eſt.

Μαλλόεις Apollinis cognomen, ait Heſychius. Malloantis Apollinis feſtum celebraſſe Mitylæneos extra vrbem accepimus, cum totius ciuitatis frequentia: vt in tertio teſtatur Thucydides.

Maleaticus Apollo, vel Maleates, vt Pauſan. ait, à Maleo nuncupatus eſt, qui Tyrrhenorum rex, vt in quarto Theb. ſcribit Lactantius, primus tubam inuenit, cùm piraticam exerceret. Sed cùm mare tempeſtatibus agitaretur, montem inſedit, quem de ſuo nomine Maleam, & Maleatem, ſeu Maleaticum Apollinem in eo nominauit.

ἡμεροδρόμος, id eſt Curſor diurnus Sol & Phœbus cognominati, quòd videlicet diurno curſu ſol mundum omnem peragrat, vnde & illi nomen. meminit verò & Pollux in primo.

Bel, ſeu Beles Apollo dictus eſt ab Aquileienſibus Italiæ, de quo Herodian. lib. 8. hiſt. Cæterùm, inquit, nonnulla quoque oracula ferebantur, patrij cuiuſdam numinis, victoriam promittentia. Belem vocant indigenę, magnáque cum religione co-

ne colunt, Apollinem interpretantes, euius etiam ſpeciem pro vrbe ipſa pugnantem quidam è militibus Maximini viſam ſibi in cœlo affirmabant.

ἑκατηβελέτης, & ἑκατηβόλος, & ἑκηβόλος Apollo cognominatus, quibus nominibus & Græci & Latini vſi ſunt à longè iaciendo vel radios, vel ſagittas, deduci videntur. Certè Homerus in primis, & Orpheus, cæterique poetæ ita nuncupant, vt eſt videre, & vt etiam grammatici obſeruant. notiſſimus eſt verſiculus apud Suetonium,

Noſter erit Pæan ille Hecatebeletes.

Macrobius in primo Sat. Sagittarum, inquit, nomine nõ niſi radiorum iactus oſtenditur: qui tunc longiſſimi intelliguntur, quo tempore altiſſimus ſol dieb⁹ longiſſimis, ſolſtitio æſtiuo, conficit annuum curſum. vnde ἑκηβόλος dictus Apollo, & ἑκατηβόλος, id eſt longè iaciens, & è longiſſimo altiſſimoque radios in terram vſque demittẽs. Phurnutus ἑκηβόλους Solem & Lunam appellatos prodit. quòd vterque radios longè iaculetur. Proclus in Cratylum Platonis: Hecatebeletes, inquit, ideò dictus, ὅτι χορηγὸς ὢν, καὶ ὑπερέχων ἐπὶ πάντας ποιεῖ τὰς ἐνεργείας. id eſt, cùm ſit choragus, & eximius, in omnes efficit energias & efficacias.

ἑκάεργος, Hecaergus Apollo à poetis, & in primis Homero cognominatus, teſte Heraclide Pontico in Allegorijs, non ab Hecaerge, quæ ab Hyperboreis in Delum venit, vt fabulantur: ſed quod à longè operetur: hoc eſt, ὅτι τὰ ἑκὰς ἐργαζόμενος. vel, vt ait Heſychius, ὅτι μακρόθεν εἴργει τοῖς βέλεσι. vel, vt in Pyth. Pindari notat interpres, quòd procul ſpargat radios, & eminus operetur. quo loco Pindarus inducit Cyrenen nympham, admirantem Apollinem, quòd ſagittis leones conficeret: & eum etiam εὐρυφαρέτραν appellat, à lata ſcilicet pharetra, qua ceu venator per iuga Cynthi feras transfigat, vel morborum iacula iaciat. Sed & Hecaerges Diana cognominata eſt, vt ſuo loco dicemus. Scribit Phurnutus Hecaton ſolem, & Hecatem lunam appellari, παρὰ τὸ ἑκάθεν δεῦρο ἐφιέναι διὰ τῆς ἀέρος τὸ φῶς, à longa ſcilicet miſſione lucis. Sunt qui his aliam afferant etymologiam, quòd ſcilicet Hecato & Hecatæ nomina impoſita ſint, cùm preces effunderent: hos deos rogabant, vt mala auerterent. Nam interdum aera inficere putabant, ac peſtilentias inducere, vt eſt apud Homerum in primo Iliados. Adhæc in quarto ſcribit Strabo, quod ἑκατος Apollo eſt: vnde Hecatonneſi, quaſi Apollineſi, quòd per totam eam regionem Apollo coleretur, circa Leſbum & Troiam. quo loco illud docet, ex inſtituto antiquorum literam nn geminari in his nominibus, Hecatonneſus, Peloponneſus, Proconneſus, Cherſonneſus, & cæteris.

Pagaſæus Apollo etiam cognominatus eſt. Heſiodus in Aſpide, πᾶν δ' ἄλσος καὶ βωμὸς ἀπόλλωνος παγασαίου. id eſt, Totum verò nemus Pagaſæi Apollinis ara. dictus autem, vt Apollonij Rhodij commentatores ſcribunt, quòd Pagaſis templum haberet in promontorio Magneſiæ, quo loco compacta fuit nauis Argo. Eadem fermè Phauorinus, & Callimachus apud Hyginum. Scepſius tamen à πηγαῖς, id eſt fontibus quòd multi in illis locis fluere dicuntur, dictum exiſtimauit. Hunc παγασίτην Apollinem ab Achæis & Theſſalis appellari ait Heſychius.

ἄναξ, id eſt rex Appollo nuncupatus fuit. Ariſtophanes in Pluto, ἄναξ ἄπολλον καὶ θεοί, Rex Apollo & dei. Sic & frequenter Homerus. Solõ quoque in ea pulcherrima elegia, quæ apud Stobæum legitur de iuſtitia, ita canit,

ἄλλον μάντιν ἔθηκεν ἄναξ ἑκάεργος ἀπόλλων. hoc eſt,

Rex alium vatem ſtatuit iaculator Apollo.

Dicimus & ὦναξ pro ὦ ἄναξ. Orpheus,

ὦ ἄναξ πυθῶ ος μεδέων ἑκατηβόλε μάντι. hoc eſt,

O rex Pythonis dominans Hecatebole vates. Item,

ὦναξ παυσανίας ἀπόλλων, ὁ κακῶν παύων ἄπολλον. vt exponit Heſych. id eſt,

O rex Apollo, qui mala quieſcere facis.

Notant

Notant grammatici, quòd ἄναξ dicitur ab ἄκος, quòd medelam curámque ſignificat: & anaces, quòd curam habeant, vt Plut. & Euſtathius teſtantur. primi autē hoc nomine Caſtor & Pollux dicti ſunt, quòd nauigantiū curam gererent. Sed & cæteri dei Anaces dicti, præter Iouem qui βασιλεὺς vocatur.

Clarius Apollo dictus à Claro vrbe Aſiæ, vt Mela Pōp. ait, vbi Clarij, inquit, Apollinis fanum, quod Manto Tireſiæ filia fugiens victores Thebanorum Epigonos ſtatuit. Plinius verò lib. 2. Colophone, ait, in Apollinis Clarij ſpecu lacuna eſt, cuius potu mira reddūtur oracula, bibentium breuiori vita. Nam, vt Iamblichus etiam ſcribit, ibi epota aqua oracula reddebantur: quod etiam nōſter Picus. Illud ibi tradit, non fœminam, vt Delphis, ſed certis è familijs ſacerdotes, aut ex Mileto accitos, & plerunque literarum ignaro, hauſta fontis aqua vaticinia referre. Sed enim in Claro regnauit Rhacius, vt Pauſan. in Achaicis ſcribit, ex quo & Manto natus eſt Mopſus. Clarus verò, vt ſcribit Euſtathius, Colophonis nauale fuit, ἀπὸ τοῦ κλήρου, id eſt à ſorte, quòd per ſortē Apollini obtigerit: vbi ipſius dei oraculū fuit. Sed enim Iſaacius Lycophronis interpres, Clarum montem & vrbem, non longè à Colophone ponit; vbi fuerit Clarius Apollo. Apollonij itē interpretes Clarū ciuitatem propinquam Colophoni ſcribūt, Apollini ſacram, vbi oraculum ipſius dei à Manto Tireſiæ filia conſtructū fuit. Alij ferūt ab heroe quopiam claro, vt Theopompus prodidit. Nearchus verò ait, à ſorte, id eſt ἀπὸ τοῦ κλήρου. Sed ſi plura hac de re forte ſcire cupis, eoſdem legito interpretes, qui ex ijs qui Thebaida ſcripſerūt, plura collegere. Rhacij enim hiſtoriam, & Mantus, omnem perſcribunt, quo ſcilicet pacto in Aſiam peruenerunt.

ἐπιβχτήριος, id eſt conſceſſor Apollo cognominatus apud Trœzenios in quo loco fuit conſeptum Hippolyti. Inibi quoque templū quod à Diomede dicatum fuit, ἐπιβατηρίου Apollinis, id eſt adiuuantis aſcenſum; poſt eam tempeſtatem, qua poſt Troianum excidiū Græci quaſſati ſunt. auctor eſt Pauſan. in Corinth. de Embaſio pòſt agendum eſt.

Thyrxeus Apollo etiam cultus: cuius oraculum, hoc eſt, vt ſcribit Pauſ. χρηστήριον ἀπόλλωνος θυρξέως, fuit apud Cyanæos, qui ad Lyciam fuêre. ex quo aqua habebatur Cyaneis: in cuius fonte ſi quis intueretur, quæcunque volebat intuebatur. Mouet me vocis ſimilitudo, vt hîc ſubiungam & Thyreum Apollinem nuncupatum Græcis, vt Nigidius & Macrobius ſcribunt: eiúſque dei aras ante fores ſtatuebant, eum deum ſignificantes introitus & eius potentem, ἀπὸ τῆς θύρης, id eſt ab ianua nuncupatum. Eiuſmodi & Anthelij dei habebantur, qui pro foribus ædium ſtatuebantur: ſic enim antiqui ſubdiales ſtatuas, quę ſoli eſſent expoſitę, vocabant, vt ſcribit Heſychius, ab ἀντὶ καὶ ἥλιος. Septimius Florēs Tertullianus in libro de Coronis: At enim, inquit, Chriſtianus nec ianuam ſuam laureis infamabit, ſi norit quantos deos etiam hoſtis diabolus finxerit, Ianum à ianua, Limentinum à limine, Forculum & Carnam à foribus & cardinibus, & apud Græcos Thyræum Apollinem, & Anthelios dæmonas. hæc quidem Tertullianus doctè & eruditè.

Προστατήριος Apollo cognominatus, quòd ante ianuas ſtatueretur, quod in Electra Sophocles innuit. quidam Proſtatium interpretati ſunt. Pauſan. verò in Attica ait, ex deſcenſu è foro per viam εὐθείας, id eſt rectam, ad dextram templum fuiſſe Apollinis Proſtaterij. Proſtaterij etiam Heſychius Apollinis expoſitionem attulit.

Δειραδιώτης, Deradiotes Apollo cognominatus fuit. quidam δειρὰς quendam eſſe locum tradunt. Val. Arpocrat. δειράδες populum eſſe Leontidis, à quo popularis δειραδιώτης formetur. alij δειρὰς Argiuam regionem eſſe prodidêre. Pauſanias verò, Diradioten ait Apollinem à loco dici, cuius vaticinium etiam ſua tempeſtate durare aſſeruit: eóque ritu fieri, vt à viro mulier ſecubaret, & ſingulis menſibus noctu, vt de agno rem ſacram faceret, cuius agni ſanguine epoto, numinis Apollinei inſtinctu reſponſa daret.

Dicæum etiam,ſi non Dircæum,Apollinem Plin.lib.24.cap.8.vocaſſe videmus,vbi de Leontio ſtatuario agit:Fecit,inquit,item Apollinem citharœdum, ſerpentémq; eius confici ſagittis,qui Dicæus appellatus eſt:quoniam cùm Thebæ ab Alexandro caperentur,aurum à fugiente conditum,ſinu eius celatum eſſet,&c.Dicæum tamen,id eſt iuſtum,Hermol.Barbarus interpretatur: quoniã & Menander γῄδιον δίκαιον dixerit,id eſt iuſta terra,quæ reddat quod accepit.

Palatinus Apollo à Romanis appellatus,qui in Palatio ab Auguſto dicatus fuit,cum porticu & bibliotheca,poſt Actiacam pugnam,deuictis prælio nauali M. Antonio & Cleopatra:qua de re erudita extat Propertij elegia, cuius initium eſt,

Muſa Palatini referamus Apollinis ædem.

Suetonius meminit cùm alibi,tum in eo:Templum,inquit,Apollinis in Palatio ſtruxit.Plura Dion lib.hiſt.53.Horatius item in Epiſtolis:

Scripta Palatinus quæcunq; recepit Apollo. Item in Odis lib.1.

Quid dedicatum poſcit Apollinem vates. Et ibidem Porphyrion.

hic idem Palatinus & Naualis dictus,à Propertio:

Hîc vbi Nauali ſtant ſacra Palatia Phœbo,
Euandri profugæ procubuere boues,

Plinius à Scopa Palatinum Apollinem factum ſcribit.Idem & Palatinam Venerem memorat,lib.36.Ammianus autem Marcellinus lib.23.Comæum Apollinem ex Seleucia Romam delatum ſcribit,collocatúmq; in æde Apollinis Palatini.qua de re alibi.

Actius,& Actiacus,& Actæus Apollo vocatus varijs de cauſis:in primis tamen ab Actio promontorio,& ciuitate Acarnanum, vt Stephanus ſcribit, qui & à Magneſiæ vrbe Acte Actium & Epactium eundem deum cognominatum tradit.Callimachus apud Hyginum,de Argo,in finibus Magneſiæ ad Actij Apollinis templum,quod Argonautæ proficiſcentes ſtatuiſſe exiſtemantur, Argon conſtructam fuiſſe dixit.Legimus, cùm Apollini Actio celebritas ageretur,id miraculi contingere ſolitum,vt cùm Leucadij bouem immolaſſent, muſcæ eo ſanguine diſtentæ omnes euanuerunt. Tum ſine muſcis deinde feſtum peragebatur. Apollonius verò,& eius interpretes,duos boues immolari dicũt: alterum Apollini Actio,alterum Apollini Embaſio. Sed memini me in lib. de Nauigijs mentionem feciſſe Apollinis Embaſij,& Epactij.Sunt qui Actium & Epactium littoralem interpretentur,ab Acta,id eſt littore,vt apud Orpheum & Apollon.in Argonauticis:vt in eo,

Ζηνὶ παρομφαίῳ καὶ ἐπακτίῳ ἀπόλλωνι.

Sed ab Actio denominatio celebris,ob victoriam Auguſti contra M. Antonium,& Cleopatram reginam. Vergilius,

Actius hæc cernens arcum tendebat Apollo. Propertius:

Actius hinc traxit Phœbus monumenta,quòd eius
Vna decem vicit miſſa ſagitta rates.

Qua Elegia totam hiſtoriam complexus eſt,quæ apud ſcriptores eſt celebratiſſima.Idem & Leucadius deus dictus eſt.Idem Propertius:

Leucadius verſas acies memorabat Apollo. Ouid.

An quæ Leucadio ſemper amata deo.

A Leucate ſcilicet promontorio,Leucadius deriuatus eſt. Dion libro 50.& Strabo lib.7.de Actio Apolline,de ludis,deq; cæteris copioſe agunt.ſed & libro decimo,deq; Leucadio Apolline.Ex his,vt puto,verſus in 13. Metamorph.Ouidij intelliges,qui exiſtimantur difficillimi.

Præter erant vecti certatam lite deorum
Ambraciam,verſiq; vident ſub imagine ſaxi,
Iudicis,Actiaco quæ nunc ab Apolline nota eſt,

Per

Per ἀντίληψιν enim hanc hiſtoriam poeta exprimit: Lite deorum, inquã, quoniam ex parte Auguſti dei Romani, & Apollo in primis: Antonij verò & Cleopatræ, dei Aegyptij, Anubis, Oſiris, Iſis. Sed quod Aeneas in Ambraciam & ea loca peruenerit, copioſe deſcribit Dionyſ. Alicarn. Iudicis verò, quia iuſtam Apollo Auguſto cauſam iudicauit. atq; ideo nota ab Actiaco Apolline. vel Indicis, nam & ſic legitur, totúmq; hoc ſcriptũ à poeta ingenioſiſſimo in Aug. gratiam, quomodo & à Vergil. ſæpe.

Theoxenius Apollo vocatus, hoc eſt hoſpitalis deus, à Pellenenſibus in Achaia, apud quos eius dei templum fuit, ad quod certamen nomine Theoxenia celebrabatur, victoriæ cuius præmium argentum fuit, vt Pauſanias docet. Pindari tamen interpretes in Olymp. non argentum, ſed χλαίνας ſcribunt (genus id veſtis, παρὰ τὸ χλαίνειν, id eſt calefacere, teſte Polluce) Inſtituta Theoxenia à Caſtore & Polluce, ijdem interpretes alibi aſſerunt, à deorum hoſpitio & commercio vocata. de Theoxenio & Strabo meminit.

Hyſius Apollo dictus ab Hyſia Bœotiæ ciuitate. in huius templo puteus fuiſſe fertur, ex quo aqua epota ſacerdos veriſſima reſponſa reddebat: vt de Clario iam dictum eſt.

Phaethon etiam aliquando, non modò pro Eridano, id eſt Solis filio capitur, ſed etiam pro ipſo Sole: vt, ἥλιος φαέθων apud Homerum, alióſq; poetas. vnde & Phaethontiades filiæ, vel ſorores Phaethontis. Quod nomen etſi triſſyllabũ eſt per regulam, nonnunquam tamen & biſſyllabum inuenimus: id quod & antè alij annotauêre, atq; ideo nunc ab exemplis ſuperſedeo.

Parrhaſius Apollo, qui & Epicurius, in Arcadia & cultus & cognominatus fuit, cuius templum in monte Lycæo ad orientem poſitum fuiſſe legimus, qui & Pythias dicebatur: cui quidem deo quotannis agnum in foro mactabant, feſtum diem celebrantes, appellabántq; propterea deum auxiliarem ac propitiũ, hoc eſt Græcè ἐπικούριον. cúmq; victimam mactaſſent, actutum cum pompa in templum deferebant Apollinis Parrhaſij, ſacri miſſionem facientes. Plura Pauſanias in Arcadicis. Epicurij verò fanum in Baſſe villa fuit Arcadica: ſic cognominati, quòd populis illis auxiliatus fuiſſet in auertenda peſte, quemadmodum apud Athenienſes in bello Peloponneſiaco Alexicacus: Pauſanias.

Agyieus Apollo, qui & Agyiates vocatus eſt, teſte Stephano. à vijs cognomentum deductum eſt: quippe ἄγυια, à qua voce ἀγυιεὺς deflectitur, viam & vicũ ſignificat, vt Græci ſcribunt grammatici, & apud noſtros Macrobius. Idem etiam Phurnutus, qui ait, quòd vias illuminet, vbi ille erigebatur. Hinc per cõtrarium illud dicitur:

Sol ceciditq́ue, vmbratæ omnes ſunt vndique agyiæ.

Sophocles in Hermione, ἀγυιεὺς pro locali nomine accipit, non pro deo. Sũt item loca in vrbibus, deambulationibus apta, quæ agyiea dicuntur, vt Stephanus obſeruat. Scribit Pauſan. in Arcad. Agyieo Apollini Tegeæates ſimulachra erexiſſe, cùm Apollo & Diana orbem circumirent, vt eos vlciſcerentur, qui matrem Latonam vterum ferentem non recepiſſent: & reliqua, quæ multa ſcribit. Apud Latinos meminit Agyiei Horat. lib. 4. Carminum:

Phœbe, qui Xantho lauis amne crines,
Dauniæ defende decus camœnæ,
Læuis Agyieu.

Et vnà Acron & Porphyrion exponunt, licet admodum ambo ſint deprauati. meminit & Pollux in 9. & Suidas, & Arpocratiõ, ex quibus plura poteris excerpere. Fuerunt & ſeorſum dei Agyiei vocati, vt in Commentarijs Ariſtophanis legimus. Agyieis deis, quos ineptè quidam ſanè docti veſtibularios interpretant̃, ſi quid mõſtri apud Athenienſes nũciatũ fuiſſet, ſacra faciebant, ad ea amolienda. Eſt & alicubi apud Pauſ. legere Agyleus, niſi mẽdoſus ſit codex. Sunt & qui columnã erectã in eius dei honorẽ, Agyiea vocẽt: aras quoq; Agyiatidas.

Pataræus Apollo.Horatius lib.3.Carminum,

Qui rore puro Caſtaliæ lauit
Crines ſolutos,qui Lyciæ tenet
Dumeta,natalemq́; ſyluam,
Delius & Patareus Apollo.

Vbi notandum,ab Horatio παταρεὺς triſyllabum proferri, non quadriſyllabum.De hoc ſic Mela Pomp.in primo,de Lycia agens:Atque, inquit,vt multa oppida,ſic præter Pataram non illuſtria.Illam nobilem facit delubrum Apollinis,quondam opibus & oraculi fide Delphico ſimile.Salaciam puellam ex Ophionide ferre ſacra Apollini Pataræo,ſcribit apud Stephanum Alexāder: quæ & qualia,apud ipſum lege.Scribit Seruius quarto Aen.lib.conſtare, Apollinem ſex menſibus hyemalibus apud Pataram Lyciæ dare reſponſa, vnde Patareus Apollo dicitur:& ſex æſtiuis apud Delum.Hinc illud Vergilij: Qualis vbi hybernam Lyciam, Xantiq́ fluenta Deſerit,ac Delum maternam inuiſit Apollo.

Myricæus Apollo cognominatus.fuit verò in Leſbo Apollo, ramos tenens myricæ:vnde deductum deo cognomen,qui & Myricinus dictus eſt.Scribit Archæus,viſum fuiſſe in ſomnis deum Apollinem cum myricæ ramo.Myricam verò vetuſtiſſimam eſſe plantam,illud ſatis declarat,quòd in Aegyptij Iouis pompa,corona myricea coronabantur.plura quidem hac de re leges, deq́ oraculis per myricæ ramos,in commentarijs in Theriaca Nicandri, & apud Picum noſtrum in hymnorum commentarijs.de Myrino Apolline in Grynæo dictum.In Myrenſi quoq́ ſinu Lyciæ Apollinis templum fuiſſe,prodit Aelianus,ad cuius ſacerdotem vitulinas carnes diſtrahentem,orphi piſces adnatare ſolebant, tanquam conuiuæ ad epulas inuitati.

Amycleus Apollo dictus eſt,vt Polybius & Strabo ſcribunt. Polybius quidem lib.quinto hiſt. Amyclæ,hic(inquit)locus eſt in agro Spartano, omni arborum ac frugum genere refertiſſimus,diſtatq́ à Lacedæmone ad XX ſtadia, vbi eſt Apollinis templum,inter cætera eius regionis templa opere diuitijsq́ præcipuum,ſitum in ea vrbis parte,quæ mare aſpicit.& hæc quidem Polybius. Meminit verò in octauo Strabo,& Thucydides lib.5.vbi ſocietas inter Athenienſes & Lacedæmonios initur,Lacedæmonijs Athenas euntibus ſub Dionyſia, Athenienſibus Lacedæmona ſub Hyacinthia:erecto apud vtroſq́ ſaxeo titulo, vno quidem Lacedæmone iuxta Apollinem in Amyclæo. ſed & Athenæus id ſcribit,quòd cùm Lacedæmonij Apollinis Amyclei ſimulachrum inaurare vellent,nec per ea tempora aurum in Græcia inueniretur,oraculum Apollinis conſuluêre,quid facto opus foret:reſpondiſſe ferunt,vt ad Crœſum in Lydiam proficiſcerentur.& quòd Hieron Syracuſarum tyrannus, nec ex Sicilia & Italia & Græcia potuerit habere,vt tripodem Delphico Apollini conſecraret.fuit adeò per ea tempora auri penuria,vt & Romani ægrè ex mulierum ornamentis aliquando vota perſoluere poſſent,vt Val.& Plut.aliiq́ teſtantur.

Κύτινος,Cytinus etiam cognominatus eſt Apollo,vt legimus in commentarijs in Theriaca Nicandri.cuius templum fuit in monte Rheſcyntho Thraciæ:à quo Iuno Rheſcynthia,vt ſuo loco meminimus.Quoniam verò κύτινοι, vt notū eſt,primi ſunt flores qui decidunt ex malo punica,inde videtur dei nomen eſſe deductum.

Cynnius quoq́ vocatus Apollo apud Heſychium,vnde & Cynnidæ genus Athenis,ex quo ſacerdos Apollinis Cynnij creabatur.

Daphnæus Apollo cognominatus,quaſi tu Laureus latinè dicas:vel vt alicubi apud noſtros legis, Lauriger.Daphnæi Apollinis templum Antiochus, Epiphanes dictus,rex ſtruxit,vt Marcellinus libro hiſtoriæ XXII.tradit. Arſit verò Iuliani Cæſaris tempore. Apollinis item Daphnæi mentio eſt in primo Græcorum epigrammaton,vbi Thetis Telephum alloquitur.Eius etiam mentio eſt ſi rectè recordor,in Tripartitæ hiſtoriæ ſcriptoribus. Fuit & Daphnites Apollo,à

lo, à Syracuſanis ſic appellatus, vt ſcribit Heſychius. Ariſtophanes verò δαφνοπόλια vocauit.

Corypæus, id eſt κορυπαῖος Apollo, ſic à Nicandro cognominatus in Theriacis. de myrica enim agens, ait:

> ᾗ αἰὲν Ἀπόλλων μαντείας κορυπαῖος ἐθήκατο καὶ θέμιν ἀνδρῶν.

Quo loco Græci expoſitores multa de myrica, déque eius vaticinijs, oraculiſque quorum nonnulla in Myricæo Apolline paulò ſuprà recitauimus, tum & hoc ſubinferunt: Corype verò Theſſaliæ ciuitas, vnde Corypæus Theſſalicus. Sed & hoc loco Nicandri, alij legunt ὀρόπιος. nam Oropea ciuitas eſt Bœotiæ, quo in loco notabiliſſimum fuit Apollinis ſacrarium, vt ibidem notant expoſitores. Stephanus verò (ſi non potius Hermolaus grammaticus Conſtantinopolitanus, qui Stephani Epitomen confecit) locum hunc Nicandri nonnihil euariãs, citat & interpretatur ex Theone, Plutarcho, & Phalereo Demetrio, expoſitoribus: Nicander, inquit, Oropæon Apollinem, ignorat autem quòd Amphiarai templum eſt Apollinis: Oropæon verò, ab Orope legit. Orope, inquit, Eubœę ciuitas, vbi Apollinis notabiliſſimum ſacrarium. Prius tamen idem ſcripſerat, Coropen vrbem eſſe Theſſaliæ, vnde eſſet Coropæus ciuis, & Apollo Coropęus. Sanè & κόρυνθος Apollo legitur, vt in Pauſaniæ Attica, quem Verticoſum interpretatus eſt Domitius.

Hylata Apollo, ab vrbe Cypri Hyla cognomen accepit, cuius Lycophron & interpres meminêre: à qua ciues Hylatæ, & inde Apollo: qui & Tembrius quoque dicitur, quod coleretur in eiuſdem inſulæ oppido Tembro. quod & Hermolaus in Plin. Natur. hiſtor. lib. V. annotauit. hi ſunt verſus Dionyſij ex III Baſſaricon, vt apud Stephanum lego in ἐρυθεία, quæ eſt vrbs Cypri,

> οἵ τ' ἔχον ὑλάταο θεοῦ ἕδος ἀπόλλωνος
> τέμβρον, ἐρυθείαν τε, καὶ εἰναλίην ἀμαμασσόν. hoc eſt,

Quique tenent Hylatæ dei ſedem Apollinis Tembron, Eryſtheánque, & maritimam Amamaſſon. Meminit Hylatæ Apollinis in eiſdem nominibus locorum & Stephanus.

Tegyreius Apollo etiam cognominatus. Stephanus, Tegyran ait Bœotiæ ciuitatem, in qua aiunt Apollinem natum fuiſſe. nam & Semus Delius de Apollinis natiuitate inquit: Alij quidẽ in Lycia fuiſſe, alij in Delo, alij in Soſtere Atticę, alij porrò in Tegyra Bœotię, vnde Tegyreius Apollo cognominatus. Meminit & Calliſthenes in III Hellanicôn. Sanè à Tegyra, Tegyræus deriuatur, & Tegyrius, & Ionicè Tegyreius. Plut. verò in vita Pelopidæ de Apolline Tegyręo, déque eius tẽplo mirãda ſcribit, & de Delo mõte ibidẽ propinquo, ac de oliua & palma: quã de re tota in iuuenili quadã annotatiõe alias meini plura collegiſſe.

βοηδρόμιος, Boedromius Apollo ab Athenienſib. cultus fuit, vt Gręci grãmatici tradũt. nam cùm bellũ inter Athenieſes comparatũ eſſet, Ion Eleuſinius eis opẽ tulit, ob cognationẽ. inde victores facti Athenienſes, de voce currentis exercitus ad vrbẽ, Apollinẽ βοηδρόμιον dixerunt, & ſolennitatẽ βοηδρόμια, & menſem βοηδρομιῶνα, qua de re & in libro de Annis, menſibus & cæteris plura ſcripſimus. Suidas βοηδρόμια Athenienſiũ feſtum ſcribit, quo die Xuthus ſumma feſtinatione Athenienſib. opem tulit, cùm ab Eumolpo Neptuni vrgerentur, Athenis regnante Erechtheo. Plut. in Theſeũ retulit, cùm victoriam de Amazonibus reportaſſet. Sed enim Apollinis Boedromij & Callimachus meminit in hymno,

> *Phœbe Boedromion multi te nomine dicunt,*
> *Complures Clarium, tibi multum eſt vndique nomen:*
> *Aſt ego Carneum patrio te more vocabo.* hoc eſt, ſi Græcè mauis,
> ὦ πόλλων, πολλοί σε βοηδρόμιον καλέουσι,
> πολλοὶ δὲ κλάριον. πάντη δέ τοι οὔνομα πουλύ,
> αὐτὰρ ἐγὼ καρνεῖον, ἐμοὶ πατρώιον. &c. quæ de Carneis ſubdit.

μεταγειτνιῶν, & μεταγείτνιος Apollo, itidem cultus & nuncupatus ab Athenienſibus,

enſibus,cuius & celebritas μεταγείτνια vocitata celebratur, & ſecundus ab eis menſis dictus Metagetnion,qua de re Hyperides in oratione quæ pro Xenippo dicta eſt.idem ſcripſit & Lyſimachides,in libro de Athenienſium menſibus: item Plut.in libello de exilio.Sed & Val.Arpocration,& Suidas,& nos ab eis de Annis & menſibus,&c.

Abæus Apollo cognominatus ab vrbe Phocidis Abæ,vbi templum fuit Apollinis,in quo dabantur oracula,priuſquàm in Delphis darentur, vt Stephanus ſcribit.Huius templi meminit & Pauſanias in Phocaicis:Abæ,inquit, vrbs dicta,ab Abante Lyncei & Hypermeſtræ filio nuncupata, quæ Apollini dicata fuit.erat in ea vetuſtiſſimum Apollinis oraculum, quod ab exercitu Xerſis conflagratum eſt.

Litheſius,Λιθήσιος Apollo,in Litho Maleæ conſtitutus,vt Rhianus in tertio Iliacôn.meminêre Suidas & Stephanus.

Geruntius Apollo apud Thracas , de quo T.Liuius libro octauo quartæ Dec.Eo die,inquit,ad Hebrum fluuium peruentum,inde Aeniorum fines,prę ter Apollinis,Geruntium quem vocant incolæ,templum ſuperant.

Telchinius Apollo cognominatus,teſte Diodoro,à Telchinijs Rhodi habitatoribus,qui cũ Calphurnia Oceani filia nutriuiſſe feruntur Neptunũ, à Rhea illis alendum datum,clam Saturno.Fuerunt autem Telchines,licet de ipſis alibi copioſius,artium nõnullarum artifices,& inuentores peritiſſimi. nam & ipſi deorum ſtatuas excogitarunt,quæ & ab eorum nomine Telchines vocabant: vti fuit apud Lindios Apollo Telchinius,apud Ialyſios Iuno & nymphę Telchiniæ,item apud Camirænos Iuno Telchinia.Pauſan.in Bœot.

Καρνεῖος,Carneus Apollo,cuius crebra mentio apud auctores.Huic deo Carnea celebritas,nõ modò apud Lacedæmonios peragebatur,ſed tota fermè Gręcia,& alibi quoque gentium,vt Pindarus in Pyth.oſtendit, & elegantiſſimè in hymno ad Apollinem Callimachus.De Carnijs ſacris Athenæus in quarto ex Demetrio Sceptio plura perſcribit,morémque in eis ſeruatum.Ab hac celebritate,vel à deo potius,modos Carneos nuncupatos exiſtimo: quibus delectatum Timotheum Mileſium,in hiſtoria Lyricorum poetarum ſcripſimus: quod & in Laconicis Apophth.Plutarchus.Pauſanias etiam Terpandrum ſcribit,ex Hellanici ſententia,primum omnium Carnea viciſſe.Sanè Carneum Apollinẽ quidam à Carno genere ex Acarnania,vocatum exiſtimant: alij à Carno Iouis & Europes filio,quod Praxilla poetria ſcripſit,& Heſychius recitat,qui ab Apolline & Latona fuerit educatus.quidam à Carno vate denominatum putant,qui vnus ex Heraclidis fuerit:ex cuius nece peſtilentia concepta ſedari non potuit, niſi Carnea Apollini inſtituerentur.Plura Pauſanias. Sunt qui ideo Carneum Apollinem vocitatum autument,quòd cùm in Ida Græci cornum arborem ſuccidiſſent,quam κρανέας illi vocant,ex luco Apollinis,ad equum fabricandum, deum ea in re iratum,& nominatum Carneum,literę vnius inuerſione.lege Pauſaniam in Laconicis,& quem dixi Callimachi hymnũ,& in eum ſcholia. Hinc etiam Carneatæ deducti,qui tenera ætate per ſortem eligebantur, ad hæc ipſa ſacra miniſtranda.auctor eſt Heſychius.Porrò Carnia,ſeu Carnea,nouem dieb. celebrabantur:& militaris cuiuſdam conuictus ſpeciem præ ſe ferebant.ſub ten torijs enim,quæ σκιάδια,id eſt vmbracula dicebantur,nouem in ſingulo quoque vmbraculo deſcribebant à trinis delecti tribubus,ibíque facilis ac ſine lauticia,militaris in modum,conuictus fuit,atque omnis ſub quodam modo imperio,vt in caſtris mos fieri,erat.

Myſtes Apollo cognominatus à populis Lydiæ,de quo hæc fermè Artemidorus Epheſius,qui ſe Daldianum vocari maluit, in lib. ſecundi calce Onirocriticon.Ne quid ergo mirum ſit,Apollinem in Daldia, quem ipſi patria voce Myſten nuncupamus. Sanè hoc nomine Græci ſacerdotem vocant.

Genitoris,id eſt γενέτορος Apollinis ara Deli fuit,de qua Cloatius Verus Ordinato-

dinatorum libro ſecundo,& Cenſorinus in lib.de Die natali,ſcribunt, quòd apud eam hoſtia nulla cæderetur,ſed tantùm ſolenni die prece eum venerabantur.idem tradit & Timæus.Verba verò Cloatij hæc ſunt:Deli ara eſt Apollinis γενήτορος,in qua nullum animal ſacrificatur:quamPythagoram velut inuiolatam adoraſſe produnt.id pluribus Laertius atteſtatur.De hac ara Vergilium intellexiſſe exiſtimat Macrobius,cùm cecinit,Da pater augurium.Meminit & huius aræ M.Cato de Liberis educandis,in hæc verba:Nutrix hæc omnia faciebat in verbenis ac tubis,ſine hoſtijs,vt Deli ad Apollinis Genitiui aram.vbi Genitiui vocabulum notandum eſt.

Ἀκερσεκόμης,id eſt intonſus Apollo dictus fuit,vt Pollux in ſecundo de tonſoribus,& Philoſtratus in Heroicis.At Heſychius,ἀκερσεκόμης,inquit,ὁ ἄκαρτος (nõ vt paſſim in vulgatis exemplaribus legitur,ἄκαρπος)id eſt,intonſus comas. ex quo indicatur τὸ ἀπενθὲς,quòd minimè lugubris ſit:& propterea Phœbus Apollo dicitur,quòd ab omni πάθους & affectu purus ſit.Hæc Heſychius.hoc verò cógnomine Homerus,& Orpheus,aliíq; poetæ appellant Apollinem. Pindarus etiam ἀκερσοκόμης,παρὰ τὸ α καὶ κείρω κόμης,quòd non tondeat comas:noſtri ideo Intonſum vocant.Propert.in 3,

Dum petit intonſi Pythia regna dei.

ἀκερσοκόμαν etiam Phurnutus appellat.Latinorum quidam interpretum exiſtimant,illud apud Iuuenalem in 8,

Si nemo tribunal Vendit Acerſecomes:

accipi pro puero intonſo & comato,qui in delicijs haberetur.

Eutreſites,Εὐτρησίτης Apollo cognominatus fuit,cuius fanum & oraculũ valde illuſtre Stephanus commemorat:dictus verò à pago Eutreſi,cuius & Homerus meminit.erat autem propter viam quæ ducebat ex Theſpijs Platæas, quam conſtruxerat Zethus & Amphion.vocata verò Eutreſis,proptérea quòd multis τρύμαις ante eam vterentur.meminit & Strabo in 9.

Acræphius Apollo nominatus,vt Stephanus teſtatur,ab Acræphia Bœotiæ vrbe,quæ & Acræphion neutro genere à Strabone & Pauſania effertur, quam Athamas condidit:vel vt alij tradunt,Acræpheus,filius Apollinis,& mons,vocatus à Ptoo,filio ipſius & Euxippes:vel dictus,quoniam Latona ibi dum vellet parere,ἐπτόησε,id eſt pertimuit,vt ſuprà copioſius relatum eſt ex Iſaacio, in Ptoo Apolline.

Halei Apollinis templum in Italia,iuxta Crotonam,conſtruxit Philoctetes, erroribus ſuis finem ſtatuens.in eo arcum & ſagittas depoſuit.

Ἐμβάσιος,& ἐκβάσιος, Apollinis cognomina: hoc eſt,Inſcendens,& deſcendens nauim.Apollinem docuimus in noſtro de Nauigijs, diuerſis cognominibus ex re nautica à veteribus nuncupatum fuiſſe. Nam ἐμβάσιος dictus eſt,ab ingreſſu nauis:cui Iaſon cùm Argò nauem eſſet conſcenſurus,rem ſacram fecit, vt pluribus in primo docet Apollonius.Eidem quoq; cùm è naui exirent,ſacrificabant:qua ex re ἐκβάσιος,hoc eſt egrediens eſt nuncupatus,vt idem docet Apollonius.Deilochus tamen non Ecbaſium,ſed Iaſonium vocauit.Socrates verò his cognominibus Cyzicenum Apollinem vocatum ſcribit.De littorali quidem,id eſt Actio & Epactio,antè iam ſcripſimus.vocabatur & Epibaterius, vt antè docuimus.

Comæus Apollo,vel vt alij ſcribunt,Cumæus,colebatur in vrbe Seleucia,de quo ſic Ammianus Marcellinus libro XXIII.hiſtoriæ ſuæ:Poſt hanc (inquit) Seleucia,ambitioſum opus Nicanoris Seleuci,quæ per duces Veri Cæſaris, vt antè retulimus,expulſa,auulſum ſedibus ſimulachrum Comæi Apollinis, perlatumqúe Romam in æde Apollinis Palatini deorum antiſtites collocarunt. Fertur autem,quòd poſt direptum hoc idem figmentum incenſa ciuitate, milites fanum ſcrutantes,inuenêre foramen anguſtum, quo reſerato vt precioſum aliquid inuenirent, ex adyto quodam concluſo à Chaldæorum arcanis labes

primor-

primordialis exiluit,quæ inſanabilium vi concepta morborum eiuſdem Seueri Marci Ant.temporibus,ab ipſis Perſarum finibus ad vſq; Rhenũ, per Gallias, cuncta contagijs polluebat,& mortibus.hæc ille:cuius verba,vt res ipſa, monſtroſa mihi videntur.Comæi Apollinis meminit Athenæus in libro Dipnoſophiſton.Sedenim quoq; ſcribit Bapt.Leo Albertus,ex Iulij Capitolini hiſtorici ſententia,apud Babyloniam in Apollinis templo arculam inuentam aureã peruetuſtam,ex qua aer corruptus incluſus,cùm ea infringeretur, ſeſe effudit: qui non ſolum præſentes interemit,ſed etiam finitimas regiones contagio infecit. Porrò & Cumęus,vel Cumanus Apollo commemoratur à D.Auguſtino,libro tertio de Ciuitate dei:Neque enim,inquit,Apollo ille Cumanus,cùm aduerſus Achæos,regémq; Ariſtonicum à Romanis bellaretur,quatriduò fleuiſſe nunciatus eſt.reliquum hiſtoriæ ipſe Auguſtinus proſequitur.Iul.Obſequens in libro de Prodigijs,huius Apollinis flentis meminit,ſed non cognominis: Apollinis, inquit,ſimulachrum lachrymauit per quatriduum. de horum vtro intellexerit T.Liuius libro octauo quartæ Dec. non ſatis adhuc decreui. ſic enim ſcribit: Tranſgreſſi Mæandrum,ad Hieran Comen peruenerunt.Fanum ibi auguſtum Apollinis,& oraculũ,ſortes autẽ verſib.haud inconditis dare vates dicũtur,&c.

Themenites Apollo etiã cognominatus.Sueton.Tranquillus de ſignis mortis Tiberij Cæſ.Supremo natali ſuo Apollinem Themenitem, & amplitudinis & artis eximiæ aduectum Syracuſis,vt in bibliotheca noui templi poneretur,viderat per quietem,affirmantem ſibi,non poſſe ſe ab ipſo dedicari. quo in loco interpretes,viri doctiſſimi,alter Temenitem ſine afflatu,à τέμενος,id eſt luco deriuat,vel à loco:alter amplius,à fonte agri Syracuſani Temenite,cuius meminit Plin. Mox idem,quoniam M.Cicero in Verrem,in oratione pro ſignis, Apollinis Themitis meminit,ſententiam mutare videtur,& Temenitem in Themiten mutat; atque à Themi deflectit. Ego aliud nihil habeo. Illud tantùm dixerim,Thucydid.lib.7.montis verticem Temeniten vocare Syracuſis,in quem Gylippus copias abduxit.Porrò Cicer.exemplaria V I. in Verrem actione variant.quædam Theſmoten habent,alia Tenniten Apollinem.ego in tanta varietate, Temeniten potius lego.Sed enim Apollinem præterea comperi cognominatum Teneaten,à vico Corinthio,vt eſt apud Strabonẽ. Sed & Themaniten dicimus,à loco Chaldęæ in ſacra hiſtoria.

Gergithius Apollo appellatus eſt,teſte Stephano, à Gergitho Troiæ vrbe, quæ & Gergis Gergithos in genitiuo dicitur,& hæc Gergithos,ti. Ex hac fuit Sibylla,quæ oracula reddebat:quam & Gergithij in ſuis nomiſmatibus inprimebant vnà cum ſphinge,vt Phlegon in primo Olympiadon. In templo verò Apollinis Gergithij,huius Sibyllæ tradunt fuiſſe ſepulchrum.huius etiam in Sibyllis memini.

Hyacinthides,Apollinis cognomentum,ab Hyacintho,cuius eſt fabula notiſſima:vnde & Hyacinthia feſta,cùm apud alias gentes, tum præcipuè apud Lacedæmonios:vt Ouidius,Heſychius,Phauorinus,alij,ſunt auctores.

Cous Apollo,cuius templum & lucum celebrat Dion lib.hiſt. L I: ait enim, Turulium,cùm arbores Apollinis Coi incidere feciſſet,vt naues fabricaret, ab Auguſto iuſſum necari. Atqui Dion hoc loci non Apollinis,ſed Aeſculapij nomen habet.

Thymbręus Apollo,vt Strabo lib. X I I I. ſcribit,dictus eſt à Thymbra cãpo, qui Troiæ proximus fuit: & Thymbræus fluuius,qui per eum fluit,in Scamandrum immittens,propè Apollinis Thymbręi templum, L ſtadijs diſtabat. Vergilius:Da propriam Thymbręe domũ.Statius ad Apollinem,Seu Troiã Thymbręus habes.quibus in locis grammatici,Seruius & Lactantius, hic in primo Theb.ille in tertio Aeneid.tradunt,Thymbręus Apollo dicit ab agro Troiæ vicino,pleno thymbrę herbę,in q̃ eius eſt nemus & templũ,vbi à Paride Achilles occiſus eſt,vnde fingit manu Apollin.vulneratus.Ergo Thymbręus,vt Delius,

dicitur.

dicitur. Nam numina à locis frequenter nomen accipiunt. Sanè quia Græcè θύμβρα facit, in deriuatione α in diphthongum ſæpius mutat: vt Aetne Aetnæus, Dirce Dircæus. hæc Seruius. Sed & quidam Thymbræum dictum arbitrantur, quaſi θεὶς τὰ ὄμβρα, hoc eſt ponens pluuias. Sed enim Heſychius etiam Thymbracum appellare videtur. ait enim: Thymbra locus eſt Ilij, propter Thymbram fluuium, ſic nuncupatum, ab antiqua vrbe diſtantem ſtadijs x, vbi & Apollinis Thymbraci templum: niſi mendoſe potius, vt ſexcenta in eo auctore, legatur Thymbraci pro Thymbræi. Apud Feſtum etiam male montem Thymbræum pro campo legitur. Sanè & in eadem Troiæ regione, hoc eſt in Pergamo. Apollo colebatur: vbi & templum ipſius, quod vel celebre fuiſſe innuit poeta Homerus libro Iliad. 5. in quod (inquit) vulneratus à Diomede Aeneas ab Apolline delatus, ſanitati reſtitutus à Latona & Diana.

Τυρβηνὸς etiam Apollinis cognomen apud Heſychium. putauerim ego, quòd Elei τύρβηνιν aera vocant: vtcunq; certi nihil præterea habeo.

Aphetor, hoc eſt ἀφήτωρ Apollo nuncupatus, quaſi emiſſor, vt Heſychius teſtatur: ab emittendis & edendis oraculis, vel ſagittis & radijs. vtrinq; enim conuenit. Strabo quoq; in nono meminit, etiam Homeri verſus afferens. & Aelianus lib. VI. de Theſauro à Delphis quæſito in Pythone, afferẽs hos Homeri verſus:

Nec quot marmoreis Pytho petroſa recludit
Sedibus, excelſas habitat quas Phœbus Aphetor.

Porrò etiam ἄφετοι dicũtur deo dicati, vt γυναῖκες ἄφετοι: & ἄφετοι κόραι, quæ ſacratæ deis, vt noſtræ moniales. ſic & Athenæus vocare videtur animalia ſacra, quæ paſſim vagantur, vt hodie Antonianæ ſues.

Enholmos Apollo cùm ab alijs, tum à Sophocle appellatus eſt: vnde et vates Enholmides vocantur. Holmos inter multa quæ ſignificat apud Græcos, tripus eſt, & locus vbi Pythia vaticinabatur. plura in prouerbio, ἐν ὅλμῳ.

Grynæus Apollo celebratiſſimus, de quo ſic Strabo lib. 13. Grynęum, inquit, Myrineorum oppidum, & Apollinis fanum, & peruetuſtum oraculum & templum, candido lapide ſumptuoſum. Hinc videtur Myrinus, vel Murinus appellari Apollo à Martiale, qui eſt Grynæus:

Campis diues Apollo ſit Murinis.

Etſi alij de Smintheo intelligunt. nam y verti in u apud antiquos, notiſſimũ eſt. Plinius libro trigeſimo ſecundo: Nam in Lyciæ Myris fonte Apollinis, quẽ Dium appellant, ter fiſtula euocati veniunt ad augurium. quin Ethicus noſter Murinos populos in ſexto vltra Taurum montem commemorat. de Grynæo verò Vergilius,

His tibi Grynæo nemorum dicatur origo. item in Aeneid. quarto:
Sed nunc Italiam magnam Grynæus Apollo.

Vbi Seruius, non oppidum, ſed nemus Grynæum vocat. ait enim: Iuxta Clazomenas nemus eſt Grynæum, vbi Apollo colebat̃. Stephanus verò: γρύνοι, ait, oppidum Myrenæorum, vbi & fanum Apollinis, & vetuſtum oraculum, ſumptuoſum albo lapide, in quo colitur. Hecatæus verò vrbem Grynæam vocat, vnde gentile Grynæus. Dicitur & γρύνειος, & γρύνιος ἀπόλλων, vt Parthenius ait in Delo. Dicimus etiam Ionicè γρυνήιος, &c. Orpheus in hymno, quem illi cum ſuffimento mannæ thuris concinuit, Grynium ait:

Grynie te Sminthen, Pythoctone, Delphice Vates.

Pauſan. etiam in Attica, vbi de thoracibus linteis, quibus in venationibus leonum & pardorum dentes franguntur, multa diceret: Huius generis, inquit, cùm alibi θωρήκων τῶν λινῶν multos videas, tum in Grynæo, vbi Apollinis nemus pulcherrimum arboribus ſylueſtribus & ſatiuis, & earum omnium, cùm fructiferæ non ſint, aut odore delectant, aut aſpectu. Grynæi meminit & Athenæus.

Παρνόπιος, id eſt culiciarius Apollo, vt Domitius exponit, colebatur: cuius ſimulachrum ad Phidiæ opera refertur. Ideò verò appellatus, quoniam infeſtos olim agro πάρνοπας, id eſt culices propulſauerit. quo autem pacto abegerit, non eſt quod ſciam literis proditum. auctor in Attica Pauſanias. Sunt qui πάρνοπας locuſtas interpretentur.

Philalexander Apollo, ab Alexandro cognominatus. Nam vt Diodorus Siculus ſcribit, cùm Apollini catenas aureas & compedes à Tyrijs iniectas Alexander detraxiſſet, Philalexandrum vocari voluit, poſt Tyri direptionem. Pluribus idem Diodorus hiſtoriam explicat.

Argyrotoxus Apollo vocatus ab argenteo & ſplendido arcu, quo Pythonẽ ſerpentem confecit. vel à ſagittis, quippe τόξος vtrunque ſignificat, vt alibi docui. vel ſic dictus, quòd Sol cùm ſit, per ſummum orbis ambitum diſcurrens, velut arcus quidam, qui Græcè τόξος dicitur, figuratur alba & argenti ſpecie. Sed & ἀργύρους aliquando pro pulchro Græci capiunt, vt alibi notauimus. Quin & Pindarus ἀργυρόπεζαν ἀφροδίτην ideo in Pythijs vocauit, & Pollux Thetin, vt ſuo loco eſt oſtenſum. Argyrotoxi Apollinis & Macrobius meminit. Heſychius etiã ait, τοὺς μὲν ἄκρον ἰόντα ἐτ' ἀργυρότοξος ἀπόλλων. Dicitur idem & χρυσότοξος, hoc eſt aureum ferens arcum: & κλυτότοξος, hoc eſt inclitus arcu, quo crebrò vſus eſt Homerus, & alij.

Arcitenens à Latinis aliquando dictus. Ouidius,

Hunc deus Arcitenens, & nunquam talibus armis, &c.

in primo Metamorph. de Pythone. hunc Græci dicunt τοξοφόρους.

Auricomum Apollinem Latini vocant, χρυσοκόμην Græci, propter Solis radios, vt ait Phurnutus: vtque legimus apud Orpheum & Homerum, & alios. Vocatur & eadem ratione χρυσοχαίτης. Dicitur & à noſtris crinitus, vt Cicero in Academ. Intendit crinitus Apollo arcum. Pindarus in Pyth. χαίτηεις, quaſi iubatus & comoſus. Repete ea quæ dicta ſunt in Acerſecome.

χρυσάωρ Apollo dictus, quòd enſem ferat aureũ, vt ego interpretor, propter radios aureos Solis, Orph. in Argon. de Bute, ἴκελος χρυσάορι φοίβῳ. id eſt, ſimilis Chryſaori Phœbo. Heſiodus,

φοῖβον ἀπόλλωνα χρυσάορον, ὃν τίκε λητώ. hoc eſt,

Latona hunc Phœbum Chryſaoron edidit alma.

Vtitur & Homerus.

Leſchecorius, λεσχηνόριος Apollo. λέσχη, nugæ & ſermones dicuntur: hinc Apollo cognominatus, cùm in coronas viri ad fabulas eunt. Vide Suidam.

Λεσχηνορίους ἀπόλλωνα etiam vocatum ait Phurnutus, propterea quòd interdiu nugæ fiant, & inuicem homines ſermocinentur, noctu verò quieſcant. λέσχη enim nugas ſignificant.

Orcheſtes Apollo à ſaltatione nuncupatus, à Pindaro. Idem etiam innuitur in hymnis Homeri. Quin etiam eadem ratione ab Orpheo in hymno χοροποιὸς vocatur.

Phyxius Apollo cognominatus, de quo Philoſtratus in Palamedis imagine: quem fugæ præſidem exiſtimabant veteres, eique rem ſacram faciebant. Commẽtatores tamen Theocriti in Edyllio VII, ſuper ea verba, τοὺς ἐκ πύξας, πύξα aiunt populum eſſe Coi, vel locum ſic nominatum, ab Herculis fuga de Cois, in quo tradunt Apollinis templum fuiſſe, qui à re Phyxius. Paulò poſt ijdem ſubinferunt, à πύξα etiam πυξίους Apollinem appellari, & Pana. de Phyxio verò Ioue plura diximus ſuo loco.

Napæus Apollo dictus, vt Stephanus ſcribit, cuius hæc ſunt verba: νάπη, inquit, vrbs Lesbi. Hellanicus in ſecundo Lesbicõn, ciuis Napæus, & Apollo Napæus. Sunt & Napæi continentis. eſt & pars montis νάπη. & Napæus, qui ex eo eſt. Napæi porrò Apollinis, grammatici Latini quidam meminêre, vt Macrobius.

Telmiſ-

Telmiſſius Apollo, vt idem ſcribit Stephanus, appellatus fuit à Telmiſſo, qui ex Hyperboreis venit, & in Caria conſtitit, vbi Telmiſſij fanum Apollinis conſtruxit. Telmiſſum aliqui Apollinis filium ſcribunt, ex Themiſto Zabij Hyperboreorum regis filia: & fratrem Galeotæ, qui in Sicilia oracula obtinuit: vnde Galeotæ dicti in Sicilia, eius ſucceſſores.

ἐνθρυπτος Apollo, id eſt Intritus, vel delicioſe paratus, ab Athenienſibus nuncupatus, vt ait Heſychius, & Arpocration. ἐνθρυπτα enim bellaria dicuntur, delicioſe parata, quę in ſacris inferebantur: vnde forte Apollini nomen inditum. Vtrumque lege, qui plura docent.

Thornax Apollo dictus, & eodem nomine ipſius dei templum, vt Heſychius ſcribit. eſt autem Θόρναξ mons Laconiæ, vt in quarto Nicolaus prodidit, & Stephanus. eadem vox, teſte Heſychio, ſcabellum, ſeu ſuppedaneum denotat.

προόψιος Apollo, id eſt præuidens, vel præſagus, vt in Attica Pauſ. interpretatur Domitius.

Δεκατηφόρος Apollo, vt idem interpretatur Domitius, Decumanus Apollo, qui cognominatur, Aegyptiorum ſimulachris perſimilis fuit: vt is quem Archogeneten vocitabant, & in Aegineticis operibus videtur, ex ebeno confectis. lege Pauſ. in Attica.

Λαρισηνὸς ἀπόλλων, Lariſſenus Apollo denominatus fuit à vico Epheſi, vbi colebatur, non procul à Tmolo, in campis Cayſtri: ſicut Strabo & Stephanus tradunt. dicitur & Lariſſæus.

Polio Apollini nuncupato priſcis temporibus, ait Pauſ. in Bœot. tauros Thebani immolabant. πολιὸς verò dictus eſt canus, quòd non imberbis hoc loco fingeretur, ſed canus & capillatus.

Amazonius Apollo, ſic dictus apud Lacedæmonios, quoniam in agro Pyrrhichio Amazones contra Græcos pugnare deſierant. vnde ibi Aſtrateæ Dianæ ſacellum conſtructum fuit. Amazonij Apollinis & Pauſ. in Laconicis meminit.

Stobæus Apollo, cuius oraculum fuit apud Abas, locum Phocidis: Heſychius.

Tilphoſſius Apollo, ſic appellatus à monte & fonte, vt Strabo docet in nono. Pauſanias tamen Tilphuſam vocat, cuius aqua epota Tireſias expiraſſe proditur. Sunt & qui Telphuſium vocant. meminit & Homerus in hymnis.

Phylleus Apollo, nuncupatus à Phyllo, in terra Phthiotica: cuius fanum celebrat Strabo eodem lib. 9. Stephanus legit Phyllus Phylluntis, eam vrbem in Theſſalia reponens: & locum hunc ex hoc Strabonis libro aduocat, ſed dei nō meminit. Citat Rhianum, qui Phyllum fœminino genere dixit, lib. 9. Theſſalicorum, οἳ δ' ἀφαρ ὀπλισθέντες ἴσαν κραναὴν ποτὶ φύλλον.

Tarrhæus Apollo cognominatus eſt, teſte Stephano, ab vrbe Tarrha in Creta, nam & aliæ fuerunt hoc nomine: altera in Lydia, & alia colonia Cretenſium apud Caucaſum montem. à Cretenſi ergo vrbe & Apollo Tarrhæus dictus, & Lucius (quem & Lucillum legimus) Tarrhæus grammaticus, qui libros tres de prouerbijs optimos reliquit, & de literis, & quæ ad artem pertinent, λαφυρώπατα. Leguntur & eius quædam in Apollonium Rhodium ſcholia erudita, & valde vtilia.

Selinuntius Apollo celebratur à Strabone lib. x. illiusque oraculum.

Salganeus Apollo, teſte Stephano, nuncupatus à ciuitate Bœotica, quę poſt Chalcidem eſt, attingens Euripum, quæ Salganeus vocata fuit: cuius habitator Salganius, & Salganites, vnde Salganeus Apollo.

Muſagetes Apollo, cognominatus (ait Phurnutus) quòd Muſarum ductor coleretur, vt in Muſis diximus, & in Hercule. Orpheus in hymnis. Sed & Proclus in Plat. Muſagetes, inquit, Apollo colit, & eſt vnitas ad harmoniā in vniuerſo. Hic aūt eſt chorus Muſarū totius numeri nouenarij, ex quibus duobus,

mundus totus indiſſolubilibus vinculis colligatur:& reliqua,quæ ibi multa ſcribuntur,& in Muſis retulimus.

Marmarinus Apollo,denominatus à Marmario,quod vicinum Cariſto fuiſſe,oſtendit Strab.lib.10.Inſigne verò ibi templum habuit Apollo.

ἀλευρομαντις Apollo etiam dictus,teſte Heſychio,propterea quod & farinis, id eſt ἀλεύροις fiebant vaticinia.nam ἄλευρα frumentacea & triticea, ἄλφιτα verò hordeacea dicitur,vt eſt apud eundem.tametſi apud Galenum & Paulum confundantur.

Tragius Apollo nuncupatus,vt ait Stephanus,à Tragæa vrbe in inſula Naxo.Eupolis ſcribebat per e pſilon,ſine diphthongo,Tragea.Fuit & alia Tragea prope Cycladas,ex qua fuit Theogeton Peripateticus philoſophus, Ariſtotelis familiaris.

Ixius Apollo Rhodi cultus fuit:appellatus verò , vt ex Artemidoro ſcribit Stephan.ab Ixis Rhodi regiuncula,quæ ab Ixo portu denominata fuit.

Lathræus Apollo cognominatus,vt in decimo Strabo teſtis eſt, qui eius prope Calydonem templum celebrat.

Styracites Apollo cultus & nominatus:Styracion enim mons Cretæ fuit.inde qui eum incolunt,Styracitæ appellati ſunt:Stephan.

Illeus Apollo in Troia dicitur,ab eodem Stephano.

Aegletus Apollo cultus ab Anaphe,quæ non multum à Creta diſtat, vt Strabo auctor eſt:de quo & Apollonius lib.4. Argonaut.In ea fuit Aegleti Apollinis templum.meminit Callimachus hoc carmine,

αἰγλήτην ἀνάφην τλακωνίδι γείτονα θήρῃ.

Inuenio & Egretum alicubi nuncupatum. Phurnutus quidem Anaphæum Apollinem nominat,ſed neſcio an Aegletum intelligat,qua de re ſupra in Delio & Phanæo diſſerui.

Mantous etiam à vaticinijs Apollo nominari videtur,ſi rectè Plutarchi verba de animi tranquillitate,id eſt εὐθυμία conſideremus.

δυνάσταν Apollinem Theopompus & Heſychius vocarunt:qua voce & Latini vſi ſunt,pro præfecto regionis alicuius.hinc & Dynaſtia,ipſa præfectura.

Cataonis Apollinis Strabo ita meminit,de Melitena & Cataonum capis.Habet,ait,etiam Apollinis Cataonis delubrum,quod in tota colitur Cappadocia. Porrò Cataoniam ad extremam Tauri montis partem conſtituit Stephanus.

ἐνθρυπτος ab Athenienſibus Apollo dictus,teſte Suida.eſt verò ἔνθρυπτον cibi genus,aut placentæ aut intriti.

Cillæus Apollo,cuius Strabo nec ſemel meminit in XIII.In agro,inquit,Adramitteno eſt Chryſa & Cilla:nũc quoq; prope Thebam eſt locus quidam Cilla appellatus,in quo Cillæi Apollinis templum eſt.Hunc locum Cillæus amnis præterlabitur,ex Ida monte delatus. Idem non multò poſt: Eſt etiam Cillæus mons inter Gargara & Antandrum.teſtis eſt Daes Colonæus, apud Colonas Cillæi Apollinis templum ab Aeolibus è Græcia nauigantibus ædificatum eſſe.dicunt etiam Chryſæum Apollinem Cillæum eſſe.Non longè porrò à Cillæi Apollinis templo Cilli monumentum fuit,ingens quidam tumulus:Cillum verò Pelopis aurigam,& ducem Locrorum dicunt.

Cirrhæus etiam nuncupatus Apollo ab vrbe Cirrha,vt Strabo ait,ſub Cyrrhi rupe Delphica.Non ignoro ſecus à grammaticis tradi.Statius in octauo Theb. de Amphiarao rapto,

Hæc Tenedon Cirrhamq; dies,partuq; ligatam
Delon,& intonſi claudet penetralia Branchi.

ἥλιος,Helius,vt notiſſimum eſt,Græcis Sol vocatur, ab ἵημι, quod eat. vnde Heliades dictæ,quæ & Phaetontiades,Apollinis ſorores nymphæ. Vocatur & interdum ἀέλιος,ſed & Doricè ἀέλιος,quin & Cretenſes,vt ſcribit Heſychius, ἀβέλιον nuncupabant.Perſæ verò κῦρον Solem nuncupabant:Vnde quidam Cyrũ,

qui à

qui à cane nutritus eſt, dictum putauêre, eodem Heſychio auctore. πόλος itẽ Sol dictus, & Samaſa, ab Arabibus: Stephanus. σαώς verò Sol à Babyloniis: Heſychius. Scythæ autem Oetoſyron vocant: Herodotus & Heſychius.

Eriſatheus Apollo dictus: idem Heſychius, in Attica.

ἔναυρος Apollo, ab aura (vt videtur) deductus: Heſychius.

Caſſius Apollo à Menandro vocatus, cuius ara in comœdiæ ſcena ſtatuta fuit. Cœlius Rhod.

Aſtypalæus Apollo ab inſula, & Odryſſeus à fluuio. Strabo lib. XI. & XII.

Σείριος, Sol ab Archilocho, alij caniculam. Ibycus verò eo nomine aſtra omnia appellauit, vt Heſychius notat.

εὐρύαλος, Apollo etiam dictus, quòd latè & vbique luceat, emicétque: idem auctor Heſychius.

Σωτιάτας Apollo in Argo, à loco dictus, idem qui ſuprà: in Corintho verò nũcupatus fuit Apollo ζωτελησής. Legimus inſuper θορελίμιοις cognomentum fuiſſe Apollinis, ſed & Iouis apud Heſychium, & ἐρίσειος ἀπόλλων. Item in Mileto, θυίος ἀπόλλωνς. item θόαξος. Appellatus eſt etiam interdum ab artificibus, vt apud Pauſaniam in Attica, Dionyſiodoti. vnde mirum eſt Domitium, alioqui virum doctum, ita vertiſſe: Phlyenſes autem Myrinuſij habent aras Apollinis ductoris, Bacchi & Dianæ luciferæ. Cùm Apollinis Dionyſiodoti legendum ſit, & Dianæ Selaphoræ.

Thecmius etiam Apollo cognominatus, & in Olympia cultus, vt in Eliacis idem Pauſ. eſt auctor.

Corynthus etiam Apollo cognominatus eſt, de quo ſic Pauſ. in 4. A' Corone, inquit, ſtadia propè octoginta progreſſis, Apollinis templum in ora maritima eſt, magna religione percelebre. nam & omnium eſſe antiquiſſimum, autumant Meſſenij, & Deus ipſe (quem Corynthum Apollinem nuncupant) certam laborantibus morborum opem impertit.

Oetoſyrus Apollo vocatus à Scythis, vt Herodotus & Heſychius conſentiunt. quo magis mirum mihi viſum, Parrhaſium in poetica Horatij ſcripſiſſe, Scythas Gongoſiron Apollinem vocaſſe.

Sciallius Apollo: vide Macrobium. Soſianus, vel Suſianus, Romam aductus: Plinius.

Aperca Apollo, quòd patente cortina reſponſa præberet: Feſtus.

Sed age, Heliopolitani Apollinis ſimulachrum noſtris his nugis ex Macrobio aſcribamus: Aureum ſimulachrum, inquit, ſpecie imberbi, inſtat dextra eleuata cum flagro in aurigæ modum, læua tenet fulmen & ſpicas. Vehebatur ſimulachrum hoc ferculo, veluti deuehebantur in pompa ludorum Circenſium, deorum imagines, & ſubibant plerique prouinciæ proceres raſo capite, longi temporis caſtimonia puri: ferebántque diuino ſpiritu, non ſuo arbitrio, ſed quò deus perpellebat. conſulebant autem hunc non ſolùm præſentes, ſed abſentes, miſſis diplomatibus conſignatis: qua de re hiſtoriam de Traiano conſulente, idem affert Macrobius. Sed nos ad alios recenſendos deos properamus. Duo tamen, antequàm finiam, prius exponam: & ſolis equos videlicet & Apollinis cognomina miro artificio per capita literarum & Acroſtichia Græci alphabeti carmine, vt Bacchi etiam, conſignata. Nunc igitur equos Solis, quos illi poetæ cæterique ſcriptores aſcribunt, tibi aſſero, vt pictoribus & ſtatuariis nonnullam opem, his noſtris Syntagmatibus afferamus. Ouidius in primis, vt ab hoc exordiar, hos nominat in ſecundo Metamorphoſeos libro.

Interea volucres, Pyrois, Eous, & Aethon,
Solis equi, quartusq́ Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent.

Eoſdem & commemorat Lactantius in III commentario Theb. Dictil-

li quidem, Pyrois, qui inflectitur, vt Simois. hinc Valerius Flaccus,

Et formidantem patrios Pyroenta dolores.

ἀπὸ τοῦ πυρὸς, ab igne ſcilicet: Eous, ab ἠῶος, id eſt ab aurora: Aethon, ab αἴθω, ardeo vel curro: ab vtroq; enim declinari poteſt. Phlegon verò, à φλογὸς, id eſt flamma, quòd naribus flammas efflarę fingatur. Martialis tamen duos ſolum commemorat, his verſibus:

Quid cupidum Titana tenes? iam Xanthus & Aethon Frena volunt.

Et Xanthus dicitur quaſi flauus, à flammæ videlicet colore. Fulgetius & ipſe Solis equos his verbis cõſcribit in primo Mythologicõn: Vnde, inqt, & ipſius Solis equis condigna ſic nomina poſuerunt, id eſt, Erythræus, Actæon, Lampos, Philogeus. Erythræus Græcè rubens dicitur, quòd à matutino Sol lumine rubicundus exurgat. Actæon, ſplendidus dicitur, quòd tertiæ horæ momentis vehemens inſiſtat, & lucidior fulgeat. Lampos verò, dum ad vmbilicum diei & contra arcticum conſcenderit circulum. Philogeus Græcè terrã amans dicit, quòd hora nona procliuior vergens, occaſibus pronus incumbat. Porrò & commentator Arati Latinus, quiſquis is fuit, eoſdem cum Fulgentio commemorat, & ſimul etiam nominũ cauſas afferre niſus eſt, quas ideo apud ipſum leges: conueniunt enim adeò, vt vnus ab altero manifeſtè accepiſſe videat. Hyginus quoque in libro ſuarum fabularum cap. CLXXXIII, ſolis equos ita cõmemorat: Eous, per hunc cœlum verti ſolet: Aethiops quaſi flammeus eſt, concoquit fruges. Hi funales ſunt mares: Fœminæ, Locariæ Bronte, quæ nos tonitrua appellamus: Sterope, quæ fulgetra. Huic rei auctor eſt Eumelus Corinthius. itẽ quos Corinthius. item quos Homerus tradit, Abrax, Aſlo, Threbeeo.

Synhodus Apollo in inſcriptione marmorea Lanuuij legitur, quæ à M. Aurelio Auguſto poſita fuit.

Acroſtichia icoſipentaſticha, vt Græci dicũt, ingenioſiſſima, quæ Latinè verti non pſſunt, cuius hoc primum carmen eſt,

Ingentem Pæana cano, tua nomina, Apollo:
Ὑμνέω παιᾶνα μέγαν θεὸν Ἀπόλλωνα,
ἄβροτον, ἀγλαόμορφον, ἀκερσεκόμην, ἁβροχαίτην,
βελτύνοον, βασιλῆα, βελεσσιχαρῆ, βιοδώτην,
γηθόσυνον, γελόωντα, γηγαιβολέτην, γλυκύθυμον,
διογενῆ, διόπαιδα, δρακοντοβολέτην, δαφνογηθῆ,
εὔλαλον, εὐρυβίην, ἑκατηβόλον, ἐλπιδοδώτην,
ζωογόνον, ζάθεον, ζηλώφονα, ζηλοδοτῆρα,
ἤπιον, ἠδυεπῆ, ἠδύθροον, ἠπιόχειρα,
θηροφόνον, θαλερὸν, θελξίφρονα, θελγεσίμυθον,
ἰαφέτην, ἰμβρὸν, ἤιον, ἱπποκορυστὴν,
κοσμοπλόκον, κλάριον, κρατερόφρονα, καρπογενέθλοις,
λητογενῆ, λαρὸν, λυρογηθέα, λαμπετόωντα,
μυστοπόλον μάντιν, μεγαλήτορα, μυριόμορφον,
νεβροχαρῆ, νοερὸν, νηπενθέα, νηφαλέοντα,
ξυνοχαρῆ, ξυνὸν, ξυνόφρονα, ξυνοδοτῆρα,
ὄλβιον, ὀλβιόδωρον, ὀλύμπιον, οὐρεσιφοίτην,
πρηΰν, παιδοκόμον, παναπήμονα, πλουτοδοτῆρα,
ῥυσίπορον, ῥοδόχρουν, ῥηξήνορα, ῥηξικέλευθον,
σιγαλόεντα, σοφὸν, σεληνογενέτην, σωτῆρα,
τερψίχορον τιτᾶνα, τελεσφόρα, τιμήεντα,
ὑμναγόρην, ὕπατον, ὑψαύχενα, ὑετόεντα,
φοῖβον, φοιβάζοντα, φιλοστέφανον, φονογηθῆ,
χρησμαγόρην, χρύσειον, χρυσόχροα, χρυσοβέλεμνον,
ψαλμοχαρῆ, ψάλτην, ψυσίζυγα, ψυχοδοτῆρα,
ὤνυπον, ὠκυεπῆ, ὠκύσκοπον, ὠρεσιδώτην.

AESCVLAPIVS.

AEſculapius medicinam primus, ab Apolline patre inſtitutus, mortalib. inuexiſſe, ſeu inueniſſe dicitur. ipſe ſiquidem perfectam, & numeris ſuis omnibus abſolutam adinuenit: mox illius ſucceſſores ab eo Aſclepiadæ nuncupati, velut hæreditariam acceptam, per manus traditam excoluêre, poſteriſque ſubinde inuulgarunt, vſque ad Hippocratem, qui eam conſummauit. Sed iſta Medicis mittamus: nos noſtrum inſtitutum proſequamur. Aeſculapius à Græcis ἀσκληπιὸς dictus eſt, Apollinis & Coronidis, vt Diodorus ſcribit, filius, medicinæ præſes, plurima valetudini mortalium vtilia adinuenit. adeò autem excelluiſſe in ægrotorum curatione dictus, vt mortuos ab inferis excitare crederetur: quare apud Iouem accuſatus, fulmine ictus eſt. quamobrem iratus Apollo, Cyclopas fulminis fabricatores interemiſſe dicitur. Ideòque Iupiter Apollinem homini ſeruire iuſſit. hæc Diod. Cicero verò Aeſculapij nomine tres fuiſſe commemorat. primum Apollinis filium, quem Arcades colebant: qui ſpeculum inueniſſe, primúſque vulnus dicitur obligauiſſe. ſecũdum, ſecundi Mercurij, Valentis & Pheronidis filij fratrem: is fulmine percuſſus dicitur, humatúſque eſſe Cynoſuris. tertium Arſippi & Arſinoæ, qui primus purgationem alui, dentiſque euulſionem, vt ferunt, inueniſſe dictus eſt: cuius in Arcadia non longè à Luſio flumine ſepulchrum & lucus oſtendebatur. hæc fermè Cicero. Dictus verò Aeſculapius teſte Phurnuto, ἀπὸ τοῦ ὀκκλῆσθαι καὶ ἀναβάλλεσθαι τὴν κατὰ τοὺς θανάτους γινομένην ἀπόκλησιν. hoc eſt, ab excludendo & reijciendo factum per mortem interitum. Codices Phurnuti impreſſi non ὀκκλῆσθαι, ſed ἐπιῶσθαι habent, quaſi quòd caſſet mortis acceſſum. Sed parum conſona videtur deriuatio. quare alij dictum putant παρὰ τὸ τὰ ἀσκελῆ τῶν νοσημάτων ἤπια ποιεῖν. hoc eſt, ab eo quòd quæ morborum aſpera ſunt, mitia faciat. quidam etiam ab ἄσκλην καὶ ἤπιος deducunt. Phurnutus & alij ſcribunt, Aeſculapium nutritum à Chirone centauro, medicinam verò edoctum ab Hepio: quod nomen non ocioſè poſitum eſſe videtur, ſiquidem ſedet turbationes, διὰ τῆς τοῦ ἠπίου φαρμακείας, id eſt propter medicamenti mitigationem. Sed vide quæſo ne decipiare mendoſo Phurnuti codice. Quippe Naſo poeta noſter libro ſecundo Metamorph. non Hepion, ſed Ocyroen vocat Chironis filiam, quæ in ἵππον, id eſt equam conuerſa ſit. Sanè ἠπιόνην vxorem fuiſſe Aeſculapij, teſtis eſt Pauſ. ſic ſcribens: fanum eſt Aeſculapij, in quo ipſius Dei & Epiones ſigna erant. Epionem verò vxorem fuiſſe Aeſculapij memorant. Alibi verò idem ſcribit Pauſan. In luco ædes eſt Dianæ cum ſimulachro, Epiones cognomento, ex eo fortaſſe, quòd morbos mitigare hoc numen credatur. Xenophon in libro de Venatione, de Chirone & Aeſculapio multa eleganter prodidit.

Nolim hoc loco tibi reticere verba Hygini, ex Mythologico poetico, quę cognitu digna ſunt. Chiron centaurus Saturni filius, artem medicinam chirurgicã ex herbis primus inſtituit. Apollo autem artem ocularíam medicinam primus fecit. tertio autem loco Aſclepius Apollinis filius Clinicen reperit. Antiqui obſtetrices non habuerunt: vnde mulieres verecundia ductæ interierant. Nam Athenienſes cauerant, ne quis ſeruus aut fœmina artem medicinam diſceret. Agnodice quædam puella virgo concupiuit medicinam diſcere: quæ cum concupiſſet, demptis capillis, habitu virili ſe Hierophilo cuidam tradidit in diſciplinã. quæ cum artem didiciſſet, & fœminam laborantem audiſſet ab inferiore parte, veniebat ad eam. quæ cum credere ſe noluiſſet, æſtimans virum eſſe: illa tunica ſublata, oſtendebat ſe fœminam eſſe, & ita eas curabat. quod cum vidiſſent medici, ſe ad fœminas non admitti, Agnodicen accuſare cœperũt: quòd dicerent, eum glabrum eſſe, & corruptorem earum, & illas ſimulare imbecillitatem. Quo, cum Areopagitæ conſediſſent, Agnodicem damnare cœperunt: quibus Agnodice tunicam alleuauit, & ſe oſtendit fœminam eſſe. & validius medici

accuſare cœperunt.quare tum fœminæ principes ad iudicium conuenerunt, & dixerunt: Vos coniuges non eſtis, ſed hoſtes:quia quæ ſalutem nobis inuenit, eam damnatis. Tunc Athenienſes legem emendarunt, vt ingenuæ artem medicinam diſcerent.atque hactenus Hyginus. Sed nos cetera ſequamur. Tarquitius de Viris illuſtribus, vt Lactantius Firmianus refert, Aeſculapiũ incertis parentibus natum ait, & expoſitum, à venatoribúſque inuentum, canino lacte nutritum, Chironi traditum didiciſſe medicinam: fuiſſe autem Meſſenium, ſed Epidauri habitaſſe. Pauſanias verò libro ſecundo, triplicem affert de Aeſculapij origine opinionẽ: & primùm quidem Phlegiam ait, cùm Peloponneſum peragraret, Coronide filia grauida ex Apolline comitatus, perveniſſe in Epidauri montem, cui à re nomen mox inditum Titheum, à papilla ſcilicet, ibi enim expoſitus infans, capræ papillis eſt nutritus, cuius cuſtos gregis canis comes erat. Areſthanes autem paſtor, dum capram canémq; perquireret, cum eis infantem reperit, è cuius facie fulgor reſplenduit. hic velut numen eum adorauit: atque ex eo Epidaurus tota Aeſculapio eſt conſecrata, quo loco Pauſanias & templum eius & ſimulachrum deſcribit. Altera verò opinio eſt: Coronide iam prægnante, cum Iſchye Elati filio concubuiſſe, ob id interemptam à Diana, quòd illa Apollini factam contumeliam vlciſci voluit. Ardente verò rogo, è media flamma puerum à Mercurio ereptum. Tertia autem opinio, quam Pauſan. fabuloſam putat, eiuſmodi eſt: Aeſculapium Arſinoe Leucippi filia natum. qua de re paulo pòſt plura afferam, in eius Aeſculapij cognomine Coronides. Pauſanias id quidem falſum eſſe, ex eo Apollinis oraculo quod tale eſt oſtendit.

Aſclepij auxilium cunctis mortalibus almum
Felix, quem Phlegiæ peperit mihi iuncta cubili
In campis Epidaure tuis formoſa Coronis.

Iulianus verò Cæſar παραβάτης cognominatus, Aeſculapiũ ait ex Ioue natum ex νοητοῖς, id eſt, ſi rectè interpretamur, mentalibus: quia ex diuina mente ſuper terram apparuiſſet, per fœcũdi ſolis vitam: & Epidauri, Pergami, Tarenti, & Romæ verſatus. Contra Iulianũm diſputat inprimis Cyrillus Alexãdrinus, & eius fabulas confutat. Hermes Triſmegiſtus in Aſclepij dialogo, Aeſculapiũ oſtendit Aegyptium fuiſſe, quod etiam ſcribunt Diod. & Euſebius. Triſmegiſti verba in Aſclepio hæc ſunt: Auus, inquit, tuus ô Aſclepi, medicinæ primus inventor, cui templum conſecratum eſt in monte Libyæ, circa Crocodilorũ littus, in quo eius iacet mundanus homo: & quæ alia ſubiungit. Theodoretus Cyri vrbis epiſcopus ſcribit, quòd Homeri tempore nõdum eſſet Aeſculapius in deorum numero habitus. Nam ipſe Homerus, vulnerum Martis curatorem nõ Aeſculapium facit, ſed Peæona. cúmq; de Machaone Aeſculapij filio loquitur, hominem eũ vocat, Aeſculapij abſoluti medici filium. Apollodorus in libris quos de Deis ſcripſit, Aeſculapium prodit diuinationibus & auguriis præfuiſſe: nec mirum, cùm & medicum oporteat de ægroto ea dicere quæ ſunt, quæ fuerint, quæ mox ventura ſequantur, vt ait Hippocrates. Sed Aeſculapij quoq; mortis cauſa variè traditur. Pindarus in Pythiis, quopiam hymno ad Hieronem, quem & Tertullianus & Cyrillus, aliiq; ſequũtur, ab Ioue fulminatum cecinit: quòd auro victus, Hippolytum in vitam reuocauerit. Alij non Hyppolytum, ſed Tyndareum: alij Capanea: alij Glaucum, Minois filium. qua de re in Ophiucho plura Hyginus in Aſtronomico poetico, & his verſibus poeta Claudianus in victoria Stiliconis contra Alaricum. ita enim canit:

Cretáq; ſi vera narratur fabula, vidit,
Minoum rupto puerum prodire ſepulchro,
Quem ſenior vates auium clangore repertum,
Gramine reſtituit. miræ nam munere ſortis,
Dulcia mella necem, vitam dedit horridus anguis.

Qui

Qui verò Orpheum ſequuti ſunt, Hymenæum dixerunt: alij Androgeum. Steſichorus, propter Capaneum & Lycurgum dixit. Alij, inter quos Polyanthus, quòd Prœti filias ſanitati reſtituerit, quas Phylarchus Phinidas, id eſt Phinei filias dixit. Teleſarchus quidem fulminatum Aeſculapium ait, quod Oriona voluerit in vitã reuocare. Pherecydes porrò id tradit, quòd qui Delphis interirent, vitæ redderet. D. Epiphanius in Ancorato: Euclees, inquit, ab Aeſculapio reſuſcitatus. Quidam legunt, Euricleas. nam ſic Pythia prius dicebatur, vt in Pythio Apolline dictum. Staphylus tamen nullum ab inferis ab Aeſculapio excitatum ſcripſit, ſed tantùm ſanatum Hippolytum, ex Trœzene fugientem. Adeò Græcis fabulari placuit. Variè quoque eius ſimulachra effinxit antiquitas. Pauſanias, Aeſculapij ſimulachrum ex auro & ebore à Thraſymede Pario elaboratum deſcribit. Is in throno ſedebat, virgam tenens in manu: ſupra verò draconis caput manum alteram habebat, cui etiam canis aſſiſtere videbatur. Hæc Pauſanias: qui & alibi, hoc eſt apud Sicyonios, Aſclepieum fuiſſe ait, hoc eſt, Aeſculapij templum, in cuius veſtibulo imberbis erat Aeſculapius, ex auro atque ebore confectus, Calamidis opus, ſceptrum vna, altera verò manu domeſticæ pinus pomum tenebat. Dicebant ipſum, in draco ſpeciem ad ſe ex Epidauro mulorum bigis vectum, idqúe factum fuiſſe à Nicanora, fœmina Sicyonia, matre Agaſiclei, Echetimi vxore. Adeò non Romanis tantùm ſerpens Epidaurius eſt impertitus. Euſebius etiam ſimulachris Aeſculapij in manu baculum attribuit, quaſi (vt ait) ægrotantium ſuſtentaculum. Serpentem verò inuolutum, animæ & corporis ſalutare ſignum: quo loco multa Euſebius de ſerpentibus tradit, vt ſpiritualibus, ex recondita diſciplina. Hinc & Macrobius, Aeſculapij ſimulachrum ait, draconem ſalutis ſymbolum ſubiungi. idem & Phurnutus, qui & cur baculum gerat, exponit. Sed & Hyginus in Aſtronomico, de baculo & angue, ſeu dracone, ita in Ophiucho ſcribit: Cùm Aeſculapius Glaucum cogeretur ſanare, incluſus quodam loco ſecreto, bacillum tenens manu, cùmq; quid ageret, cogitaret, dicitur anguis ad bacillum eius arrepſiſſe: quem Aeſculapius mente commotus interfecit, bacillo fugientem feriens ſæpius. Poſtea fertur alter anguis eòdem veniſſe, ore ferens herbam, & in caput eius impoſuiſſe: quo facto, loco fugiſſe. quare Aeſculapium vſum eſſe herba eadem, Glaucum reuixiſſe: itaque anguis in tutela Aeſculapij eſſe dicitur. Apud Aelianum hoc etiam notaui, Parian ſerpentem, quam Apollodorus paruam vocabat, igneo eſſe colore, & acerrimo oculorum viſu, ore largo: ex quo fit, vt nihil mordendo noceat. Quin etiam mitis eſſe dicitur, & propterea (inquit) deorum humaniſſimo Aeſculapio ipſum conſecrarunt, eiúſque miniſterio dedicarunt. hæc fermè ille. Sed de draconum natura cùm alij multa, tum Philoſtratus in Imaginibus. Vnde etiam theſauros cuſtodire poetæ dixêre, vt Heſperidum hortos, & vellus aureum apud Colchos. Plinius, aliíq;, dracones ad ſalubritatem referunt. Macrobius, eos etiã annuas exuuias ponere ac renouare ait. Quòd verò acutiſſimè cernant ac intueantur, & ad medicum pertinet, & ad cuſtodiam. Nam & eius nominis etymologia argumentum eſſe poteſt. Dracones enim dicuntur ἀπὸ τοῦ δέρκειν, hoc eſt, ab acutè vidẽdo. At cum dracone etiã gallum Aeſculapio attributum legimus, propter vigilantiam: de quo ipſi res ſacra fiebat. Quin & Socrates apud Platonem moriturus, ſuo teſtamento ei deo gallum reliquit. Plinius in Naturali hiſtoria libro trigeſimoquinto, Aeſculapio quatuor filias aſſignat: Cum Aeſculapio (inquit) filiæ, Hygeia, Aegle, Panacea, Iaſo: de Socratis picturis agens. Ariſtophanes etiam has quatuor Aeſculapij filias nominat, vt Hermolaus notat. Hippocrates in Iuramento duas tantùm commemorat. Hermippus in Trimetris ſenarijs, hos Aeſculapij filios ex Lampetia Solis filia tradit, Machaonem, Podaliriũ: & quas modò nominaui, Hygeiam, Panaceam, Aeglen. Iaſo. His ab aliquib. adduntur, Ianiſcus & Alexenor. Particulam hoc loco tibi licet aſcribere,

qua Cyrillus Iulianum Cæſarem apoſtatam redarguit, antequàm huius cognomina interpreter. Arrogãter(inquit)dixit Iulianus,ex Ioue in mẽtalibus natum eſſe Aeſculapium, apparuiſſe autem in hominis forma. Omnium ſiquidem ſermone dicitur ex Coronide & Apolline natus, quæ à ſacerdotibus (vt veriſimile) in Apollinis templo vitiata fuit. Sed Iulianus de illo honeſtum & ſublime quiddam & ſentit & loquitur, ſemper nimiũ mẽdax: quamuis apud Græcorum ſapientes plurima & abſurda de illo ſcripta ſint. Etenim cùm Apis Aegyptius, non obſcurus inter eos qui illic erant templi miniſtros,& naturalis philoſophię ſcientiam adeptus eſſet:hunc ferunt primùm artem medicam exquiſiuiſſe,& tradidiſſe felicius,quàm eos qui ipſum præceſſerant,communicaſſeq; Aeſculapio. hic vbi in ea diſciplina profecit,noluit vlterius in Aegyptiorum vrbibus morari,ſed lucri cupidus,& conſiliis turpibus obnoxius,omnem(vt ita dicam) circuiuit orbis regionem,ab omnibus lucra petens,& venale ſtudium ſuum languentibus exhibens.Inflatúſq; ob ſcientiam,& ſuperbiens, ſe etiam deum nominabat,& mortuos ſe ab inferis excitare poſſe delirans aſſerebat.veniénſq; ad Epidaurios,& ibi ſummam ſibi gloriam arrogans,quendam ſe eſſe deum, fulmine ictus eſt,pœnam illi digniſſimam Deo inferente:qua ex re per id quod paſſus eſt,declarauit,ſe nihil aliud eſſe quàm terram ac puluerem.Sed & quæ de illo odarum conditor Pindarus cecinit,videre eſt operæprecium: Vicit & illum ſuperbi animi aurum in manibus apparens, manibus autem Saturnius per vtraque præcordia traiectum deiecit ocyus: flagrans verò fulmine, mortem intentauit. Quinetiam tragicus Euripides dixiſſe Apollinem contendit: Iupiter auctor mortis filij mei Aeſculapij,pectoribus eſt iniecta flamma.Hactenus ex Cyrillo.Porrò pluribus in locis cultus Aeſculapius,non modò in ſuprà nominatis, ſed & Romæ, præcipuè in inſula Tiberina, quæ & ab aliquibus Lycaonia dicta eſt:quæ biremis formam habere videtur, & formam accepiſſe eius nauis qua Aeſculapius Romam eſt aduectus.Hiſtoria eſt nota.Ouid.in Faſtis:

Accepit Phœbo nymphâq; Coronide natum,
Inſula,diuidua quam premit amnis aqua.

Nunc quoq; in D.Bartholomæi hortis nauis marmorea cernitur,in cuius nauis ſponda ſerpentis reptantis imago effecta eſt,in rei memoriam.Quare autem in inſula Aeſculapius & extra vrbem templa habuerit,cùm alij,tum Plutarchus oſtendit in cauſis Romanis. ſcribit & in hunc modum Sex.Pompeius: Aeſculapio ædes facta fuit in inſula, quòd ægroti à medicis aqua maximè ſuſtentãtur. Eiuſdem eſſe tutelæ draconem,quòd vigilãtiſſimum ſit animal,quæ res ad tuendam valetudinem ægroti maxima eſt. Canes adhibebantur eius templo, quòd is vberibus canis ſit nutritus. Bacillum habet nodoſum, quod difficultatem ſignificat artis.Laurea coronatur,quòd ea arbor plurimorum ſit remediorũ.Huic & gallinæ immolabantur. adhuc Feſtus. Sed iam nimius in his videri poſſum, quare ad interpretanda cognomina me accingam:hoc prius addito,quod Hippocrates tradit,Aeſculapium etiã ſcripſiſſe libellum in re medica,cui Nauiculæ nomen fecit. Legi in antiquitatibus marmoreis, in primíſq; in Auximi oppido Italiæ, Aeſculapij ſignum marmoreum hac forma:indutus eſſe videbatur ſubucula græcanica, & amiculo ſuccinctus, dextra quidem duos gallos continebat, ſiniſtra verò in amiculi lacinia fructus neſcio quos tenere videbatur.

Phœbigena igitur in primis cognominatus eſt Aeſculapius, à patre Phœbo. Vergilius:

Fulmine Phœbigenam Stygias detruſit ad vndas.

Lactantius tamen grammaticus in tertio Thebaid. Pœnigenam legere videbatur,id eſt per pœnam matris natum.Nam eius matrem Coronidem Apollo ſagittis peremit,quia cum Iſchy concubuerat: quem fulminatum quidam ſcribũt, alij ab Apolline occiſum.

Coro-

Coronides etiam cognominatus à matre, qua de re lege fabulam apud Ouidium lib.2. Metamorphoſ. quæ ita incipit.

Pulchrior in tota, quàm Lariſſea Coronis,
Non fuit Aemonia, placuit tibi Delphice certè, &c.

Quo loco Coronis Lariſſea ab omnibus legitur, ab vrbe Lariſſa. Ego verò ex tertio hymno Pith. Pindari, Lacerea legendum puto, ab vrbe, cuius poſt Pindarum Hellanicus etiã & Stephanus meminère. Sanè pulchrè hanc fabulam totam in eodem modò citato hymno Pindarus ad Hieronem explicat, Aeſculapijq́ matrem Arſinoen ait, Phlegyæ filiam, & paulò pòſt etiam Coronida: quo loco Græci Pindari interpretes ex Aſclepiadis & Ariſtidis ſententia ſcribũt, Arſinoen quidam vocant, ſed Leucippi filiam. & quidem Ariſtides in eo quem ſcripſit de Gnido condita: Arſinoe, inquit, cùm adhuc virgo eſſet, Coronis dicta, Leucippi filia, Amycli filij, qui fuit Lacedæmonis. Aſclepiades verò & ipſe Leucippi filiam duxit, ex qua Aeſculapius & Eriopis nati. vt in hoc,

ἣδ' ἔτικεν μεγάροις ἀσκληπιὸν ὄρχαμον ἀνδρῶν
Φοίβῳ ὑποδμηθεῖσα, ἐϋπλόκαμόν τ' Ἐριῶπιν.

Homerus in hymnis, & Heſiodus in Theog. χορωνίδα vocant, & Phlegiæ filiã, vt etiam Pindarus. Oraculum legitur apud Pauſan. quo id Apollo negat Apollophani, id ab eo ſcitanti.

Triccæus Aeſculapius, cognominatus ab vrbe, vt Strabo ſcribit. vnde & ipſe de ſe ipſo:

Natus ego ex ſacra Tricca, cui tota medendi
Ars debet, ſimul atq; omnis ſapientia debet.

Hoc apud Porphyrium legimus in libro de Reſponſis. Sed & Heliodorus poëta & medicus meminit apud Cl. Galenum: huius verſus in tertio de Poetarum hiſtoria attulimus. Triccam verò vrbem Theſſaliæ, Stephanus ſcribit denominatam à Tricca Penei fluuij filia, cuius & Homerus in quarto Iliad. meminit.

Epidaurius etiam Aeſculapius vocatus eſt, ab vrbe notiſſima Peloponneſi, in ſinu Saronico, ex qua & Romam adductus in ſerpentis imagine. hiſtoria eſt notiſſima. Ouid. in Faſt. & in Metamorph. Propertius in Eleg. lib.2,

Et Deus extinctum Creſſis Epidaurius herbis
Reſtituit patriis Androgeona focis:

Epidaurum verò vrbem variis nominibus appellatam, tradit Stephanus, inter quæ Hæmeram commemorat, dictam videlicet à ſanguine, id eſt αἵματος, ob ea quæ frequentiſſimè Aeſculapio fierent ſacrificia ex victimis. T. Liuius libro quinto, quintæ Decad. de Paulo Aemylio agens: Sicyonem, inquit, inde & Argos, nobiles vrbes adit: inde haud parem opibus Epidaurum, ſed inclytã Aeſculapij nobili templo, quod quinq; milibus paſſuum ab vrbe diſtans, nunc veſtigiis reuulſorum donorum, tum donis diues erat, quæ remediorum ſalutarium ægri mercedem ſacrauerant deo. hęc Liuius. Pauſanias Epidaurum appellatam ſcribit ab Epidauro Pelopis filio, vt Elij tradunt: vt verò Argiui, ab Argo Iouis filio: quod & Stephanus ait. Subiungit Pauſanias de Phlegyæ filia, quæ patrem ſecuta cùm eſſet, ibi Aeſculapiũ peperit, & ab auo infans eſt expoſitus in monte Tittheo, à capra nutritus, à cane cuſtoditus, demũ ab Areſthane paſtore repertus, & ſeruatus ob radios, & vultus ſplendorem.

Archagetes Aeſculapius & dictus & cultus fuit, cuius templum apud Tithoream Pauſanias deſcribit in Phocaicis. Sed & idem cognominatus Philolaus, hoc eſt populi amicus, cuius templum celebre fuit apud Aſopum in Laconia, vt idem eſt autor Pauſanias.

Pergamenus, & Pergamêus, nuncupatus à Pergamo celebri vrbe Aſiæ, Galeni medicorum principis patria, vbi ſummo cultu venerabatur. Martialis:

Pergameo poſuit dona ſacrata deo. id eſt Aeſculapio.

Papinius Statius de Pergamo:

Pergameas intraſſe domos, vbi maximus ægris
Auxiliator adeſt, & feſtinantia ſiſtens
Fata, ſalutifero mitis deus incubat angui.

Q. Serenus poeta & medicus, ſic etiam in libri ſui inuocatione:

Tuq; potens artis, reduces qui tradere vitas
Noſti, atq; in cœlum manes reuocare ſepultos,
Qui colis Aegeas, qui Pergama, quiq; Epidaurum,
Qui quondam placida tectus ſub pelle draconis,
Tarpeias arces, atq; inclyta templa petiſti,
Depellens tetros præſenti numine morbos,
Huc ades, & quicquid cupido mihi ſæpe rogatus
Firmaſti, cunctum teneris expone papyris.

Tacitus lib. Ann. 3. Apud Pergamum, inquit, Tyberij Aeſculapij templum compertum aſylum fuiſſe ait. hinc & Pauſan. in Corinth. ſcribit, Archiam Ariſtæchmi filium à conuulſione membrorum ſanatum, qua inter venandum apud Pindaſum correptus fuerat, Dei religionem Pergamum traduxiſſe. Acceptam à Pergamenis deinde Smyrnæos templo conſecraſſe, quod noſtra (ait ille) ætate Aeſculapij nomine ad mare eſt. Quin & quòd colitur Balangris apud Cyrenęos Aeſculapius, medici cognomento, ex Epidauro ſumptus eſt: ad Cyrenaici quidem ſimilitudinem factum eſt id Aeſculapij templum, quod Lebenæ, quæ eſt Cretenſium vrbs, extat. diſſimilis in eo ſacri ritus, quòd Cyrenaici capras mactant, cum ab Epidauriis traditum hoc omnino non fuerit.

Καῦσιος Aeſculapius vocatus, à pago in Arcadia, terræ Telphuſiæ, qui dictus eſt καῦς: vnde gentile nomen Cauſius, quo nomine appellatus eſt Aeſculapius, qui ibi colebatur: auctores Pauſ. in 8. & Stephan. de Vrbibus.

Demænetus Aeſculapius cognominatus, à Demæneto eius tẽpli conditore.

Gortynius etiam ab vrbe, vt Pauſ. in Corinth. Sic enim ait: E marmore verò Aeſculapius cognomento Gortynius. ad angues quidem Deo ſacros quo minus accedant homines, terror obſtat. cibum illis in primo aditu apponunt: neq; amplius quidquam eorum cauſa ſatagunt. Item dictus Cotyleas.

Γαίωνς quoque nuncupatus ab Artemidoro Daldiano, in 2. Onirocr. Idem & Pææon. Pææona alium Homerus facit, vt paulò antè dictum eſt, ab Aeſculapio.

ἠπιοδότης Aeſculapius ab Orpheo vocatus, in poemate ad Muſæum: quaſi tu dicas, mitis dator. alij ἠπιόδωρος potius exiſtimant, quòd blandè dona ſua impartiatur.

ἀγλαόπης verò Aeſculapius à Lacedæmoniis eſt appellatus, teſte Heſychio: quaſi tu dicas, aſpectus ſplendidi. A medendi quoq; peritia ἰατρὸς, hoc eſt medicus, vocitatus eſt.

Colatos inſuper Aeſculapius cognominatus. Euſtathius Mercurium, ni fallimur, ait: cuius ſimulachrum in Cyllene vico poſitum fuiſſe tradit.

Hagnitas cognomen eſt Aeſculapij, cuius templum fuit apud Laconas, ad curriculi ſeu ſtadij dexterã. Hagnitas verò appellatus ab ἄγνῳ, id eſt à ſalice amerina, quòd ex eius materia illic delubrum conſtabat. quare mirum eſt, quoſdam ſine afflatu hoc nomen ſcribere.

Cotylæus Aeſculapius apud Eurotam Laconiæ fluuium cultus fuit, cuius templum ab Hercule poſitum legimus, cùm ex vulnere in cotile, id eſt manus concauitate ſanatus fuiſſet, quod in prælio contra Hippocoonta & filios acceperat. Pauſanias.

αἰγλαὴρ Aeſculapius etiam dictus, Heſychio & Phauorino teſtibus.

Salutifer etiam Aeſculapius ab Ouidio dictus, libro Metamorphoſ. ſecundo, item Opifer, libro decimoquinto:

Cùm

Cùm deus in ſomnis Opifer conſiſtere viſus.

Quanquam & Apollo eodem cognomine dictus ab eodem poeta. Aulonius etiam Aeſculapius appellatus eſt, teſte Pauſania in Quarti fine: Ad Aulonem, inquit, delubrum eſt, cum ſigno Aeſculapij Aulonij.

Alia etiam eius ſunt præter hęc cognomina, quorum nonnulla habes in hymno Orphei, quem cum manna thuris illi adoleuit. vt αὐξιθαλὴς, id eſt augens ſemina: & ἀπαλεξίκακος, id eſt propulſor malorum.

Hygeia, & cum patre, & cum ſororibus culta, interdum & ſeorſum, vt apud Gręcos obſeruamus, cum ſorore Panacea. Hippocrates in iureiurando. Hygeiæ ſimulachrum Pauſanias apud Sicyonios fuiſſe ait, quod vix apparere videbatur: cui mulieres capillos dicabant, & in eius honore ſibi tondere ac reſecare ſolebant. De Hygeia ſuprà in hoc Syntagmate meminimus, vbi Aeſculapij filios, filiáſque recenſui. Huius peculiaris hymnus Orphei legitur, cum thymiamate mannę thuris, cui pulcherrima cognomina etiam aſcribit. Sed de Hygeia Pallade ſuo loco actum eſt. in primo quoque Syntagmate de hac Hygeia actum eſt, vbi Salus Romanorum eſt deſcripta.

AVRORA.

AVrora à noſtris, ab aura vocatur dea, vnde & aurea cognominata eſt: vt illud,

Aurea fulgebat roſeis Aurora capillis.

Quæ ſolem præcedere putabatur. imò & nuncia, hoc eſt, vt ad eam canit in hymno Orpheus, ἀγγέλτειρα θεοῦ τιτᾶνος. Græcè ἠὼς & ἑὼς vocata, vnde Eous & Heous deducitur, nunc breui, nunc producta ſyllaba. & cum afflatu in prima, ſi ab ἑὼς deducitur: & ſine eo, ſi ab ἠώς. Græcorum tamen quidam ſunt, qui ita tradant, ἠὼς communi lingua dici, Ionicè verò ἑώς, Doricè autem ἀώς: & Aeolicè ab hoc ipſo, Dorico videlicet, αὔως. licet Seruius hæc parum obſeruarit. Sanè antiqui cuique parti temporis ac diei ſuum Genium & deum proponere ſolebant, quod apud Homerũ gramatici notant. Ergo Aurora dea primæ partis diei, qua gaudet mortale genus, vt canit Orpheus:

Nec cernere quiſquam eſt, Qui vultus fugiat ve tuos, &c.

Fuit Aurora Hyperionis filia, & Thiæ, vt Heſiodus ait in Theogon. Alij Pallantis dicunt. vnde à patre Pallantis nuncupata. Ouid.

Tradendum Phœbo Pallantias inficit orbem. Idem:

Sextæ Pallantidos ortu Italiam tenuit. Et illud ex Vergilij poematibus,

Roſcida puniceo Pallantias exit amictu.

Alij Titani & Terræ filiam tradidêre. At verò hæc curru per cœlum vehi putabatur, qui Pegaſo alato equo trahebatur: & manu lampada ferre. Quare λαμπαδοφόρος etiam vocata eſt. Tradunt enim, poſt excuſſum ex Pegaſo Bellerophontem, ipſum equum ab Ioue Auroram impetraſſe. Homerus illi tamẽ equos aſcribit, Lampum & Phaethonta, in vigeſimotertio Odyſſeæ. Poetæ præterea finxêre, Auroram Tithonum Laomedontis filium, formoſum in primis adoleſcentem, amaſſe, eundémque rapuiſſe, vnde natus ſit Memnon. demum tandem Tithonum ob nimiam eius ſenectutem, in cicadam mutatum ferunt, adeò vt vſque in prouerbium eius nomen deductum ſit, vt apud Lucianum & Suidam legimus. M. quoque Cicero in Catone de Senectute, ait Ariſtonem Chium Tithonum ideo, quia ſenex fuiſſet, introduxiſſe de ſenectute loquentem: quem tamẽ, vt fabuloſum, Cicero ipſe in Catonis perſonam mutauit. Hinc & Aurora ipſa Tithonia nuncupata eſt. Vergilius:

Te potuit lachrymis Tithonia flectere coniunx. Idem:

Tithoni croceum linquens Aurora cubile. Statius:

Trepidas ſubitò Titonia nubes Diſcutit.

Auroram

Auroram & Cephalum amaſſe fabulantur, de quo Ouid. ſeptimo Metamorphoſ. item in Arte:

Nec Cephalus roſeæ præda pudenda deæ.

Sed & Plutarchus aliiq; meminêre.

Memnonis mater Aurora vocata eſt à poetis, à filio Memnone. fabula notiſſima: vt illud,

Memmonis vt genitrix infecerat humida cœlum. Et Ouidius:

Memmona ſi mater, mater plorauit Achillem, &c.

Lutea etiam Aurora cognominata eſt: vt illud,

Aurora in roſeis fulgebat lutea bigis. Et illud,

Inficit & cœlum lutea ſidereum.

Roſcida, & Roſea Aurora, diuerſa ratione cognominata: hæc quidem à colore, illa à rore. vt in illo,

Roſcida Puniceo Pallantias exit amictu. Item:

Et roſeis manibus ſidera diſpulerat.

Crocea quoque aurora vocatur, & in veſte crocea deſcribitur, vnde à Græcis κροκόπεπλος vocata eſt. hinc noſter Maro, dum experimenta facit ingenij,

Aurora Oceanum croceo velamine fulgens. Et illud,

Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

Quinetiam legimus ἑανηφόρος ἠώς, vt ab Antimacho appellatur, ab Eano veſte lucida & tenui, quia ἑανὸς dicitur ab Homero peplos, quod & Heſychius notauit.

Χρυσόθρονος ἠώς, ita Homerus in hymno Veneris, & alibi appellauit: hoc eſt, auream ſedem habens Aurora.

ἀγγελίσα, id eſt nuncia dei Titanis, dicitur ab Orpheo in hymnis. Præuia verò, in experimentis Vergilianis:

Præuia flammiferi currus Aurora rubebat.

Rhododactylos Aurora, ab Homero & aliis cognominata eſt, quaſi roſeos digitos & manus habere videatur. vt Vergil.

Et roſeis manibus ſidera diſpulerat. vt antè dictum.

Pudoricolor Aurora à Næuio poeta vetuſtiſſimo, in fabula Alceſtidis nuncupata eſt, teſte Gellio, pro rubente. Sic enim ſæpe vocata eſt. vnde illud,

Vix aurora ſuo rubefecerat æthera curru. Item,

Et bijugis vecta rubebat equis.

Putarim epithetum Orphei exprimi, ἐρυθαινομένη.

ἡμέρα etiam interdum à Græcis appellari videtur, vt eſt in Attica Pauſaniæ, vbi de Cephali fabula mentio. Nam præter Tithonum, ſcimus & deam hanc Cephalum amaſſe, vt notiſſima eſt fabula, vel in primis ab Ouidio, vt paulò ſuprà oſtenſum eſt.

Auroræ præterea hymnus ab Orpheo concinitur, cum thymiamate mannæ libani, id eſt thuris: quo loco λαμπροφανής, id eſt ſplendida, inter cætera Aurora vocatur.

MVSAE.

MVſarum Syntagma, Cynthi ſuauiſſime, vt noſti, multo antè iuuenis compoſui, in quo de Muſis ex varia lectione pleraq; collegi, quæ præſenti inſtituto conuenire poſſunt. Nunc ea tantùm, quæ ad earum cognomina pertinent, tibi afferam, vel quæ omiſſa in priore fuerunt. Muſarum igitur in primis duo genera fuerunt: antiquarum, quas Cœli & Terræ filias dixere: & iuniorum, de quibus paulò pòſt agendum. Mnaſeas quidem & ipſe auctor eſt apud Arnobium, Muſas eſſe filias Telluris et Cœli, Iouis cæteri prædicãt, ex Memoria vxore,

vel

vel Mente. Has quidam virgines, alij matres fuiſſe conſcribunt. Libet verò hîc paucis tibi referre, quæ idem ſcribit Arnobius: Ephorus, inquit, has numero eſſe treis effert, Mnaſeas (quem diximus) quatuor. Myrtilus inducit ſeptem, octo aſſeuerat Crates, ad extremum Heſiodus nouem, cum omnibus prodit deis, cœlum & ſidera locupletans, &c. Ceterùm & Granius apud veteres homo doctiſs. Nouenſiles, qui dei dicebantur Sabinorum, Muſas exiſtimauit, è numero videlicet nouem denominatos: vt alibi, hoc eſt in primo Syntagmate, planius oſtendi. Porrò Myrtillus Macari filias Muſas dixit, ita tradēte Arnobio: Nunquid ex nobis eſt, inqt, Myrtillus auctor, qui Macari filias, Megalconis ancillulas, profiteť fuiſſe Muſas? Sed vt paradoxa hæc mittamus, inſuper & alia afferemus. Eumelus Corinthius poeta, vt Ioan. Zezes grammaticus ſcribit in Heſiodum, tres eſſe dixit Muſas, filias Apollinis, Cephiſon, Apollonida, & Boriſthenida. Sed Aratus in qnto ἀςρικῶν, quatuor Muſas putauit, Iouis Aetheris filias & Pluſiæ nymphæ, ἀρχὴν, μελέτην, θελξινόην, & ἀοιδήν. Quidam & quinque Muſas fuiſſe tradiderunt, & nomina quinq; ſenſuum habuiſſe. Epicharmus autem in nuptiis Hebes, ſeptem Muſas commemorauit, Pieri filias, & Pimpleidos nymphæ, Nilum, Tritonem, Aſopum, Heptapolen, Acheloida, Tipoplun, & Rhodian. Ab Heſiodo verò nouem in Theogonia dicuntur, & ſimiliter ab Homero & Orpheo. Et tres quidem, vt idem Zezes ait, propter tres tonos, tres accentus, tria tempora, tres perſonas, & tres deniq; Græcorum numeros, & pleraq; alia. Quatuor autem dicuntur, propter quatuor dialectos, id eſt, linguas Græcorum, Ionicam, Atticam, Doricam, Aeolicam: & propter alia multa. Quinque verò Muſę dictę ſunt, propter quinq; ſenſus, & cætera eiuſmodi. At ſeptē, propter ſeptichordem lyram, & propter ſeptem zonas, ſeptémq; ſtellas, & inter hæc ob ſeptem vocales, & quædam alia. Nouem poſtremò dictæ, propter nouem ipſarum inuenta. Clio enim hiſtoriam inuenit: Thalia φυτεργίας, hoc eſt plantarum artem: Euterpe tibias: Melpomene oden, id eſt, cantilenam: Terpſichore χορέας, id eſt tripudium: Erato nuptialia, & ſaltationem: Polymnia agriculturam: Vrania aſtrologiam: Calliope poeſin. atq; ob hæc inventa deas Muſas fuiſſe, fabulati ſunt antiqui. Alij aliter dicunt, inter quos Phurnutus, in his rebus perſcrutandis diligens & accuratus. Duæ, inquit, Muſæ dicuntur, propter theoricen & practicen. nam diſciplinæ in ſpeculatione & actione conſiſtunt. tres verò, propter ternarij numeri perfectionem, ſeu quod tribus ſpeculationum generibus philoſophiæ ratio perficitur. Tot certè Muſas, Sicyonios conformandas locaſſe tribus artificibus legimus. At verò quatuor aut ſeptem exiſtimatæ, quod apud antiquos tot voces muſica inſtrumenta habuiſſe feruntur. Porro quòd nouem creditæ fuerunt, idem ait Phurnutus, quòd tetragonos, id eſt quadratos ac perfectos, vt quidam dixit, eos faciant, qui cum eis verſantur. Talis enim eſt numerus, qui nouem dicitur, vt qui ex ſeipſo conſtat, & primi propter perfectionem participare à nonnullis exiſtimať. Alij quidam, ait Zezes, has primas nouem fuiſſe Muſas prodiderunt, Callichorem, Helicen, Eunicen, Thelxinoen, Terpſichoren, Euterpen, Enceladen, Dian, & Enopen. M. quidē Tullius in 3 de Nat. deor. tria Muſarū genera recēſet: Iā, inquit, Muſæ primę quatuor, natæ Ioue altero Thelxiope, Mneme, Aœde & Melete: ſecūdæ, Ioue tertio & Mnemoſine ꝓcreatę. tertię Ioue tertio, Pierio natę, & Antiopa, quas Pieridas & Pierias ſolent poetæ appellare, iiſdē nominib. eodēq; nūero q̊ proximæ ſuperiores. Muſæ verò dictæ ab inquiſitione. i. ἀπὸ τοῦ μώσεως. ſicut illud eſt vetus: Mollia ne inquiras, ne aſpera habeas. i. gręcè, μὴ τὰ μαλακὰ μώεο, μὴ τὰ σκληρὰ ἔχῃς. Vel dictæ παρὰ τὸ μυέω, quod initio & inſtituo ſignificat. Muſæ puellari & nympharum habitu indutæ finguntur, cum variis & diuerſis muſicis inſtrumentis. nam ex marmore quidem peruetuſtas Romæ in ſepulchro effictas, diuerſas ab his quas in ſubſcriptis carminibus leges. Coronabantur verò variè & florum & frondium coronis: ſed & interdū palma, vt Phurnutus ait, propter nominis ſimilitudinem, quia Phœnices literas inueniſſe

niſſe feruntur. Quin & literæ Phœniceæ appellatæ ſunt, vt in Poetis diximus. Sed & coronas interdum geſtare Muſæ finguntur, ex pennis verſicoloribus, non modò propter Pieri filias ab his ſuperatas, & in picas conuerſas, ſed etiam ob Sirenas deuictas, vt alibi dictum eſt. Certè harum ſigna hodie quoque peruetuſtá Romæ viſuntur, quæ pennam habent in vertice affixam, vt ipſe ſæpe conſpexi, quæ Sirenum eſſe creduntur. Muſæ igitur plurimorum conſenſu Iouis & Mnemoſynes, id eſt memoriæ filiæ dictæ ſunt: quod Orpheus duobus hymnis oſtendit, altero ad Muſas ipſas, altero ad Mnemoſynen, cui & thymiama adolet libani, id eſt thuris. Solonis quoq; pulcherrimæ principium hoc eſt elegiæ, quam apud Stobæum legimus:

Μνημοσύνης καὶ Ζηνὸς ὀλυμπίου ἀγλαὰ τέκνα,
μοῦσαι πιερίδες κλῦτε μοὶ εὐχομένῳ.

Mnemoſynes & Iouis Olympij ſplendida proles, Muſæ Pierides, audite me precantem: vel vt carmine ludamus,

Mnemoſynæ & Iouis ætherei vos inclyta proles,
Muſæ Pierides, vota tenete mea.

Sanè nec hoc loco præterierim, Mnemoſynen & Iouem parentes Muſarum propterea exiſtimatos, quòd qui operam nauant in re literaria, oportet intelligendi & memoriæ poteſtate præditos eſſe. Iupiter quippe ab antiquis τὸ νοητικὸν putabatur afferre, & Mnemoſyne τὸ μνημονικόν. Ad hæc & fons Mnemoſyne fuit non longè à Trophonij antro: qui ita appellabatur, quòd aqua ex illo videbatur afferre memoriam omnium quæ in ipſo antro vidiſſent. Comites verò Muſæ Apollinis dicũtur, vt denarius numerus compleatur: quia humana vox vt perfecta ſit, nouem fulcitur adiumentis. primò quatuor dentibus, & duobus labris, linguáq;, & palati concauitate, & gutturis fiſtula, ac pulmone, vt folle aerio. Si enim ex his aliquid defuerit, vox perfecta non erit. Sed & phyſica naturæ ratione Muſæ Apollini iunguntur. Sicuti enim terreſtris muſicæ μέση, id media principatum in omni tropo tenet: ita Sol harmoniæ cœleſtis, quæ nouem ordines habere dinoſcitur, propter ſcilicet planetas, octauámq; ſphæram cœleſtem, atq; ipſam terram, quæ totius conſonantiæ informitas, vocumq; materiæ proportionem poſſidet. Vnde iuxta allegoriæ leges quidam hoc Muſarum vtuntur ordine, primo loco Vraniam poſuêre, id eſt humanæ intelligentiæ ſublimitatem. deinde Polymneiam, id eſt capacitatem memoriæ. tertiam numerauêre Euterpen, id eſt voluntatis delectationẽ: nam intelligentia memoriæ iungitur, & voluntati. Inde Erato ponitur, hoc eſt amabilis: nulla enim re plus voluntas delectatur, quàm ſimilium collatione: hoc autẽ ſine profunda cogitatione fieri non poteſt. ideo ſubſequitur Melpomene. huic Terpſichore, quaſi artium delectatio aſſociatur: cogitationum etenim perfectio ſine diſciplinarum exercitatione fieri non poteſt. His omnibus omnis humanæ locutionis venuſtas gignitur, quæ Calliope deſignatur. Inde Clio, hoc eſt bona fama & gloria naſcitur. Sub qua Thalia, quæ in vltimo loco poſita eſt, hoc eſt germinatio virtutum: omnis enim virtus per pulchram appetitur famam & gloriam. Ideóq; albo alite, id eſt, cygno ſubſtollitur, ſtagníſq; mox deponit: quia gloriæ & bonæ famæ ſemina in altum & ſublime elata, dein per humum, hoc eſt inter mortales & per ora hominũ diſſeminantur, atque diffunduntur. Alij porrò ad ipſius Muſices referunt conſonantias. Thaliam enim Muſam dicunt concentum non habere, ſilentio & terræ eam aſcribentes. Clio verò cum Luna, hypodorium modum & chordam proſlambanomenon mouent. Calliope & Mercurius, hypophrygium modum, & chordam hypatehypaton poſſident. Terpſichore cum Venere, hypolydian parhypatehypaton continent. Melpomene cum Sole, dorium & lichanohypaton coaptant. Erato cum Marte phrygium cum hypate meſe cuſtodiunt. Euterpæ & Ioui Lydius & parhypate meſe conueniunt: Polymneia & Saturnus Mixolydium & lichanon meſon ſeruant. Vraniæ & cœlo ſtellato hypermixolydius modus

modus, & meſes chorda aſcribuntur. Et hactenus hæc quidem de Muſis dicta, quoniam in peculiari altero Syntagmate noſtro de Muſis notata non fuêre: cætera in eo require. Quoniam verò in Græcis Epigrammatibus carmen legitur, in quo ſingularum Muſarum officia à noſtris & ſuprà ſcriptis nonnihil varia ac diuerſa continentur, hîc tibi illud meis vtcunque verbis referam. Nec te admiratio capiat, quod Græcum decaſtichon cùm ſit, ipſe nouem verſibus concluſerim. Duos enim de Polymneia verſus in vnum ſum complexus, vt verſuum numerus Muſarum numero reſponderet.

EPIGRAMMA.

Calliope heroi monſtrauit carminis artem,
Clio dulciſonæ citharæ modulamina prompſit,
Euterpea chori tragici reſonabile carmen,
Melpomene dulci concentu barbita mouit,
Grataq; Terpſichore calamos inflare parauit,
Aſt Erato diuûm iucundos repperit hymnos,
Harmoniam numeris, ſaltusq; Polymnia iunxit,
Vranie aſtrorumq; chorum, cœliq; rotatus,
Comica vita Thalia tibi eſt, moresq; reperti.

Nunc attende, quantũ meis præſtent Græca, & elegantia & venuſtate: ſed Græcè neſcientibus, opem qualicunq; modo ferre iuſtum fuit.

Καλλιόπη σοφίην ἡρωίδος εὗρεν ἀοιδῆς,
κλειὼ καλλιχόρου κιθάρης μελιηδέα μολπὴν,
εὐτέρπη τραγικοῖο χοροῦ πολυηχέα φωνὴν,
μελπομένη θνητοῖσι μελίφρονα βάρβιτον εὗρε;
τερψιχόρη χαρίεσσα πόρεν τεχνήμονας αὐλοὺς,
ὕμνους ἀθανάτων ἐρατὼ πολυτερπέας εὗρε,
τέρψιας ὀρχηθμοῖο πολύμνια πάνσοφος εὗρεν,
ἁρμονίην πάσεσι πολύμνια δῶκεν ἀοιδαῖς.
οὐρανίη πόλον εὗρε καὶ οὐρανίων χορὸν ἄστρων,
κωμικὸν εὗρε θάλεια βίον τε καὶ ἤθεα κεδνά.

Sed & Latinũ hoc quoque eſt epigramma, quod inter Vergilij poematia legit.

Carmina Calliope libris heroica mandat.
Clio geſta canens, tranſactis tempora reddit.
Dulciloquis calamos Euterpe flatibus vrget.
Melpomene tragico proclamat mœſta boatu.
Terpſichore affectus citharis mouet, imperat, auget.
Plectra gerens Erato ſaltat pede, carmine, vultu.
Signat cuncta manu, loquitur Polyhymnia geſtu.
Vranie cœli motus ſcrutatur, & aſtra.
Comica laſciuo gaudet ſermone Thalia.
Mentis Apollineæ vis has mouet vndiq; Muſas.
In medio reſidens complectitur omnia Phœbus.

Sed iam Muſarum cognomina, quorum frequens apud auctores mentio, paucis recenſeamus. Sunt igitur in primis Muſæ nymphæ nuncupatę, quod Acron notat illo Horatij verſiculo:

Vidi docentem, credite poſteri,
Nymphasq; diſcentes.

Item Vergilius, Nymphæ noſter amor Libethrides. Huc adde, quæ de nymphis Lydorum traduntur, quæ & Lydiæ Muſæ dictæ ſunt. Cùm enim Carius Iouis & Torrebiæ filius, errabundus vagaretur, ad paludem quandam, quam

ipſe ex matris nomine Torrebiam appellauit, peruenit: ibíq; Nympharum quas indigenæ Muſas vocabant, auditos cantus edidicit, Lydióſq; modos edidit, vt Nicolaus prodidit, & Stephanus.

Virgines etiam, id eſt παρθένοι Muſæ dictæ ſunt, quoniam diſciplinæ, vti virgines, abditæ, & non fuco comptæ eſſe videntur, natiuo ſcilicet decore contentæ: id quod & de bonis literis dicere conſueuimus, quæ ideo interiores, abditæ & reconditæ à Cicerone in primis appellantur. ſed & Lucianus quodam Dialogo eas Virgines, id eſt παρθένους vocat: id quod & Zezes in commentariis in Heſiodum. Sed quo modo virgines, ſi Clius & Magnetis, Ialemus & Hymenæus filij fuere? Euterpes autem & Aſtrymonos Rheſus, vel ſecundum alios Terpſichores? Apollinis verò Carbantis & Thaliæ Palæphatus? Vraniæ et Apollinis, vel Pieri terrigenæ Linus? Melpomenes quidem, vel iuxta alios Terpſichores & Acheloi Sirenes? Terpſichores verò, vel Melpomenes & Lini Apollinis, vel ſecundum alios Lari, Melpus? Erato & Aethlij Endymionis, vel Philamonis, Thamyris? Polymniæ verò, & Celei, ſiue Chimarrhi Martis, Triptolemus? Calliopes & Oeagri, Orpheus? quibus & allegorias ſubiungit perbreues, idem qui ſuprà, Ioannes Zezes.

Camenæ vocantur & Muſæ, quaſi Caniene, à cano, vt plures exiſtimant. Varro tamen Caſmenas primùm dictas ait, inde Carmenas, poſtremò ablata r litera Camenas.

Heliconiades, ab Helicone Bœotiæ monte, in quo primi Otus & Ephialtes Muſis ſacra fecère, eúmque mõtem Muſis ſacrum eſſe voluère. ſed & Heliconẽ fluuium quidam eſſe voluerunt, qui per ſeptuaginta ſtadia lapſus ſub terrã fluit, inde erumpit, & pro Helicone Baphyras dictus. Quidã rem in Orphei necem retulerunt, ne homicidæ mulieres Cicones ſe abluerent. Nicandri interpretes Heliconem etiam Meliſſum appellant. Sed enim ſunt inter ſcriptores, qui Heliconiadas Muſas ab inſtrumento muſico deriuant, cuius inſtrumenti mentio eſt apud Ptolemæum in muſica. Fuit & Helicon ſtatuarius artifex, cuius eſt in Græcis prouerbiis hiſtoria.

Parnaſſides Muſæ appellantur à Parnaſſo Phocidis regionis monte, qui & Larnaſſus vocatus, Stephano & Tarrhæo Lucil. teſtibus, à larnace, id eſt ab arca Deucalionis, quæ eò delata fuit. poſt diluuium verò à Parnaſſo heroe montis incola Parnaſſus vocatus eſt, vt Hellanicus ſcripſit. Alij à Parnaſſo Cleodoræ nymphæ & Neptuni, ſiue Cleopompi filio. In Parnaſſo alternis annis Bacchanalia, id eſt Trieterica agebantur, vbi Satyrorum frequens cernebatur cœtus, & frequentius voces exaudiebantur, & cymbalorum crepitus, id quod & Macrobius poſt Pauſ. annotauit. Sanè Higynus in lib. de trietericis ita prodit: Liber cum in Indiam exercitum duceret, Nyſo nutricio ſuo, dum ipſe inde rediret, regni Thebani poteſtatem tradidit. Sed poſteaquàm inde reuerſus eſt Liber, Nyſus regno cedere recuſauit. Liber cum nutricio contendere noluit, paſſúſq; eſt eum regnum obtinere, dum occaſio ſibi regni recuperandi daretur. itaque poſt annum tertium cum eo redit in gratiam, ſimuláta; in regno ſe ſacra facere velle, quæ Trieterica dicuntur, quæ poſt annum tertium fiebãt: militéſq; muliebri ornatu pro Bacchis introduxit, & Nyſum cepit, regnúmq; ſuum recuperauit.

Aonides Muſæ, ab Aoniis montibus frequentiſſimè dictæ, qui montes & Aones dicti: vt illud,

Aonas in montes vt duxerit vna ſororum.

Bœotia quoque regio & ipſa Aonia denominata eſt, à cuius etiã populis Hyantiis, Hyantiæ ſorores Muſæ dictæ ſunt. Vnde magis mirum, viros alioqui eruditos illud adhuc apud Statium malè enunciare, Et Pæan & Euantiæ ſorores: cùm Hyantiæ legendum ſit, ſyllaba id etiam manifeſtante, quæ in hoc breuis, in illo producta eſt.

Cytheriades quoque nuncupatæ à Cytherone monte, qui à rege antiquo Cythe-

Cytherone, teſte Pauſ. dictus fuit: vel vt alij, à Cithara.

Pierides, vel Pieriæ Muſæ, cognominatę à Piero monte, vt Feſtus ait; & Cicero. Stephanus tamē Pieriam ciuitatem & regiunculam nominat. ſed Apollonij Rhodij interpretes, Pieriam montem Thraciæ aſſerunt; in quo verſatus ſit Orpheus. Græci Heſiodi expoſitores Pieriam Macedoniæ montem eſſe tradunt, in quo genitæ ſint Muſæ, qui mons Thraciam vſque attingere dictus eſt. quod ea ratione fictum arbitramur, quoniam primus apud Græcos & ſapiens & poeta & theologus Orpheus in hæc loca diuerſatus eſt. vel ſi Ouidio poetæ credimus, Pieriæ Muſæ dictæ ſunt à Pieri & Anippes filiabus, quæ cū veris Muſis auſæ ſunt decertare, vnde victæ in picas mutatæ fuerunt. Pierum etiam vetuſtiſſimum poetam legimus, à quo Græcorum nonnulli Muſas aiūt lepidis adeò carminibus celebratas, vt ab eo etiam Pieriæ nuncupatæ ſint. Alij verò, quòd Pierus Macedo, à quo mons cognominatus eſt, cùm Theſpias profectus eſſet, primus Muſas nouem ſtatuerit, id quod in Bœoticis ſcribit Pauſanias, & ipſe in Poetarum hiſtoria retuli.

Pegaſides inſuper Muſæ nuncupatæ, vt Feſtus docet, à fonte quem Pegaſus ictu vngulæ fingitur aperuiſſe. ob quam cauſam & fons Hippocrene, & Muſæ ipſæ Hippocrenæ dictę: cuius fontis aquas vocales fuiſſe, plurimi poetarum cecinere. Sidonius.

Texerunt vitreæ vado Hippocrenes,
Tunc hac merſus aqua loquacis vndæ. Et reliqua.

Statius Papinius in epithalamio Stellæ poetę:

Et de Pieriis vocalem fontibus vndam.

Pindari cōmētator fabulam in allegoriam refert, quòd ſcilicet poetæ ſoliti eſſent canere carmina: vel propter muſicā quæ fit ex aqua, cuius & nos alibi meminimus, in Muſis ſcilicet. hinc Hydraulica & muſica, & Silani.

Aganippides etiam Muſæ ab eodem fonte appellatæ ſunt, qui fons etiā Aganippe vocatus eſt. alij in Helicone fontē ſtatuunt, ſic ab Aganippe Termeſſi fluminis filia. fuit autem Termeſſus, vt Pauſ. ait, fluuius circum Heliconem. Multa hîc conſultò prætereo: quæ de Pegaſi equi fabula afferre poſſem.

Iliſſides, quæ & Iliſſiades, Muſæ nuncupatæ ſunt ab Atticæ flumine Iliſſo, vt in Attica Pauſanias docet. Stephanus tamen ab vrbe Iliſſo dictas exiſtimauit, teſtémq; vocat Apollodorum.

Theſpiades verò Muſę vocantur, non vt quidam putant, à Theſpia matre vel nutrice, quod nuſquam apud idoneos auctores compertum: ſed à Theſpia, vel Theſpiis (vtroq; enim modo dicitur, vt ait Stephanus) ciuitate Bœotię, vbi pręcipue Muſæ colebantur. Si quis tamen ſcire deſiderat, quo nomine vocata fuerit Muſarum nutrix, is in primis Hyginum legat in Aſtronomico poetico, & in Aratum Latina commentaria, quæ in Baſſum à quibuſdam referuntur. vtrique enim eam Euphemen vocant, quæ Crotonem filium habuit: qui Muſarum precibus, quod inter eas eſt verſatus, & ab eis muſicam edoctus, ab Ioue eſt inter ſidera collocatus, & ſagittarij nomen habet. Huius quidem Euphemes ſtatuam Pauſ. in Helicone poſitam fuiſſe ait ad Muſarum lucum.

Libethrides à Magneſię fonte Muſis ipſis conſecrato, Muſæ nuncupatæ ſunt, cuius Plin. & Solinus meminēre. Strabo in nono, Libethri etiā meminit: Hoc in loco, inquit, conſecrata eſt Muſis ædes, fonsq; Caballinus, & Libethriadū ſpelunca nympharum. Vergil. Muſæ noſter amor Libethrides. Sed enim Libethrium montem 30 ab vrbe Corona ſtadiis Pauſanias diſtare ſcribit, in quo & fons, & Muſarum Libethriadum ſimulachra fuiſſe traduntur. Fuit & Libethra ciuitas in monte Olympo, vel Dionyſij oraculo memorabilis, de non eruendis à ſue oſſibus Orphei. qua de re multa in Poetarū hiſtoria retulimus. Hinc emanaſſe quidam volunt illud, ἀμουσότερος Λειβηθρίων: hoc eſt, Libethriis inelegantior.

Pimpliæ Muſæ dictæ ſunt in Macedonico Olympo, à fonte Pimplia, vt Heſychius tradit. vel vt ait Porphyrion, à monte vel fonte eiuſdem regionis: vt verò Apollonij Rhodij interpretes ſcribũt, à Pimplia regione, quæ fuerit prope Pieriam. Literarum tamen quidam, vt videtur, parũ gnari, Pipleades potius quàm Pimpleades vocitant. Græci certè, quorum hoc eſt vocabulũ, tum πίμπλεια, tum πίμπλια, hoc eſt, cum ει diphthongo in penultima, & ſine, enunciant, non πίπλια. Videtur tamen Varro de Lingua Lat. Pipleades nuncupare, ſicuti etiã Acron: qui eas ab aliquibus à Peplo veſtis genere dictas ait, vel ab Orchomeniorum monte Pimpleo. Non deſunt inter grammaticos, qui hîc meras nugas confingant, quæ præteruolandæ à nobis potius quàm adſcribendæ ſunt.

Caſtalides Muſæ nominatæ ſunt à Parnaſſi fonte Caſtalia, cuius aqua potu ſuauis fuiſſe traditur: quanquam apud Stephanum, Caſtalia ſit Ciliciæ ciuitas. Nicephorus in interpretatione Syneſij, fontem eſſe prope Antiochiam Syriæ, vbi oracula redderentur, teſtatum reliquit. Idem multo ante Nicephorum ſcripſere Clemens Alexandreus, & Euſebius Pamphili. Mythologi quidem Caſtaliam ferunt virginem quampiam fuiſſe, quam cùm ardentius Apollo deperiret, eiq; vim inferre ſtuderet, ſeſe in fontem ipſam præcipitaſſe, à cuius nomine fons Caſtalius cognominatus eſt. Idem Cœlius Lactantius, vel Lutatius grammaticus. At verò Probus: Caſtalius, inquit, fons eſt Delphis in Apollinis oraculo, qui abluit ipſam aram dei, dictus à Caſtalio Delphici Apollinis filio. alij à Caſtalio patre Thyiæ, vnde Thyiades Bacchæ nymphæ vocatæ ſunt. Panyaſis vetus poeta Græcus, Caſtaliam hoc verſu Acheloida vocat,

Caſtaliam aduenit, diuinam Acheloidos vndam.

(Sic enim ego ex tempore luſi) quo fit, vt nonnulli Acheloi filiam Caſtaliam exiſtimarint.

Corycides adhæc Muſæ appellatæ ſunt à colle, vel antro potius Corycio, in Parnaſſo, Delphis proximo, cuius meminit & Laertius in vita Pherecydis, & Apollonij Rhodij commentatores: qui nuncupatum illud aiunt à nympha Corycia, cuius & Apollinis Lycoreus filius fuit, à quo Delphici incolæ Lycores nuncupati ſunt. aliæ ſint licet de iis populis opiniones, quæ noſtri nunc nõ ſunt inſtituti. Alterum prętera antrum Coryciũ memorabile in Cilicia fuit, de quo Mela & Solinus. Fuit & eo nomine vrbs, vt Herodotus & Strabo prodiderunt. quin & Stephanus multis in locis vrbes eius nominis commemorat.

Mnemoſynides Muſæ quoque vocatæ fuere, à matre Mnemoſyne, quæ eſt memoria.

Pateidas, ait Feſtus Pompeius, Muſas appellatas, à fonte Macedoniæ, propter liquoris eius vnicam ſubtilitatem.

Ligiæ etiam Muſæ dicuntur, vt in Phędro ſcribit Plato: ſiue propter ſpeciem cantus, ſiue propter muſicum genus canorum, quod Ligium nuncupatur.

Olympiades & Varro Muſas nominat, ab Olympo monte, carmen illud aſſerens,

Muſæ, quæ pedibus magnum pulſatis Olympum.

Quod quidem carmen ab Homero deductum videtur, qui Muſas aliquoties inuocat Olympia tecta habitantes, hôc carmine,

ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι, ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχοντες. cuius etiamnum hemiſtichiũ cùm apud alios, tum apud Heſiodum legitur. Sed & Olympiadas Terentianus Muſas hoc verſu vocat,

Carmen ſummè dediſtis Olympiades mihi Muſæ.

Item Heſiodus in Theogonia,

Μοῦσαι ὀλυμπιάδες κοῦραι διὸς αἰγιόχοιο.

χρυσάμπυκες Muſæ etiam à Pindaro in Iſthm. vocatæ ſunt, quòd videlicet or-

namentum

namentum aureum in capite geſtarent. παρὰ τὸ χρυσίον & ἄμπυξ, qui ornatus eſt capitis muliebris.

Ardalides adhęc Muſæ cognominatæ, ab Ardalo Vulcani filio, qui cùm ad Trœzenios tibias & Muſas detuliſſet, eas ita à nomine ſuo appellauit, auctor Plut. in Sympoſio, & Stephanus, qui ita ſcribit: Ardalides & Ardaliotides in Trœzene coluntur Muſæ: ſic ab Ardalo dictæ quopiam, vel à loco. Addit amplius Pauſan. fuiſſe apud Trœzenios aram veterem, ſuper quam Muſis & Somno diuinā rem faciebant, quòd ſcilicet Muſis ſomnum cōuenire arbitrabant.

Mæonidas demum Muſas interdum vocat Ouid. à Mæonia, vt putat, regione: vel ab Homero, qui Mæonius dictus eſt, à Mæone magno patruo & tutore: vel à Męone Lydorum rege, qui Homerū aluit, vt in eius vita legitur apud Plutarchum. Sunt tamen qui apud Ouidiū in Metamorph. Myonias legant, vt quędam habent exemplaria, à Myonia Phocidis vrbe, de qua Pauſ. & Stephanus.

Hęc ſunt Muſarum cognomina, quæ collegi. Si de Muſis forſan noſſe plura deſideras, noſtrum lege, ſi vacat, de Muſis Syntagma.

SYNTAGMA OCTAVVM, DE BACCHO, PRIAPO, ALIIS, AD ILLVSTRISſimum Herculem Bentiuolum.

Cui dono damus hos duos libellos,
Incultos licet, & parùm politos,
Hercules, tibi? qui columna ſolus
Nunc es Bentiuolæ domus relicta,
Et quidem tibi iurè, qui Gyraldi
Soles nonnihil æſtimare nugas.
Dianam & Bromium hîc deos habebis:
Hunc ſcenæ patrem, & Enthei furoris:
Venatrix alia eſt dea, & remota.
Hos legas, rogo, poſt tuas Camœnas,
Vel quæ Lydia, vel Latina cantant,
Culto (Iupiter) aureoq́ plectro.
Quare hoc, quicquid id eſt, tibi dicatum,
Di faxint maneat, precor, perennè,
Noſtra nota fides ſit vt perennis.

PErmulti ſunt Illuſtriſſime Hercules Bentiuole, qui modò benè comptam & ornatam habeāt familiam, & equos bene curatos, & ſtratos pulchris ephippiis, & canum omnis generis turmas, itemq́ ædes magnificas, aulæis & periſtromatis ornatas, nihil præterea curāt, ac optāt, etiamſi ipſi indocti ac imperiti & ſint & habeantur. quibus id iurè dici poteſt, O viri qui præſtantes eſſe vultis, veſtræ quidem domus & familiæ & iumenta rectè ſe habent, cæteraq́ domeſtica: vos autem, ſi per voſmetipſos quàm deformes ſitis, & ſordidati, videre poſſetis, iurè ac rectè illud de vobis dici poſſe videretis, quod de huiuſmodi hominibus, prudentiſſimus & eloquentiſſimus Demoſthenes, & philoſophus Diogenes dicere ſolebant: quorum alter vos oues aureo vellere opertas vocabat, quæ diuites quidem eſſent operimento, cæterùm ipſæ ſine ratione: ſic eiuſmodi homines ipſi rudes ſunt, & ignari. alter verò, caprificis in præcipitiis & altiſſimis ruinis ortis, ſimiles hos ipſos arbitrabatur, quorū ficus non homines, ſed corui & graculi decerpant & paſçantur. Sic hoc tempore plurimos, mi doctiſſime Hercules, videas, qui diuites & nobili loco nati, nihil aliud curant, nihil ſatagant, quàm videri tales. Tu verò nec illa ſpreuiſti, ſed te intus longè magis ornare ſtudui-

ſti: non veſtibus dico (id quanquàm nec negligis pro dignitate, & domus ſplendore) ſed virtutibus, ſed literarum ſtudiis, & his artibus omnibus, quæ ſunt libero homine digniſſimæ. quod veriſſimum eſſe iudicabit, qui te in omni muſices genere canentem audierit, & qui literarum tuarum elegantiſſimas notas conſpexerit. At quid hæc ipſe commemoro? quæ nec tu libenter audis? vt qui potius laudanda facere velis, quàm coràm laudari. Nam & iſta iam pleriſque omnibus nota ſunt, quæ tu vel Latino, vel Italico vernaculo, id eſt Hetruſco ſermone ſcribis: quorum etiam pleraque in lucem data apparent, vt ſunt Comœdiæ, Satyræ, Epigrammata, & permulta alia. Quibus de rebus omnibus duo hæc mea Syntagmata tibi dono dare conſtitui, vt ſub tuo nomine in vuulgus prodeant: in quibus Syntagmatibus Dionyſij & Dianæ fabulas recenſui, & eorum cognomina: quorum hæc venationi, ille furori poetico, & toti ſcenæ apud gentes præfuere. Qua vtraque re tu delectaris: et venatione quidem, vt corpus exerceas, ad eius tuendam valetudinem: et poetica, vt animum exornes, & quamplurimis prodeſſe poſſis. Accipe igitur Illuſtriſſime, ac doctiſſime Hercules hæc noſtra, ita vt in tua tutela ſuſcipias: né ve maledicorum venenis pateant, tuæ correctionis antidotum eis adhibere velis. Vale, & me, quod facis, tuo amore foue. Ex grabatulo noſtro.

BACCHVS, DIONYSIVS, ALII.

BACCHI, ſeu Dionyſij cognomina antequàm explicemus, prius diſquirendum videtur, quot hoc nomine fuerint. nam quamuis de omnibus ſimul agendum, nonnihil tamen lucis ipſa tibi diſtinctio afferre poterit. Philoſtratus ergo in Apollonij Tyanæi vita, Dionyſios tres fuiſſe ait, Thebanum, Indicum, & Aſſyriū. Diodor. itidem Siculus proditum ait, tres diuerſo tempore fuiſſe. primū Indum, ex Ammone & Amalthea genitum, qui barbatus Dionyſius dictus eſt, quòd Indorū more barbam nutriret: & Lenæus, quòd vinum ex racemis in torculari exprimere docuerit. alterum Dionyſium Ioue natū & Proſerpina, vel Cerere, quem primū ferunt boues ad aratra iunxiſſe. tertium Thebanum, Ioue item & Semele natū. At verò noſter M. Cicero lib. de Nat. deorum tertio, quinque connumerat: Multos, inquit, Dionyſios habemus: primum, Ioue & Proſerpina natū: ſecūdum Nilo, qui Nyſam dicitur condidiſſe (ſunt tamen qui Nyſum, non Nilum hoc Ciceronis loco legant:) tertium Caprio patre, eúmque Aſiæ regem præfuiſſe dicunt, cuius Sabazia ſunt inſtituta: quartū Ioue & Luna, cui ſacra orphica putantur confici: quintum Nilo natum, & Thyone, à quo Trieterides conſtitutæ putant. hæc ferè Cicero. Quod autem Dionyſium primum ait ex Proſerpina & Ioue natū, idipſum & Orpheus in hymno teſtatur canens, διὸς ἠδὲ φερσεφονείης ἀῤῥήτοις λέκτροισι τεκνωθείς. hoc eſt, Iouis & Proſerpinæ ineffabilibus lectis genitus. Communis tamen poetarum opinio, Bacchū Iouis & Semeles filium facit. hinc Bacchus ipſe in priore in Dionyſium hymno, vt aliquando è Græco conuerti:

Ipſe ego ſum Dionyſus Eribromus, edidit ipſa
Me mater Semele, ſummo commixta Tonanti.

Qua de re conſentiunt Diod. & Euſeb. & quidem pluribus, quæ nos ita breuiſſimè repetimus. Cadmum ij tradunt Agenoris filiū, ex Phœnicia ad quærendam Europam, quæ fuerat ab Ioue rapta, à rege miſſum fuiſſe: & cùm non inueniret, tandem in Bœotiam deveniſſe, ibique Thebas condidiſſe. cúmque Harmoniā Veneris filiam duxiſſet vxorem, Semelem & ſorores eius genuiſſe. Ioue autem Semelis amore capto, & ea multis artibus potito, Iunonis fraude, Semele Iouē tandem exorat, vt ad ſe, vti ſolitus eſſet ad Iunonem, accederet: illam non tuliſſe fulgura & tonitrua, exanimatámque conflagraſſe. edito abortu infante, Iouē femori ſuo puerum aſſuiſſe, perfecto partus tempore fœtum edidiſſe, in Dracano nubiloſo, vt canit Theocritus. ita enim ſcribit in Bacchis, ſeu Lenis poemate:

——Quem

—— *Quem Dracano in nebuloſo*

Iuppiter exoluens ingens femur, edidit altus.

Hoc quidem de Iouis femore Tireſias aliter interpretatur apud Euripidem in Bacchid. multis verſibus. Addunt præterea fabulæ, Parcas ipſum anguibus cinxiſſe, illis quidem immanibus, innoxiè tamen pueri ora lambentibus. Vnde eſt illud poetæ Catulli de Bacchi comitibus:

Pars ſeſe tortis ſerpentibus incingebant.

Beatus etiam Epiphanius libro tertio contra Hæreſes, hos Bacchi ſerpentes ridet, vt in Euan dicam. Poſt hęc Mercurius ab Ioue traditum puerum ad Nyſæ ſpecum detulit, nymphis Nyſæis educandum, quo in loco Dionyſium nuncupatum ferunt, de patris & Nympharum nomine. In eodem loco ferūt vitis & vini vſum, & plantandi rationem docuiſſe: potionem pręterea ex hordeo decocto confectam, quam zython Gręci, noſtri ceruiſiam, aliiſq; nominibus appellant. Ipſum dein cum exercitu non virorum ſolùm, ſed & mulierum, terrarum orbem luſtraſſe aiūt, impiis ac iniuſtis hominibus, atrociſſimè pœnis & ſuppliciis affectis. hactenus meis verbis, quæ illi pluribus diſſeruêre. Sed enim & μέθη, id eſt temulentia vel ebrietas, comitari dicitur Bacchum: cuius ebrietatis ſignū Pauſiam pictorem feciſſe his verbis ſcribit in ſecūdo Pauſ. μέθη, inquit, ab eodē Pauſia facta, bibit ea è vitrea phiala. expreſſa ita eſt in tabula vitrea phiala, vt per eius perſpicuitatem muliebre ſe os oſtendat. Porrò & illud notamus, noctuam auem inuiſam fuiſſe huic deo, vtpote cui vitem denegarit, ſolámque à ſuis racemis abegerit, quòd mortalibus vinum criminata ſit. Quin & illud proditum eſt, ſi infantes noctuæ oua aſſumpſerint, perpetuò vinum ôdiſſe, & id non modò non bibere, ſed & temulentos formidare, vt Philoſtratus auctor eſt. Bacchus igitur vocatus ἀπὸ τ͂ βαχεῖν, hoc eſt, ab incompoſitè vociferando: quidam à coronæ genere, quę Bacche dicebatur, deriuant. Baccha, inquit Varro, vinum in Hiſpania. Euſtathius dici voluit ἀπὸ τ͂ βαχεῖν, quod ſignificat vlulare, & inconditè clamare, vt bacchę facere ſolebant, mox κ litera addita fuit, vt maior ac ſonantior fieret, terribiliórq; vocis expreſſio: quo modo & nonnulli etiam in Iaccho contigiſſe putant. Gręci aliquot Bacchum non dei nomen eſſe tradunt, ſed ſacerdotis Dionyſij nomen, & rami cuiuſdam, quo in eius dei ſacris vterentur, in quibus & βακχίβακχος acclamabatur, vt Heſychius prodidit: & perinde etiam βακχεύω, fureo & inſanio: & βακχεία Dionyſij celebritas, quę à noſtris Bacchanal, & Dionyſia Bacchanalia dicuntur. Sed ex rixis quidem & contentionibus, quæ vino ſupra menſuram hauſto ſeminantur, & clamorib. ex ebrietate fuſis, facta ſunt etiam illa huic deo cognomina: ἐραφιώτης, ἐρίβρομος, & ἐριβρεμέτης, de quibus ſeorſum agemus. ἔρις enim, vt noſti, rixam & litem ſignificat. Sed & Enyalius, id eſt Martius, hic deus cognominatus eſt, teſte Macrobio. Colebatur etiam apud Lacedęmonios Liberi patris ſimulachrum haſta inſigne, non thyrſo. Sanè thyrſus haſta fuit, cuius mucro hedera lambente protegebatur: quod ſignificabat, inquit Macrobius, vinculo quodam patientiæ obligandos impetus furoris. habet enim hedera vinciendi obligandíque naturam: vini verò calor ad furorem ſępe hominem propellit. Phurnutus quidem thyrſum ideo Baccho ait attribui, quòd ebriorum pedes ſuum officium haud planè peragant. Alij putāt, quòd rarò compotationes ſine rixa & lite finiantur, vt Lapitharum & Centaurorum fabulæ declarant. Notiſſima eſt fabula de Lycurgo, qui Baccho inſidiabatur, apud Homerum, ab Ouidio aliiſq; repetita. Sed ab Hygino in fabulis latius explicata. Phurnutus hanc ita interpretatur. Bacchum, ait, fugientē Lycurgi inſidias ad mare perueniſſe, eúmq; à Thetide ſeruatum. vites interpretatur Bacchi nutrices, Lycurgum vindemiatorem, vinum autem marina aqua mixtū conſeruari. Nunc quęſo rem ridiculam audi, quam conuiua Vlpianus, vt puto, narrat in cœnis apud Athenæū, de Bacchi origine. Ignorare, inquit, mihi videmini

conuiuæ,auum Dionyſij Cadmum cocum fuiſſe.illis autem tacentibus, Euhemerus(ait)Cous in tertio ſacræ hiſtoriæ libro ita prodidit,auctoritate Sidoniorum,Cadmum regis cocum fuiſſe,qui ſumpta Harmonia tibicine regis aufugit. hæc ille.ex quibus præter rei nouitatem,Coum etiam videmus appellatum Euhemerum,cùm Meſſenium,vel Tegeaten aliàs:id quòd in eius vita, in Poetarũ hiſtoria oſtendimus.Puderet me hoc loco fabulam referre,niſi eam vir ſanctus Arnobius recitaret lib. v.aduerſus Gentes:Cùm,inquit,inter homines eſſet adhuc Nyſius & Semeleius Liber,noſſe inferos expetiuit, & ſub Tartari ſedibus quidnam rerum ageretur inquirere.Sed cupiditas hæc eius nonnullis difficultatib.impediebatur,quòd quà iret ac pergeret,inſcitia itineris neſciebat. Proſumnus quidam exoritur,ignominioſus amator dei,atq; in nepharias libidines ſatis pronus,qui ſe ianuam Ditis atq; Acheruſios aditus pollicetur indicaturũ,ſi ſibi gereret morem deus,atq; vxorias voluptates pateretur ex ſe capi. Deus facilis,iurat poteſtatis futurum ac voluntatis ſe eius, ſed cùm primùm ab inferis compos voti atq; expeditionis rediſſet.viam comiter Proſumnus ediſſerit, atq; in limine ipſo proſtituit inferorum.Interea dum Liber Stygem,Cerberum, Furias,atq; alias res omni curioſa inquiſitione luſtrat,ex viuentium numero index inde decidit,atq; ex more ſepelitur humano.emergit ab inferis Euhyius, & recognoſcit extinctum ducem:qui vt fidem compleret pacti, & iurandi ſolueret religione ſe iuris,locum pergit ad funeris,& ficorum ex arbore ramum validiſſimum præſecans,dolat,runcinat,læuigat, & humani ſpeciem fabricatur in penis.Figit ſuper aggerem tumuli,& poſtica ex parte nudatus accedit: ſubdit, inſidit.laſciuia deinde luxuriãtis aſſumpta,huc atq; illud clunes torquet, & meditatur ab ligno pati,quod iamdudum in veritate promiſerat. hactenus Arnobius.qui & ideo Ithyphallos erigi inſtitutum aſſerit,& in hoc non Heraclitum ſolùm,ſed totam conteſtatur Græciam.Fabulam hanc eandem cõperio in Græco libello,qui inſcribitur ἱσόρια τῶν φώτων.Item apud Hyginum, dum coronam Ariadnæ deſcribit,ex his qui Argolica ſcripſerunt:ſed hominis viam oſtendentis,nomen non Proſumnus vocatur,ſed Hypolinnius,vel vt alia exemplaria habent,Hypolipnus.Polympnon appellat Greg.Nazianzen.in priore contra Iulian.in Græco verò libello πρόσυμνος etiam,& cum Arnobio conuenit, υ Græca litera in u noſtrum conuerſa,vt frequentiſſimè antiqui faciebant. & hoc etiam addit Hyginus,quod Bacchus ab Ioue patre impetrauit ad inferos deſcendere,vt inde Semelẽ matrẽ reduceret.& de hac fabula ſatis.Iã ad reliqua venio. Effingebatur itẽ varijs modis Bacchus,aliquos ego attingam. Simulachra,inquit Phurnutus,nuda fiebant,vt vini natura oſtenderet,quæ ſecreta reuelat. vnde illud eſt quod dici ſolet,In vino veritas.Effingebatur & puer imberbis.hinc Tibul.

Solis æterna eſt Phœbo Bacchoq; iuuenta,
Nam decet intonſus crinis vtrunq; deum. Ouid.in Metamorph.
—Tibi enim inconſumpta iuuenta,
Tu puer æternus,tu formoſiſsimus,&c.

Item cum corniculis in fronte Ouid.in Sappho,

Accedant capiti cornua,Bacchus eris.

Sed de cornibus Bacchi dicam in Bugene plura.Interdum puer,& lætus, quòd vinum modicè ſumptum hilares & lætos homines faciat. Senex etiam aliquando,& caluus,propter ſcilicet immodicam bibendi intemperiem, & quòd ex ebrietate arcana plerunque retegantur. Indi etiam ſenem barbatum,vt dixi, Dionyſium coluêre:hinc Macrob. in 1. Sat. Liberi, inquit, patris ſimulachra partim puerili ætate,partim iuuenili fingebantur.præterea barbata, ſpecie ſenili quoq;,& reliqua.Coronabatur pampinis,hedera,& ficulneis frondibus:pampino quidem, & ficu, ex memoria nympharum Staphylæ & Sicæ:hedera verò, Ciſſi pueri,qui fuerant in has plantas conuerſi. Effictus eſt aliquando in curru pampineo,& triumphans,qui pantheris modò,modò tigribus ac lyncibus trahebatur,

trahebatur. Silenus pando aſello propter aſtans, Bacchis & Satyris thyrſos & ferulas vibrantibus, cæteróq; bacchantium comitatu tum preeunte, tum ſubſequente. Nam vt ſcribit Strabo lib. x. miniſtri & aſſeclæ Dionyſij putabãtur, Sileni, Satyri, Bacchæ, Lenæ, Thyiæ, Mimallones, Naiades, & Nymphæ, & Tityri. Porrò addit & Phurnutus σκιρτοὺς, Scirtos, & σκωνίδας, tum Panes, & Syluanos, & Baſſarides: & nos Mænades addamus, & ſi quæ alia huiuſcemodi ſunt fabulamenta potius quàm numina. Atq; hic Ariadnæ chorus dictus, vt puto, quem Dædalum ſtatuarium effinxiſſe ferũt in Cnoſo, ex albo marmore: cuius in Iliade meminiſſe videtur Homerus, in illo, ἐν δὲ χορὸν ποίκιλλον. Quem chorum etiam deſignaſſe videri poteſt Propertius in 2 Elegiarum:

Egit vt euantes dux Ariadna choros.

Philoſtratus Bacchi etiam imaginem in naui, elegantiſſimè deſcripſit, qua Tyrrhenis nautis furorem immiſit. eóſq; demum in delphinos cõuertit. Memini me has effictas nugas ſpectaſſe pulcherrimis ex muſino opere figuris in tẽplo olim Bacchi Romæ, nunc diuæ Agnæ dicato. Fabulam Homerus in hymnis, & Ouidius copioſe, ante alios, retulère. atq; de his hactenus. Porrò ab Indis Bacchus deus Saron nominabatur, qui vini confector interpretatus dicitur, vt Chares Mitylenęus ait. Sed iam inſtitutum ſequamur.

Dionyſus, & Dionyſius, Bacchus appellatus à patre Ioue, & Nyſa vrbe Arabiæ. nam poſt fulminatam Semelen, ait Diodorus, Iupiter ipſum infantem abſconditum in femur cùm continuiſſet, partus tempore in Nyſam Arabię vrbem nymphis Nyſæis educandum dimiſit: atq; inde ex Ioue & Nyſa, id eſt, à διὸς καὶ νῦσα, vocatus Dionyſius. Pauſ. tamen in Laconicis, Inò Dionyſij nutricem tradit. quod & Ouid. Quin etiam antrum oſtendi ait, in quo fuerit nutritus, vt alibi eſt copioſius relatum. Heſiodi interpres dictum ait, quaſi διδοίνυσος, à διδόναι videlicet τὸν οἶνον, quia ſit dator vini: quod ante ipſum & Plato prodiderat. Phurnutus tamen: Dionyſius, inquit, ἤτοι διόνυξος ὢν quaſi nos adaperiens. ἤτοι διαίνυσος τὶς, παρὰ τὸ διαίνειν ἡμᾶς ἡδέως, quia nos iucũdè ac ſuauiter irriget. vel dictus quaſi διάλυσος, inuerſione a in o, & l in n, quòd curas ſoluat modicus, vt nimius animum. vnde & Alyſius dictus, & Lyeus. Sed enim Macrobius: Dionyſius, inqt, à Phyſicis dictus, quaſi διὸς νοῦς, hoc eſt Iouis mens. Orpheus dictum innuit ἀπὸ τοῦ δινεῖσθαι, καὶ περιφέρεσθαι, id eſt, quòd circumferatur in ambitum, cùm ait,

πρῶτος δ' ἐς φάος ἦλθε, διόνυσος δ' ἐπεκλήθη,
οὕνεκα δινεῖται κατ' ἀπείρονα μακρὸν ὄλυμπον. hoc eſt:
Prodiit in lucem primus dictus Dionyſus,
Quòd ſuper immenſum & latum verſetur olympum.

Cleanthes verò dictum ait ἀπὸ τοῦ διανύσαι, hoc eſt à perficiẽdo. Dionyſium enim ſolem Phyſici interpretati ſunt, qua in re & Macrobius multum laborat. Artemidorus lib. II Onirocriticôn, & Suidas, etiam ipſi ἀπὸ τοῦ διανύειν deducunt, Sanè & Nyſęum, & Nyſium Dionyſium dictum plerìq; arbitrantur, à Nyſa Cythęronis, ſeu Heliconis monte: alij à Nyſa Arabiæ. Arrianus verò, & Q. Curtius, & Philoſtratus, à Nyſa Indiæ tradunt. quibus & Pomponius Mela his verbis ſubſcribit, de India agens: Vrbium, inquit, quas incolunt (ſunt autem plurimæ) Nyſa eſt clariſſima & maxima, montium Meros Ioui ſacer: famã hinc pręcipuam habent, quòd in illa genitum, in huius ſpecu Liberum arbitrãtur eſſe nutritum. vnde Græcis auctoribus, vt femori Iouis inſutum dicerent, aut materia ingeſſit, aut error. hęc Mela. At Stephanus, huius Nyſę nomine vrbes decem collegit, inter quas in Eubœa decimam retulit, vbi ait vna eadémque die vitem florere, & racemos maturos producere. Porrò à Nyſio Baccho Nyſeides, & Nyſiades nymphas legimus apud Ouidium, alióſq; poetas.

Liber pater Bacchus dictus eſt. Tibullus:

Candide Liber ades, ſic ſit tibi myſtica vitis,
Sic hedera ſemper tempora vincta feras.

Vocatus autem Liber eſt, vel à linguæ licentia, vt plerique putant: nam vini potu magis liberi mortales fiunt. vel potius, quòd animum curis liberet, & pellat triſtitiam. Ouid. in Arte:

Cura fugit multo, diluiturque mero:
Tunc veniunt riſus, tunc pauper cornua ſumit,
Tunc dolor & curæ, rugaque frontis abit. &c.

Nec hac de re pauciora Horatius. Liber, inquit Seneca, non ob licentiam linguæ dictus eſt inuentor vini: ſed quia liberat ſeruitio curarum animum, aſſerit, vegetatque, & audaciorem in omnes conatus facit. Sunt qui dicant, quòd in liberis ciuitatibus coleretur: quin & earum ſymbolum eſſet. vnde & Marſyas, eius miniſter, in ciuitatibus libertatis fuit indicium. Scribit Diod. Dionyſium in Bœotia iuſſiſſe in patriæ ſuæ gratiam omnes vrbes liberas eſſe, condita de ſuo nomine ciuitate, quam ideò Eleutheras nuncupauit. Plut. in probl. ait, Cur bacchū Liberum vocant? An quòd bibentibus libertatis cauſa ſit? fiunt enim plerique potu licentiores: An quòd libationem inuenit? An verò, ſicut Alexander ait, quod pro Bœotiæ libertate pugnauit, & ipſe etiam ἐλευθέριος, id eſt, Liber & Liberator cognominatus eſt? Pauſ. etiam in Attica, commemorat templum non magnum Bacchi ἐλευθερέως, id eſt, vt exponit Domitius, Liberatoris. Heſychius etiam eodem nomine cultum ſcribit. D. Auguſtinus Liberum appellatum ſcribit, quòd mares in coeundo per eius beneficium emiſſis ſeminibus liberentur: quod etiam agere in fœminis Liberam dicūt. Ob hoc Libero virilem corporis partem in templo poni, fœmineam Liberæ. libro verò VI. cap. IX. idem ſcribit Auguſtinus: Liberum, inquit, à libramento appellari volunt, quòd mares in coeundo per eius beneficium emiſſis ſeminibus librentur. hoc idem dicunt in fœminis agere Liberam quam etiam Venerem putant, quod & ipſam perhibeant ſemina emittere: & ob hoc Libero eandem virilem corporis partem in templo poni, fœmineam Liberæ: & ob hoc addunt, mulieres attributas Libero, & vinū propter libidinem concitandam. atque hæc Auguſtinus. M. verò Cicero lib. II. de Nat. deorum, his ſuperius dictis, quàm exponatur, melius intelligetur. Cùm enim alium eſſe dixiſſet Liberum Bacchum Semele & Ioue natum, à Libero quem Romani cum Libera & Cerere auguſtè ſanctéque conſecraſſent, ait, quòd quale ſit, ex myſterijs intelligi poteſt. Sed quòd ex nobis natos liberos appellamus, idcircò Cerere nati nominati ſunt Liber & Libera, quorum trium deorum templum Cor. Tacitus in ſecundo Annal. Romæ apud Circum max. conſtructum ait, ab A. Poſthumio dictatore votum, à Tib. Cæſ. inſtauratum. T. Liuius lib. I. Decad. V. Supplicatio, inquit, ad Cereris Liberi Liberæque fuit, quòd ex Sabinis terræmotus ingens cum multis ædificiorum ruinis nunciatus erat. Meminit Liberæ & Cereris, ſed & Liberi, ſed non ſimul, Cicero in VI. Verr. Sanè D. Auguſt. Liberam modò Venerem, modò Cererem dictam innuit. hæc eius verba in VII: Confert hoc idem quę Ceres, ſeu Venus, vt etiam in Cerere meminimus. Idem alibi: Ridet porrò ſacra Liberi, quæ cùm alibi, tùm Lauinij fierent impudentiſſimè, pudendorū virilium: lib. 7. cap. XXII. Porrò qui Liberum à verbo labi dictum putarunt, vt Liber quaſi Laber dicatur, valdè labi videntur.

Thyoneus etiam appellatus. Hor. lib. I. Carm. Nec Semeleius cum Marte cōfundet Thyoneus. à Thyone verò matre dictus, vt Diod. & Heſych. docent; & Cœl. Lutatius grammaticus in eo Stat. Theb. lib. V.

Tunc primùm ſeſe trepidus ſub nocte Thyoneus Detexit.

Idem ſcribit & Porphyrion in Horat. Ouid. Indetonſumque Thyoneum, dixit. Sunt qui Thyonem non matrem Bacchi, ſed nutricem faciant, vt poeta Panyaſis lib. Heracleiæ tertio. Sed hac de re plura Iſaacius in comment. in Lycophronem. Alij Thyoneum, à θύω. hoc eſt ſacrifico deducunt, propter orgia & myſtica ſacra: vel impeto, propter Bacchas & mænades. A' Thyoneo Thyonianus, Catullus dixit, in illo:

Migra-

Migrate, hic meus eſt Thyonianus.

Acron tamen contra aliorum opinionem ita ſcribit: Thyoneus filius Liberi fuit, qui in Chio inſula regnauit, pater Thoantis regis, cuius filia fuit Hypſipyle, quæ coniuratione facta aduerſus viros, ſola parentem ſeruauit. quam fabulam Statius narrauit ſuo carmine. Videtur tamẽ hîc erratum eſſe, & pro Chio, Leſbo legendũ. Thyonem quidam terram, vt eſt apud Diodorum in quarto: alij Semelem etiam Thyonem vocatũ tradunt. Sanè & Græci θίοινον, vt ait Heſychius, Dionyſium vocauêre, vnde videri poteſt Thyoneus dictus, quaſi Theœnius. Porrò & Thonidas à Rhodiis dictus Bacchus.

Dithyrambus Dionyſius cognominatus, quòd bis natus eſſe crederetur, ex matre ſcilicet Semele, & mox ex patris femore: quaſi, vt aiunt, duabus ianuis egreſſus: vel quòd in ſpecu ſit nutritus, quod δίθυρον eſſet, quod plenius in primo de Poetica dialogo declaratũ eſt. Sed in antro nutritum quidem Dionyſium, ait Pauſ. in Lacon. ab Ino etiam campum ante ipſum vocari διονύσου κῆπος, id eſt Bacchi hortum. Vel fortè Dithyrambus dictus, vt eſt apud Diod. Origenem, & Euſebium: quòd Dionyſius ipſe ex Ioue & Cerere natus, diſcerptus à Titanibus, & decoctus, à matre ſecundò cõpoſitus & refectus, reuixiſſe dicitur, ἀπὸ τοῦ δὶς ἐς θύρας ἀναβαίνειν, hoc eſt, à bis in ianuam ingrediendo. qua de re & Auſonius in epiſtola ad Paulum de Centone: Ne, inquit, in ſacris & fabulis aut Thyonianũ mireris, aut Virbium, illũ de Dionyſio, hũc de Hippolyto reformatũ: Quin & ab eodem, de Libero patre agente, Grecè vocatᷣ τιτανολύτης διόνυσος, hoc eſt à Titanibus diſcerptus Dionyſius. de hoc & Arnobius contra gentes: Et tamẽ, inquit, iſti qui hominem nos colere morte functum ignominioſa ridetis, nónne & Liberum vos patrem membratim à Titanibus diſſipatũ, fanorum conſecrationi aptatis? Idem item in V. ſic inquit: Sed & illa deſiſtimus Bacchanalia altera prædicare, in quibus arcana & tacenda res proditur, inſinuatúrq; ſacratis, vt occupatus puerilibus ludicris, diſtractus ab Titanibus Liber ſit: vt ab iiſdẽ membratim ſectus, atq; in ollulas coniectus vt coqueretur, quemadmodum Iupiter ſuauitate odoris illectus, inuocatus aduolarit ad prandium, cõpertáq; re graui graſſatores obruerit fulmine, atq; in imas tartari præcipitauerit ſedes: huius rei teſtimonium, argumentúmq; fortunę ſuis prodidit carminibus Thracius Orpheus. & adhuc Arnobius. Libet hîc tibi referre, quid hac de re tradat Macrob. ex Orphica theologia, de Libero, ſeu Dionyſio agens: Ideo, inquit, in illorũ ſacris traditur, Titaneo furore in mẽbra diſcerptus, & fruſtis ſepultis rurſus viuus & integer emerſiſſe, quia νοῦς, quem diximus mentem vocari, ex indiuiduo prębendo ſe diuidendum, & rurſus ex diuiſo ad indiuiduũ reuertendo, & mũdi implet officia, & naturæ ſuæ arcana non deſerit. hæc quidẽ Macrobius. Phurnutus eandem fabulã ad vuas vindemiatas, & in vinũ conuerſas transfert, & quidem ſubtiliter, quod & Diod. in quarto. Planiora nunc afferamus. Sunt qui tradant, ideo Dithyrambon appellatũ, ꝙ ebrij ac temulenti minimè arcana cõſeruent, quódque ſecreta & credita ex pectoris penetrali primùm, & deinde ex oris ſermone depromant: quoniã, vt ait Phurnutus, vinũ τὸ σῶμα δίθυρον facit: quod & in primo de Hiſt. poetarũ dixi. Phyſici quoq; ita interpretantᷣ, vt in vitium naturam referant, quæ ex Ioue & Cerere, id eſt cœleſti hymbre & ex terra racemos proferat, ex quibus vinũ exprimatᷣ. alia ab aliis traduntᷣ, & quędã in quarto à Diod. Hinc ergo & à Gręcis διμάτωρ, & in primis in hymnis ab Orpheo, et à noſtris Bimater vocatus eſt. Ouidius quarto Metamorph. & hoc, & alia multa Bacchi nomina commemorat, quę tibi hîc adſcribam, ne ea ſæpius repetere ſit neceſſe. ait igitur:

Thuraq́; dant, Bacchumq́; vocant, Bromiumq́; Lyæumq́;,
Ignigenamq́; ſatumq́; iterum, ſolumq́; Bimatrem.
Additur his Nyſeus, indetonſusq́; Thyoneus:
Et cum Lenæo, genialis conſitor vuæ:

Nyctelius q́;

Nyćteliúſq́, Eleleúſq́ parens, & Iacchus, & Euan,
Et quæ præterea per Graias plurima gentes
Nomina Liber habes.

Cicero quoq; in oratione pro L. Flacco, hæc Bacchi nomina commemorat, cum à Græcis laudari Mithridatem dixiſſet: Mithridatem deũ, inquit, illum patrem, illum conſeruatorẽ Aſiæ, illum Euhyum, Bromium, Nyſiũ, Bacchum, Liberũ nominabãt. quę nomina, & cętera, in hoc operis cõtextu interpretabimur.

Dictus & θρίαμβος, id eſt triumphus. Varro de Lingua Lat. ſic triũphare appellatum, quod cum Imperatore milites redeuntes clamitabãt per vrbem in Capitolium eunti, Io triumphe. id à θριάμβῳ Græco Liberi patris cognomento poteſt dictũ eſſe. dictus autem θρίαμβος, ἀπὸ τῶ θροεῖν, id eſt ab accinere, καὶ ἰαμβίζειν, id eſt maledicere, vnde & in bellicis triumphis multis anapæſtis conuitiantes vti conſueuerunt: & κίτ7αν, id eſt picam auem nugacem huic deo conſecrarunt, vt Phurnutus prodit. quin & primus Liber triumphum bellicum duxit.

Meliaſtes Dionyſius nuncupatus, teſte Pauſ. in Arcad. à fonte Meliaſtarum, qui prope Mantineam fuit ſpacio ſtadiorum VII. in cuius dei atrio orgia & ſacra ab indigenis celebrabantur.

Męonius etiam Bacchus vocatus, à regione vbi coleretur, & vites fœcundiſſimæ eſſent. Vergil. Cape Męonij carcheſia Bacchi.

Męonia verò, Lydia: vnde Bacchus Mæonius, Lydius, teſte Seruio.

Ligyreus Dionyſius nuncupatus, quòd coleretur à Ligyreis Thraciæ populis, apud quos adytum fuit Libero patri conſecratum, ex quo oracula reddebantur, mero copioſè epoto. Macrob. auctor, qui ſuper hoc citat Ariſtotelis Theologumena.

Bacchepęan Dionyſius, de quò ſic Macrobius: Præterea inquit, barbata ſpecie, ſeniliq; Dionyſius, vti Græcus eius quem Bacchapæan, item quem Briſſea appellant, & vt in Campania Neapolitani celebrant, Hebona cognominantes. Citatur hac in re illud Euripidis, δέσποτα φιλόδαφνε βακχεπαῖαν. Scribit Phurnutus vocatum ἰόβακχος, vt ſuprà memini.

Lyſius Bacchus in primis à Thebanis cultus fuit, templũ habens prope theatrum, vt eſt apud Pauſ. in Bœot. ſpectabátque ad portas Prœtidas. ideo verò Lyſius nuncupatus, quòd Thebanos à Thracibus vinctos ſoluerit, hoc eſt ἔλυσεν, παρὰ τὸ λύω. nam deus Thracibus ſoporem immiſit, quo illi ſunt à Thebanis occiſi. λυσίου Bacchi hymnus eſt apud Orpheum. Lyſij item mentio apud Pauſ. in Corinth. vbi de Dianæ Epheſiæ foro agit. Scribit & Plut. in ſeptem ſapientum conuiuio, quod & Diocles inſcribitur, Lyſium Bacchum cognominatum ex Biantis philoſophi verbis. hunc & Alyſion appellare videtur Phurnutus in Baccho. Sanè & Lyſiphobon Iouem antiqui coluêre, quòd metũ ſolueret. meminit Alicarnaſ. in VI. hiſt. Sed & Lyæus quoq; Bacchus vocabatur, quòd curis ſcilicet hominum mentes ſoluat, Ouid.

Cura fugit multo, diluiturq́ mero.

Quin & eadem ratione Lyſius etiam appellabatur, vt eſt apud Orpheum & Pauſaniam: et vtrunq; παρὰ τὸ λύω, ſoluo, denominatum videmus. Illud etiam addit Heſychius, quòd & ſacerdotes eius, Lyſij nuncupabantur. Sunt qui tradant, Lyæum vel Lyſium ideo dictũ, quòd non ſolùm membra ſoluat, ſed quòd etiam ex intemperanti potu ſæpe rixæ atque diſcordiæ oriantur, hominúmque communitas ſoluatur. Nonnulli & Alyſium vocant, ſi modo ſani ſunt codices: vt eſt apud Phurnutũ. Sanè Cœlius noſter ad me de ludis ſcribens, Lydos nationem olim fortem atque inuictam, ludos ait inueniſſe, & hinc deum Lydium religioſè cultum à veteribus, quem (inquit) alij Lyſium à ſoluendis curis appellare malunt.

Cephalena Dionyſium Methymnęi colebant, oraculo moniti. cùm enim aliquando

quando piſcatores iacturetis oleaginum caput cepiſſent, Apollinem conſulue runt, cuius vel herois vel dei eſſet capitis imago? reſponſum à Pythia acceperũt, Dionyſij Cephalem: & exinde ipſum coluêre. Pauſ. in Phocaic.

Lenæus Bacchus cognominatus, quòd leniat mentem, vt putauit Donatus. quem ideo Seruius damnat in Georg. nam, vt inquit, verbum Græcum nòn poteſt latinam etymologiam recipere. Euſebius & Diodorus, alijq; ἀπὸ τοῦ λήνου, id eſt torculari, deductum affirmant. Verg.

Huc ades, ô Lenæe pater, &c. Tibullus:

Odit Lenæus triſtia verba pater.

Orpheus in hymnis, ἐπιλήνιον vocat, eadem ratione, quòd vindemijs & torcularibus præſit. Scribit Heſychius, Lenæum ambitum ſeu circuitum, id eſt περίβολον magnum in vrbe, id eſt Athenis habuiſſe, & in ipſo fuiſſe Lenęi templum, in quo Athenienſes certamina ſua peragebant, antequàm eſſet theatrum conſtructum. Conſiderandum, an in Limnæis legendum. nam ſic ferè ſemper ſcriptum comperi in Græcis, vt infrà dicemus. A' Lenæo, Lenæon menſis denominatus. Videndum, an lenæ Bacchæ à Lenæo, an contrà dictæ ſint. Extat Theocriti Edyllium inſcriptum, λῆναι, ἢ βάκχαι.

Creſſius Bacchus dictus videtur, quòd defunctam Ariadnam Cretenſem ſepeliuerit apud templum ipſi deo dicatum. vide Pauſ. in Corinth.

Melanægis Dionyſius ex hiſtoria cognominatus eſt. nam cùm bellum eſſet inter Athenienſes & Bœotios, de Celænis vico in confinijs poſito, Xanthius Bœotius Chimœten Athenienſium regem prouocauit: quo recuſante, Melanthus Meſſenius à Periclymeno Nelei filio originem ducens, imperij cauſa pugnaturum ſe recepit. quare cùm pugnarent ſingulari certamine, quidam nigra hircina pelle indutus, poſt Xanthij terga Melantho apparuit, ipſúmq; iniqua facere dixit, quòd ſecundus veniret: quo dicto, reſpiciẽtem Xanthium interemit. qua ex re & feſtum Apaturia, à deceptione cognominatum fuit, de quo alibi diximus: & Dionyſij Melanægidos, hoc eſt nigricaprini templum conſtructum fuit, in rei memoriam. Melanægidi ergo Dionyſio, Muſarum, natandi, & nauium annua fiebant certamina: quod Pauſ. ſcribit, & Suidas in Apaturijs.

Aeſymnetes cognomentum Dionyſij fuit, qua de re ſic legimus: quod Eurypylus Eumonis filius in Troiana direptione ſit ſortitus arcam, Vulcani (vt ferebatur) opus, donum ab Ioue datum Dardano. alij, Aeneam hanc arcam aiunt reliquiſſe, dum fugeret. alij Caſſandram tradũt, capſam ipſam abieciſſe, futuram perniciem inuenienti. Vnde eam cùm Eurypylus recluſiſſet, inſanire cœpit per temporis interualla. conſultus Apollo pro remedio, reſpondit, Eurypylum ire debere ad Tricliniam Dianam, vbi virgo mactaretur. quod cùm feciſſet, & ipſe furore, & populus ille liberatus eſt ab humana hoſtia: & is qui præterlabebatur fluuius, pro ἀμειλίχῳ μειλίχιος, id eſt fauſto nomine pro infauſto nuncupatus. hiſtoriam pluribus in Achaicis Pauſ. eſt executus. Sunt qui ſcribant hoc contigiſſe, quo tempore Hercules Ilium cepit: nec Theſſalo Eurypylo Euæmonis, ſed Dexameni regis Olenio contigiſſe. Deus autem qui in arca, Aeſymnetes, id eſt rex vel præfectus Dionyſius eſt dictus: cui nouem è populo ſelecti, totidémq; mulieres, ſacra quotannis faciebant.

Hygiates Dionyſius, id eſt Salutaris colebatur: quid enim vino modico & tẽperato ſalubrius? Lege Galenum, Plinium, & Athenæum. eo verò nomine Pythia coli præcepit, vt notum eſt.

Σωτήρ, id eſt Seruator Bacchus cognominatus à Græcis, quoniam eos ſeruarit in Myſia, cùm ibi graſſaretur Telephus, cùm vitem obieciſſent: quę res ex dolo eius generis Sphaltes eſt appellata. Eſt & Soteris Bacchi mentio apud Plinium, ſed ob aliud.

Enorchus Bacchus etiam appellatus, quòd eius ſacra cum tripudijs & ſaltationibus agerentur: hoc eſt, παρὰ τῆς ὀρχήσεως. vel quòd quum Thyeſtes cum ſo-

rore concubuiſſet, natus ex eo coitu filius eo nomine, vnde deo inditum cognomen. Enorchon verò Dionyſium ait Heſychius in Samo appellari. Sanè ἔνορχα, quæcunque non caſtrata, & cum teſticulis, ſignificant: vnde fortè etiam Baccho nomen, quippe qui & Taurus dicitur, vt alibi diligentius eſt à nobis notatum.

Morychus Bacchus cognomento dictus eſt à Siculis, παρὰ τὸ μορύξαι, quod inquinare & polluere & fœdare ſignificat, de quo in noſtris Poetis ſcenicis etiam ſcripſimus. Sumptum verò inde videtur, quoniam in vindemijs plerunque muſto faciem deturpabant non modò antiqui, ſed & noſtro hoc ipſo tempore.

Problaſtum etiam eundem vocatum legimus, quoniam ex germinantibus vitium palmitibus, qui βλαςοὶ dicuntur, illi ſacra fierent: vel quando primùm putabant.

Erebinthius verò Dionyſius in contumeliam & deriſum dicebatur. quin & in prouerbium tranſijt, à cicere videlicet legumine. vel à pudendo, quando id vtrunque ἐρέβινθος indicat. Heſychius, ἐρεβίνθιος διόνυσος vſurpat pro eo, qui nullius rei homo ſit, nec dignus: iuxta (inquit) prouerbium, Cicerinum ius, hoc eſt, ἐρεβίνθινος ζωμὸς, cùm tamen ad multa medici vtantur. Sunt qui Erebinthion Dionyſon ideo dictum putent, quòd ex leguminibus, ab antiquis conficeretur, ſicut zithus Aegyptiorum, celia Hiſpanorum, ceruiſia Gallorum. qui potus, inopia vini repertus fuit in his regionibus, quæ minus vitem ferunt.

Syciten Dionyſium ſcribit Soſibius cultum à Lacedæmonijs, quaſi tu dicas ficulneum. Heſychius tamen Syceaten legere videtur. ideo verò ſic appellatum: nam & ab eo ficum repertam tradunt. quo etiam argumento Milichius aliquando dictus eſt, quod & milicha ficus appellata ſit. Nam & Naxij, Dionyſij ſimulachra ita effingebant, vt ora nunc ex vite, nunc ex ficu conformarent. Quin & Baccho Aegyptij diem quendam feſtum agebant, vt Herodotus in ſecũdo ſcribit, ſine porcis: ſed eius loco phallorum ficulneorum à collo pendentium ſtatuæ cubitales è neruis compactæ, quas fœminæ circumferebant: & reliqua, quæ Herodotus exequitur. Sed & interdum legimus præter hederam, & pampinis & ficulneis ramis latè frondentibus, Bacchum coronatum, atque ita deuictis hoſtibus triumphaſſe. Hedera verò ideo ſacra Baccho, quia contra ebrietatem facere putatur: vel quia Ciſſus puer fuiſſe in eius comitatu dicitur, qui cùm ſaltaret cum Satyro, humi lethaliter afflictus, ab eo deo eſt in hederam transformatus, quæ & κισσὸς Græcè vocatur, vt Conſtantinus in Geoponicis ſcribit. Sed quòd hedera coronaretur, illud etiam palàm facit, quòd Corymbifer dictus eſt. hinc illud Ouid.

Feſta corymbiferi celebrabat Græcia Bacchi.

Hinc & Dionyſion vocata eſt ſpecies hederæ quædam. Ouid. verò lib. Faſt. ſexto, Baccho hederam ideo attributam ait, quòd Nyſiades nymphæ puerum quærente nouerca, hanc frondem cunis circumpoſuiſſe ferantur.

Sabazion Bacchum etiam vocitatum inuenimus, à tripudijs & ſaltationib. quæ à bacchantibus & furentibus fieri in eius dei ſacris conſueuêre. nam & σαβάζειν etiam barbari σαβάζειν dicunt, teſte Suida: vnde ſauazare iuxta Italicum idioma vir doctus deflexum putauit, cùm alij à vaſare & conuaſare deducant, quæ Latina ſunt, & vſitata vocabula. Sunt qui Sabas vetuſtos Thraciæ populos fuiſſe ſcribant, vnde Sabazius ſit appellatus: quod videtur ſenſiſſe Euſtathius. Porrò & Phryges à Thracibus coloniam & ſacra traxiſſe, vt pluribus teſtis eſt Strabo. quare nõ mirum, eadem ſacra apud eoſdem fuiſſe. Heſychius de hoc deo ſic propémodum: Sabazius cognomen, ait, eſt Dionyſij. Sed aliqui filium putant, & nonnunquam etiam vocatum Sabon legimus. Fuit verò Phryx Sabazius, quem & alibi Hyeũ ipſum vocat, vnde & Semele Hye eſt appellata: id quod & Suidas & Phauorinus. De Sabazio præterea, vt deo peregrino, déque eius ſacris Sabaziis, Strabo in x. & Diodor. lib. 4. qui in Latinis eſt quintus. ita enim ſcribit: Traditur

ditur quoq; & alter multa prior ætate fuiſſe Dionyſius, quem ferunt ex Ioue & Proſerpina natum, à nonnullisq; appellatum Sebazium, cuius genus, ſacra, honores, propter pudorem nocturna occultáq; agunt. hic dicitur propter ingenij acumen, primus boues ad iugum iunxiſſe, eorúmq; opera iacta ſemina frugem reddidiſſe, qua ex re illum cum cornibus finxerunt. de hoc hucuſque Diod. Sabazio quidem hymnum cecinit Orpheus, cui aromata in ſuffimentum addidit. ita enim ait:

κλῦθι πάτερ κρόνου υἱὲ σαβάζιε, κύδιμε δαῖμον.

In Sabazijs quidem cur ſerpens præferebatur, dicemus in Pherephatte, id eſt Proſerpina. Val. autem Arpocration: σαβοὶ, inquit, Demoſthenes pro Cteſiphōte. Quidā aiunt σαβοὺς dici, ſacra Sabazio agentes, hoc eſt Dionyſo: vti Bacchos. Eundem verò eſſe Sabazion & Dionyſion, cùm alij, tum Amphitheus in ſecundo Heracleæ. ſic enim quoſdam aiunt Græcos, Bacchos σαβοὺς vocare. Mnaſeas verò Pataræus, Sabazion filium eſſe ait Dionyſij. Atq; hæc quidem Arpocrat. Phauorinus verò ait: Sabazium Thraces Dionyſium vocant, & σαβοὺς eius ſacerdotes: & cætera, quæ plura ſcribit. Sed & hoc loco illud addamus de Sabis, quæ eſſe volunt huic deo conſecrata loca, quin & Bacchos ipſos, hoc eſt ſacerdotes, ſic vocabant, quos & duplici β β Plut. in Sympoſiacis ſcribere videtur, ſi exemplaribus credendum. Quin & illud ridiculum affert, Sabbatum Hebræorum inde deflecti. Theophilus ab εὐοῖ, σαβοῖ. & Strabo in x. Hucuſq; diſtuli M. Tullium, Apuleiúmq; & Macrobium citare, qui de hoc deo meminère: Cicero quidem in ſecundo de Legibus, Apuleius in Octauo Metam. Macrob. in 1. Sat. ea ratione, quòd non Sabazium, ſed Sabadium per d, non per z proferunt: etſi antiqui eas literas interdum commutabant, vt Medentius Mezentius. Macrobius igitur de Libero agens, quem & Solem intelligi vult, ita ſcribit: Item in Thracia eundem haberi Solem atq; Liberum accepimus, quem Sabadium nuncupantes, magnifica religione celebrant, vt Alexander ſcribit: eíq; deo in colle Cilmiſſo ędes dicata eſt, ſpecie rotunda, cuius medium interpatet tectum. rotunditas ædis mōſtrat huiuſce ſideris ſpeciem, ſummóq; tecto lumen admittitur, vt appareat Solem cuncta vertice ſummo luſtrare lucis immiſſu, & quia oriente eo vniuerſa patefiunt. tantum Macrobius. Apuleius quoq; in Aſino, hoc eodem Sabadij nomine vocauit. Porrò lib. 2. de Legib. Cic. Nouos verò deos, & in his colendis nocturnas peruigilationes, ſic Ariſtophanes facetiſſimus poeta veteris comœdię vexat. vt apud eum Sabeius, & quidam alij dei de Peregrinis iudicati, è ciuitatibus eijciantur. Sabeius quidem paſſim legitur, ſed doctiores Sabadium legunt, Politianus, Beroaldus, alij: & ita Ciceronis locum caſtigant. ego aliquando ex ſupraſcriptis, etiam Sabum legi poſſe putaui. Longior fui in huius dei cognomine, ne tibi, vt mihi, diutius in perquirendo laborandum foret. Videtur Iupiter Sabazius dici, ſi Valerio Probo ſtamus in lib. de Notis antiquorum, vbi Ioui Sabazio legimus.

Hyes quoq; vocatus eſt Dionyſius, vt in lib. de Iſide & Oſiride notauit Plut. quòd videlicet dominus ſit humidæ naturæ. Suidas, ὕης ὕου, hoc eſt Hyes Hyæ, Dionyſij eſt epitheton, ſicuti Clidemus ait: quoniam, inquit, illi ſacra perficimus ꝑ id tempus, quo deus pluit. Pherecydes verò ait, quoniam Hyen ſit appellata Semele, & Dionyſij nutrices Hyades. Ariſtophanes verò Hyen inter peregrinos deos connumerauit. Strabo quoq; lib. x. de Sabazijs agens, à Phrygib. in Thraciam tralatis, inter cætera quæ in ijs continebantur, & ὕην reponit, quod nomen eſt Bacchi, vt εὐοῖ, σαβοῖ, ἰὼ, ἧκ, & ἄττυς. Cæterum & Gnoſtici hęretici Iao principem confinxère in primo cœlo, vt docet & irridet Epiphanius: cuius Iao nominis rationem, & idem contra Valentinum & Gnoſticos, qui eum Terminum dicunt, exſibilat. at verò Heſychius & Phauorinus, Hyeus, id eſt ὑεὺς, Sabazius interpretantur. quibus ex verbis lux nonnulla infertur verbis illis Macrobij in Satur. 1. nam cùm illud Orphei carmen citaſſet, in quo vnum ait eſſe Iouem, vnum Plu-

tonem, vnum Solem, vnúmque Dionyſium, hoc eſt,

εἷς ζεὺς, εἷς ἀΐδης, εἷς ἥλιος, εἷς διόνυσος.

Ita ſubinfert: Huius verſus auctoritas fundatur oraculo Apollinis Clarij, in quo aliud quoque numen Soli adijcitur, qui in ijſdem ſacris verſibus inter cætera vocatur ἴαος. Sed cùm in ὑάφ, ego H yeus, id eſt ὑεύς, vel ὕης legerem, repetique idem nomen & paulò infrà ἴαος, & in quarto caſu ἰαίφ, bis compoſitum videamus, videtur ὑαεὺς in recto pronunciandum, ſecundum Atticos.

Phauſterium Bacchũ cognominatum legimus, quia cum lampadibus, & cũ luminibus nocturna eius ſacra agerentur: vt etiam infrà in Lamptere dicetur.

Choopotes Dionyſius cognominatus, cui Choes ſacrum inſtituit Themiſtocles: à menſura, ſeu vaſe & potu vocabulum deflexum videtur.

Methymnæum deum etiam Bacchum vocari, teſtis eſt Athenæus lib. 8 Dipnoſoph. hæc enim eius ſunt verba, vbi de conuiuijs agit: εὐωχίας, inquit, vocabant non ἀπὸ τῆς ὀχῆς, quod eſt nutrimentum: ſed ab eo quod eſt τοῦ εὖ ἔχειν, id eſt à bene habendo. in has enim coeuntes, diuinitatem venerantes, & ad lætitiam & ἄνεσιν ipſos adducentes, μεθύοντες, potum quidem μέθην, id eſt ebrietatem, deum verò hæc ipſa largientem Methymnæum, & Lyæum, & Euion, & ἰήιον appellabãt. Hæc à me quidem durè expoſita, quo loco non modò Methymnæũ vides Bacchum cognominatum, à μέθη, id eſt ebrietate, non aũt à Methymna Lesbi: quanquam & non incongruè ab ea vrbe, vbi optima vina prouenirent, diceretur: ſed etiam ἰήιον. quo nomine Bacchum, cùm non appellatum adhuc legerim, libentius ego ληναῖον vel εὔιον eo loco ſuppoſuerim, donec certius aliquid inueniamus. Sane ἰήιος Apollo quidem cognominatus eſt, vt planè ſuo loco docuimus: qui dei tamen, Macrobio docente, ijdem credebantur.

Maronæus eſt Bacchus cognominatus à Tibullo, illo heroico ad Meſſalam:

Victa Maronæo fœdatus tempora Baccho.

Videtur & Cratinus, vt eſt apud Pollucem, μαρῶνα pro Baccho & vino poſuiſſe, illo ſenariolo,

Nec curaui tantùm Marona, nec bibi.

De Marone verò & vino Homer. in primis in Odyſſ. & Philoſtrat. in Imaginibus, & Plinius, Athenæus etiam, vt alios mittam.

Iacchus myſticus, Bacchi & nomen & cognomen, qua voce frequentiſſimè & Græci & Latini vſi ſunt. Vergilius,

Et myſtica vannus Iacchi. Et Claudian. lib. 1. de Raptu:

Ecce procul ternis Hecate variata figuris
Exoritur, lætusque ſimul procedit Iacchus,
Crinali florens hedera, quem Parthica tigris
Velat, & auratos in nodum colligit vngues,
Ebria Mæonijs figit veſtigia thyrſis.

Herodotus lib. 7. ſcribit, Theocidem virum Athenienſem, vnà cum Demareto Lacedæmonio apud campum Thryaſium Atticæ, ingentem vidiſſe puluerẽ ab Eleuſine, & cum puluere audiuiſſe vocem quæ videretur Iacchus myſticus, &c. Arrianus Nicomedenſis lib. 2. de geſtis Alexandri: Sed tradit, inquit, Herodotus apud Aegyptios Herculem vnum ex duodecim deis haberi, ſicuti ab Athenienſibus Bacchum Iouis & Proſerpinæ filium coli, alium ab hoc Dionyſio, & Iacchum myſticum huic Dionyſio, non Thebano cantari. Quare qui myſticũ nomen Bacchi putant, falluntur. Eſt etiam epithetum Iacchi, nec Galenus aliter intelligitur. Catullus:

At pater ex alia florens volitabat Iacchus.

Legimus epitaphium vetus: Dis Manibus Fabiæ Aconiæ Paulinę Cer. filię, Aconis Catullini, v. c. ex præfec. etiam conſ. ord. vxori Vettij prætextati v. c. præf. & coſ. deſignati. ſacratę apud Eleuſinã deo Iaccho, Cereri, & Coræ: ſacratæ apud

apud Lernam deo Libero & Cereri & Coræ:ſacratæ apud Aeginam deab. Tauro, Polæ, Sicæ, hierophantæ deæ Cereris. Heſychius non ſolùm ait Iacchi nomine Bacchum vocari, ſed & myſteriorum diem vnam, in qua in myſterijs Iacchum ferebant, & canticum inſuper quod concinebatur. Herodotus verò Iacchi & ipſe nomen fuiſſe ait, Eleuſinijs deabus ita familiare, vt Dianæ Virbius, Adonis Veneri, Atys Cybeli. Meminit & huius Artemidorus de Inſomnijs. Dictus autem à verbo ἰακχάζω, quod eſt clamo & vociferor. ab Iaccho ἰακχαγωγὸς, id eſt Iacchi ſacerdos, & qui initiatus ijs myſterijs, vt Pollux ſcribit in primo. Alij tamen Iacchum viri nomen ebrij & potatoris eſſe exiſtimarunt, apud Athenæum, ex Athani auctoritate: animal etiam, quod vino delectatur.

οἶνος Græcè, vt noſti, vinum ſignificat. eſt & nomen proprium, & Dionyſium ſignificat. obſeruat id Proclus in Platonis Cratylum. citat illud Orphei, οἴνῳ ἀστρο μᾶν κούρῳ Διός. Idem & qui theologi Græci dicunt, tradunt. hinc etiam Θοίνιος Bacchus vocatus, & Θοίνια Bacchanalia ab Athenienſib. dicta, vt eſt apud Heſychium. Θοῖνος, ipſe Dionyſius, ait Arpocration: Aeſchylúmq; in hoc & Iſtrum citat. vnde Θοίνια, apud Lycurgum oratorem.

Mænoles Bacchus nominatus, vt Euſebius de Præp. Euang. obſeruat, quaſi totus furens. vnde & illi Orgia ſacra, quæ etiam idem vult à furore deducta eſſe, hoc eſt παρὰ τῆς ὀργῆς. Phurnutus quoq; eadem ſentit: quin & Mænades eadem ratione appellatas ait. Mænalan & Origenes in tertio contra Celſum, Dionyſium vocat, & muliebri habitu amictum ait. ſed & eadem cauſa deus ipſe Bacchus μανικὸς, ab Orpheo in hymnis dictus eſt.

Eraphiotes Dionyſius dictus, vt Theophilus & Heſychius tradunt. εἰραφιώτης autem dictus eſt, παρὰ τὸ ἐῤῥάφθαι, quòd ſcilicet aſſutus Iouis femori fuerit. vel παρὰ τὸ ἐρέφεσθαι, quod ſignificat coronari. vel dictus, quòd à lacte caprino nutritus, hoc eſt ἀπὸ τοῦ ἐρίφου, id eſt hœdo. alij ἀπὸ τῆς ἐρίδος, id eſt à lite & contentione, quæ in vino & potu fieri ſolet, vt alibi diximus. hinc & ἐρίβρομος, & ἐριβρεμέτης. Sunt qui aſſerant hæc Bacchi extrema duo nomina deriuari ab ἐρι particula intentiua, & quæ augmentum in compoſitione afferat. ergo Eribromus, id eſt perſtrepens & multiſonus: & Eribremetes, id eſt intonans, Baccho cognomina optimè conueniunt. Orpheus in hymno Bacchi Sabazij,

> ὃς Βάκχον, Διόνυσον ἐρίβρομον εἰραφιώτην,
> μηρῷ ἐγκατέῤῥαψας. &c.

Et Bacchus ipſe in Homerici hymni calce,

> εἰμὶ δ' ἐγὼ Διόνυσος ἐρίβρομος, ὃν τέκε μήτηρ
> Καδμηῒς Σεμέλη, Διὸς ἐν φιλότητι μιγεῖσα. hoc eſt,
> *Ipſe ego ſum Dionyſos Eribromus, edidit ipſum*
> *Me mater Semele, ſummo commixta tonanti.*

Bugenes, βουγενὴς Διόνυσος, id eſt boue genitus, Bacchus ab Argiuis colebatur. hinc & Græcorum plerìq; ταυρόμορφον id eſt tauriformem Bacchum, & ταυροκέφαλον, id eſt Tauricipitem, item ταυρωπὸν ab Orpheo effingebant, & appellabant: natúmq; ex Perſephone, vt Clemens in Strom. & Euſebius in 2. Præparat. Euang. tradunt, vt alios mittam. Quinimò etiam Taurus dictus eſt. & illi cornua attributa, & cognomen etiam factum ταυροκέρων, id eſt Tauricornis, vt eſt apud Nicandri comment. in Alexipharm. Idem & ab Orpheo in hymnis βούκερως & δικέρως vocatus. id eſt bucerus & bicornis. hinc Ouid.

> *Accedant capiti cornua, Bacchus eris.*

Ideo autem cornua Baccho ſunt attributa, vt Diodorus in quinto tradit, quia primus boues iugo iunxerit, & Bacchus idem ſit & Oſiris, vt mox dicemus. Idem tamen in quarto, idcirco cornutum Dionyſium prodidit, quòd Ammonis filius fuerit, qui arietino capite cum cornibus fuiſſe dicatur. Sunt qui cornua pro audacia ſumant, vt Phurnutus, quòd audaces vinum faciat: & ideo cornutus & corniger formatur. quod in Arte Ouidius etiam innuere videtur, Tunc pau-

per cornua ſumit. Scribit Porphyrio in 2. Carm. Horatij, ſuper ea verba, Aureo cornu decorum: Cornua, inquit, Libero patri & nonnullis alijs aſſignant, quoniam ſcilicet vinolentia proteruitatem & contumaciam addere ſolet, quæ per cornua ſignificaretur. Cornua, inquit Feſtus, Liberi patris ſimulachro adijciuntur, quem inuentorem vini dicunt, eo quòd homines nimio vino truces fiunt. Sunt qui & ſcribant cornua criſtas vocari, vt in illo Verg. 12. Aeneid. Et rubræ cornua criſtæ: hoc eſt, comæ, quas Græci κέρατα nominant, vnde & κέρφας tondere dicunt. & cornua hi volunt cincinnos eſſe, ac ideo Moſen cornutum Hebręis viſum putant, vt etiã Lyſimachũ regem in eius nomiſmatibus videmus. ſed Armenios adhuc & Lydos ſacerdotes cũ huiuſmodi cincinnis & capillis Romæ conſpeximus. Porrò & illud item apud Athenæũ & Nicandri in Alexiphar. interpretem legimus, veteres cornu bouis pro poculo vſos fuiſſe: & inde factum eſſe, vt non ſolùm cornua Dionyſio finxerit antiquitas, ſed etiam Taurus ipſe diceretur, & Tauriformis, id eſt ταυρόμορφος in Cyzico coleretur, & κεραῖος, id eſt cornutus dicatur à Nicandro. Verùm quòd cornibus antiqui biberent, illud etiamnum indicio eſſe poteſt, quod Græci κεράσαι dicunt miſcere, videlicet à cornu vocabulum deflexum, & κρατὴρ, quaſi κεράτηρ, à κέρας, quod cornu ſignificat. Nec illud te latêre velim, quod eſt ab Hygino in Mythologico poetico literis commẽdatũ: Craſſum quendã fuiſſe, qui vinũ cum Acheloo flumine in Aetolia miſcuit: vnde miſcere κεράσαι eſt dictum. vnde fortaſſe illud Maronis in Georg.

Poculaq; inuentis Acheloia miſcuit vuis.

Illud inſuper annotandum duxi, quòd flumina etiam plerunq; non modò apud pictores, ſed & ſcriptores, cornigera & tauriformia ſint ſolita effingi, vt in Deis marinis plenius annotauimus, vt Padus, & Aufidus, Vergilio, Horatio, Ouidio, alijs. Quin & hiſtoria idem comprobare videtur. Scribit Suet. Tranquillus, Epidium Rhetorem prædicare ſolitum, ſe à C. Epidio ortum fuiſſe, quem ferunt olim præcipitatum in fontem fluminis ſecuri. paulò pòſt cum cornibus extitiſſe, ac ſtatim non comparuiſſe, in numeróq; deorum habitum.

Δουσάρκην, Duſarcem vocabant Nabathæi Bacchum, vt ex Iſid. ſcribit Heſychius, & à Pœonibus δύαλος Dyalus dictus fuit. idem eſt autor.

Oſirin plerique omnes Aegyptium Dionyſium eſſe voluerunt, vt pluribus Plutarch. & Diodorus oſtendunt. Tibullus quoq; cum Baccho cõiunxit. Sed quid vetat, quin eius tibi lepidiſſimum carmen ex primo libro recitem? ita enim ille de Meſſala:

Te canit, atq; ſuum pubes miratur Oſirim,
Barbara Memphitem plangere docta bouem.
Primus aratra manu ſolerti fecit Oſiris,
Et teneram ferro ſollicitauit humum.
Primus inexpertæ commiſit ſemina terræ,
Pomáq; non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adiungere vitem,
Hic viridem dura cædere falce comam.
Illi iucundos primùm matura ſapores,
Expreſſa incultis vua dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Mouit & ad certos neſcia membra modos.
Bacchus & agricolæ magno confecta labore
Pectora triſtitiæ diſſoluenda dedit.
Bacchus & afflictis requiem mortalibus affert,
Crura licet dura compede preſſa ſonent.
Non tibi ſunt triſtes curæ, nec luctus Oſiri,
Sed chorus & cantus, ſed leuis aptus amor.

Sed varij flores, et frons redimita corymbis,
Fuſa ſed ad teneros lutea palla pedes.
Et tyriæ veſtes, & dulcis tibia cantu,
Et leuis occultis conſcia ciſta ſacris.

Huc ades, etc. Idem ergo Dionyſius & Oſiris eſt. hinc & Chenoſiris hedera dicta eſt, hoc eſt Oſiridis planta. Ab alijs tamen Sol exiſtimatur, & propterea Euſebio & Diodoro tradentibus, πολυόφθαλμος, id eſt multioculus Græce interpretari poteſt. nam vt Plutarch. ſcribit, os apud Aegyptios multum ſignificat, & ἴρις oculum. Obſeruat Macrobius, Aegyptios, quoties ſolem exprimere volebant, ſceptrum, & in ſceptro ipſo oculi effigiem inſculpſiſſe: per ſceptrum, poteſtatem ſignificantes: per oculum verò, quòd cuncta perluſtret. tum etiam Solem ipſum, Iouis oculum exiſtimatum. lege Macrobium, & Plutarchi librum Iſidis & Oſiridis. ex quo libro etiam colligimus, Oſirin Nilum quoque vocatum, & nigro fuiſſe corporis colore: & Hellanico teſte, ὕσιριν à ſacerdotibus appellatum. proprio verò nomine Arſaphen dictum, quod parum probat Plutarchus. qui & eum dictum ait, ἐκ τοῦ ὁσίου ἱεροῦ, id eſt, ex ſacroſancto. Fuit autem Oſiris frater & vir Iſidis, vt planè oſtendit Diodorus in primo. Ait enim, gigantes in eum inſurrexiſſe, vt & in Iouem. vnde cùm ipſos deuiciſſet Aegyptios, lege ſanxiſſe, præter communem cæterorum omnium morem, fas eſſe ſororem à fratre vxorẽ duci: exemplo Iſidis motos, quæ fratri Oſiridi nupſiſſet. Quare neſcio quo pacto deceptus Lactantius ſit in primo, cùm Iſidis ſacra deſcriberet, vt Oſirin Iſidis filium dixerit: quem locum parum caſtigatum crediderim, nam et ibidem hemiſtichium Ouidij Lucano aſcripſit, Nunquámque ſatis quæſitus Oſiris. Sed memoriæ hoc ſit erratum. Porrò quòd per fraudem ſit Oſiris à fratre Typhone occiſus, & in partes plures diſſectus, déque virili membro, cætera plura ex Diodoro, Luciano, & Plutarcho. Nam quòd Saturni filius fuerit, ijdem oſtendunt: alij Pamilan quampiam ferunt, quæ Thebis è Iouis templo aquatum egreſſa audiuerit vocem iubentem, vt proclamaret, magnum regem & benefactorem Oſirin natum eſſe, & ea hac ſpe acta Oſirin educauit, ex cuius rei memoria celebritas Pamiliorum inſtituta fuit, Phallophorijs valde ſimilis, in qua ſimulachrum proponebatur, ac circumferebatur, cui tres teſticuli inerant, propterea quòd deus generationis principium eſſe putabatur omnium, quæ à generatione proueniunt: quin & Priapo deus ſimilis, Pammeles, teſte Heſychio, dicebatur, vt paulò mox oſtendam. cætera de Oſiri notiora ſunt, quàm vt pluribus hîc ego explicem. Illud ex Plut. non reticuerim, Oſirin humana forma effictum cum genitali arrecto, ob videlicet generatiõem, educationémque. amictus verò eius φλογοειδής, id eſt flammeus. Si his præterea plura cupis de Oſiride, bella, peregrinationes, inuenta, vltionem, ſacra, lege in primis Diodorum, qui & hanc eius columnæ inſcriptionem adſcribit: Mihi pater Saturnus, deorum omnium iunior: ſum verò Oſiris rex, qui vniuerſum peragraui orbem, vſque ad deſertos Indorum fines: ad eos quoque profectus ſum, qui Septentrioni ſubiacent, vſque ad Iſtri fontes: itẽ alias orbis partes adiui, vſque ad mare Oceanũ: ſum Saturni filius antiquior, germine ex pulchro & generoſo ortũ, cui non ſemen genus fuit, neque vllus eſt in orbe, ad quem non acceſſerim, locus: omnes docẽs, quorum ipſe inuentor fui. Oſiridis demum hæc nomina: Hyſiris, Arſaphen, Nilus, Ammõ, Dionyſius, Serapis, Pluto, Iupiter, Pan, Sol multioculus. Porrò ſcribit Heſychius, apud Aegyptios, mulieres ſubuentanea parere, quæ Oſiris nomine appellentur.

Taurophagus Dionyſius appellatus eſt à Sophocle, ea ratione, vt ait Scholiaſtes, quòd bos daretur dithyrambicis poetis in victoriæ præmium. Alij crudelem & immanem interpretantur, animalis tauri naturam reſpicientes. Alij ad vinolentiam referunt, vt paulò antè notaui. Meminit & Taurophagi Bacchi Heſychius, & Suidas: ſed & taurus membrum virile ſignificat. vnde Laſtaurus dictus, qui mentulatior eſt, vt in Hercule docui.

Hebona, Bacchum ſignificantes, Neapolitani in Campania, vt Macrobius

ſcribit, celebrabant. Legimus & in elogijs antiquitatum veterem Epigraphen huic deo ab Iunio Aquila poſitam, quæ talis eſt:

ΗΒΩΝΙ ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΩ ΘΕΩ ΙΟΥΝΙΟΣ ΑΚΥΛΑΣ ΝΕΩΤΕΡΟΣ ΣΤΡΑΤΕΥΣΑΜΕΝΟΣ ΕΠΙΤΡΟΠΕΥΣΑΣ ΔΗΜΑΡΧΗΣΑΣ.

Hoc eſt, Heboni illuſtriſſimo deo Iunius Aquila iunior, miles, procurator, tribunus. Pontanus Iouianus lib. 1. ſuæ Vraniæ, certè hæc cecinit, de Neapoli agens:

Hæc annis florentem, oculiſq; & crine decentem
Hebonem venerata, ſuos ritus, patriumq;
Inſtituit morem, & ſacris iam ritè peractis,
Vrbs Hebona ſalutat, agriq; Hebona frequentant,
Hebona & referunt ſimul antra, & littora et amnes:
Hic etenim florem ætatis, roburq; iuuentæ
Et ſpeciem deus, et formæ dat habere decorem,
Oraq;, luminaq;, et moderantes corpora ſenſus.

Videtur verò Hebo vocari, ſicut Hebe, hoc eſt, ἀπὸ τῆς ἥβης, id eſt à lanugine, & tenera molliq; ætate, vt etiam hi Pontani verſus innuere videntur. Sanè & Aegyptij Bebonem Typhonem appellarunt, vt Manethus & Plut. ſcribunt, quæ vox κάθεξιν, ἢ κώλυσιν ſignificat.

Λαμπτῆρος Dionyſij cognomen fuit, cuius templum fuit apud Pallenenſes, in quo celebritas agebatur, quam ab eo deo λαμπτήρειαν vocabant, à facibus & ſplendore ſcilicet, hoc eſt, ἀπὸ τοῦ λαμπτῆρος, id eſt à facie & lumine. Noctu enim ea ſolēnitas celebrabatur, facéſq; ad templum ferebant, atq; ita benè poti, crateres per totam vrbem ſtatuebant, quo melius quiſq; deum coleret. Pauſan. auctor.

Acratophorus Dionyſius, ἀκρατοφόρος dictus & celebratus in primis Phigaliæ, ab inferendo videlicet ἄκρατον, id eſt purum ac merum vinum. nam pugnis ludebant, cùm nondum haberent brachiale lorum, ſed milichis certabant. Sunt autem μίλιχαι tenuiſſima ex crudo coria, inuicem innexa, implicitáq;, vt in Arcad. docet Pauſ. Sanè Varro acratophoron vinū in primo de Re ruſtica vocat: Ea, inquit, minus ſumptuoſa vinea, quæ ſine iugo miniſtrat ἀκρατοφόρον οἶνον, id eſt vinum purum.

Μιτρηφόρος, Mitrephorus, hoc eſt mitratus, Dionyſius vocatus eſt, ea ratione, vt putatur, quòd ſi quando ex nimio potu ipſius bibentis caput agitaretur, vel (vt fit) nutaret, mitra caput ligabatur. ex qua re, vt putat Diod. fuit vocatus μιτρηφόρος. repetit idem & Euſeb. in 2. Præparat. Euang. Orpheus in hymnis, νυκτέλιε ἐυβουλεῦ μιτρηφόρε θυρσοτινακτα. Hinc apparet, & Thyrſianacta Bacchum etiam appellatum, hoc eſt, qui Thyrſo regnet.

Biformis, hoc eſt δίμορφος, vocitatus eſt Dionyſius, vt docet Diod. quoniam duo Dionyſij fuerunt. prior barba promiſſa fuit, qui antiquo more barbam nutriuit: poſterior alter ſpecioſus iuuenis, & delicatus. quidam duplicem illi formam tributam volunt, quoniam vinum & hilares homines reddat, & iracūdos. hinc illum in hymno δίμορφον nomine ſalutat Orpheus: alio loco, διφυῆ λυσεῖον ἴακχον nuncupat, hoc eſt, duplicis naturæ Lyſium Iacchum, in hymno videlicet ad μίσην διόνυσον.

αἰθιοπαῖδα Dionyſium vocauit Anacreon poeta, vt notat Heſychius. alij vinū interpretantur, ſed vtrunq; à colore nigro & igne. alij Dianam etiam hoc nomine vocant, Aethiopiam.

Polites, & Axites, Dionyſij cognomina ſcribit in Arcad. Pauſan. Heræus enim Lycaonis filius, vrbem de ſuo nomine Heræenſem in Arcadia condidit, ad Alphei fluminis dexteram ripam, vbi duo fuêre Dionyſij templa, alterius Polites nominati, alterius Axites.

Phleona etiam Dionyſium appellatum videmus, παρὰ τὸ φλύειν, τὸ πολυκαρπεῖν: ſeu φλοίειν, vt etiam Aelianus ſcribit, hoc eſt à multo ferendo fructu. eſt enim Dio-

Dionyſius fructuum deus. quin & ab vua & vindemijs appellatus eſt Protryges, Staphilites, & Omphacites: alijsque ab ijs rebus, nominibus. Sed & Corem, id eſt Proſerpinam vel Cererem, matrem videlicet Liberi, Phlæan vocabant Lacones. ſcribit Clemens, Iouem in ſerpentem cõuerſum Pherepattæ, hoc eſt Proſerpinæ vim intuliſſe, & inde natum Dionyſium, qua de re etiam in myſticis Sabaſiorum ſerpens præferebatur, in orbem complicatus. & perinde poetæ ſerpẽtem tauri parentem dixêre, ſymbolicè hoc ipſum ſignificantes.

Phlyus Dionyſius appellatus fuit, vt in primo Apollonij Rhodij interpretes notant, ἀπὸ τοῦ φλύειν τὸν οἶνον, ὅ ἐστιν εὐθηνεῖν. hoc eſt, quòd vinum lætum faciat. Quamuis ſint qui ab Aræthyræa Peloponneſi ciuitate, poſita in montibus Sicyonijs, quæ mox Phlyuſa à Phlyunte dicta eſt, Dionyſij & Chthenophyles filio appellatum velint. Pauſ. à Phliãte deriuari exiſtimauit, id quod etiam teſtatur Steph. Lacedæmonij Phliaſium menſem eum numerant, in quo fructus vigent. Sed de Phliaſijs in Corinthiacis Pauſ. longè plura.

Rectus, id eſt ὀρθός, Dionyſius cultus Athenis. Amphyction enim Athenienſium rex, vt ſcribit Philochorus, omnium primus à Dionyſio edoctus, merũ diluit: quo factum eſt, vt homines prius mero incurui, mox recti facti ſunt. quare factum eſt, vt in Horarum æde recto, id eſt, ὀρθῷ, Dionyſio ara erigeret. Quin & Pauſ. in Bœot. Scyllã, ait, ſimulachrũ Dionyſij recti, Myronis opus, conſecraſſe.

Eubulus etiam Dionyſius dictus. εὐβουλῆα Orpheus vocauit, quem Macrobius eſt interpretatus, boni conſilij deum præſtitem. Idem Orpheus in hymno ad Proſerpinam, μῆτερ ἐριβρεμέτου πολυμόρφου εὐβουλῆος: Mater intonantis multiformis Eubuli, id eſt Bacchi. quo eodem tamen nomine & Plutonem vocatum, iam oſtendimus. Sed & idem Orpheus in hymno ad Dionyſium, εὔβουλον inuocat.

Calydonius Dionyſius cognominatus, cuius ſimulachrum poſt Calydonis direptionem delatum Patras fuiſſe fertur. huius dei Coreſus ſacerdos, antequàm Calydon euerteretur, Calirrhoes virginis amore captus, cùm eam nullo pacto flectere poſſet, deum precatus eſt, vt ſibi adeſſet. Sacerdoti deus annuit, & Calydonijs furorem immiſit: quibus conſulentibus Dodonæum oraculum, reſponſum dedit, Coreſum debere Calirrhoen Dionyſio immolare, aut offerentem ſe aliam pro ea: nulla verò ſe offerente, Calirrhoen ad aram ſtatuerunt. Tũc Coreſus ſe pro ea interfecit. paulò pòſt, & illa ſibi manus conſciuit, vt longo ſermonis ductu Pauſ. prodit. Adeò pro Anterotis numine pœnas vindex Nemeſis repoſcit.

εὔιος Bacchi cognomen. Orpheus in hymno ad Dionyſium, cum ſuffimento ſtyracis, εὔιον ἁγνόν. & in Lyſio Lenæo hymno, εὔιε βάκχε. & Euripides in Bacchis, Euion Baccheua dixit. Perſius,

Euion ingeminat, reparabilis aſſonat Echo.

Quo loco Probus, ſeu Cornutus grammaticus: Euius, inquit, Liber pater dictus eſt, eo quòd in bello giganteo cùm non apparuiſſet, eum pater credidit diſcerptum à gigantibus: & dixit, heu, quæ vox gementis eſt: deinde adiecit, υἱόν, id eſt filius. Acron tamen in Horat. ait, Bacchum mutatum in leonem, gigantem interfeciſſe, & tunc Iouem, ô bone fili dixiſſe, id eſt, εὖ υἱέ. hinc & Euhyias baccha ab Horatio 3. Carm. E ſomnis ſtupet Euhyias. ſanè Euhyion, vel Euhyius, impropria eſt diphthongus, quæ ſyllabam producit: breuiter tamẽ effertur. Horatius, Monet Sithonijs non leuis Euhyius. Idem, Diſſipat Euhyius curas edaces. Statius libro primo:

Et tunc fortè dies noto ſignata tonantis,
Fulmine prærepti cùm te tener Euhyie partus
Tranſmiſere patri.

Vtitur Lucretius & Columella: Sunt tamen qui εὔχιον libentius legant, & ab εὐχῇ deriuant. Phurnutus certè manuſcriptus, dum Dionyſij nomina recenſet,

cenſet, cùm de Alyſio & Lyæo prius dixiſſet, βρόμιος δὲ, καὶ βάκχος, καὶ ἴακχος, καὶ εὔιος, καὶ βαβάκτης, καὶ ἰόβακχος καλεῖται. vbi Babactes & Iobacchus etiam vocatur: quæ verba volui recenſere, ne codex impreſſus Græcus, & qui eum interpretati ſunt, te fallant, vbi Bromium tantùm referunt, ſatis confuſe & inconditè, & nullo penè ſenſu. Sed in hoc auctore huiuſmodi errata penè infinita, ſi cum antiquis conferas, inuenies.

Euan etiam pro Baccho accipitur apud Ouidium in 4. illo verſu:

Nyctelius, Eleleusq́ parens, & Iacchus, & Euan.

Statius in Syl. Baſſaridum rotator Euan. Idem Theb. 5. Et à ſummis auditus montibus Euan. quod nomen factum à voce bacchantium, vnde etiam Bacchę ipſæ, Euantes dictæ. Vergilius:

Illa chorum ſimulans, euantes orgia circum
Ducebat Phrygias.

Quo loco Seruius, Euantes, inquit, bacchantes, à Libero, qui Euan dicitur. Propertius,

Egit vt euantes dux Ariadna choros. Silius in primo:

Non ille euantis Maſſyllæ palluit iras.

Sed hoc loco non ret-cuerim, quod à viro cùm ſanctiſſimo, tum doctiſſimo Epiphanio ſcribitur libro contra hæreſes tertio, in ſacris Dionyſij, qui ſerpentibus coronati clamantes ac euantes Væ væ, illam adhuc Euam à ſerpente deceptam inuocantes: Aut, inquit, per aſpiratam vocem ex Hebræorum lingua, ſerpentem ad ſuum errorem acclamantes. Eua enim abſq; afflatu, Hebræis mulierem ſignificat: cum aſpiratione verò, ſerpentem. hæc quidem ille, quæ in deriſum potius afferri puto à viro ſancto, quam conſentanea Græcis. Sanè Priſcianus Euan Euantis declinat: cùm & alij Euan, indeclinabilem velint eſſe vocem bacchantium. Heſychius tamen ait, Euan hederam ab Indis appellari. alibi verò Euas Dionyſium vocari prodidit. hinc Orpheus, vt puto, vocauit in hymno ad Hippam Bacchi nutricem εὐάδα, quaſi dicat Dionyſiacam:

Inuoco nutricem Bacchi Hippan, Euada nympham.

Neſcio quàm rectè verti. Græcè ſic,

ἵππαν κικλήσκω βάκχου τροφὸν, εὐάδα κούρην.

Hippam vocat Heſychius Iunonem. vetus certè Orphei codex Hiptam, non Hippam habet.

Baſſareus, Dionyſius cognominatus eſt. Orpheus in hymno βασσαρέα vocat. Ita enim ad illum, hymnum exorditur,

ἐλθὲ μάκαρ διόνυσε πυρίσπορε, ταυρομέτωπε βάσσαρε. id eſt:

Huc fœlix Dionyſſe veni, ſate fulminis igne,
Baſſare tauriformis. Horatius:

Non ego te candide Baſſareu Inuitum quatiam.

Quo loco Acron & Porphyrion conſentiũt, quòd Baſſaris ſit veſtis genus. hoc amplius addit Acron, vſque ad pedes demiſſa. dicta à Baſſara loco Lydiæ, vbi fit. vnde & Bacchæ Baſſarides dictæ. Cornutus quoque grammaticus in eo Perſij verſu,

Baſſaris & lyncem Mænas flexura corymbis.

Baſſarides, inquit, omnes Bacchæ dictæ ſunt: ſed & ipſe Liber pater Baſſareus. vt Horatius, Non ego te candide Baſſareu Inuitum quatiam. Quibuſdam videtur à genere veſtis, qua Liber pater vtitur, demiſſa ad talos, quam Thraces baſſaram vocant. Quidam à vulpibus, quarum pellibus Bacchæ ſuccingebantur, vt & lyncum pantherarúmq; pellibus. Vulpes inde Thraces, baſſares dicunt. Sanè Pollux & Heſychius baſſarum veſtem eſſe affirmant. Phurnutus tamen ἀπὸ τοῦ βάζειν, id eſt à dicendo, vel clamando deriuat, & ſimplici ſ ſcribit. Fuit & Maſſaris Bacchi nomen, vt infrà dicam.

Nar-

Narthecophorus Dionyſius à ferula dictus, quæ νάρθηξ Græcè dicitur, & illi attribuitur, & eum ſectantibus, vt Sileni ſunt, Bacchæ, Satyri, alij. Vtitur Orpheus in hymnis hoc Dionyſij epitheto. Sanè quoniam ad fulciendos & ſuſtinendos vacillantes greſſus ferula idonea eſt, ideo Baccho Silenóq; ac cæteris attribuitur, vtpote vino titubantibus. hinc & illud apud Plat. in Phœdone, ἐσὶ γὰρ δή φασιν οἱ περὶ τὰς τελετὰς, ναρθηκοφόροι πολλοὶ, βάκχοι δέ γε παῦροι. hoc eſt: Sunt enim, quod aiunt qui de religionibus tractant, narthecophori, id eſt feruligeri multi, pauci verò Bacchi. quod miror in ſua prouerbia non tranſtuliſſe Eraſmum, cùm tamen elegantiſſimè de iis dicatur, quæ admodum rara ſunt inter multos: vt ſi vnum Homerum dicas, inter poetas penè innumerabiles. Porrò ναρθηκοφόρον Bacchum Euſebius in ſecundo Præp. euang. ideo vocatum his verbis ait: Ferulam Baccho in manu tradunt, quia cùm non permixtum aqua vinum homines biberent, & in furorem verterentur, alter alterum baculis ferirent, indéq; plerique morerentur, pro lignis his & baculis, ferulis vti perſuaſit: & ex eo nomen factũ videtur. De ferulis etiam Phurnutus, & quare, nonnulla his ſimilia protulit.

Bromius Bacchus cognominatus eſt, & hoc Orpheus vſus eſt in hymnis. Diod. Siculus à ſonitu tonitrus ac fulminis in ortu Bacchi vocatum ſignificat. βρομέω quippe reſono, & βρόμος ſonitus, & ignis crepitus. Meminit & Teleclides apud Heſychium. Euſebius, Bromium ait vocatum ἀπὸ τοῦ βρόμου, id eſt ignis ſonitu: qui cùm abortu ederetur, inſonuit. Magis mirum illud eſt quod Proclus, aliíq; in Heſiodi commentarijs de Re ruſt. ſcribunt, vbi de Lenæone menſe agitur. βροῦμος, vt tradunt, Dionyſius eſt: vnde brumalia, quæ celebritas fuit, quæ in bruma, atque adeò menſe Lenæone agebatur: quæ tum in noſtro Decembre, tum Ianuario peragebatur: qua de re in noſtro de Annis, menſibus &c. Sed enim & Dianam βρομίαν Orpheus in hymnis nominat. de Bromio & Phurnutus, qui à voce calcantium vinum in torculari, cum alijs deducit nominibus.

Aegobolus, αἰγοβόλος Dionyſius, apud Potniam colebatur, de cuius rei nomine hiſtoria hæc prodita eſt. Cùm ibi Dionyſia celebrarent, ita in contumelias acti ſunt, & furorem, ob ebrietatem, vt Bacchi ſacerdotem interemerint: quare dei ira graui peſtilentia affecti ſunt. Ciues hac de re Apollinem conſuluêre: à quo reſponſum acceperunt, vt deo formoſiſſimum puerum immolarent. quod cùm Potnienſes per multos annos feciſſent, capram demum à deo edocti pro puero ſuppoſuerunt. vnde deo cognomen, à capra videlicet ſuppoſita, factum videtur.

Eleleus apud Ouid. Bacchi nomen exiſtimatur, cùm canit in 4. Metamor.

Nictelius\{q\}, Eleleus\{q\} parens, & Iacchus, & Euan.

Sed ἐλελεῦ aduerbium eſt, exclamatio bellica, vt notat Heſychius: vel vt alij putant, quædam ante pæana exclamatio, hoc eſt vt Græcè dicitur, προαναφώνησις παιανισμοῦ. Vſus eſt Aeſchylus in Prometheo in vinculis, etiam in miſeratione. Putat Ouidij interpres ἐλελεῦ aduerbium hortantis eſſe, quo procedentes ad orgia celebranda, & ad conferendam pugnam vterentur. Sanè Ouidij verſum quidã ita legunt, Nyctelius, Liberq; parens, &c. quod parum placet. alij Eleus legũt, & à miſericordia, id eſt ἐλέου, vel ἔλεον deriuare cõtendunt. nam ab Eleleo & Eleleides denominatæ apud Ouid. Bacchæ, & Eleides.

Ignigena Bacchus etiam ab Ouidio cognominatus, ſecundum fabulam quidem à fulminata Semele: aliqui à vini natura ignea, vnde & à Grecis πυριγενὴς vocatus. Strabo lib. 13. loca commemorat in Lydia, ſeu Myſia, exuſta, quæ tamen optima vina proferant. Idem & tradi ait apud Catinam: vnde (inquit) perurbanè atq; eleganter Bacchum ignigenam dicunt. Pyrigenes Bacchus in Semele, effingitur elegantiſſimè à Philoſtrato in Imaginib. πυρισπόρος etiã Bacchus nec ſemel ab Orpheo in hymnis cognominatus eſt, hoc eſt, igne ſatus.

Zagræus, ζαγρεὺς Dionyſius cognominatus, is qui ex Proſerpina natus eſt, qui

qui & aliter Iacchus vocabatur, vt Græci in Pindarum comment. exponunt: quoniam in myſterijs cum Cerere & Proſerpina colebatur, ideo πάρεδρος, id eſt, aſſeſſor Cereris à Pindaro dicitur in hymno Iſthm. ad Strepſiadem Thebanum. quod cùm parũ Latinus enarrator, imò Germanus, animaduertiſſet in ſuis ſcholijs, hoc conticuit. Sed Zagrei Dionyſij præter Pindaricos expoſitores & Plut. meminit, in eo qui περὶ τοῦ εἰ τοῦ ἐν δελφοῖς, hoc eſt, de ει quod erat in Delphis. nam cũ non ſolum quæ in Delphis ſacra eſſent Apollinis, ſed & occulto quodam ſermone ſignificari ait, διόνυσον δὲ καὶ ζαγρέα, καὶ νυκτέλιον, καὶ ἰσοδαίτην αὐτὸν ὀνομάζουσι. Heſychius quoq; Zagreus, inquit, Dionyſius. videtur verò Iupiter mixtus fuiſſe Proſerpinæ, ex quo Chthonius, id eſt terreſtris Dionyſius: quod idem manifeſtius etiam Suidas.

Iſodætes Bacchus dictus eſt, vt ex modò allegato Plutarchi loco colligimus. Heſychius tamen, Iſodæten ait ab aliquibus Plutonem dici, ab alijs Plutonis filium. Iſodætæ & Hyperides meminit, in ea quam de Phryne oratione compoſuit: quo in loco Val. Arpocration interpretatur, hoſpitalem quempiam genium, quo popularia feſta muliebria, & non ſatis modeſta peragantur. De Iſodæte & in Dæmonibus agemus.

Iyngies, ἰυγγίης Dionyſius cognominatus, vt Heſychius notat. Hinc ego putarim Pindarum quodam hymno Pyth. ad Arceſilaum Cyrenæum iynga auem ideo Bacchi nuncupaſſe, quo loco de aue multa Græcus interpres, ſed de Baccho nihil. De hac verò aue & Theocritus in Pharmaceutria, & eius item interpretes, Suidas & Heſych. aliiq; aiunt autem, Iynga filiã fuiſſe Echus, alij Pithûs, quæ ſuis carminibus Iouem in Iûs amorem pellexerit: quare à Iunone in hanc auem conuerſa fuit, quæ ſiſopygis etiam, à noſtris autem motacilla nuncupatur. Addit Heſychius, cinædion etiam appellatam.

Limnæus Bacchus cognominatus à Limnis Atticæ vico, vt comment. Ariſtophanis teſtatur in Ranis, & Phauorinus. Callimachus, λιμναίῳ δὲ χοροστάδας ἦγον ἑορτάς, hoc eſt, Limnæo peragebant ſolennia ſacra. Arpocration: Limnæ, inquit, locus eſt Athenis, in quo Dionyſius colitur. Meminit & Iſæus orator, & Heſychius.

Edonius Bacchus ab Ouidio nuncupatus, à populis Thraciæ Edonis, qui ab Edono fratre Mygdonis dicti ſunt, teſte Stephano. Vnde & Edonides, & Edonæ, bacchæ. Horat. 2. Carm.

Non ego ſanius bacchabor Edonis.

Laphyſtius Bacchus, à monte Bœotiæ, vnde & Bacchæ Laphyſtiæ. Sed de Ioue Laphyſtio, ſuo loco egimus. Cœl. Rhod. lib. 27.

Euergetes, εὐεργέτης etiam Bacchi cognomen, à benefaciendo: vt etiam Eleutherus, vt notat Heſychius.

Bacchi Colonatæ ædes apud Lacedæmonios fuit, de quo Pauſan. ſic: E regione eſt locus, quæ Colona, id eſt iugum dicitur, & Bacchi Colonatæ, ac ſi iugalis dicas, ædes.

Gorgyieus, hoc eſt γοργυιεὺς Dionyſius, cultus & appellatus eſt à Gorgyia loco in Samo, vt ex Duride Stephanus obſeruat. In eadem Samo & Elygeus Dionyſius cultus, vt Heſychius ſcribit.

Maſares à Caribus vocatus fuit Dionyſius, neſcio an à Ma quapiã, quę Rheam ſectabatur, cui Iupiter Dionyſium, vt ſcribit Stephanus, nutriẽdum dederit. Sed cùm à Iunone interrogata eſſet, cuius infans ille eſſet: illa, ἄρεος, id eſt Martis reſpondit. quin & Rhea ipſa μὰ nuncupata eſt. vnde ego coniector, μάσαρες Baccho nomen fuiſſe, quaſi μὰς καὶ ἄρεος. Scribit quoq; Pauſanias in Achaicis, Dionyſij ſimulachra fuiſſe apud Patrenſes, quorum fuêre cognomina hæc: Antheus, id eſt floridus: & Areus, id eſt Martius, & Meſadeus.

Melpomenos Dionyſius, Pauſ. in Attica. Domitius vertit Latinè, Bacchus canens. colebatur verò ea parte, qua Hederaceus, id eſt Ciſſeus Dionyſius etiã, & Apollo Agyieus.

Colonatas Dionyſius,nuncupatus à loco Spartanæ regionis, teſte Pauſania in Lacon.

Hyalicus Dionyſius,vocatus deus Comus, id eſt comeſſationum, vt notat Heſychius.

Nyctelius Bacchus,meminit Plutarchus in eo qui inſcribitur de εἶ quod erat in Delphis.& Ouid.4.Metamorph.item in Attica Pauſ.Nyctelius verò dictus à verbo νυκτελέω,quod ſignificat in nocte perficio:quoniam Bacchi ſacra, nocte agebantur,de quibus Vergil.

—Vbi audito ſtimulant Trieterica Baccho
Orgia nocturnusq; vocat clamore Citheron.

Pſila Dionyſius,ſic vocatus,ait Pauſanias,quòd Dores Pſila pennas nuncupant:ſiquidem vinum non minus homines effert,ac tollere videtur,quàm penna aues.

Anthius,ἄνθιος,id eſt floridus Bacchus Athenis cultus fuit. Patrenſes quoq; Anthei Dionyſij ſimulachrum habuêre:vt Pauſanias docet. Catullus:

At pater ex alia florens volitabat Iacchus.

Vnde & illi anthinæ veſtes,vt Phurnutus & Diod.notant, aſcribuntur. Sed enim quidam anthinas veſtes variè interpretantur.quidam mulieres: vnde & Herculem aliquando anthina veſte indutum,ex Plut.ſcripſimus. quidam purpureas,à colore florum:vnde & Ianthinæ,& hyacinthinæ appellantur. alij barbaricas,& Damaſcenas,quæ nunc vocantur,quod floribus herbarum impictæ intextæq; ſint.

Oreos,Liber pater,ait Feſtus,& Oreades nymphæ appellantur,quòd in mõtibus frequenter apparerent.à monte verò nomen vtrũq; deducitur.hinc Phurnutus ait,quoſdam dicere,in monte Nyſio Iouem primùm vitem produxiſſe, vnde nomen Dionyſius.Caue ne te impreſſi codices hoc loco fallant,vt alioqui alios nonnullos.

Conſitor vuæ etiam dictus ab Ouid.in 4.Metamorph.

Genialis Conſitor vuæ.

Vitiſator Bacchus,qui vitem ſeuerit.Actius,O Dionyſe pater optime vitiſator Semele genitus Euchia.hac voce Vergil. pro deo vtitur in 7. Aeneid. vt nonnulli putant.

περικιόνιος διόνυσος,Pericionius Bacchus cognominatus,cuius cùm alij meminêre,tum ei in primis Orpheus hymnum concinuit,adolens aromata. Pericionij Bacchi & in noſtris Muſis ex Platonicorum ſententia meminimus. Pericionij verò nomen deductum eſt à περὶ & κιονίδα,id eſt,σαφυλὼ,hoc eſt ab vua.

ἀμφιετὴς διόνυσος, & huic hymnus ab Orpheo concinitur,præter thus, cæteris adhibitis ſuffimentis,& in altero eius etiam eſt facta mentio. Exiſtimauerim verò ipſe,anni tempora ſignificare,quæ circum annum euoluãtur,ab ἀμφὶ & ἔτος. Nam vt etiam Macrobius ſcribit,Liberi patris ſimulachra partim puerili ætate, partim iuuenili fingebantur.præterea & barbata ſpecie,& ſenili quoq;, quæ ætatum diuerſitates anno & Soli conueniunt, ita vt paruulus videatur hyemali brumaliq; ſolſtitio,qualem Aegyptij proferebant ex adyto die certa,quòd tunc breuiſſimo die veluti paruus & infans videretur. Exinde autem procedentibus augmentis æquinoctio vernali,ſimulátq; adipiſcitur vires,figura iuuenis ornabatur.poſtea eius ætatis ſtatuebatur pleniſſima effigie barbæ. ſolſtitio æſtiuo, quo tempore annus & ſol ſummum ſui conſequitur augmentum; tum demum per diminutiones,veluti ſeneſcenti quarta forma deo figurabatur. Idem ſanè Orpheus ἀλφιτήρος etiam nuncupauit,in Trieterico Baccho.

Briſæus Dionyſius dictus,vt Stephanus ſcribit,à Briſa promotorio Lesbi,vbi colebatur. Sunt qui βρισέα ſcribant,παρὰ τὸ βρίθω,τὸ βαρῶ,id eſt grauo. βρισεὺς à βρίσω,futuro videlicet eius verbi,quòd vini potus aggrauet caput.nonnulli παρὰ τὸ βρίζω,quod Præ potu & cibo dormio ſignificat. Alij ἀπὸ βρύσις, id eſt à made-

faciendo & irrigando. Alij ab vrbe Laconiæ Bryſeum deduci exiſtimant. alij etiam à byrſa, id eſt corio vel pelle, Byrſeum. Sed præſtat audire quæ Cornut. in Perſium: Eſt, inquit, Briſeus Liber pater cognominatus, ſiue (vt quibuſdam videtur) à mellis vſu, eo quòd ipſe inueniſſe dicit mel, & ex fauis exprimere. Bris enim iucundum dicimus: vnde etiam quidam Briſeida exiſtimant dictam, quòd Achilli iucunda fuerit. vel certè, vt alijs videtur, ab vua, quòd vuam inuenerit, & expreſſerit pedibus. briſare enim dicimus exprimere. vel certè Briſeum dictum ex nomine nymphæ, quæ eum nutriſſe dicitur. Idem paulò pòſt: In Græcia inquit, duæ fuerunt Liberi patris ſtatuæ: vna hirſuta, quæ dicebatur Briſei: altera lęuis, id eſt ſine pilis, quæ dicebatur Lenæi. hactenus ille. Perſius:

Eſt nunc Briſæi quem venoſus liber Acti.

Briſæus ideo, quia barbatus colitur Liber pater, eo cognomine. meminit & Macrobius.

Hedereus, hoc eſt κισσὸς διονύσιος, teſte in Attica Pauſan. cognominatus, quod in ea Atticæ regionis parte, Acharnis videlicet, primùm hederam viſam tradũt. vnde ab Antipatro poeta ἀχαρνίτης hedera cognominatur. Inibíq; μελπομένου, id eſt canentis & hederei erant ſimulachra. κισσόβρυος ab Orpheo Dionyſius cognominatus, & κισσεὺς dicitur Apollo, qui & Bacchus ab Aeſchylo apud Macrobium. Homerus in altero ad Dionyſium hymno, ipſum κισσοκόμην διόνυσον ἐρίβρομον vocat, id eſt hedericomam.

πατρῷος, id eſt Patrius Dionyſius cultus, cuius templum Polyidus Cœrani filius conſtruxit in Attica, in quo ſimulachrum Patrij Bacchi poſitum fuit, cui Satyrus aſſiſtebat, opus Praxitelis è Pario marmore: altera ſtatua Daſyllij Bacchi, quam ferunt poſitam fuiſſe ab Euchenore filio Polyidi Cœrani.

Omadius, ὠμάδιος Dionyſius, cuius nec ſemel mẽtio eſt apud Orpheum. Euſebius verò Pamphili lib. Præp. Euang. quarto: Dionyſio, inquit, Omadio apud Chios appellato, homo crudeliter diſcerptus ſacrificabatur.

Bactes Bacchi nomen, ἀπὸ τοῦ βάζω, hoc eſt clamo & vociferor. quidam & Brũtinum etiam appellant, fortè à tonitru, id eſt à βρόντης.

Μίσης Dionyſius. Orpheũs in hymno ad ipſum cum thymiamate ſtyracis:

Inuoco legiferum Narthecophòrum Dionyſum,
Laudatum Eubuli ſemen, cui nomina multa,
Sacratum caſtumq́; Miſen, dominumq́; verendum.
Qui mas & mulier, duplex Lyſæus, Iacchus,
Seu te ſacratæ templum delectet Eleuſis,
Seu Phrygia cum matre deũm myſteria tractas,
Seu Cypri Cytherea tenet te compta capillos,
Seu de frugiferis campis lætaris honeſtè,
Matre dea tecum nigrifera Iſide caſta,
Aegypti prope flumen.

Aſalaminius Bacchus cognominatus eſt ab Ariſtophane, quaſi dicas imbellem, à naue illa Athenienſium Salaminia, qua in difficilibus rebus vtebantur, de qua in noſtro de re Nautica pluribus egimus.

Licnites, λικνίτης Dionyſij eſt epitheton, ductum ἀπὸ τῶν λίκνων, id eſt à cunis, in quibus infantes recubant, vt ait Heſychius. Licet Licniten quidam ciſtam interpretentur apud Plut. in Iſide & Oſiride. In Licniten eſt hymnus apud Orpheum, cum ſuffimento mannæ thuris, cuius hoc initium,

Licniten Dionyſſum nunc in vota vocamus:
λικνίτην διόνυσον ἐπ' εὐχαῖς ταῖσδε κικλήσκω.

Λεβηνός, Lebenus quoque dictus eſt Dionyſius, vt notat Heſychius: nec de hoc amplius comperi.

Οὐροτάλτ, Vrotalt Dionyſius ab Arabibus nuncupatus, vt ſcribit Herodotus

inter-

in tertio. Valla Oratal tranſtulit: Quòd fœdus, inquit, & ipſi qui amicitiam con traxerunt, ſeruare iuſtum cenſent, Dionyſum, quem Oratal, & Vraniam, quam Alilat appellant, ſolos deorum eſſe arbitrantur, &c. quibus ex Herodoti verbis videmus male expoſitum Arrianum in ſeptimo de geſtis Alexandri: Acceperat, inquit, Arabas duos tantùm deos colere, Cœlum ſcilicet ac Dionyſium. non Cœlum videtur legendum, ſed οὐρανίαν. nam Venus eo nomine dicta, vt docui. Sunt etiam apud Heſychium hæc Dionyſij nomina, ἠρικέπαιος, αὐαλὸς, θεοδίσιος, & ἰωβάκχοις: apud Orpheum verò, τρίγονος, σἰασὴς, & alia pleraq;. Legitur epigrã ma iambico dimetro cõſtans, quòd Auſonij Galli poetæ eſt, quod ita inſcribitur vulgò, Miohobarbum, Liberi patris ſigno marmoreo in villa noſtra, omnium deorum argumenta habenti. Sed cùm Miohobarbum vox ſit parum nota, & quid ſignificet nullus explicet, & (vt audiui) vetuſtus admodum codex Mixobarbum retineat, videámq; id etiam ita à viro docto & æquè eleganti citari Mixobarbarum: nec minùs ipſe quoq;, antiqua dum euoluerem Græciæ elogia, à Cyriaco Anconitano collecta, epigraphen reperi in Iſthmo Corinthiaco poſitam, in qua inter cætera hæc verba, leguntur, μιξοβαρβάρων θ' ἑώοις τ' ἐθνῶν ἀρχηγὸς, hoc eſt, Mixobarbarorúmq; orientaliúmq; gentium ductor: inde facilè colligere poſſumus, μιξοβάρβαροις ſignificare, quod ex barbaris & non barbaris mixtum eſt: ſicut & hoc Auſonij epigramma, in quo & Græca & Latina, ac etiam barbara ſunt ipſius dei nomina. Sunt præterea qui mixobarbaros ſtatuas dicant fuiſſe. citant Pauſan. in Bœot. Cœlius Rhod. exiſtimat Medeæ filios Mixobarbaros appellatos. Hęc verò tibi omnia confuſe retuli. nam omnino mihi hac in re non ſatis placeo. Epigramma igitur Auſonij dimetrum iambicum tale eſt:

Ogygia me Bacchum vocat,
Oſirin Aegyptus putat,
Myſi Phanacen nominant,
Dionyſon Indi exiſtimant,
Romana ſacra Liberum,
Arabica gens Adoneum,
Lucaniacus ſed Pantheum.

In quo Mixobarbaro illud mihi indulſi, propter hos tres eiuſdem poetæ verſus, qui ſic leguntur alibi:

αἰγύπτου μὲν ὄσιρις ἐγὼ, μυσοῖς δὲ φανάκης,
βάκχος ἐνὶ ζώοισιν, ἐνὶ φθιμένοις ἀϊδωνεὺς,
πυρογενὴς, δικέρως, τιτανολύτης διόνυσος.
Aegypti quidem Oſiris ego, Myſonę Phanaces:
Inter viuentes, mortales, Bacchus, Adoneus,
Igne ſatus, Diceros, Titanolytes, Dionyſſus.

Sanè Adoneus ſic ſcribi videtur ab Origene lib. 4. aduerſus Celſum, ſed cum Ioue nominatur, nec quidem ſemel. quin & ab Adonai alicubi idem deflectere videri poteſt, cùm alias ego ab Adoni deduci dixerim.

Extat item in Græcorum epigrammatum volumine heroicum poema, quinque & viginti verſuum, cuius (primo duntaxat excepto) Acroſtichis, id eſt primorum verſuum apex, omne Græcum conficit Alphabetum, hoc eſt ipſas Gręcorum quatuor & viginti literas, ſingulorúmq; verſuum verba ab eiuſdem verſus primo incipiunt elemento: qua ex re factum eſt, vt è Græco Latinè commodè verti ne poſſit. atq; ideo ita Græcè vt legitur, hîc tibi aſcribendum duxi. Primùm igitur hoc eſt,

Cantemus regem, Philenion, Eraphioten: hoc eſt,
Μέλπωμεν βασιλῆα, φιλήνιον, εἰραφιώτην,
ἀβροκόμην, ἀγροίκοις, ἀοίδιμοις, ἀγλαόμορφον,

βοιωτὸν, βρόμιον, βακχεύτορα, βοτρυοχαίτην,
γηθόσυνον, γονόεντα, γιγαντολέτην γελόωντα,
διογενῆ, δίγονον, διθυραμβογενῆ, διόνυσον,
εὔϊον, εὐχέτην, εὐάμπελον, ἐγρεσίκωμον,
ζηλαῖον, ζάχολον, ζηλήμονα, ζηλοδοτῆρα,
ἤπιον, ἡδυπόδην, ἡδύθροον, ἠπεροπῆα,
θυρσοφόρον, θρήϊκα, θιασώτην, θυμολέοντα,
ἰνδολέτην, ἰμερτὸν, ἰοπλόκον, εἰραφιώτην,
κωμαστὴν, κεραὸν, κισσοστέφανον, κελαδεινὸν,
λυδὸν, ληναῖον, λαθικηδέα, λυσιμέριμνον,
μύστην, μαινόλιον, μεθοδώτην, μυριόμορφον,
νυκτέλιον, νόμιον, νεβρώδεα, νεβριδόπεπλον,
ξυστοβόλον, ξυνὸν, ξενοδώτην, ξανθοκάρηνον,
ὀργίλον, ὀβριμόθυμον, ὀρέσκιον, οὐρεσιφοίτην,
πουλυπόδην, πλαγκτῆρα, πολυστέφανον, πολύκωμον,
ῥηξίνοον, ῥαδινὸν, ῥικνώδεα, ῥηνοχορῆα,
σκιρτητὴν, σάτυρον, σεμεληγενέτην, σεμεληῆα,
τερπνὸν, ταυρωγὸν, τυῤῥηνολέτην, ταχύμηνις,
ὑπνοφόβης, ὑγρὸν, ὑμενήϊον, ὑλήεντα,
φηρομανῆ, φρικτὸν, φιλομειδέα, φοιταλιώτην,
χρυσόκομους, χαρίεντα, χαλίφρονα, χρυσεομίτρην,
ψυχοπλανῆ, ψεύστην, ψοφομηδέα, ψυχοδαΐκτην,
ὥριους, ὠμηστὴν, ὠρεσίτροφους, ὠρεσίλοιγον.

PRIAPVS.

Priapus deus naturalis membri, & ſobolis ac prolis. ſcribit Diodor. Priapum Græci, hircum Aegyptij, propter eam corporis partem, à qua ſit omnium ortus, inter deos retuliſſe tradunt. vnde & Orpheus in hymno Protogoni, hoc eſt primigenij hymno, Priapi etiam nomine Protogonon ipſum inuocat. Phurnutus Priapũ deum deſcribit, & quid membri pudendi magnitudo ſignificet, & cur ſinum habeat omni genere fructuum refertum, cur horti & vineæ cuſtos, quid falx in dextera, quæ omnia naturæ totius conuenire oſtendit: & alia addit de bono dæmone, de quo alibi agendum erit. Fabulam Apollonij interpretes de Priapi natiuitate recitãt, in primo Argon. quo loco de Abarni vrbe Pariana poeta agit. Cùm Dionyſij, aiunt, amore Venus capta eſſet, illi eſt cõmixta. eo verò in Indicam profecto expeditionem, cum Adonide mixta eſt. Sed vbi Dionyſius redit, coronam ſibi faciens, ei obuiam proceſſit: & coronatam illi miniſtrare ſuaue erat, propterea ꝙ iam illi nupta fuerat. Verùm ad Lampſacum ſedens, eum quem vtero gerebat edere infantem volebat. Iuno verò zelotypia acta, maleficijs vſa, eius ventrem manu attigit, effecitq; vt puerum pareret cùm cætera informem, tum maximè ob virilis membri immanitatem, quem Priapum appellauit: quem videns Venus, indignum rata eſt vt tolleret, cùm propter alia inuiſum illum habens, tum maximè propter membri ſuprà quàm par erat, indecentiam. quapropter Venus ipſum ſuum eſſe abnegauit. atq; hoc eſt ἀπαρνηθῆναι, & inde Aparnis vrbs vocata, quæ poſtea literæ immutatione dicta eſt Abarnis. hæc illi. eadem & Stephanus, ſed paucioribus explicat. Hanc etiam fermè fabulam Suidas recitat: illúdq; amplius adiungit, quòd puerum informem expoſuerit Venus, atque abiecerit in montem, in quo à paſtore nutritus ſit. & cùm membrum haberet ad nates erectum, vocatus ſit Italorum lingua Priapus, atq; à paſtoribus cultus: cuius imago puerili fuit, qui arrectam mentulam teneret. hæc Suidas. At verò Seruius: Priapus, inquit, fuit de Lampſaco ciuitate Helleſponti, de qua pulſus propter virilis membri

membri magnitudinem, pòſt in numerum deorum receptus, meruit numen eſſe hortorum. Hinc Vergilius in IIII. Georg.

Et cuſtos furum atq; auium, cum falce ſaligna,
Helleſpontiaci ſeruet tutela Priapi. De hoc etiam Horatius:
——Nam fures dextra coercet,
Obſcenoq; ruber porrectus ab inguine palus.

Sed de hac re plura in Ithyphallo & Phallo, paulò mox agemus. nunc cætera de eius genere. Scribit Strabo: Priapus & portus & vrbs in Helleſponto, condita vel à Mileſijs, vel à Cyzicenis, (variè enim traditur) nomen habuit à Priapo, qui apud eos colitur, ſiue ex Orneis, qui apud Corinthum fuêre, vnde Orneates ipſe deus, vt pòſt dicemus, nuncupatus. Priapus ergo, Liberi patris filius, quia ea regio, & Lampſacus, vineis abundat. hinc & Xerxes rex Themiſtocli in vinum Lampſacum dedit. res nota ex Strabone, & Stephano, qui etiã ait ex Demoſthenis ſententia, ob ſcilicet vini bonitatem, Priapi opus, ſeu poſſeſſionem eam vrbem eſſe: qui Priapus Veneris & Dionyſij filius exiſtimatus eſt. Pauſ. idẽ ait. At Diodorus: Priapus, inquit, vt fabulantur antiqui, Dionyſij ac Veneris filius fuit, quòd qui vino indulgeant, ſint natura ad venerem procliuiores. Addit & hoc quoq; Pauſ. Priapus, inquit, & alibi, & vbi ſũt caprarum ouiúmq; paſcua, apúmq; examina colitur. noſtri etiam & hortos & pomaria, vt ex Priapeijs poematibus facilè colligimus. Exiſtimauit Strabo, vir doctiſſimus, à iunioribus deum habitum eſſe, non à vetuſtioribus: nam Heſiodus, inquit, Priapum non nouit. & Orthanæ & Coniſalo & Thyconi, & eiuſmodi Athenienſium deis perſimilem fuiſſe prodidit. Atqui ô Strabo, ſi Heſiodus Priapum non nouit, vt ais, at nouit Orpheus Heſiodo antiquior, qui in πρωτογόνου hymno cum myrrha, inter alia ita cecinit,

ἀφ' οὗ σε φάνητα κικλήσκω, ἠδὲ πρίηπον ἄνακτα. id eſt,
Ex quo teq; Phaneta vocabo, atq; Priapum regem.

Euſtathius Priapum ac Silenum Bacchi ideo comites eſſe ſcribit, quòd ebrij ac ſalaces eſſent. quod tamen ita ego intelligendum reor, non reipſa vino oppreſſos: tunc enim ebrij, vt ſæpe vidimus, non veneri, ſed ſomno rem ſacram facere conſueuêre, vtpote parum ſui compotes. Lucianus in eo qui περὶ ὀρχήσεως inſcribitur, Priapum vnum ex Titanibus, vel Idæis dactylis ſcribit, quem Iuno Marti dederit, puerum adhuc rudem, ſed multa præditum virilitate: eúmq; non prius à Marte armorum diſciplina peritum, quàm ſaltatorem bonum factum. vnde & illi merces ab Iunone conſtituta fuit, vt ab eo decimam ſpoliorum partem in bello reciperet. Rem planius Lucianus prodit. Ab Aegyptijs Priapi ſimulachrum, quem illi Horum & Typhonem appellabant, humana effingebatur forma. dextera manu ſceptrum tenebat, quòd ab ipſo terram & mare in lucem edita exiſtimarent: læua ſuam ipſius mentulam arrectam, quòd ſemina humo tecta in apertum emittat. Pennæ autem, motus indicabant celeritatem: & diſci, orbis circumferentiam ſignificabant. eundem enim eſſe, qui & Sol, opinabantur. Suid. auctor. Noſtri Priapum effingebant in agricolæ arrecti ſpeciem. Tibullus: Agricolam ponimus ante deum. Idem: Libatum agricolam ponitur ante deum. Falx illi dabatur, Terreat vt ſæuas falce Priapus aues. vel vt Phurnutus ſcribit, quòd ea ad putandas vites vtamur: vel quia cuſtodientem fas eſt habere arma, quibus eas tueatur: vel quia qui inducit ac profert quæ ſunt, eius debet eſſe virtutis quæ incidere ac perdere ea poſſit. Lego apud virum doctum, hunc deum cognominatum ideo Auiſtuporem. ita enim lib. VII. Architecturæ ſcribit: Nõ enim ſtatuas ponemus, quales in hortis ridiculas illius Auiſtuporis dei, &c. Nos vulgò Spantachium, quaſi pauorem auium appellamus, ad earum ſcilicet terrorem. Coronabatur verò Priapus ex ijs quæ hortẽſia eſſent. Lac & liba præterea Priapo efferebantur. Scribit Seruius, cum conſideratione à Vergilio illud dictum eſſe,

Sinum lactis, & hæc tibi liba Priape quotannis
Expectare ſat eſt, cuſtos es pauperis horti.

Suprà inquit Dianæ cum veneratione locutum eſſe, apud numen ſeuerum: contrà hic, inquit, iocatur, quia loquitur numini, quod iocis gaudere manifeſtũ eſt, quia deus eſt, qui hortos tuetur.

Bonus dæmon, ſeu Genius, vocatur etiam Priapus, vt Phurnutus teſtatur, ꝙ omnia omnibus diſtribuat ac diuidat: vnde & τεχνίτης, & σωτὴρ domeſticarum rerum appellatur. hinc etiam illi cornu Copiæ, id eſt Amaltheæ attribuebant. qua de re plura idem Phurnutus.

Phallus Priapus vocatur, & veretrum ſignificat. quare cùm Herodotus ait, in ſacris Dionyſij fuiſſe phallos, Priapos intelligimus: hoc eſt veretra, quæ è collo propendebãt. Diod. in ſacris Aegyptiacis pudendum Oſiridis phallum vocauit, & in eius rei memoriam cubitales ſtatuæ factæ eodem nomine dicebantur, quæ præcinente tibia circumferebantur. Herodotus in II, huius ſacri ritum exponit, Melampũmq; oſtendit Græcis id ex Aegypto mõſtraſſe. Lucian. Phallos pro foribus deæ Syriæ fuiſſe ſcribit, quos ait poſitos ab ipſo Dionyſio nouercæ Iunoni. Alij Phallos eſſe dicunt ligna longa, quæ in ſummo pudenda haberent. A' phallo περιφαλλία, celebritas & pompa quæ Dionyſio agebatur ex phallis, dicta eſt, teſte Heſychio: quæ & φαλλαγωγία, vt Theodoretus & Phurnutus aiunt, dicebatur, id eſt dies & feriæ Priapo dicatæ. vnde & Phallouitroboli nuncupati, ex vitro Priapi, quamuis & ex alia materia fierent, ex ebore, auro, & (ſi Dis placet) ex ſerico, & panno lineo, quibus mulieres vtebantur, & fortè nũc etiam vtuntur, ad explendam Veneris pruriginem. ab hoc Ithyphallus etiã deus ipſe Priapus vocatus, cui eſt carmen Phallicum, & Ithyphallicum dicatum: de quibus & Græci & Latini, & nos præterea in Poetis egimus. ἰθύφαλλος verò eſt interpretatus, arrectus Priapus, qui & ab Aegyptijs quotannis ſumma inquiſitione & cultu celebrabatur. lege Diodorum, Lucianum, & Herodotum in ſecundo: vt alios mittam. Ponebatur porrò Ithyphallus in hortis, propter generationem vbertatémq; eorum. ijs enim præeſſe dicitur, propter fœcunditatem, cuius ipſe ſymbolum putabatur. Nam, vt ait Seruius, cum alia terra ſemel creet aliquid, horti nunquam ſine fructu ſunt. hinc ergo Columella in carmine de Hortis ait,

Sed truncum fortè dolatum
Arboris antiquæ, numen venerare Ithyphalli.

Et Vergilius, vt antè dictum,

Helleſpontiaci ſeruet tutela Priapi.

Horatius in ſermone de Priapo,

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cùm faber incertus, ſcamnum faceretne Priapum,
Maluit eſſe deum: deus inde ego, furum auiumq;
Maxima formido: nam fures dextra coercet,
Obſcœnoq; ruber porrectus ab inguine palus.
Aſt importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa vetatq; nouis conſidere in hortis.

Quòd Horatius ex ficulneo trunco dixit confectum Priapum, idem & Theocritus in epigrammate de eodem loco,

σύκινον εὑρήσεις ἀρτίγλυφες ξόανον. hoc eſt,
Ficulneam inuenies, quæ modò ſculpta, ſtatuam.

Poſſet & referri ad fabulam, quam ex Arnobio in Baccho retuli, vnde & origo putatur Ithyphalli: id quod eo loco planius oſtendi. Dicebatur & cuſtos ruber. Verg. l. in Priap.

Sed ruber hortorum cuſtos membroſior æquo. Tibullus:

Pomoſisq;

Pomoſisq́ ruber cuſtos ponatur in hortis,
Terreat vt ſæua falce Priapus aues. Ouidius in Faſtis:
—Et ruber hortorum cuſtos.

Sed hac de re, id eſt, de Ithyphallo, & deo & carmine, plura ſcripſimus in Mecœnatis vita, cùm de Priapeijs poematibus ageremus, quę non ſunt hîc repetenda. eos enim Dialogos iampridem edendos M. Iſingrinio, accurrato ac diligenti typographo, tradidimus. Vnũ illud de Ithyphallis ex XIIII Athenæi hoc loco, quod ibi non aſcripſeram, tantùm afferam: Ithyphalli, inquit, ebriorum perſonã geſtabant, & coronabant, χειρῖδας, id eſt manicas habentes αἰθινὰς, id eſt floridas, ſiue purpureas, ſemialbiſq; tunicis vtebantur, & ſubtili ad talos vſq; tegebantur amiculo. cum ſilentio autem per porticum ingreſſi, vbi in mediam peruenêre ſaltationem, ad theatrum ſe conuertebant, dicentes, Recedite, deo locum date: vult enim deus rectus ſublimiſq; per medium incedere. hæc fermè Athenæus.

Typhonem Priapum ab aliquibus cognominatum, ſcribit Diodor. Siculus. Priapum, inquit, quidam Ithyphallum, alij Typhonem nominant. non ſolùm autem in vrbium templis, ſed in agreſtibus quoq; locis, tanquam vinearum atque hortorum cuſtos colebatur, fructuum fures caſtigans: id quod etiã ex Priapeijs, & Columella, & paulò antè noſtris citatis poetis facilè intelligimus. Sanè non ſolùm in Dionyſij cerimonijs & orgijs adhibebatur, ſed & alijs pleriſq; ſacris cũ riſu ludóq;. imò & matronæ eum circumferebant, & alia inhoneſta facere ſolebant, vt in ſequentibus oſtendemus. Porrò nunc etiam hymnus Orphei in Typhonem legitur, quem in ſubterraneis ædibus habitare, aliáq; canit, quæ Plutoni conuenire videtur. Plura de Typhone Plutarchus in Iſide & Oſiri prodit, cui & Nephthyn adiungit, de qua in Venere dictum.

Faſcinum pro Priapo poſitum, apud auctores ſæpe vidimus, & diuus Auguſtinus in lib. de Ciuit. dei, nec ſemel. vt cùm in ſexto ait: Quid hoc dicam? cùm ibi ſit & Priapus, nimium maſculus, ſuper cuius immaniſſimum & turpiſſimum faſcinum ſedere noua nupta iubebatur, more honeſtiſſimo & religioſiſſimo matronarum. Vergil.

Pædicabere faſcino pedali. Idem,
Priape quod tento grauis ſis faſcino. Item,
Ruber ſedere cum rubente faſcino. Vtitur & Horatius:
Minus ve languet faſcinum.

Quo loco ait Porphyrion, quod faſcinandis reb. hæc membri deformitas adderetur. Donatianus quoq; de Ithyphallico carmine ita ſcribit: Dictum eſt autem inde, quòd in myſterijs Liberi Athenis vates ſtipitem rectum in modum faſcini tenebant, id quod etiam in Poetis annotaui. Sunt qui putent, ad auertendum faſcinum. nam & Auguſtinus in VII, ait à matrona honeſtiſſima imponi illi coronam ad auertendum faſcinum frugibus. Acron, faſcinum eſſe ait, virilem penem. lingua verò deterſa fronte, mulieres amputare ſe infantibus putant faſcinum. Plin. lib. XXVIII. cap. quarto: Religione mutatur & faſcinus, Imperatorũ quoq;, non ſolùm infantium cuſtos: qui deus inter ſacra Romana à Veſtalibus colitur, & currus triumphantium ſub his pendens defendit, medicus inuidiæ, iubétq; eoſdem recipere. hæc conciſe Plinius. Sed de faſcino, qui vel oculis vel lingua fieri dicitur, non eſt cur hîc ſcribam, aliàs ex philoſophis & medicis ſeorſum annotationem conſcripſi.

Muto Priapus etiam dictus à Latinis: vnde mutoniatus, mentulatus. res notior eſt, quàm vt plurib. interpretemur. Idẽ dicitur & mutinus, vt habetur in Priapeis, Rubricato minare mutino. Tertullianus in Apolog. legere videtur Mutunus. ita enim ridens Romanorum religionem: Sterculus, inquit, & Mutunus, & Laurentina prouexit imperium, &c. Arnobius item in quarto: Etiámne, inquit, Mutunus, cuius immanib. pudendis, horrẽtíq; faſcino veſtras inequitare matronas & auſpicabile ducitis, & optatis. At verò Lactantius Firmianus in I. Stercu-

lius, qui ſtercorandi agri rationem induxit: & Mutinus, in cuius ſinu pudendo nubentes præſident, vt illarum pudicitiam prior deus delibaſſe videatur. Augustinus etiam in quarto, Mutunum & Tutunum legere videtur. tametſi in codicibus Lactantij quibuſdam, nunc Futinus legatur, & Tutunus.

Orneates Priapus deus cognominatus eſt, ab Orneis prope Corinthum populis, vt Strabo auctor eſt, cuius dei res Euphronius poeta carmine perſcripſit, vt in tertio de Poetarum hiſtoria ſcripſimus. Ornea quoque ſacra, ſunt qui ſcribãt, appellari Priapi ſacra, quæ à nymphis iuxta Colophonem celebrarentur.

Lampſacus quoque, & Lampſacenus deus, Priapus vocatus eſt, vt Valer. Flaccus docet. Scribit Seruius, quòd Priapus ex eo oppido fuerit. vnde in Priapeijs poeta,

Mortales tibi Lampſacum dicarunt. Item,
Ille tuus ciuis Lampſace Gallus ero.

De Priapo verò oppidò iam locuti ſumus.

Pammyles deus apud Aegyptios, teſte Heſychio, non quidem Priapus, ſed Priapo ſimilis, cuius Cratinus iunior in Gigantibus fabula meminit: ὡς σφοδρῶς ἡ αἰγυπτιώδης σόχαρις παμμύλης. licet in peruulgatis Heſychij codicibus, παμύλης paſſim legi à doctis etiam quibuſdam videamus. Sed nos de Pammylijs ſacris, quæ & qualia eſſent, in Oſiri plura prodidimus.

SYNTAGMA NONVM, DE MERCVRIO, IRIDE, SOMNO, INSOMNIIS, AD ALBERTVM LOLLIVM.

Lolli, Lollia quo domus ſuperbit,
Hunc noſtrum tibi dedico libellum,
Eſt quo Mercurius deus repoſtus.
Hunc tu ſuſcipias, legas, & ornes,
Qua polles nitida elocutione,
Cultus prodeat vt virûm per ora.

INuitaſti tu me ſæpe, Lolli chariſſime, tuis literis, & muneribus illis quidem mihi gratiſſimis, vt meorum aliquid ſcriptorum tuo nomini darem, quod noſtræ inter nos amicitiæ omnibus teſtimonio eſſet. Ego verò cùm alijs plurimis de cauſis, tum hac hucuſque diſtuli, quod mea ſcripta non talia ſunt, vt aliquid tibi vel dignitatis, vel nominis ad poſteritatem addere poſſint: cùm ſatis id tibi vtrunque, vel generis nobilitate, vel ſtudio optimarum artium comparatum ſit. Quis enim Lolliorum familiam ignorat, à priſcis vſque temporibus illuſtrem extitiſſe? & ad noſtram vſque ætatem viros ſubinde præclaros cùm domi foriſque, hoc eſt, & literarum ſtudijs, & negotijs gerendis, tum armis etiam & militia protuliſſe? Commemorarem ex diuerſis temporibus aliquos, atque etiam qui hoc ipſo tecum florent: niſi tu hanc partem eſſes præclare executus, qui à Cæſaris & Auguſti vſque ætate, & ſuprà etiam, ſeorſum permultos hiſtoria eleganti ſtilo à te perſcripta (vt audiui) complexus es. Tu verò à teneris vſque pueritiæ vnguiculis ita literis & moribus, præcipuè M. ANTONIO ANTIMACHO, viro in vtraque lingua eminentiſſimo profeciſti, vt inter ciues noſtros tibi & eloquentia & eruditione honeſtũ locum cõparaſris. Sed quando video te indies id à me efflagitare, ſtatui te tuo deſiderio diutius non fruſtrari & me hoc ipſo nexu abſoluere. Cõpoſui his dieb. multi ſtudij & lectionis de Deis & eorum cognominibus pleraque Syntagmata, quorum quod de Mercurio confeci, tuo nomini dare conſtitui, his præcipuè de cauſis. Nam cùm is deus exiſtimatus ſit à gentib. non literarũ modò, & ſtudiorũ ac eloquentiæ, ſed & opum & theſaurorũ præſes: & tu in his omnibus non parũ, bonorum iudicio emineas: ſic vt quantum literis et eloquentia vales, tantundem etiam in adminiſtranda familia, et in facultatibus vel tibi à maioribus traditis, vel abs te auctis, diligens ac ſplendidus in iſta adhuc iuuenili et florenti ætate paterfamiliâs exiſtimeris. Accipe igitur hoc ipſum, quod diu optaſti, noſtrum qualecunque Syntagma: in quo videbis, qualis

bis, qualis à gentibus fuerit exiſtimatus deus Mercurius. Sed magis, quod vereor, audaciam meam ridebis, qui homo cùm ſim tam imbecillium virium, penè conclamatæ valetudinis, & mediocris (ſi non etiam multo infrà) literaturæ, auſus ſim tantum onus ſubire. nam omnem penè antiquitatem euoluere neceſſe fuit, in tanta explicanda materia. Sed in tam longo articulorum morbo, & podagræ otio, quid agendum fuit? Sinerémne me penitus confici doloribus? Volebam in his etiam videri me vixiſſe, nec penitus interijſſe. An aſſecutus id fuerim, tu cum Ferino, & cæteris Academiæ tuæ eruditis, & candidè cenſentibus, iudicatote. Ego certè, quantum potui, effeci: & indies etiam plura efficiam, ne totum me dolores & infortunia abſtuliſſe videantur. Vale.

MERCVRIVS.

MErcurius à Latinis dictus, à Græcis ἑρμῆς vocatur, ſermonisq́ deus ab antiquis credebatur. Mercurius enim dictus medicurrius quidam, vt ait Arnobius, hoc eſt, quaſi medius currens: quòd ſermo medius inter homines ſit. & ideo ἑρμῆς Græcè, id eſt interpres nuncupatus: vnde & interpretatio, ἑρμηνεία, quæ propriè ad ſermonē ꝑtinet. Quam ob rem fuerunt, qui Mercurium ſcripſerint, vel maximè ob hãc cauſam diuinum habitum, quòd nullo manus aut pedum officio indiguerit: ſed ſolis verbis, quæ vellet, ita diceret, vt ab omnibus planè intelligeretur. Et propterea etiam mercibus præeſſe putabatur, quia inter vendentes & ementes ſermo ſit medius. Ideo & Feſtus ait: Mercurius, à mercibus eſt dictus. hunc etenim negociorum omnium exiſtimabant eſſe deum. hac ratione alas ei in capite & pedibus antiqui aſſignauêre, id ſcilicet ſignificare volentes, volucrem per aera ferri ſermonem. Ideóq́ & Nuncius dictus, quoniam per ſermonem omnia cogitata enunciantur: auctor Auguſt. in ſeptimo de Ciuit. dei. Ammianus verò ſcribit, Iulianum Cæſarem nocte dimidiata ſemper exurgentem ex tapete & xyſira, quam vulgaris ſimplicitas Suſurnam appellat, occultè Mercurio ſupplicaſſe, quem in mundo velociorem ſenſum eſſe, motum mentium ſuſcitantem, theologicæ prodidêre doctrinæ. Mercurios quinq́ M. Cicero in tertio de Nat. deorum enumerat, quem & Arnobius eſt ſecutus: Vnus, inquit, Cœlo patre, Die matre natus eſt, cuius obſcenius excitata natura traditur, quòd aſpectu Proſerpinę cõmotus ſit. alter Valentis & Phoronidis filius, is qui ſub terris habetur: idē Trophonius. tertius Ioue tertio genitus, & Maia, ex quo & Penelope Pana natum ferunt. quartus Nilo patre, quem Aegyptij nefas habent nominare. quintus, quē colunt Pheneatæ, qui argentum inueniſſe, & Argum dicitur interemiſſe, ob eámq́ cauſam Aegypto præfuiſſe, atq́ Aegyptijs leges ac literas tradidiſſe. hunc Aegyptij θὼθ appellant: eodémq́ nomine primus anni menſis apud eos vocatur. hæc quidem Cicero. Lactantius tamen grammaticus in Thebaid. lib. quarto, ex Carbilij ſententia quatuor tantùm Mercurij nomine numerat, vnum Iouis & Maiæ filium, alterum Cœli & Diei, tertium Liberi & Proſerpinæ, quartum Iouis & Cyllenes, à quo ſit Argus occiſus: quem ob hanc ipſam cauſam Græci profugum dicunt, Aegyptijs verò literas demonſtraſſe. Non hîc refero Hermeten, id eſt Mercurium Triſmegiſton, quia eius vitam inter Poetas retuli. Scribit Fulgentius: Mercurium veteres dici voluêre, quaſi mercium curam. Plato verò in Cratylo, & eum exponens Proclus, ἑρμῆν, ab eo quod eſt εἴρειν καὶ μήσασθαι, quòd loqui excogitauerit & machinatus ſit, interpretati ſunt, quaſi εἰρέμην. Nunc verò nos, ait Proclus, vt eſt videre, nomen adornantes, ἑρμῆν vocamus. nam & Iris ipſa videtur nuncupata, quòd nuncia ſit. hæc illi pluribus, quos & Phurnutus ſecutus, & hoc amplius: vel dictus, inquit, ἀπὸ τοῦ ἔρυμα ἡμῶν εἶν, καὶ οἷον ὀχύρωμα hoc eſt, ab eo quòd ſit nobis propugnaculum, ſeu munimentum. Phauorinus ἑρμῆν dictum ait ἀπὸ τοῦ εἴρω, quod eſt annuncio, ex quo ἐριάς nomen, vt αἰτίας: & adiectione μ, ἑρμίας, ex quo ἑρμῆς: nam plerunq́ Gręci μ aſſumunt literam, in informationibus vocabulorum, vt ille pluribus exemplis oſtendit. Ideo.

deo verò Maiæ & Iouis filius dictus eſt, hoc eſt, τοῦ νοῦ καὶ τῆς φρονήσεως, quòd videlicet ex vtroq; mente ſcilicet & prudentia, oratio ducatur: vel vt Phurnutus ait, ideo Maia natum, id eſt ex ſpeculatione inquiſitioneúe. nanq; μαῖα, hoc eſt obſtetrix, quæ obſtetricandi officium parturientibus gerit, ea ratione appellata eſt, quòd ſcrutando & inquirendo fœtus in lucem producat. Iuniorem quoq; effingebant antiqui Mercurium, quoniam nō ſeneſcit oratio: & quadratum, propter firmitatem, & veri ſermonis robur. Galenus etiam Pergamenus in Suaſoria (ſi libellus eſt legitimus) Mercurium, inquit, vt orationis parentem, & artium omnium auctorem, in aliam effigiem quàm fortunæ effinxerūt, tum pictores, tum plaſtæ. effingunt enim iuuenem formoſum, non tamen fucatum, aut comptum, ſed natiua quadam virtutis ſpecie, vultu hilari, acribus oculis, in baſi quadrata, quæ ſtabilitatis & firmitatis figura eſt: tum cætera, quæ in eius dei commendationem, & aſſeclarum comitúmq; ſubiungit. Sanè Plutarchus in Iſi & Oſiri, Mercurium ſcribit corpore eſſe γαλιάγκωνα, quam vocem Galenus apud Hipp. in lib. de Artic. ſic interpretatur: Galeancones, inquit, dicuntur, qui à primo natali die humeros habent breuiores. dictos videri ait, à γάλης, id eſt felis ſeu muſtelæ ſimilitudine. quanquam non laborandum putat in vocabulis, dummodo eorum ſenſa teneamus. Miror Cœlium noſtrum quodam ſuo opuſculo de rebus Aegyptiacis inſcripto, γαλιαγκῶνα ἑρμῆν expoſuiſſe albicubitum. grammatici quoq; nonnulli galiancona interpretantur, qui iuſto breuiorem habeat cubitum. Sed cur hîc non addam, variè me de hac voce notaſſe: nam & Galeanchena quidam, alij Gylianchena legunt, vt in Gylio Hercule attingam, & copioſius in Carcini poetæ vita mōnſtraui. Vidi in libro Antiquitatum, Mercurij imaginem hoc modo effictam: filo quidem corporis iuuenili, facie imberbi, cum alis ſupra aures. nudus verò totus, præterquàm quod in dorſo palliolum habere videbatur, dextera marſupium continebat, quod ſupra caput hirci iacebat: ſiniſtra verò caduceū preferebat, ad pedes illius gallus & hircus ſuberant. Lucro inſuper & mercimonijs Mercurium præfecerunt antiqui. vnde illi cognomina, ἐμπολαῖος, & (vt etiam aliqui) ἐμπορικός, & κερδῷος. quin etiam ἑρμαῖα, καὶ ἑρμαῖα, lucra vocantur & theſauri, qui præter expectationem contingunt, quomodo in Sophiſtis Philoſtratus, & Phurnutus in Mercurio accipere videntur. Quin & de inuentis theſauris participem Mercurium facere veteres ſoliti fuêre. Huic deo Romani menſe Maio rem diuinam faciebant, eiúsq; ſtatuæ plerique marſupium ſuſpenſum adhibebant, vt Macrobius & Suidas notant. Literas etiam Mercurius inueniſſe dictus eſt, vt M. Cicero & Ariſtides tradunt. Tertullianus Septimus quoq; in libro de Coronis: Mercurius, inquit, literas enarrauit, neceſſarias (confitebor) & commercij rebus, & noſtris erga deum ſtudijs: ſed & ſi neruos idem in ſonum ſtrinxit, non negabo. & cætera. Addit & Diodorus, pōdera & menſuras, & quęſtum ex mercatura facere inſtituiſſe: id quod & ipſe apud Plautum oſtendit. Ad hæc Homeri quidam expoſitores in penultimo Odyſſ. non modò literas Mercurium inueniſſe tradunt, ſed & muſicam, & palæſtram, & geometriam. Ideóq; τετραγώνους in gymnaſijs veteres effinxiſſe, qua de re infrà nonnihil dicemus: Palæſtram inſuper ipſius filiam fuiſſe legimus, de qua ſic apud Lactantium: Cùm aliquando, inquit, Mercurius ſomnum caperet, quidam dormienti tetendit inſidias: qui conata peregiſſet, niſi eum filia Palæſtra excitaſſet. qui cùm odio terrę, migraſſet ad cœlum, creditus eſt obijſſe, quo facto iniurioſam meruit ſepulturā: vnde Statius lib. 2. Theb.

Pollutamq; ſuo deſpectat Phocida buſto.

Porrò hanc Mercurij filiam Palæſtram, Philoſtratus in Arcadia luctam inueniſſe ſcribit. Sed & in palæſtris Mercurius, vt ait Phurnutus, cum Hercule colebatur: quòd cum ratione fortitudo moderanda ſit. Qui enim vi corporis ſola nituntur, rationémq;, quæ artes in vita inuenit, negligūt, his admodum illud quiſpiam decenter dixerit, δαιμόνιε, φθίσει σε τὸ σὸν μένος: hoc eſt, Dæmonie, perdet te

robur

robur tuum. Sed & ipſum deum furandi artis, & furti inuentorem legimus. vnde & illi cognomentum κλέπτης, vt docet Phurnutus. κλῶπα etiam ideo nuncupatum ait Suidas. Idem & δόλιος dictus, id eſt, doli & fraudis artifex. Prudentius,

Expertes furandi homines hac imbuit arte
Mercurius Maia genitus.

Hoc idem & Fulgentius. Horatius in eo hymno quem ex Alcæo extuliſſe ferũt, in quo de Mercurio agit elegantiſſime,

Mercuri facunde nepos Atlantis.

Quem totum non modò legere, ſed etiam ediſcere, valde eſt precium operæ. Sunt & qui addunt, eundem præſtigiatorum artem excogitaſſe: ſed & rebus nomina impoſuiſſe, & verba in ordinem redegiſſe, & deorum cultum & ſacra inſtituiſſe, aſtrorum & ſiderum curſus obſeruaſſe, numerósque excogitaſſe, & medicinam, teſtudinem, id eſt chelyn: ſed & fidium tres voces, acutã, grauem, & mediam, à tribus anni Aegyptiorum partibus, æſtate, hyeme, & vere. Quare cùm in vita tot & tanta inuenerit, Græci κοινὸν ἑρμῆν, id eſt, communem Mercurium vocauêre. Hinc Lucianus in Votis: Ergo, inquit, quòd maximè in promptu ſit, communem Mercurium dicunt. Sed & eodem nomine illum appellarunt Ariſtides orator, & Plut. item Phurnutus & Heſychius. In prouerbium enim exijt κοινὸς ἑρμῆς, de ijs qui aliquid in commune inueniunt: quod & Eraſmus notauit. Sed & in ducẽdis ſortibus, primam ait Heſychius huius dei nomine duci. Quin & in carnibus etiam diſtribuendis ac diuidendis, prima pars Mercurij ſors, id eſt, ἑρμοῦ κλῆρος appellabatur, vt Iul. Pollux libro ſexto ſcriptum reliquit. Sed qui dei communes, quiúe deus communis dicerentur, referemus in Martis cognominibus. Addamus & hoc loco de pictura aliquid. Iuuenis effingebatur hic deus. hinc Lucianus in libello de Sacrificijs, eum pubeſcentem deſcribit, & primã ducentem lanuginem: quod & paulò antè ex Galeno dixi. Ad hæc ei & talaria & alas in pedibus, id eſt πέδιλα adhibuêre, ea cauſa (vt Phurnutus ait) quòd ſermo aera tranat. vnde & Homerus τὰ ἔπεα πτερόεντα, hoc eſt, alata verba dixit. & Orpheus in eius hymno, πτηνοπέδιλον vocauit: hoc eſt, qui alata talaria haberet. Sed et Fulgentius: Pennata, inquit, talaria habet, quòd negotiantiũ pedes vbique pergendo quaſi pennati ſunt. Pingitur præterea cum galero alato, & cum talaribus, & petaſo in pedibus. caduceúmque in manibus interdum fingitur, nunc virgam, nunc falcatum gladium habens, id eſt Harpen, & (vt antea dixi) marſupiũ plerũque attribuêre. Lucius Apuleius de Aſino aureo, Mercurium ita libro decimo effingit. Puer, ait, luculentus, nudus, niſi quod ephebi chlamyde ſiniſtrum tegebat humerum, flauis crinibus conſpicuus: inter comas eius aureæ pinnulæ ſimul coniunctæ prominebant, cum caduceo & virgula. Vergilius planè & ipſe in quarto Aeneid. ita effingit:

Ille patris, inquit, *magni parere parabat*
Imperio, & primùm pedibus talaria nectit
Aurea, quæ ſublimem alis, ſiue æquora ſupra,
Seu terram rapido pariter cum flamine portant.
Tum virgam capit, hac animas ille euocat Orco
Pallentesque alias ſub triſtia tartara mittit.
Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat:
Illa fretus agit ventos, & turbida tranat
Nubila.

His non diſſimilia Stat. Papinius primo libro Theb. ſed vterque ab Homero deſumpſit. Huic deo porrò gallum attribuêre, quòd literati & negotiatores vigilare habent neceſſe, Nec totã ſomno fas eſt cõſumere noctem. Mercurij inſup ſtatuis viatores ſolebãt lapidũ aceruos accumulare, vt ſinguli ſingulos adijcerent: id innuẽtes, vt ait Phurnutus, vel ita deũ honorare, re ſcilicet ea, quę ad præſens ſit in

ſit in promptu,& obuia:vel quòd ita viam videantur repurgare,ne ad lapides cæteri viatores offendant:vel quòd eo lapidum cumulo ſtatua dei notior prætereuntibus fieret. Alij in orationem ipſam referunt,quæ ex minimis particulis conſiſtat. Sed enim & paſtores Mercurium curare,teſtis in Corinth. Pauſ. qui illius ſtatuam ait æneam fuiſſe apud Lecheum ſedentem, & iuxta eum arietem: nam,inquit,Mercurius præter reliquos deos curare, & opibus augere videtur paſtores:ſicuti & Homerus in Iliad. teſtatur,& Heſiodus,vt in Nomio Mercurio pluribus dicam. Sed & illud hoc tibi loco cur non ſignificem? quòd chemicæ artis profeſſores ſibi perſuaſere,Mercuriumque vocauêre viuum argentum, quod Græci hydrargyron,id eſt liquidum argentum appellãt,propter eius mobilitatem. notiſſimum quippe eſt,metalla omnia ab ipſis chemiæ artificib. planetarum vocabulis vocitari. Nam plumbum Saturni nomine nuncupant, ſtannum Iouis,ferrum & chalybs Martis,aurum Solis,æs Veneris,argentum Lunę. Verùm non modò ab his,ſed & à Platonicis:id quod in Timæo obſeruant, nõnihil tamen euariantes. Quare cùm ex ipſo Mercurio,id eſt hydrargyro,maximos ſibi auri & argenti theſauros ſpondeant,ego in epiſtola ad Ant. Thebaldeum,qua amicos meos poſt Vrbis direptionem mihi non adeſſe poſſe ſum conqueſtus,de Ant. Viſdomino,viro erudito,eius artis ſtudioſo,ita cecini:

Nec mihi Viſdominus, Muſis qui ſæpe relictis
Demere Mercurio talaria,ne vagus erret,
Nititur,& croceo corpus perfundere luto.

Sed hac de re ſatis. Quinarium porrò numerum ſcribit Bapt. Leo, diuinum hac re potiſſimum eſſe,& Mercurio artiúmq; deis attribui: cùm tamen antiquiores ſcriptores tetrada,id eſt quaternarium huic deo adſcripſerint, vt cum alijs docet Martianus.

Cyllenius in primis Mercurius dictus eſt,à Cyllene monte Arcadiæ, quod in vltimo Odyſſ. grammatici notant,in quo monte & nutritus & diuerſatus eſt: à Philoſtrato tamen in Olympi vertice natus deſcribitur,& eius ibidem furta,boum in primis:qua de re & Horatius apud nos,& Ouidius. Vel ideo Cyllenius eſt appellatus,quòd ſomnum animantibus conciliet,vt qui poteſtatem κυλλάδων habeat. κυλάδες enim particulę ſunt,quæ ſub oculis ſunt. vnde & Attici κυλοιδιᾶν dicunt,cùm palpebræ ſeu oculorum genæ intumeſcunt,id quod prouenire ſolet ex nimio,vel item ex minimo ſomno. Sed hac de re Græci plura habent. A Vergilio Cyllenius ales,in quarto appellatus eſt:

Hic primùm paribus nitens Cyllenius alis.

Item Cyllenia proles:vt,

Materno veniens ab auo Cyllenia proles.

Cyllius etiam vocatus Mercurius,per ſyncopen,pro Cyllenio. vt qui de gentibus ſcribunt apud Græcos teſtantur,& Stephanus in primis. Cyllenius, inquit Feſtus,Mercurius dictus eſt,quòd omnem rem ſermo ſine manibus conficiat: quibus partibus corporis qui carent,κυλλοὶ vocantur. Ideóq; quadratum eum fingebant. Alij volunt ſic appellatum,quòd in Cyllenia via ſit nutritus. Alij, quòd in monte Arcadiæ Cyllene. Alij,quòd à Cyllene nympha ſit educatus. Sed & à regione Arcas à noſtris dictus eſt. Statius,

Vocalis citharæ repertor Arcas. Martialis:
Cum quibus Alcides,& puer Arcas erat.

Caducifer etiam Mercurius cognominatus eſt. Ouidius,

His ſe ſuſtulerat paribus Caducifer alis. Idem in Faſtis:
Tartara iuſſus adit ſumptis Caducifer alis.

De quo & Arnobius ait: Caduceator ille Cyllenius, in Algido fuſus monte,

verborum

verborum excogitator, & nominum, & nundinarum, mercium & commerciorum mutator, &c. A' caduceo verò, quo vti fingebatur, dictus, cuius formam aptè Macrob. eſt executus.

Quin & κῆρυξ θεῶν, id eſt præco deorum, teſte Phurnuto, dictus eſt: eáque annunciare aiunt mortalibus, quæ ab ipſis ſunt deis. Et quidem κῆρυξ, id eſt præco, vel caduceator, quoniam per vocem editam, ea auditui aſſiſtant, quę per orationem ſignificantur. κήρυκας verò appellari, Pollux ait libro octauo, à Ceryce Mercurij filio, & Pandroſæ, Cecropis filiæ. Hinc fit κηρύκειον, id eſt caduceus. hinc & caduceatores dicti legati, qui de pace mittuntur: & caduceus interdum inuenitur pro pacis ſymbolo, in antiquis præſertim nomiſmatibus. Plura de caduceo Phurnutus, & Hyginus in Lyra, quam (ait) Mercurius cùm boues abegiſſe deprehenſus eſſet, Apollini dedit, & ab eo (inquit) virgulam quandam muneri accepit: quam manu tenens Mercurius, cùm proficiſceretur in Arcadiam, & vidiſſet duos dracones inter ſe coniuncto corpore alium alium appetere, vt qui dimicare inter ſe viderentur, virgulam inter vtrunque ſubiecit, itaque diſceſſerunt. quo facto, eam virgulam, pacis cauſa dixit eſſe conſtitutam. Nonnulli etiã cùm faciunt caduceum, duos dracones implicatos virgula faciunt, quod initium fuerat Mercurio pacis. vnde Martialis,

Cyllenes cœlique decus, facunde miniſter,
Aurea cui torto virga dracone nitet.

Hinc & Mercurij exemplo athletas, & in reliquis eiuſmodi certaminibus virgula uſos fuiſſe antiquos legimus. Sanè de Mercurij virga nos alibi plura. Iſidorus certè & ipſe ita ſcribit: Mercurius virgam tenet, quæ ſerpentes diuidit, id eſt venena. nam bellantes & diſſidentes interpretum oratione ſedantur: vnde legati pacis Caduceatores dicti. Iamblichus quoque in epiſtola ad Deuxippum: Reuera, inquit, deus quiſpiam fuit, qui hominibus dialecticam oſtendit, & è cœlo demiſit: vel vt quidã dicunt, eloquens Mercurius, qui in manibus dialecticæ ſymbolum geſtat, ſerpentes ſcilicet ſe invicem inſpicientes, &c. Idem repetit & Stobæus in ſermone de Literis, id eſt περὶ γραμμάτων.

ἄγγελος θεῶν ἑρμῆς, id eſt deorũ nuncius, Mercurius appellatus eſt, teſte Phurnuto, quoniam deorum conſilia cognoſcimus ex iis affectibus & energiis, quæ per orationem nobis inferuntur. hinc Orpheus ad Muſæum, ἠδ' ἄγγελον οὐρανιώνων ἑρμείαν κήρυκα. Huic deo hymnum etiam Orpheus concinuit, cum thuris ſuffimento, cuius hoc eſt initium, κλῦθί μου ἑρμεία διὸς ἄγγελε. hoc eſt, Audi me Mercuri Iouis angele. Idem & εὐάγγελος dictus eſt, vt obſeruat Heſychius. idem & διάκονος, id eſt miniſter, quo modo & Latini quoque appellant. Sanè apud Pindarum in quopiam Olymp. hymno Mercurij etiam filiam ἀγγελίαν legimus, quod & interpretes notant.

χρυσόῤῥαπις ἑρμῆς, hoc eſt, auream virgam geſtans Mercurius cognominatus eſt, teſte Phurnuto, vt enim in huius libri initio diximus. virga Mercurio attribuitur. de qua ſic in Odis Horatius:

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgáque leuem coerces
Aurea turbam, ſuperis deorum
Gratus, et imis.

Et Virgilius in quarto Æneid, ex Homero:

Tum virgam capit, hac animas ille euocat Orco.

Et cætera, vt ſuprà meminimus. Hæc verò virga pulcherrimè fabrefacta dicebatur, quòd χρυσὸς plerunque non modò aurum ſignificat, ſed vt Athenæus & Heſychius tradunt, pulchrum denotat: vt Chryſes, id eſt aurea Venus: & χρυσήνιος Apollo, qui pulchras haberet habenas, à precio & pulchritudine ipſius metalli, cuius metalli & dæmon χρυσῶν (teſte Heſychio) vocabatur. Addit & Athenæus

alia ex Pindaro, cùm ait: Iuſtitiæ facies & oculus aurei. Sanè ſunt qui Chryſorrhapin interpretentur, ab alapa & flagello, propter ea Phurnuti verba: ὅτι πολύτιμός ἐστι καὶ ὁ ἀπ' αὐτοῦ ῥαπισμός. hoc eſt, quoniam honorificus eſt, & ex ipſo flagellatio, ſeu correctio,

Acaceſius Mercurius etiam cognominatus. Homerum tradunt in ſermone de Arcadibus ſcripſiſſe, Acacum fuiſſe Lycaonis filium, à quo Acaceſium Arcadiæ urbs, vt ait Pauſ. & Stephanus. Fuit verò Acaceſij Mercurij templum ſpectabile in vrbe Megalopoli, iuxta Philippi porticum. Sed & Acaceſius collis, ſub quo vrbs ipſa Acaceſium, & Mercurij Acaceſij ſimulachrum ex lapide. Arcades enim conſtanter affirmant, ab Acaco Mercuriũ educatum. Sanè & ἀκάκητος inde vocatum puto, de quo ſic Phurnutus. Et hoc nomine Acaceton ipſum dicunt, cuius quidem hoc ſit ſignum, quòd non ad male faciendum & nocendum, ſed ad ſeruandum potius, factus eſt ſermo. vnde & Hygeia, id eſt Salus illi cohabitare dicit. quibus ex verbis patet eos hallucinatos eſſe, qui ſecuti Aldinum Phurnuti codicem, legerunt ac ſcripſerunt ἀκόνχυλον, & cuſpidatum & mucronatum interpretati ſunt. Cùm verò mihi occurrit interdum, vt tales errores caſtigem, ne tunc à me quæras illorum nomina, quos accuſo. libenter enim, homo cùm ſim, magnis viris parco. Ingenui quippe hominis eſſe duco, parcere perſonis, dicere de vitiis.

Stilbon Mercurij ſtella à ſplendore cognominata, vt M. Cicero, Martianus, Apuleius, cæteriq; afferunt. στίλβω enim ſplendeo eſt, & niteo. hanc ſtellã indicat Vergilius in illo,

Quos ignis cæli Cyllenius erret in orbes.

Sanè Stilbontis & Stilbonis caſu patrio rectè dicimus: hinc etiam Stilba lucernæ ſpecies, quæ ſupra candelabrũ poni ſolet, vt ex Phœniſſis Ariſtophanis Iul. Pollux in decimo declarat. Hoc lucernarum genere ex orichalco hoc tempore ferè ſtudioſi literarum vti conſueuêre.

Maleuoli Mercurij ſignũ, id eſt ſtatuam, appellabant ideo, quòd in nullius taberna ſpectabatur: quod Feſtus ſcribit.

τετράγωνος ὁ ἑρμῆς dictus ab antiquis, id eſt quadratus, vt paulò antè meminimus, quòd quatuor eius inuenta putabantur: vel, vt Phurnutus ſcribit, ea forma fingeretur ab antiquis, quòd ſine manibus & pedibus quadratus facilius conſiſtat. & per hoc ſtabilitatem orationis, & conſtantem, non fluxam & mutabilem eſſe debere, oſtendit. Macrobius verò de his: Pleraq;, ait, ſimulachra Mercurij quadrato ſtatu figurãtur, ſolo capite inſignita, & virilibus arrectis. quam etiam ſpeciem in ſolem transfert ipſe Macrobius: illuc enim omnia numina deflectit. Sanè quòd virilibus arrectis ait, id etiam in Artemidori lib. Onirocriticôn primo legimus: Cùm, inquit, aliquando in Cyllene eſſem, Mercurij ſimulachrum vidi, nihil aliud quàm pudendum naturali quadam ratione confectum: & reliqua. Sed & Phurnutus de hac eadem re ita: Priſci, inquit, ſeniores & barbatos Hermas, habentes recta pudenda, faciebant: iuniores verò, & nõdum barbatos, deiecta. quin etiam Herodotus in ſecundo hiſtoriarũ: Primi è Græcis (ait) Athenienſes, à Pelaſgis edocti, ſtatuas Mercurij erecta tenere pudenda factitauerũt. Porrò hæ ſtatuæ ἄποδες καὶ ἄχειρες, id eſt ſine pedibus & manibus, Hermæ vocantur: quarum & adhuc multæ conſpiciuntur in antiquitatibus, quas vna nocte deiectas Thucydides in ſexto, & Plutarchus in Alcibiade, ac item in Nicia, & Aemylius Probus in Alcibiade, prodiderunt. quæ res Alcibiadi negotium non parum factitauit: in eum enim id crimen coniectum fuit. Hermocopidas vocatos tradit Pauſanias grammaticus, qui caput, ſeu collum & pudẽda Hermis ſtatuis præcidiſſent. Ad has mutilas ſtatuas ſatyricè certè alluſit Iuuenalis in octauo, cùm quoſdam Athenienſes taxans, ſola nobilitatis inani ambitione nixos, & nulla virtute præditos, his comparat:

——*At tu*, inquit,

Nil niſi

Nil niſi Cecropides, truncoq; ſimillimus Hermæ.

Sed vt rem planius agnoſcas, de Hermis & illud attẽde, quòd antiqui Athenienſes virtutis ergò huiuſmodi largiebantur, quæ publicè per vrbem totam, & priuatim ponebantur: cuius poſt iam citatos, Demoſthenes meminit in oratione κατὰ μειδίου, & ibi pluribus Vulpianus rhetor. Sanè & apud Ciceronem nec ſemel obſeruamus, ex Mercurio & Minerua ſtatuas cõfectas, quæ ad bibliothecarum ornamenta ponerentur: vocat ille ἑρμαθήνας. Illud demum & Græci prodiderũt, à Piſiſtrato & Hipparcho Hermas tota vrbe erectas eſſe. vnde ἱππαρχεῖοι ἑρμαῖ dicti. Sed & αἰδοιικὸν ἑρμῆς ad hoc conuenire videtur. Porrò & ἑρμέρωτας etiam legimus, de ſtatuis ex Mercurio et Cupidine confectis, quorũ mentio apud ſcriptores. hinc & Hermæ Penteliciani à Cicerone dicti, è marmore Attico, cuius meminerunt Strabo, Plutarchus, & Theophraſtus, ſed & Plinius.

Τρικέφαλος ἑρμῆς, idem qui & τρικάρηνος, id eſt Triceps Mercurius, ab antiquis vocitatus, cuius meminit Lycophron in Alexandra: Nonacriates tricephalus lẹtus deus. Sic verò dictus, vt interpretes ſcribunt, quòd cœleſtis ſit deus, & maritimus, & terrenus. Sed & Seruius tres Mercurios poſuit, tẹrrenum, ſuperum, & infernum, Ciceronis auctoritate nixus. Sunt qui Tricephalum putent, quoniam nonnunquã Hermæ ita tricipites fiebant, ad vias oſtendendas. in his enim ſuberant ſubſcriptiones, quò ſcilicet via illa ferret, & quò alia, & alia. Memini & me tales videre ex marmore peruetuſtas: nam capita ad eam viam verſa erant. Philochorus & Iſæus orator de his meminit, & grammaticus Harpocration. Exiſtimant etiam nonnulli, inter quos Heſychius, & Phauorinus, comicè luſiſſe Ariſtophanẽ, cùm ait γὼ τριφύλλητι, πρόσωπ τετρακέφαλος ἑρμῆς ἐν τῇ τριόδῳ. hoc eſt, quantum quadriceps Mercurius in triuio. Traxit & hoc in ſua prouerbia Eraſmus. ait enim, τρικέφαλον ἑρμῆν dictum videri in ambiguos & ancipites; aut vehementer aſtutos.

ἄμυητος ἑρμῆς, hoc eſt, non initiatus, vel profanus Mercurius. hoc nomine, teſte Phauorino, Athenienſes in acropoli, hoc eſt in arce ſtatuerunt. Eraſmus in Prouerbiis protulit hoc modo, ἑρμῆς ἀμύητος, id eſt indoctus, vel infans: ipſumq; prouerbium exiſtimat, vbi quis fingit ſe rudem eius artis, cuius eſt doctiſſimus, propterea quòd Mercurius eloquentiæ & diſciplinarum parens: vel quòd myſtagogus, & myſteriorum præfectus fuerit.

ἀργειφόντης ἑρμῆς, hoc eſt, Argicida Mercurius cognominatus eſt, cùm ab aliis poetis, tum in primis ab Orpheo & Homero: non quòd Argum, Iûs Inachidis cuſtodem interemerit, vt fabulis eſt proditum: ſed à ſermonis potius, cui præeſſe exiſtimabatũ, pernicitate. ἀργὸς enim ſignificat tum velocem, tum tardũ, vt grammatici obſeruant, oratione verò ac ſermone nihil velocius. nam & ideo Homerus ἔπεα πτερόεντα, hoc eſt, alata verba dixit, atque ideo huic deo talaria & petaſum antiqui attribuerunt. At Macrobius in Saturn. Argiphontes, inquit, cognominatus eſt, non quòd Argum peremerit, quem ferunt per ambitũ capitis multorum oculorum luminibus ornatũ, cuſtodiſſe Iunonis imperio Io Inachi filiã, eius deæ pellicem, conuerſam in bouis formam, quam fabulam in primis Ouidius eſt executus: ſed ſub huiuſmodi fabula Argus eſt cœlum, luce ſtellarnm diſtinctum, quibus ineſſe videtur vis quædam cœleſtium oculorum, & cẹtera. Fulgentius exiſtimat Argum hominem quempiam fuiſſe, à multis aliis hominibus cuſtoditum; aſtutis videlicet, & vigilantibus. Pauſanias Argicidam dictum ait, qui & ὀφιοκτόνος fuerit, id eſt, ſerpenticida, quòd ἄργης ſerpens ſit: vel quaſi ἀργὴς ἀπὸ τοῦ φονεύειν, id eſt purus ab occidendo. nam & deus eſt pacificus. Phurnutus autem, ſeu Cornutus, ad Georgium puerulum in libro de Nat. deorum: Argiphontes ait, dictus eſt, quaſi ἀργειφαίτης, ab eo quòd alba omnia faciat apparere, & perſpicua. Album enim, ἀργὸν vocabant antiqui. Vel à velocitate dictus, per antiphraſin etenim & ταχὺ ἀργὸν dicitur. Proclus apud Heſiodum in Ergis, ἀργειφόντης, inquit, ἤτοι ὁ ἐν ἀργῷ φονεύων. pacificus enim deus eſt, & ἀφθονής. Recen-

tiores verò, ὅτι ἄργον ἐφόνευσεν, τὸν πανόπτην, quòd ſcilicet Argum occiderit, totum oculeum. Niſus verò Chius, ἀπὸ τοῦ διάγειν τὰς τῶν τελευτούντων ψυχὰς, quòd dedúcat animas defunctorum. Alias Heſychius opiniones recitat: quòd ſcilicet vel in Argo primùm apparuit, vel quòd abſoluit neces, vel citò & manifeſtè apparuit. hæc enim vtraq; ad deum ipſum pertinent. propter enim nominum facultatem τὸ ταχέως, id eſt citò: propter verò diuinitatem, τὸ σαφῶς, id eſt perſpicuè & manifeſtè interpretata eſt. ἑρμῆς enim nuncupatus eſt, propterea quòd pacificator quidam ſit, quia paci imperet, quod eſt dicere. Mercurius enim ſermo eſt, & ratio. Illud item Pauſanias in Lexico ait, Argiphontem cognominatum, quòd ſerpentem occiderit, qui ἀργῆς appellaretur. Sed cùm non aſcribat quomodo, & quando, hoc mihi nugatorium videtur. Sed de Argiphonte, quàm putaram, plura dixi.

Harpedophorum Mercurium etiam appellatũ legimus, ab Harpe falce, qua Argum mactaſſe ferunt. de Harpe Ouidius, Hyginus, alij.

Strophæus, στροφαῖος Mecurius cognominatus, quòd negotia bene vertat, & verſuræ præſit & mercimoniis: vel quòd ſubdolus ſit, & verſipellis, quomodo illum Plautus inducit. Heſychius & Phauorinus aiunt, quòd ante ianuas ſtatueretur, propter ſcilicet ianuæ cardines: quod & in Pluto Ariſtophanis annotauimus, παρὰ τὴν θύραν στροφαῖον ἱδρύσασθαί με: Pone ianuam Strophæum me ſtatuat: ea videlicet ratione, vt fures fur deus abigat. quo loco & alia Mercurij cognomina. Pollux etiam Strophæum in carcere conſtituere videtur, ſi modò rectè eius verba expendimus.

Thoth Mercurius dictus eſt ab Alexandrinis, ait Euſebius de Præparatione Euangelica: ab Aegyptiis verò Thoyth, quod Plato & Cicero affirmant. à quo & primus menſis, id eſt September appellatur, vt plenius diximus in libro de Annis & menſibus, & cætera. Plato in Phædro, quo loco Socrates loquitur: Audiui equidem, inquit, circa Naucratem Aegypti priſcorum quendam fuiſſe deorum, cui dicata ſit auis, quam Ibim vocant, deo autem ipſi nomen Theuth. hunc primum numerum & computationem inueniſſe, geometriam & aſtronomiam, talorum inſuper alearúmq; ludos, literas. & cætera quæ ſubdit, ne nos nimij ſimus. Quin & idem Plato de eodem in Philebo ait. Sed enim & Thaautus, ſeu Thautus vocatur à Phœnicibus, vt copioſius in Lactantij quapiam annotatione oſtendimus. Cæterùm Theutates etiam à Gallis & Barbaris dictus eſt. Lucanus,

Et quibus immitis placatur ſanguine diro
Theutates, horrenſq; feris altaribus Eſus.

Heſus quidam apud Lucanum cum afflatu ſcribunt, & Martem interpretantur, vt alibi dicemus. Lactantius in primo: Galli Eſum atque Theutatem humano cruore placabant. Hinc ego putarim, id quod ſcribit Cornelius Tacitus de Germanis, Deorum maximè Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoq; hoſtiis litare fas habent: de Theutate intelligi, quia priſcis temporibus, ex parte, Galli fuerãt Germani. Porrò quod ſcribit Cic. in tertio de Natura deorum: Qui ſi deus eſt, & Orpheus & Eſus dei ſunt, matre Muſa nati. Et quãquam docti eam lectionem probent, ego tamen emendarim, & legerim libentius pro Eſo, Rheſum. nam vt in Muſis noſtris retulimus, Rheſum quidam Euterpes, quidam Terpſichoræ filium ſcripſerunt. Theutatem & Eſum ſuppreſſis nominibus Tertullianus in Apolog. deſcribit. ita enim ait, de humanis victimis agẽs: Maior ætas apud Gallos Mecurio proſecatur. Cæſar libro ſexto de bello Gallico, mores eorum populorum deſcribens, cùm de humanis victimis egiſſet, ita ſubinfert: Deum maximè Mercurium colunt, huius ſunt plurima ſimulachra, hunc omnium inuentorem artium ferunt, hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad quæſtus pecuniæ mercaturáſq; habere vim maximam arbitrantur. T. etiam Liuius libro ſexto, tertiæ Decad. in oppugnatione nouæ Carthaginis, ita

ſcribit: Quòd vbi Scipio in tumulum obuerſus, quem Mercurium Theutatem appellant, aduertit multis partibus nudata defenſoribus mœnia eſſe, &c. Porrò de Mercurio Aegyptio, & quæ ab eo reperta ſint, leges apud Diodorum Siculum libro primo Biblioth.

ἀγοραῖος ἑρμῆς, id eſt forenſis Mercurius, multis in locis colebatur, vt paſſim apud auctores legimus, atque in primis in Attica, vt Pauſanias docet, & Philochorus apud Heſychium. Idem Thebis à Pindaro conſecratus, vnà cum Apolline Boedromio: de quo aliàs locuti ſumus. De Agoræo Mercurio & Phurnutus de Natura deorum. ait enim: Mercurius primus decenter dicitur ἀγοραῖος, ἐπίσκοπος γὰρ ἀγοραζόντων ἐστὶν. Lucianus in Ioue comœdo, ait eius templum fuiſſe apud Variam, id eſt ποικίλην porticum. Fuit Pharis Achaiæ vrbe in medio foro Mercurij barbati ſimulachrum, quod fuit à Simulo Meſſenio, vt inſcriptio indicat, dicatum. Vocatur verò à foro ἀγοραῖος, iuxta quem fuit oraculum tale. Ante ſimulachrum ἑστία, id eſt focus ſitus erat ex lapide, cui adhærebant plumbo detentæ æneæ lucernæ. qui autem oraculum petebat, veſperi illud adibat, et thure ſuffibat, & lucernę oleo complebantur, ſimulachrique ad dexteram chalcum (denarij id nomen) in ara ponebat: tum ad dei aurem quicquid volebat, inſuſurrabat, & ſimul manibus, ambabus obturatis auribus, diſcedebat. hinc foro dilapſus, ab auribus manus amouebat: & quamcunque ille vocem audiuiſſet, id ſibi oraculū fuiſſe arbitrabatur. Fuit & apud Aegyptios eiuſmodi Apidis oraculum, apud eius dei templum. Agoræum ideo in foro Mercurium poſitum putat Euſtathius, quòd ibi diuinum quiddam ſit, & conſultationi ſacrum deſtinatū. Sanè & Suidas notat, non modò Mercurium forenſem ἀγοραῖον ſignificare, ſed & hominem qui in foro verſetur. & cum acuto accentu in antepenultima, diem ſignat, in qua concio habetur. Porrò & νοῦς ἀγοραῖος, mentem exilem denotat, inconſideratam, minúſque ſecretam ac tectam. Fuit & Agoræus Iupiter, vt dictum eſt, item Agoræa Diana.

ἀγώνιος ἑρμῆς, Mercurius præſes certaminum, hoc nomine appellabatur, vt in Iſthmiis Pindarus, quo loco Gręci expoſitores id obſeruant, & Heſychius. Idem & ἐναγώνιος cognominatus eſt, vt eſt apud Orpheum in hymnis. & in Pythiis Pindari id tradunt grammatici, quòd non ſolùm gymnaſiis & ludis pręſit, ſed etiam lucri deus ſit. vnde vtraque ratione illi Enagonij cognomentum conuenit. Sed & Dij Agonij apud Platonem, vt ait Pollux libro III. qui præeſſent, vt puto, certaminibus.

ταμίαν τῶν ψυχῶν, id eſt quæſtorem animarum Mercurium, teſte Laertio, Pythagoras dicere ſolebat: atque ideo etiam vocari πομπαῖα, & πυλαῖον, & χθόνιον, hoc eſt (vt interpretatur diuus Ambroſius) emiſſarium, ianitorem, & terrenū: quòd ipſe ex corporibus, & ex terra & mari animas immitteret, & puras quidem: & cætera. lege Laertium. Phurnutus quoque ideo ψυχοπομπὸν nuncupatum ſcribit. At verò Theophilus Pompea vocatum ſcribit, παρὰ τὸ πέμπω, id eſt mitto, eadem ratione.

Chthonius Hermes, à pleriſque infernus Mercurius, ab aliis terrenus interpretatus, vel terreſtris. Vnde medicis quibuſdam iniectus eſt ſcrupulus in libello Hippocratis de Somniis, cùm ſacrificandum ait deis Chthoniis, quos deos ſignificet. Plutarchus in Quæſtionibus, Argiuis morē fuiſſe tradit, vt ſtatim poſt luctum Apollini ſacrificent, XXX verò Mercurio terreno. nam vt à terra mortuorum corpora, ſic animas à Mercurio ſuſcipi, putabant antiqui. Mercuriū quidem cùm alij, tū Homerus in Odyſſea, & Lucianus, apud inferos ſtatuerūt. Notiſſimum quippe eſt, Mercurium & in cœlo & apud inferos poteſtatem habere. Hinc eſt illud Claudiani:

Atlantis Tegeæe nepos, commune profundis
Et ſuperis numen, qui fas per limen vtrunque
Solus habes, geminoque facis commercia mundo.

Chthonij præterea & Suidas in χύτροι meminit. de deis Chthoniis plenius alibi, hoc eſt in Dęmonibus, locuti ſumus. Mercurij Chthonij hymnus apud Orpheũ extat, cũ thymiamate ſtyracis, cui omnia attribuit quæ Mercurio inferno. Vnde forte verba illa M. Ciceronis in tertio de Natura deorũ, cùm de ſecundo Mercurio agit, quem ait ſub terris haberi, & Trophonium eum eſſe: de Chthonio intelligemus, tametſi quidam Trophonium legant.

κριοφόρος ἑρμῆς, hoc eſt arietẽ ferens Mercurius, à Tanagræis hoc nomine cultus fuit. huius cognominis ratio iſta. Mercurij ſimulachrum erat, arietem in humeris ferens, quod Chalamis antiquus artifex effecerat. Tradunt enim, quòd circa vrbis muros Mercurius arietem geſtans, Tanagręos peſtilentia liberarit: quę geſtandi arietis conſuetudo in eius celebritate ſeruabatur. Nam formoſiſſimus iuuenis circum vrbis mœnia agnum humeris ferebat, vt Pauſ. auctor eſt. Fuit & deus quiſpiam κριοφάγος nominatus, vt tradit Heſychius, cui de ariete res ſacra fiebat. Nihil de hoc præterea comperi.

πρόμαχος ἑρμῆς, id eſt propugnator Mercurius, ab iiſdem Tanagręis & cultus, & cognominatus fuit, cuius & ſacellũ habuerunt. Cùm enim aliquando aduerſus Eubœos belligerarent Tanagræi, is deus viſus eſt pro eis pugnare, vt idem auctor Pauſan. tradit.

Propylęus Mercurius cognominatus, quod eum Socrates philoſophus cum Gratiis confecit, vt idem ſcribit Pauſanias. poſuit & in Propylæo Athenis, in arcis ingreſſu.

Pronaus etiã Mercurius, id eſt Protemplaris dictus eſt, quòd ante templum Apollinis Iſmenij poſitus eſſet, ſimul cum Pallade.

Nonacriates etiam Mercurius vocatus eſt, ab Arcadiæ vrbe Nonacria. Lycophron in Alexandra, νωνακριάτης τρικέφαλος φαιδρὸς θεός: hoc eſt: Nonacriata triceps hilaris deus. Meminit & Stephanus in lib. de Vrbibus.

Διάκτορος ἑρμῆς, id eſt internuncius Mercurius, quòd per orationẽ ſermonémque noſtros ſenſus aliis ediſſeramus. Dictus autem, ait Phurnutus, ἀπὸ τοῦ διάτονον εἶναι καὶ τρανὸν, id eſt, vocalis & diſertus. ſiue ἀπὸ τοῦ διαλέγειν τὰ νοήματα ἡμῶν εἰς τὰς τῶν πλησίων ψυχάς: id eſt, quòd ſenſa noſtra referat in eorum animos qui prope ſunt. & vt Io. Grammaticus in commentariis in Heſiodum ait, quòd explicet animæ mentiſque cogitationes, hoc eſt, τὰ τῆς ψυχῆς, καὶ τοῦ νοῦ ἐνθυμήματα. Propter quod illi linguas ſacrificabant. διακτόροις etiam nonnunquam à poetis vocatum legimus, & ab Homero in primis.

Poſygius Mercurius, cui deo Herculem clauam ſuam dicaſſe perhibent, quæ ex oleaſtro confecta fuit, & poſtea etiam pullulaſſe fertur. Sed & alia tamen de Herculis claua traduntur, quorum quædam in Hercule retulimus. Sũt verò qui aheneam ſcribant, & ὁλόχαλκον, & χαλκοβαρὲς ὅπλον vocitent.

Camillus Mercurius ab Hetruſcis vocatus, id eſt miniſter, vt Seruius apud Vergilium docet, & Plutarch. in Numa. Pindari tamen & Lycophronis cõmentarij καδμίλον Mercurium vocatum aiunt, à Bœotiis. Sed in commentariis ſanẽ eruditis in Apollonij Argonautica, Caſmillus appellari videtur. idem Varro de Lingua Latina. Hinc, Caſmilus nominatur in Samothracũ myſteriis, deus quidam adminiſter deis magnis. Verbum Græcum arbitror, quod apud Callimachũ in poematis eius inueni. hęc Varro, & alia. Feſtus tamen ait, vocari nunc ſacrorum miniſtrũ Camillum, nunc puerum ingenuũ, nũc etiam vas nuptiale. Ita enim ſcribit in tertio: Cumeram vocabãt antiqui, vas quoddam, quod opertum in nuptiis ferebant, in quo erant nubentis vtenſilia: quod & Camillum dicebãt, eo quòd ſacrorũ miniſtrum καμίλλον appellabant. Idem in ſexto: Flaminius, inquit, Camillus puer dicebatur ingenuus patrimus & matrimus, qui flamini Diali ad ſacrificia præminiſtrabat. antiqui enim miniſtros camillos dicebant. Alij dicunt, omnes pueros ab antiquis Camillos appellatos, ſicut habetur in antiquo carmine, cùm pater filio de agricultura præciperet: Hyberno puluere, verno luto, gran-

to, grandia farra Camille metes. Nec illud reticuerim, Iſaacium manifeſtè dicere, Mercurium Cadmum appellatum à Bœotiis: quod & Lycophronis verſus innuit. Statius Tullianus de Vocabulis rerum libro primo, ait dixiſſe Callimachum, Thuſcos Camillum appellare Mercurium, quo vocabulo ſignificāt præminiſtrum deorum. vnde ait Macrobius tertio Sat. Vergil. Metabum Camillam appellaſſe filiam, Dianæ ſcilicet præminiſtram, &c.

μηλοσσόος ἑρμῆς, hoc eſt, ouium cuſtos & ſeruator Mercurius, quòd deorū greges cuſtodire & augere credatur: id quod in Iliad. Homer. innuit.

ἐριούνιος ἑρμῆς cognominatus, quòd valde proſit hominibus ad lucra. ἐριούνιος enim valde vtilis interpretatur. Ariſtophanes in Ranis inducit Euripidem & Aeſchylum de tragœdia certantes, vbi & Eriunij Mercurij mentionē fecit. hinc Phurnutus ait eum ſic appellatum, ab eo quòd μεγαλωφελὴς quidam ſit, hoc eſt, magnus auxiliator: & per hyperbolen, ἀπὸ τοῦ ὀνεῖν, id eſt ab iuuando τοὺς χρωμένους αὐτῷ. hinc & σῶκος cognominatus, id eſt, vt idem interpretatus eſt Phurnutus, quòd ſeruator exiſtat domorum: vel vt quidam aiunt, vt robuſtus & potens. & ἀκάκητος, quia ſermo non ad malum, nec ad nocendum, ſed ad ſeruandum potius inuentus eſt. vnde & illi Hygeia coniuncta dicebatur, vt dictum eſt.

Hodius Mercurius cognominatus à viis & ſemitis, hoc eſt, ἀπὸ τῶν ὁδῶν, teſte Stephano, & Heſychio, quòd in eis ſtatueretur ad ſemitas monſtrādas. vnde & Enhodius etiam nuncupatus, iiſdem & Phurnuto teſtibus. quin etiam eodem nomine in Paro inſula nuncupatus erat, vt notat Heſychius. apud Phurnutum tamen, in Aldi codicibus, non Enhodium, ſed Euhodium legimus. quod ſi ſic eſt, qui viam bonam paret, interpretabimur. Porrò & Enhodia Diana gentibus culta eſt, vt ſuo loco oſtenſum eſt.

ἡγεμόνιος ἑρμῆς, quòd ducatū præſtet, vt Priamo eunti ad Achillem, vt eſt apud Homerū. vel vt Phurnutus ait, ὡς αὐτῷ δέοντας εἰς πᾶσαν πρᾶξιν ἡγεμόνι χρῆσθαι, quòd eo deo duce opus ſit in omni actione: & cætera quæ idem ſubiungit.

ἐμπολαῖος, & κερδῷος, & κλέπτης, & δόλιος ἑρμῆς. Et Empolęus quidem, quòd in auctionibus & mercimoniis præſit: ἔμπολος enim mercator, & ἐμπολαῖος mercatorius & negotiator vocatur. cauponatorem ſunt qui vertant, vt apud Plutarchum in eo qui inſcribitur, An principem oporteat maximè philoſophum diſſerere. Ita enim ait meis verbis: Sed inelegantia & inexperientia communē Mercurium, & Empolæū & mercenarium factum eſſe. Empolæi præterea meminit Phurnutus, & Heſychius. κερδῷος autem, id eſt Lucrio dictus, alij quæſtuoſum interpretantur, quòd lucro præſit, vt iam oſtenſum eſt. eius meminit Plutarchus libro de Tranquillitate, & Phurnutus. vnde & Orpheus eum κερδέμπορον nuncupat. κλέπτης, id eſt fur, eſt etiam cognominatus, quòd oratio quaſi furari videat: adeò tacitè in animos hominum ſurrepit, & influit, vt eos quocunq; velit trahat, & ab eis quod velit extorqueat. Mitto fabulam de gregibus ſublatis Apollini, & ſagittis. Porrò δόλιος vocatur, quòd imposturæ & præſtigiorum repertor exiſtimatus eſt, quod & ſuprà eſt dictum.

Nomius Mercurius, teſte Phurnuto, vocatus eſt, à νόμῳ, id eſt lege, quòd ſicut imperat quæ in hominū ſocietate facienda ſunt, ita etiā interdicit quæ nō facienda ſunt: atq; ita per quandā homonymian tranſiuit & in orationū diligentiā. vel Nomius, quoniā & paſtorū deus. Quin & ei bucolicū carmen conſecratū à quibuſdam eſt, ꝙ Donatus in cōmentariis ait, vt Daphnidis patri paſtorum principi. Sed & Heſiodus in Theogonia, Mercurium cum Hecate ſtabulis præficit,

ἐσθλὴ δ' ἐν σταθμοῖσι σὺν ἑρμῇ ληΐδ' ἀέξειν,
βουκολίας τ' ἀγέλας τε καὶ αἰπόλια πλατέ' αἰγῶν,
ποίμνας τ' εἰροπόκων γ' ὀΐων, θυμῷ γ' ἐθέλουσα,
ἐξ ὀλίγων βριάει, καὶ ἐκ πολλῶν μείονα θῆκεν.

Hoc eſt, vt Mombricius Mediolanenſis reddidit:

Quid quòd Mercurio comes it, ſtabuliſq; capellas,

Armentumq; ferax, & oues augere putantur,
Ex modico multum, ex multo facit ille puſillum.

Παράμμων ἑρμῆς, Parammon Mercurius, nomen videtur deductum eſſe ex harenis: cultus quidem in Libya, ſed tamen & ei rem ſacram Elei in Peloponneſo faciebant, vt Pauſanias etiam tradit. Quidam ſecuti exemplaria parum caſtigata, Paramnon vocant: atq; hi ex noſtris.

Σφηνοπώγων ἑρμῆς, Mercurius appellatus eſt, vt eſt apud Artemidorum Daldianum libro ſecundo Onirocriticôn, quòd ſcilicet cuneatam habere barbam fingeretur. quem imitari pleroſq; hoc tempore videmus, in nutriẽdo barbitio promiſſo & cuneato.

Ales, & Alipes etiam à noſtris, propter talaria vocatus eſt: vt eſt illud in Priapeis,

Sub tunica virgam num deus ales habet?

Ouid. Alipedis de ſtirpe Dei. Eadem quoq; ratione volucer appellatur, vt in illo Statij, Tegeaticus ales. &, Volucer Tegeæus. Claudianus, Atlantis Tegeęe nepos. Hinc & Arcas. Statius 4. Thebaid.

Virgaq; patenti Nubilus Arcas agat.

Et Atlantiades vocatus, ab auo: & à matre Maia, Maiiugena. & hæc in poetis notiſſima.

χαριδότης ἑρμῆς, hoc eſt gratiæ dator. Plutarchus in Quæſtionib. Græcis: Quid eſt, inquit, quod Samij Mercurio Charidotæ rem diuinam cùm faciunt, furari & latrocinari volenti permittunt? Quia oraculo relicta inſula Mycalen cùm migraſſent, præda ac rapina decem annis vitam duxerunt: deinde in inſulã reuerſi Samij, hoſtes ſuperauerunt. Atq; inde Mercurio Charidotæ nomen impoſitũ.

ψιθυριστὴς ἑρμῆς, id eſt ſuſurro, ſeu nugax Mercurius, ſic Athenis & vocatus & cultus, cuius Demoſthenes meminit in oratiõe Neæræ: ſi ea legitima ſit, vt Harpocration ſcribit. Colebatur & Athenis etiam ψίθυρος, id eſt loquax Venus, & eodem nomine Cupido, vt idem ait Harpocration.

Γαλιάγκων ἑρμῆς ab Aegyptijs nuncupatus eſt, vt Plutarch. ſcribit, quem noſter Cœlius eſt interpretatus Albicubitum. Sed ego in prima huius tractatus parte, ex Galeno, qui Galiancones dicantur, expoſui.

φαιδρὸς καὶ λευκὸς ἑρμῆς, id eſt hilaris & albus, à Bœotijs eſt cultus Mercurius, vt teſtis eſt Pauſan. qui & à Megalopolitis coli ipſum tradit, nomine ἀγήτορα, quaſi ἀγητὸν, vt puto, id eſt admirabilem. Vnde ἀγητόρειος celebritas denominata eſt.

Cynoſurium qui Mercurium appellauêre, decepti eſſe videtur ex verbis, quæ citant, Stephani. ipſe enim Cynoſura vocari ait verticem ſeu arcem Arcadiæ, à Cynoſuro Mercurij filio. Notiſſima enim ea loquendi figura non modò Græcis, ſed Latinis etiam, vt appoſito patris nomine filius ſubintelligatur.

Alychmius Mercurius dictus eſt ab Alychme, vbi colitur, vt Stephan. prodit ab Alychme verò gentile nomẽ deflectitur, vt ἀκτή, ἄκτιος, ſic & Alychmius. Fuerunt & hæc Mercurij cognomina, de quibus aliud nihil accepimus, niſi quę ex ſcriptoribus Græcis noſtra lectione collegimus, & præcipuè Heſychij.

γύνιος ἑρμῆς, Ennius Mercurius, in Chio cultus & nuncupatus.

ἐπιθαλαμίτης ἑρμῆς, id eſt Nuptialis, in Eubœa cultus.

ἐπάκτιος ἑρμῆς, à Samijs cultus. tu littoralem poſſis dicere.

ἐπιτέρμιος ἑρμῆς, quaſi Terminalem dicas.

εὔκολος Mercurij etiam cognomen, Dyſcolo contrarium.

λόγιος etiam nuncupatus, quòd eloquentiæ præeſſe putaretur.

παιδοκόρος ἑρμῆς, à Metapontinis cultus. Eſt & Mercurij & menſis cuiuſdam nomẽ φιλήσιος. Et item Candaulas Mercurij quidam, alij Herculis cognomentum putauêre. Legimus & Langobardos proprio & peculiari cognomine Mercurium vocaſſe Vuoda, vt eſt apud P. Diaconum. Qui verò ex noſtris Cynoſurium Mercurium vocauêre, & ab eo Cynoſuras Arcadiæ denominatas, mihi

falli

falli videntur, cùm ſe Stephano niti ſcribant. ille enim Cynoſurum Mercurij filium, à quo Cynoſura ſummitas vel arx Arcadiæ dicta ſit.

Perſeus Mercurius cognominari videtur à Papinio in quarto Theb. cùm ait Tireſias:

——Tu ſepare cœtu
Elyſios Perſee pios, virgaq́ꝫ potenti
Nubilus Arcas agat.

Quo loco grammaticus Placidus Lactantius: Quare autem Perſee, inquit, eſt ratio. Quidam autem volunt non Iouis filium Mercurium, ſed Pyræ: in qua opinione etiā Heſiodus verſatur, in his libris quos de Theogonia ſcripſit: quidam Perſei. hæc ille. Quæ verba mihi valde obſcura, vel mendoſa videntur. nō enim quæ ex Heſiodo ait ipſe, comperio: nec Perſeum dictum crediderim, quia Perſea caſu vocandi potius puto, & Hecaten ſignificari, quæ (vt alibi oſtendimus) Perſea vocatur.

Anubis quoq; ab Aegyptiis Mercurius vocatus eſt, atq; hoc ideo loco de eo nōnihil agendum. Inter multa & varia quæ de illo legimus, Plutarchus in libro de Iſi & Oſiri: Iſin, ait, cùm Oſirin occiſum intellexiſſet, caput totondiſſe, & lugubrem ſtolam induiſſe, & eius corpus vbiq; gentium quæſiuiſſe: omnéſq; nō modò maiores natu interrogaſſe, ſed & pueros, ſi quid de Oſiri cōperiſſent: Ab iis ferunt rem cognouiſſe, vnde & pueris eſſe aiunt diuinationem. mox & ea verba ſubdit: Sunt, inquit, qui puerum, ex quo Iſis Oſiridis necem comperit, ſub Anubis nomine coli putēt, quem natum Nephthe tradunt. & ipſam quidem Naphthe timore Typhonis perculſam, ante maturi tempora partus puerum eieciſſe, potius quàm peperiſſe: atq; eum ita deis cuſtodem additum, ceu canes ad mortalium cuſtodiam adhibentur. hæc fermè ille, qui & alio loco eiuſdem libri, Anubin & Hermanubin ſic diſtinguere videtur, ὁ γὰρ ἀναφαίνων τὰ οὐράνια, καὶ τῶν ἄνω φερομένων ἄνουβις, λόγος. ἔστι δὲ ὅτε καὶ ἑρμάνουβις ὀνομάζεται. hoc eſt, Ratio cœleſtia, & quæ ſuperius feruntur oſtendit Anubis, eſt & quando Hermanubis vocetur. quibus ex verbis videtur corrigendum apud Euſebium in tertio Præp. Euang. Grecum & Latinum exemplar, vbi legitur, Vis Mercurij in vniuerſo, quam appellant Hermanubin: non autem Hermopin. Subdit & Plutarchus: Et illud quidem iis quæ ſuperius, hoc verò vt iis quæ inferius feruntur, conuenit: propter quod & ſacrificabant illi quidem album gallum, huic verò croceum. alba enim ſincera & lucida, crocea autem varia & mixta exiſtimant. Apuleius Anubin ita deſcribit: Ille ſuperûm commentor & inferûm, nunc atra, nunc aurea facie ſublimis, attollens canis ceruices arduas Anubis, læua caduceum gerens, dextra palmam virentem quatiens. hæc ille. At Vergil. in octauo:

Omnigenumq́ꝫ deûm monſtrat, latrator Anubis.

Quo loco Seruius, Hunc volunt, inquit, eſſe Mercurium. ideo capite canino pingitur, quia nihil eſt cane ſagacius. Tertullianus, & diuus Auguſtinus, videntur Cynocephalum pro Anubi deo ponere, quòd ſcilicet capite ſit canino. non enim pro cynocephalo, fero animali & indomito, ab ipſis deſumitur, ab hoc in ſecundo de Ciuitate Dei, ab illo in Apologetico. Lucanus de hoc deo intellexit, ſic loquutus:

Nos in templa tuam Romana accepimus Iſin,
Semicaneſq́ꝫ deos, & ſiſtra mouentia luctum.

Et Sedulius poeta Chriſtianus, in heroicis Paſchalis operis:

Quis furor eſt, quæ tanta animos dementia ludit,
Vt volucrem turpemq́ꝫ Iouem, toruumq́ꝫ draconem,
Semihominemq́ꝫ canem ſupplex homo pronus adoret?

Sunt qui tradant, Anubin ſecutum eſſe in expeditione bellica patrem Oſirin, et canē pro inſigni geſtaſſe, qua ex re canina facie illum Aegyptij coluêre. Meminit &

nit & Euſebius libro ſecundo Præp. Euãg. Diod. Siculus: Canis, inquit, & in venatione, & ad cuſtodiam prodeſt, propterea deus qui Anubis vocatur, capite canino figuratur, qua re ſignificat̃ Anubin fuiſſe cuſtodem corporis Oſiridis & Iſidis. Tradunt quidam, Iſidis canes, quo tempore Oſiris quæſitus erat, & feras & obuios omnes amouiſſe, vnáq; Oſiridis corpus inueſtigaſſe: ideóq; in ſolennitatibus Iſidis pompam præiſſe, vetuſto more.

Trophonium Cic. Mercurium vocatum dicere videtur, quem ſecundo loco commemorauit. Sed de Trophonio vate in Ioue ſcripſimus. In hoc loco ingenuè fateor, me Trophonium alibi vocatum Mercurium non legiſſe: etſi neſcio quid de Trophono comminiſcitur Boccatius, vt ſuus eſt mos, & conuertibilem interpretat̃, παρὰ τὸ τρέπω videlicet, id eſt à vertendo: quòd, inquit, aptiſſimè mercatorum eſt, ſeſe ad mores quarumcunq; nationum, ad quas pergunt, vertere. paulò pòſt tamen Tryphon vocat.

ἑρμῆς τρισμέγιστος, hoc eſt Mercurius ter maximus, quamuis nõ is deus fuit, ſed ſapiens, & de quo inter noſtros Poetas in ſecundo Dialogo plura attuli. ne tamen eum penitus hoc loco prætereã, tantummodo quæ Suidas ſcribit afferã. Floruit hic in Aegypto, ante Pharaonis tempora. Ideo verò Ter maximus appellatus, quoniam de trinitate ediderit oracula, Dominum in trinitate vnũ eſſe diuinitate, his verbis: Erat, inquit, lumen intellectile ante lumen intellectile, & erat ſemper mens mentis illuminans, & nihil aliud erat quàm horum vnitas, & ſpiritus omnia continens. extra hunc non deus, non angelus, neq; vlla alia ſubſtantia: omnium enim Dominus, & Pater & Deus: & omnia ſub ipſo. nam verbum eius perfectum exiſtens, & fœcundũ, & opifex, lapſum in fœcunda natura, & aqua fœcunda prolifica, fecit aquã. hæc ille. ſubdit tandẽ: Et hæc locutus orauit, dicens, Adiuro te cœlum, Dei magni ſapiens opus, adiuro te vocem patris quam protulit ipſe primam cùm omnem mũdum ſtabiliuit, obteſtor te per vnigenitum Verbum, & Patrem qui continet omnia, eſto propitius. hæc tamẽ verba apud Iuſtinum philoſophum & martyrem Orpheo aſcripta legi.

IRIS.

MErcurio Irin ea ratione ſubiunximus, quòd & ipſa, vt Mercurius, deorum nuncia ſit habita: quod omnes propè poetæ docent, ſed in primis in Theogonia Heſiodus. Sed ad pacem vt plurimum Mercurius, vnde & εἰρηνοποιὸς & pacificator ideo dictus: Iris verò ad lites & diſſenſiones, vt aiunt: quamuis nec hoc perpetuum ſit. atq; Irin ideo dictam arbitratur Seruius, quaſi ἔρις, id eſt contentio & lis. Plato tamen in Cratylo, & eum ſecutus Proclus, dictam videri volunt à verbo ἐρεῖν, quod loqui ſignificat, quia ipſa ſit etiã ἄγγελος id eſt nuncia, vt Mercurius, deorum: & in primis, cùm ſermone nunciare ſoleamus. Eam fingebant antiqui habitu muliebri, verſicolore veſte, in obſequium expeditam. nonnunquam & croceo, vt apud poetas eſt legere. Vergilius, Ergo Iris croceis. Fuiſſe verò filia dicitur Electræ & Thaumantis, vt Heſiodus ſcribit. hinc à patre Thaumantias vocata. Ouidius:

Roratis illuſtrat aquis Thaumantias Iris.

Idem & Thaumanteam vocat cùm alibi, tum libro Metamorphoſeôn decimoquarto,

Nec mora, Romuleos cum Virgine Thaumantea
Ingreditur colles: &c.

Quare autem ſit Thaumantis dicta filia, Cicero docet de Natura deorum tertio: Cur nõ, inquit, arcus ſpecies in deorũ numero reponatur? Eſt enim pulcher: et ob eam cauſam, quia ſpeciem habeat admirabilem, Thaumãte dicit̃ eſſe nata, &c. παρὰ τὸ θαυμάζω, quod miror ſignificat. Sed de arcu, id eſt Iri, quomodo fiat,

Philo-

Philoſophi, in primis verò Ariſtoteles, nec vno in loco, & ab eo alij pluribus tradiderunt. Sed hoc noſtrum non eſt: neq; enim nunc phyſica excutimus. Porrò & Iris in oculo dicitur, vt apud Galenum, Paulum, Aetium, & alios.

Aerea verò Iris cognominatur, à colore, nam & crocea vocata eſt. Vergil.

Aeream cœlo nam Iuppiter Irin Demiſit.

Imbrifer arcus Iris à Tibullo dicta, illo verſiculo:

Venturam admittat hymbrifer arcus aquam.

Ἠδὼ Iris cognominatur à Græcis, teſte Heſychio.

Διδύμη Iris cognominata eſt ab Arato, in illo:

ἢ διδύμη ἕζωσε δῖα μέγαν οὐρανὸν ἶρις

Quo loco Theon interpres, de Iride multa diſſerit, quãdo ſcilicet ſola appareat, & quando gemina: vnde appellata διδύμη. Item & quãdo nocturna, & quare non vnicolor: atq; hæc omnia quidem phyſicè.

Ἀελλόπους Iris etiam à Græcis cognominata eſt, quòd velox ſit, & pernix. Vnde etiam ποδήνεμος ἄγγελος, hoc eſt Latinè, Ventipes nuncia, Heſychio & Phurnuto teſtibus.

SOMNVS, INSOMNIA.

SOmnum deum habuerunt antiqui, cui & præſidem ſtatuebant Mercurium, vt qui virga pro arbitrio ſomnum mortalibus inferre & auferre putaretur, vt paulò antè in Mercurio oſtendi. Hinc & mihi congruè viſum eſt hunc cum Mercurio coniungere, cum eóque ſimul tibi mittere, vt & hoc ipſo munuſculo amoris ac beneuolentię meę erga te locupletius extaret monumentum. Accipe igitur mi Alb. Lolli ornatiſſime, & hoc qualecunq; eſt, eo vultu, læto ac hilari, quo me hac infirma valetudine affectũ ſępe inuiſere ſoles, & munus ex animo metire.

Somnus ergo à noſtris, à Græcis ὕπνος. Hunc deum exiſtimatum ab antiquis videmus. nam & illi Orpheus hymnũ compoſuit, & cũ papauere thymiama adoleuit. Hymni hoc eſt initium,

Somne deûm rex cunctorumq;, hominumq; cadentum,
Cunctorum & tellus quæcunq; animalia nutrit. hoc eſt Græcè:
ὕπνε ἄναξ μακάρων, πάντων θνητῶν τ' ἀνθρώπων,
καὶ πάντων ζώων, ὁπόσα τρέφει εὐρεῖα χθών. &c. quæ toto hymno exequitur: hinc amicus noſter ad eundem tranſtulit in elegia:

Somne potens ſuperûm, cunctorum rex animantum.

Somnus noctis filius fuit, vt in Theogonia Heſiodus canit. nam de Noctis filiis agens, ita ait,

νὺξ τίκε δ' ὕπνον, ἔτικτε δὲ φῦλον ὀνείρων.
Nox peperit Somnum, genuitq; Inſomnia vulgò.

Ab eodem & Mortis frater dicitur, quod & ab Homero in decimoquarto Iliad. ita enim ait:

Occurrit Somno, qui Mortis frater habetur. hoc eſt,
ἔνθ' ὕπνῳ ξύμβλητο κασιγνήτῳ θανάτοιο.

Hinc & Spartani, vt Pauſan. tradit, ſimulachra eorum ſimul poſuerunt, quos & ipſi ex Homeri ſententia fratres arbitrabantur. Plura Pauſan. Gorgias quoque Leontinus, vt eſt apud Aelianum in Varia hiſtoria, cum ad ſupremam ſenectam perueniſſet, à quadam valetudinis infirmitate detentus, in ſomnũ delapſus eſt: cúmq; ad eum quidam ex familiaribus acceſſiſſet, quęſiſſetq; quid ageret: dixiſſe fertur: Iam me ſomnus incipit fratri tradere. Sed Verg. ſomnum mortis conſanguineum ait, illo verſu:

Et conſanguineus lethi ſopor.

Ouid. verò noſter, Somnum Mortis imaginẽ ibi ait,

Stulte quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago?

Idem ita ad Somnum:

Somne

Somne quies rerum, placidiſſime Somne deorum.

Et Seneca in choro furentis Herculis:

Tuq; ô domitor Somne malorum,
Requies animi, pars humanæ melior vitæ,
Verus miſcens falſa, futuri
Certus, & idem peſſimus auctor.

Et reliqua, quæ ſi vacat legas. Iuuenis à Statio illo poemate fingitur:

Crimine quo merui iuuenis placidiſſime diuûm,
Quóve errore, miſer donis vt ſolus egerem
Somne tuis.

Idem virgam illi attribuit:

Lætior extremo me tange cacumine virgæ.

Eidem & cornu attribuitur. Silius libro decimo:

—— Curuoq; volucris
Per tenebras portat medicante papauera cornu.

Et paulò pòſt:

——Quatit inde ſoporas.
Deuexo capiti pennas, oculisq; quietem
Irrorat, tangens Lethæa tempora virga.

Statius idem ſexto Thebaid.

Et cornu fugiebat Somnus inani.

Quo loco Lactantius grammaticus ait: Inani cornu dixit, quia illud noctis tempore totum diffuderat. quod idem poeta ſuperius manifeſtius aſſeruit, dicens: Cornu perfuderat omni. nam & ſic à pictoribus ſimilatur, vt liquidũ ſomnium è cornu ſuper dormientes videatur effundere. ſic Ennius:

Cùm ſomno ſeſe exiccet Romana iuuentus.

Vnde irrigare dicimus ſomnum, quod frequens eſt poetis: vt, Feſſos ſopor irrigat artus. Sunt qui dicant ideo cum cornu pingi Somnum, quòd cornu attenuatum translucidum ſit, propter raritatem. nam & ſomnia quæ vera ſunt, cornea dicuntur. Deſcribit Somnus à Philoſtrato ita in imagine Amphiarai: Facie, inquit, reſoluta eſſe videbat, candidam veſtem habebat ſupra nigrã, quaſi diem & noctẽ indicaret. Cornu in manu tenere videbatur, cùm vera ſomnia immittit. Illud & ego hoc loco addiderim, cùm vana denunciat, ebur, & elephantis dentẽ, vnde & geminæ Somni portæ finguntur, de quibus in ſexto Aeneid. & Macrobius plura. Sed Tibullus libro 2. illi alas fuſcas attribuit, cùm ait:

Poſtq; venit tacitus fuſcis circundatus alis,
Somnus, & incerto Somnia nigra pede.

Sic autem Ouidius in Metamorph.

In medio thorus eſt, ebeno ſublimis in antro,
Plumeus, vnicolor, pullo velamine tectus,
Quo cubat ipſe deus membris langore ſolutis,
Hunc circum paſſim varias imitantia formas
Somnia vana iacent.

Sed & Orpheus ὀνέιρῳ, id eſt Somnio deo hymnum compoſuit cum aromatibus, cui & fuſcas alas attribuit, τανυσίπτερον φ; cognominat. Tres deinde Ouidius inter plurimos filios aſcribit. primum Morphea, artificem ſimulatoremq; figuræ: μόρφη quippe formam & figuram ſignificat. alterum verò Icelon vocat, à forma & imagine dictum. At alter, inquit,

Fit fera, fit volucris, fit longo corpore ſerpens,
Hunc Icelon ſuperi, mortale Phobetora vulgus
Nominat.

Nam φοβήτωρ, terrificus, vel terrefactor dici poteſt.

— Eſt etiam diuerſæ tertius artis,

Phan-

Phantaſos: ille in humum, ſaxumq́ue, vndamq́ue, trabémq́ue,
Quæq́ue vacant anima fallaciter omnia tranſit.

Sic autem dictus, quòd imaginatio, phantaſia, & phantaſma, & phaſma quoquo modo dici poteſt: & φαντάζομαι verbum, imaginor. Sanè Artemidorus Daldianus, qui de Somniorũ interpretatione libros, qui in manibus habetur, reliquit, ſomnia & inſomnia tantùm attulit: itaq; differre ait, vt illa quidẽ futura ſignificent, hæc verò præſentia. alia item Syneſius in ſuo de Inſomnijs. Sed enim apud Latinos Macrobius in quinq; genera diſpeſcit. Aut enim eſt, inquit, ὄνειρος, quod Latini ſomnium vocant: aut ὅραμα, quod viſio rectè appellatur: aut χρηματισμὸς, quod oraculum nuncupat: aut ἐνύπνιον, quod inſomniũ dicitur: aut eſt φάντασμα, quod Cicero viſum vocauit. Sed hæc ſubtilius indagare, noſtri non eſt inſtituti. Si quis tamen de geminis Somni portis, præter ea quę Seruius in ſexto Aeneid. deſiderat, legat Macrobium, & Porphyrium philoſophum, qui in cõmentarijs ſuis hæc in eundem locum dicit, ab Homero ſub eadem diuiſione deſcripta. Quin ſomnia, inquit, à deo immitti exiſtimantur. καὶ γὰρ ὄναρ ἐκ Διός ἐστι, vt ait Homerus. quin & insõnia διόπεμπτα dicta ſunt, hoc eſt à Ioue miſſa: & θεῖαι ὀμφαί, hoc eſt diuinæ voces, & Διὸς ἄγγελοι. i. Iouis nuncij, vt ait Homerus. & vt Phurnutus ait, θεῶν δ' ἄγγελοι καὶ οἱ ὄνειροι. Eſt & apud Theocritum poema, quod Piſcatores inſcribitur, id eſt ἁλιεῖς, in quo multa de inſomnijs: inter quæ illud, Mentem, optimã eſſe ſomniorum interpretẽ ac magiſtram. Et ibidem paulò pòſt, idem, pares ait mendacijs viſiones: hoc eſt, ἴσαι ψευδέσιν ὄψεις. Ibidem & illud exprimit, quod moralis noſter (quicunq; tandem ille fuit) poeta.

Somnia ne cures, nam mens humana quod optat:
Dum vigilat, ſperat, &c.

Quod etiam Propertius illa elegante elegia.

Omnia quæ ſenſu voluuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies:

& cætera, ne omnia hîc colligam. Somnium Homerus in Iliade in Lemno ſedem habere oſtendit. Iunonem enim inducit, in Lemnum inſulam profectam, Somno occurriſſe. Porrò vt in Lemno Somnum habitare finxit Homerus, ita Ouid. lib. Metamorph. 11. apud Cimmerios Italiæ, vel Scythię populos, Somni domum luculentiſſimè deſcribit, Cimmerij quippe à ſcriptoribus vtrobiq; tradũtur obſcuri atq; vmbroſi, vtpote ad quos pene ſolis radij non penetrent, ita vt vſque in prouerbium peruenerint. Cimmerię tenebrę. Somnum Pauſ. in Corinthiacis, apud Sicyonios fuiſſe ſcribit, ſopiẽtem leonem. dictus verò Epidotes nomine. Fuit & apud Trœzenios Ardali vetus ara, ſuper qua Muſis & Somno deo rem diuinam faciebant, Somnum affirmantes eſſe Muſis deum valde amicum. Sed de Ardalo in Muſis, ex Pauſania & alijs egimus.

Brizo dea apud Gręcos exiſtimata, quę vaticinijs per ſomnia pręeſſe credebatur. in primis verò Deli culta, cui ſcaphas offerre cõſueuerant, omnium rerũ refertas, piſcibus duntaxat exceptis. Quidam eam dictam exiſtimant παρὰ τὸ βρίζω, dormio. Brimo verò alia fuit, vt in Hecate oſtẽdimus. Vergilius in 6. Aenid. de vlmo Somniorum ſcribit:

In medio ramos: annoſaq́ue brachia pandit
Vlmus opaca, ingens, quam ſedem Somnia vulgò
Vana tenere ferunt, folijsq́ue ſub omnibus hærent.

Vbi Seruius: Qui de ſomnijs, inquit, ſcripſerunt, dicunt, quo tempore folia de arboribus cadunt, vana eſſe ſomnia: quod per tranſitum tetigiſſe ait Vergilium. Somnus prętereà irriguus dicitur à poetis: ſumptum à cornu, quo mortales irrigare Somnus dicitur, vt ſuperius dictum. Ferreus ſomnus dictus à Vergilio lib. 12. Aeneid.

Olli dura quies oculos, & ferreus vrget Somnus.

quod de morte dici videtur. vnde & ſubdit,

In æternam clauduntur lumina noctem.

Notat eodem loco Seruius, quòd ab Homero cognominatus ſit etiam ſomnus deus λυσιμέριμνος, quòd curas & labores mortalibus ſoluat. vtitur & Orpheus in hymno. Somnum quoq; æreum dictum, hoc eſt χάλκεον ὕπνον, notant eruditi: & Homerum æs potius quàm ferrum nominaſſe, & perinde æris vſum ante ferrū fuiſſe. Sed hæc nihil ad Somnum, vel Somnia.

SYNTAGMA DECIMVM, DE MARTE, HERCVLE, BELLONA, VICTORIA, HEBE, AD ILLVST. COMITEM, HERCVLEM Contrarium.

Quos belli coluit deos vetuſtas,
Hoc Syntagmate ſunt breui repoſti.
Quod munus licet HERCVLES puſillum,
Eſt tamen tibi iure nuncupatum,
Quòd virtute tua hos refers peræquè:
Nec paruum eſt, bona quod dedit voluntas,
Ingens quæ precium ſolet mereri.
Nec quidem puto liberalitati
Tuæ me paria his referre nugis:
Præ te cenſeo quas eo minoris,
Quo tu es ſtemmate viribúſq; maior.
Quare quod tibi, quicquid eſt, dicamus,
In partem accipias bonam rogamus.

QVotieſcunq;, illuſtriſſ. HERCVLES Contrari, mecum cogito (cogito autem ſæpiſſimè) tua erga me beneficia, totus pudore ſuffundor, quòd tot tuis tantíſq; meritis nihil adhuc gratiæ retulerim. Nam etſi gratiam habere, & eius debitionem fateri, penè eſt referre: nihilominus, quoniā tu promerendi nunquam finem facis, eo ego magis vt ingratus pudore afficior. Cùm enim mecum reputo, in hoc meo diutino articulorum morbo, te quotidie non familiares ſolùm tuos, ac domeſticos mittere ſolitum, vt me inuiſant, tuoq; nomine ſalutent: ſed tu quoq; ipſe plerūque benigne adire ſoles, & ſi quibus me rebus indigere videas, vltrò nullo petente ac rogante, afferre iubes. Quamobrem cùm cuperem aliquo ſaltem exili munere (ne leuidenſe potius dicam) tibi gratiam referre, aliquá ve ratione hoc tantùm tecum nomen expedire, ne perpetua ingrati nota inurerer: cœpi ſcripta mea, & ſchedás euoluere, ſi fortè inter eas aliqua adeſpota, hoc eſt ſine domino, & nulli nuncupata forent. ac fortè incidi in Syntagma, id eſt tractatum, in quo de Marte, Bellona, & Victoria, deq; Hercule, deis gentium, hiſtoriam conſcripſeram: qui dei non incongruè tibi naturæque tuæ conuenire viſi ſunt. Nam quis, quæſo, te fortior, ac animoſior in bello? qui à primis annis tuæ adoleſcentiæ in omni omnium armorum genere ac diſciplina verſatus es? Quis concitatior in prælijs, tanquam Bellonæ flagello perculſus, in aciem prodiuit? Quis plures victorias (vt audiui) eſt aſſecutus? Quis demum tot ferarum & monſtrorum, id eſt vitiorum, domitor ac expulſor fuit? Sunt certè HERCVLES, hæc tuæ virtutis inſignia. Vnde iure meritóq; hoc Herculis nomen tibi conuenire videtur, quod cum Principe noſtro tibi conſanguinitate propinquo, commune eſt. Porrò quoniam etiam antiquum illum Herculem & literas edoctum fuiſſe legimus, & à Romanis vnà cum Muſis & cultum fuiſſe, & templa habuiſſe, in eius vita oſtendimus: hinc tu quoq;, ne ab illo degener eſſe viderere, Muſas, id eſt literas ac diſciplinas ita excolis, ita amplecteris, vt nullam diem ſine linea, id eſt lectione, tibi præterire permittas. Quod vt melius commodiuſq; efficias, domi habes συμβιώτην Phalethum, hoc eſt, conuictus participem, Hieronymum Muſarum alumnum, & ſacrarum legum ſtudioſum. Macte igitur virtute ac nobilitate HERCVLES ornatiſſime, ſic

itur

itur ad aſtra,& viuentis poſteritati nomen commendamus. Interea hoc noſtrum qualecunque munuſculum,eò grato animo accipe,quo & ego exhibeo,& æqui boniq́; conſulas. Nam etſi tibi æqua referre non poſſum,præ me tamen fero grati animi ſignificationem. Vale:& quo vitæ tenore ad gloriam & immortalitatem ire cœpiſti,perge.

MARS, BELLONA, HERCVLES, ALII.

MARS dictus,vt Varro ſcribit, ab eo, quòd maribus in bello præeſt: aut quòd à Sabinis acceptus fuerit,ibi Mamers dictus. Mauors verò,vt ait Cicero,quòd magna vertat:vel,vt Seruius notat,figuratè dicitur, vt induperator pro imperator, ita Mauors pro eo qui eſt Mars. A Græcis verò ἄρης vocatus eſt,vt Phurnutus prodidit, ἀπὸ τοῦ αἴρειν, ἢ ἀναιρεῖν,hoc eſt à tollendo,vel interficiendo. Sunt qui ab ἀρᾶς,id eſt damno & nocumento,ἄρης denominatum velint. Plato tamen,vt noſtri quoque putant, ἀπὸ τοῦ ἄῤῥενος,id eſt à mare deriuauit,in Cratylo. alij,quod nec Phurnutus tacet,ἀπὸ τοῦ ἀρῶσαι,ὅ ἐστιν ἁρμόσαι, id eſt, conuenire: vndè etiam Harmonie eius filia. Sedenim & ex noſtris quidam Martem ipſum ab ἄρης, M literam addendo, dictum putauere. Certè ab ἄρης ſummum Athenienſes de capite iudicium Areopagum,id eſt Martis pagum vocauere:& in eo iudices Areopagitæ, quòd in eo iudicio primus Mars ipſe fuerit iudicatus:vt Demoſthenes in ea Oratione pluribus oſtendit,quæ κατ' ἀριστοκράτους inſcribit. ait enim:In Areopago dei ipſi ſenſerunt,illic potiſſimum cædis iudicia peragi debere. ita fama eſt, ibiq́; iudices fuere,Neptunus pro filio Halirrhotio aduerſus Martem. id teſtantur duodecim dei iudices,qui inter Oreſtem & Furias illic ſententiam dixere. hæc Demoſthenes. nec adeò diuerſa Pauſanias in Attica, Arpocratiō,Plutarchus, alij. Varia de Martis patria ſcriptores tradidere,deq́; illius ſacrificijs quibus de rebus non alijs quàm Arnobij verbis recenſebo, qui in quarto contra Gentes ita ſcribit: Quis Spartanum inquit fuiſſe Martem? nonne Epicharmus, auctor veſter? Quis in Thraciæ finibus procreatum? non Sophocles Atticus, cunctis conſentientibus theatris? Quis menſibus in Arcadia tribus & decem vinctum? non Melę fluminis filius? Quis ei canes à Caribus,quis à Scythis aſinos immolari? non principaliter cum cæteris Apollodorus? Quis dum genitalibus inſultat alienis,hæſiſſe in laqueis inuolutum? non commentarij veſtri,non ſcenæ? tantum Arnobius. Exiſtimarunt præterea veteres, Martem Iunonis filium ſolius,quæ cùm per vireta vagaretur,ex contactu & olfactu florum Martem conceperit: (ſi credere dignum eſt.) Alij ex Ioue & Enyo natum tradiderunt, id quod & Phurnutus tradit,& interpretatur. Homerus certè Iouem inducit lib. V Iliad. dicentem, Martē ipſum ex ſe & Iunone natum,cùm à Diomedę in ventre Mars vulneratus eſſet, & apud Iouem de Minerua & Diomede quereretur, & ab Hebe ſorore lauaretur. Hoc autem vulnere exclamaſſe adeò Martem ait Homerus, quantum nouē aut decem milia hominum in bello proclamarent. Quin etiam idem Homerus ipſum Martem ab Otho & Ephialte, Aloei filijs,valido ligatum nexu ex ære canit, XIII menſes in vinculis fuiſſe:in quibus etiam fortè perijſſet, niſi Eurybœa Mercurium monuiſſet,qui illum penè conſumptum furto abſtulit. Sed nos his miſſis,noſtrum proſequamur inſtitutum. Romani ſummo cultu Martem venerabantur,quòd exiſtimarent parentęm ipſum fuiſſe Romuli. ſacerdotésq́; Salios illi attribuerunt,& carmina ſaliaria. ardentem verò eum effingebant, nūc in curru,nūc in equo,armatum cum haſta & flagello. tum illi etiam interdum gallum appingebant,ob militum videlicet vigilantiam:vel propter Alectryonis fabulam, Martis ſatellitis, in eam auem conuerſi, vt in eius nominis feſtiuo libello Lucianus ſcribit. & Auſonius poeta vno penè verſu attigit:

——Ter clara inſtantis Eoi,
Signa canit ſerus deprenſo Marte ſatelles.

Iſidorus Martem ſcribit nudo pectore effingi ſolere, quòd quiſque in bello ſine cordis formidine obijcere ſe debeat. Acitani quoq; gẽs Hiſpana, vt Macrobius tradit, Martis ſimulachrum radijs ornatum maxima religione celebrabant, Necyn vocantes: vel vt alij legunt, Neton, vel Nicon. Sane & νεῖκον Martem vocatũ legimus, idq; ex Empedocle docti quidam notãt. Porrò & illi antiquitas lupum dicauit, vnde à Verg. & poetis Martius eſt lupus cognominatus. Hinc iocus eſt Plauti in Truculento, de ouib. patris diuenditis: Fuit, inquit, ædepol Mars meo iratus patri, nam oues illius haud longè abſunt à lupis. Thraces præterea & Scythæ Martem colebant, apud quos præcipua bellorum eſt exercitatio. Statius Papinius lib. VII. Theb. Palatium ædesq; Martis apud Thracas finxit, ad quas Mercurium mittit Iupiter, vt bellum excitet. hi Statij ſunt verſus:

Hic ſteriles delubra notat Mauortia ſyluas,
Horreſcitq; tuens, vbi mille furoribus illi
Cingitur aduerſo domus immanſueta ſub Aemo,
Ferrea compago laterum, ferro arcta teruntur
Limina, ferratis incumbunt tecta columnis.
Læditur aduerſum Phœbi iubar, ipſaq; ſedem
Lux timet, & durus contriſtat ſidera fulgor,
Digna loco ſtatio, primis ſalit impetus amens
E foribus, cæcumq; nephas, iræq; rubentes,
Exanguesq; metus, occultiſq; enſibus aſtant
Inſidiæ, geminúmq; tenens Diſcordia ferrum:
Innumeris ſtrepit aula minis, triſtiſſima virtus
Stat medio, lætúſq; Furor, vultúq; cruento
Mors armata ſedet: bellorum ſolus in aris
Sanguis, & incenſis qui raptus ab vrbibus ignis,
Terrarum exuuiæ circum, & faſtigia templi
Captæ inſignibant gentes, cælatáq; ferro
Fragmina portarum, bellatricésq; carinæ,
Et vacui currus, protritáq; curribus ora.
Pœnæ etiam, Gemitusq; adeo, vis omnis, & omne
Vulnus vbiq; ipſum, ſed non vſquam ore remiſſo
Cernere erat, talem diuina Mulcifer arte
Ediderat, nondum radijs monſtratus adulter
Fœda catenato luerat connubia lecto.

hucuſque Statius. Sed enim Homerus duos Marti equos attribuit, δεῖμους & φόβους, id quod & teſtantur grammatici. dicti verò ab eorum timore ac pauore. Quintus tamen Calaber in Paralipom. ab Homero in lib. VIII, quatuor nominat, natos ex Borea & Erinny, qui naribus ignem efflarent. nomina hæc ſunt, Aethon, Phlogius, Combos, & Phobos. Porrò & deo Marti veterum quidam canes immolabant, propter eius animalis audaciam. alij aſinos, propter bellicum clamorem, vociferationémq;: quod Phurnutus ſcribit. quinimò & vultur auis huic deo dicata putabãt, quòd cadauera ſectetur, & belli prænuncia ſit. Illud certè ridiculum, quod Herodotus ſcribit in q̃rto, Scythas Martis ſimulachrum ſtatuiſſe Acinacem, hoc eſt enſem, qua de re in calce primi Syntagmatis egi. Libet verò & Ammiani Marcel. verba ex XXXI. lib Hiſt. hic aſcribere, de Scythis agentis: Nec templum, inquit, apud eos viſitur, aut delubrum, ne tugurium quidem culmo tectum cerni vſquam poteſt, ſed gladius barbarico ritu humi figitur nudus, eúmq; vt Martem regionum quas circumeunt, præſulem verecundius colunt. Sanè Mars pro bello ſæpe ſumitur non modò à poetis, ſed & cæteris ſcriptoribus: vt cùm ſcriptum legimus, incerto dubióve Marte pugnatum eſſe.

Quinimò

Quinimo & pro ingenio & naturæ vi capitur: vt cùm dicitur, ſuo Marte, & noſtro Marte. M. Cicero: Hanc igitur partem relictam explebimus, nullis adminiculis, ſed vt dicitur, Marte noſtro. Idem: Rex ipſe ſua ſponte, nullis commentarijs Cæſaris, ſimulatq; audiuit eius interitum, ſuo Marte res ſuas recuperauit. Caius Iurecõſ. Ne liceat potentioribus, iudiciariæ lites potius ſuo Marte decurrerent. Item de iudicijs, Quo minus lis ſuo Marte decurrat. Pyrois Martis ſtella nuncupata eſt, vt oſtendit M. Cicero de Nat. deor. Hyginus, Apuleius, Martianus, alij, quòd ignita ſit & ardens.

Communis deus Mars appellatus eſt non modò Latinis, ſed & Græcis, qui dicunt ἄρης κοινός. & Homerus, ξυνὸς ἐνυάλιος. M. Cic. quoq; ſæpe Martem communem, nonnunquam & deum communem vocauit, vt Philip. XI. Sed vt concedam incertos exitus eſſe belli, Martem communem, tamen pro libertate vitę periculo decernendum. Liuius quoq; cùm inquit: Tum tuas vires, tum verò fortunæ, Martemq; belli communem propone animo. Idem nec ſemel alibi, cæterique ſcriptores in panegyricis. Sanè Seruius in octauo Aeneid. à Verg. dictum ait Herculem communem deum, quia Argiuus eſſet, & Græcos & Troianos de vno ſanguinis fonte deſcendere: aut communis deus dicitur, vtriuſque naturæ medius, id eſt inter mortalitatem & diuinitatem. Sunt enim numina quædam tantum cœleſtia, aliqua tantum terreſtria, aliqua media, quos Apuleius deos medioximos vocat. alij communem deum ideo dictum volunt, quia ſecundum pontificalem ritum idem eſt Hercules, qui & Mars. nam & ſtellam vnam habere dicuntur, & nouimus Martem communem dici. Sic Cicero, Martem deũ communem: & Verg. dat Salios Herculi, quos Martis eſſe dubium nõ eſt, quod & notat Macrobius. Porrò idem etiam Seruius libro vndecimo Aeneid. ſuper ea verba:

In medios focos, & dis communibus aras.

Dei, inquit, communes ſunt, vt alij dicunt, Mars, Bellona, Victoria, quòd ij in bello vtriq; parti poſſunt fauere. Vt autem altioris ſcientiæ hominibus placet, dei communes ſunt, qui ἄζωνοι dicuntur, id eſt, qui cœli certas non habet partes, ſed generaliter à cunctis coluntur: vbiq; enim eos eſſe manifeſtum eſt. vt Mater deûm dicitur, quòd cum omnibus eius communis eſt poteſtas. Alij communes deos volunt, Solem, Lunam, Plutonem, Martem: hi enim apud omnes inueniũtur, & ſunt in omnibus terris. Hæc ferè Seruius. hinc non mirum tibi videri debet, ſi & Euripides Plutonem vocauit communem deum, cùm agit de ſepultura Argiuorum apud Thebas, in tragœdia Supplicum. Et Mercurius etiam communis deus vocatus eſt, vt eſt videre apud Ariſtot. in II Rhet. ad Theodectem: μόνος γὰρ καλεῖται κοινὸς ἑρμῆς. Meminit & in votis Lucianus.

Pater etiã Mars in primis à Latinis & Romanis vocatus eſt, præter id quòd Romuli pater fuerit, ſed etiam quod dei ipſi hoc patris nomine vocarentur, vt in Iupitre. i. Ioue patre vidimus. nam vt ait Gellius. quod eſt in eliſis, aut immutatis quibuſdam literis, Iupiter, id plenum atq; integrũ eſt Iouis pater: ſic & Neptunus pater coniũctè dictus, & Saturnus pater, & Ianus pater, & Mars pater: hoc enim eſt Marſpiter. nam ita Marſpiter dicimus, vt Dieſpiter, ſic & Iupiter.

Gradiuus & Quirinus apud Latinos duo præcipua Martis nomina fuerunt: hoc quidem, dum tranquillus mitiſq; eſſet: illud, dum in armis ſæuus. hinc etiam Romanos Martis duo præcipuè templa habuiſſe legimus, alterum quidem, hoc eſt Quirini, intra vrbem, ad tranquillitatem cuſtodiendam, & vrbis cuſtodiam: alterum verò in via Appia, extra vrbem, prope portam quaſi bellatoris, id eſt Gradiui, ad arcendos hoſtes. ergo Gradiuus, vt Feſtus ſcribit, Mars appellatus fuit, à gradiendo in bella vltrò citroq;: ſiue à vibratione haſtæ, quod Græci dicũt κραδαίνειν, ἢ κραδάειν, vel vt alij dicunt, quia gramine ſit ortus: quod interpretantur, quia corona graminea in re militari maximæ eſt honorationis. hæc Feſtus. Sanè quod Pompeius ait, quia gramine ſit ortus: eruditi quidã in fabulam

referunt, quam breuiter antè attigimus, quod Mars ex Iunone natus ſit ex florum contactu. Sunt alij qui Gradiuum non Latinum, nec Græcum eſſe putant, ſed Geticum vel Thracium vocabulum, quo bellicoſus & fortis ſignificetur. Gradiuus primam habet indifferentem: longam Vergilius, breuem Auſonius protulit. Vt,

Gradiuumq́ patrem Geticis qui præſidet aruis, &c.

Quirinus autem Mars à Sabinis nuncupatus, à Quiri haſta, qua hic deus vti exiſtimabatur.

Mamers Mars lingua Oſcorum dictus eſt, vt Feſtus ſcribit: à Sabinis, ait Varro. à Mamerte, Mamerci, vel vt alij legunt, Mamerti, potius prænomen, quaſi Martius, & Mamertini in Sicilia. lege Feſtum. Heſychius μάμερτιν vocat Martē. Porrò Mamercus prænomen Aemiliæ familiæ fuiſſe legimus, de quo Carol. Sigonius ex Plutarcho in Numa, & Paulo Aemilio ſic ait: Mamercus fuit Pythagoræ filius, à quo Numa Pompilius rex filium Mamercum nominauit, qui auctor & princeps gentis Aemiliæ fuit. Meminit & Val. Maximus, de prænominibus: ſi modò Valerij libellus ille eſt, & non potius Iulij Paridis.

Syluestrem deum Martem vocatum legimus, cui M. Cato de Re ruſt. aliquando rem ſacram facit. vt cùm ager luſtrandus eſt, & ſolitaurilia celebrat, ita precatur: Mars pater te precor quęſoq́, vti ſi es volens, propitius mihi, domo familięque meæ: cuius rei ergo agrum, terram, fundúmq́ meum ſolitaurilia circumagi iuſſi. & paulò pòſt: Mars pater, eiuſdem rei ergo macte hiſce ſoli lactentibus taurilib eſto. & item mox etiã, iiſdem verbis. Sed & idem ſcriptor, cùm votum pro bobus facit, ita ſcribit: Marti Syluano in ſylua interdius in capita ſingula boum votum facito.

Saliſubſulus Mars ab antiquis Latinis dictus eſt à ſaliendo, ſubſultandóq́, in bello ſcilicet: vnde & Salij. meminit Pacuuius apud Non. Marcel. Hinc illud Catulli à doctis aliquibus ſic legitur:

In quo vel Saliſubſuli ſacra ſuſcipiantur.

Videtur verò cognomen deſumptum ab Homero, qui eundem deum ἀλλοπρόσαλλον vocauit, quem quidam interpretantur inconſtantem, vt qui modò ad hunc, modò ad illum vertatur, deúſq́ & ſit & habeatur communis, vt dictum eſt.

Cæcus Mars vocatus eſt, Verg. ſecundo Aeneid. Et cæco Marte reſiſtunt: vel, inquit Seruius, epitheton eſt Martis, vel quoniam cæca nocte prælium gerebatur.

θούριος ἄρης, Thurius Mars ab Homero appellat⁹, ab aſſultu citato. θορεῖν enim eſt, cum impetu inſilire. vnde hippothoros cantus, ad incitandos equos ad initũ quod in Poetis docuimus. Videtur & Suidas ex Ariſtophane θοῦρον Martem appellare, eadem ratione.

Marmeſſus Mars apud Lycophronē legimus, de quo interpres: Romana, inquit, lingua Barbaris ait, non cõtentus, alijs etiã Romanè ſcribit. Cœlius Rhod. Romani, inquit, Bellaces Marmeſſos dicunt, ſicuti memorat vel Diodorus, vel Dion: neq́ enim ſuccurrit nunc ad fidem (ait ille) auctoritas.

Enyalius deus Mars dictus, ab Enyo deriuatum, id eſt à Bellona vel ſorore vel matre, nomen, quo Græci Latiniq́ vtuntur. Enyalium quidem, ait Macrob. inter Martis propria nomina. Item Plut. de Tranquillitate. Enyalium, inquit Dionyſ. Alicarn. Sabini, & ab eis deſcendentes Romani, Quirinum vocant, nequaquam certum habentes, Marsne ſit ille, àn alius quidam, ſimiles cum Marte honores habens. alij enim de vno deo bellicorum certaminum duce, vtraq́ putant dici nomina: alij autem duobus ea diuis bellicis impoſita, &c. Enyaliũ ſcribit Pauſ. Lacedæmonij vinctum pedicis ea ratione ſtatuebant, ne quò ab eis recederet: vti ἄπτερον νίκην, hoc eſt ſine alis victoriã, Athenienſes, ne poſſet euolare. De Enyo, in Bellona locuti ſumus. At verò ἐνάλιος dæmon marinus à Græcis dicitur, vt vel Suidas teſtatur.

Vltor

Vltor Mars Romæ cultus, cuius templum Cæſar Aug. bello Philippenſi pro paterna vltione ſuſcepto vouerat. auct. Suet. alij. Martial.

Vltoris prima Martis in æde ſedet. Ouid. in Faſt.

Templa feres, & me victore vocaberis Vltor:
Vouerat, & fuſo lætus ab hoſte redit.

Hinc & cũ recepiſſet à Parthis ſigna, Biſultor vocatus, à duplici victoria, quod ibidem idem poeta oſtendit:

Rite deo templumq; datum, nomenque Biſultor,
Emeritus voti debita ſoluit honor.

Dion in hiſtor. libro LIIII. ſcribit, Auguſtum Martis Vltoris conſtruxiſſe in Capitolio templum, in quo ſigna & vexilla reponerentur, vt opima ſpolia Ioui Feretrio.

Tyrãnus Mars prouerbio dicebatur antiquitus, vt Heſychius & Suidas tradunt, de ijs qui impotentes ſunt, & ſupra modum elati atq; indomiti. vnde etiam rex Mauors: hoc eſt ἄρης βασιλεύς, vel vt Orpheus in eius hymno, ἄρες ἄναξ: ſumptũ, vt Zenobius putat, à Timotheo Athenienſium imperatore, qui Rempub. contra Perſas & Aſianos tutatus eſt. Vide Eraſmum. Sed & Homerus in hymno illum ita inuocat, ἀντιβίοισι τύραννε, id eſt Violentis tyranne.

Aphneus Mars, hoc eſt ἀφνειὸς ἄρης cognominat⁹ eſt in Arcadiæ mõte Creſio: inde verò denominationem ſortitus, vt Tegeatæ memorant, quòd cùm Aëropem Cephei filiam Mars compreſſiſſet, ipſa ex partu interijt: nihilo tamẽ minus infans defunctæ matri inhærebat, & copioſe manans ex maternis mammis lac vtcunq; exugebat, quod ex Martis cultu fiebat. qua ex re Mars Aphneus, id eſt diues cognominatus fuit: & puer Aeropus à matre nuncupatus. auctor Pauſ. in Arcad.

Theritas Mars, hoc eſt θηρίτας ἐνυάλιος, cognominatus à Thero, quæ Martis nutrix fuiſſe dicitur. Ex Colchis autem Caſtor & Pollux huius dei ſimulachrum deuexere. hæc vetuſtior opinio, quam non ſecutus eſt Pauſ. ipſe enim exiſtimare videtur, ita denominatum, ſicuti hominem militarem ac bellacem dicimus, non mitem ac clemẽtem magis quàm θὴρ, id eſt fera ſit. quo pacto & Homerus Achillem leoni confert, & item alios feris alijs. Theritã Enyalium ait Heſychius à Laconibus vocari.

Gynæcothœan, hoc eſt γυναικοθοίναν Tegeatæ Martem in Arcadia erexerunt foro in medio: ea cauſa, quod Marpeſſa mulier vidua Tegeatis, cum mulierib. reliquis contra Lacedæmonios duce Charillo proceſſere, & inſidijs ſtructis, opem viris ferentibus, Lacedæmonios vicerunt, eorumq; ducem cepere. hinc ob victoriam Marti deo rem ſacram ſeorſum à viris fecerunt, & deo Epinicia obtulere: quinimo nec de ſacrificatis carnibus viros impertiuere, ſtatuámque deo in fori medio erexerunt, quem ideo γυναικοθοίναν vocarunt, auctor Pauſ. in Arcad.

Heſus Mars putatur à pleriſq;. Lucanus in primo,

Horrénſq; feris altaribus Heſus.

Lactantius in primo: Galli Heſum atq; Theutatem humano cruore placabant. M. Cicero in III. de Nat. deor. Qui ſi deus eſt, & Orpheus & Heſus dei ſunt. hũc tamen ego locum emendaui, vt in Mercurio ſcripſimus, Rheſum.

Odryſius etiã, & Geticus, & Thracius Mars, à populis notiſſimis, feris & bellicoſis, cognominatus eſt. vt illud eſt,

Bella horrida Martis Odryſij. Et illud,
Geticum moderatur Apolline Martem.

Apud Gerõthras in Laconia Martis delubrum eſt, & lucus. Sacra ibi faciunt anniuerſaria, quibus intereſſe fœminis eſt interdictum, vt ſcribit Pauſ.

Bellipotens quoq; à noſtris Mars dictus eſt, quòd bello polleat: & Belliger, quòd gerat bella: & Armiger, quòd ferat arma. quin & Orph. ὁπλοχαρής, hoc eſt qui armis lætetur. Armipotens etiam dictus: Auſonius,

Quiq; truces belli motus ciet armipotens Mars.

Corythaix Mars ab Homero dicitur, hoc eſt galeam quatiens: ſicut & galeam ornatam habens, κορυθαίολος appellatus eſt.

οὖλος Mars etiam dictus, quaſi pernicioſus, & ὀλετὴρ, & grauis, conturbatórq;, quod notat Heſychius: licet hæc vox interdum contraria ſignificet, hoc eſt mollem, & ſanum, & integrum.

Sunt verò & alia permulta huius dei cognomina, ſeu epitheta, tum Græca tũ Latina, apud poetas: quorum nonnulla breuiter hic collecta ſubſcribam, ex Homero in primis, & Orphei hymno, aliisq;. ὀμβριμόθυμος ἄρης, qui & ὀβριμόθυμος. nam & ὄβριμος, & ὄμβριμος vocatur, hoc eſt magnanimus & potens.

αἱμοχαρὴς, hoc eſt ſanguinarius, qui ſanguine gaudet: Homerus. & vt canit Orpheus in hymno, αἵματι ἀνδροφόνῳ χαίρων, id eſt, ſanguine viricida gaudens. hinc et Vergilius lib. XII Aeneid.

Qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri
Sanguineus Mauors clypeo increpat, &c.

χαλκάσπις ἄρης à Pindaro dictus, quod æreum ſcutum gerat: ab Homero verò in hymno φερέσπις, quaſi nos ſcutiferum dicamus. Idẽ & χαλκοκορυστὴν dixit, id eſt ære armatum.

βρὶ particula eſt intentiua, & auget plerunq; in malam partem: vnde βριήπυος, late ſonans, Mars dictus, vt in Apollonium Rhod. grammatici notant. hinc & βρισάρματος ἄρης ab Homero, quòd curru perſtrepat, videlicet in bello. notiſſimum enim, veteres in bellis curribus eſſe vſos etiam falcatis. vnde & Pindarus χρυσάρματος dixit, id eſt aureum currum habentem Martem, in Pyth. quopiam hymno.

χρυσοπήληξ ἄρης, Homero Mars vocatur, aureum flagellum habẽs: ſed rectius videtur, auream galeam. πήληξ enim galea eſt.

βροτολοιγὸς, καὶ μιαιφόνος ἄρης cognominatus, hoc eſt, mortalium interemptor & homicida, &, vt interpretatur Macrob. hominum necator. Cyrillus in quarto cõtra Iulianum Cæſ & Phurnutus, qui & hæc etiã addit, ἀλαλάξιος καὶ βριήπυος, vel vt aliqui legunt, μυώπιος à voce & ſtrepitu, quo pugnantes in prælio vtuntur. vnde & Marti quidam aſinum iugulant, eadem ratione vociferandi. Orpheus etiam in hymno βροτοκτόνον, id eſt homicidam eadem ratione dixit, ſicuti duo priora. Homerus in Iliad. quo loco Mineruam inducit, quæ manu Martem apprehendens, θοῦρον ἄρη, id eſt impetuoſum Martem inquit: ἄρες ἄρες βροτολοιγὲ, μιαιφόνε, τειχεσιπλῆτα, quod & alibi repetit. & ab vtroq; τειχεσιπλήτης, hoc eſt murorũ quaſſor & impulſor cognominat⁹. item quòd nec vinci nec domari poſſit, ἀδάμαστος: à manuum viribus, καρτερόχειρ: et magno robore, μεγαλοσθενὴς & ὑπερμενέτης: quòd haſta polleat, δορυσθενής.

ῥινότηρος ἄρης ab Heſiodo in Theog. vocatus, hoc eſt pellibus indutus, vel pellitus. ῥινότηρον grammatici ſcribunt βύρσαν φέρειν.

Poſtquàm de Marte & Martis cognominibus pleraq; diximus, nec eius vxorẽ ſilentio prætermittemus. Nerio, ſeu Neriene, Martis coniunx dicta eſt. Plautus in Truculento: Mars peregrè aduenions ſalutat Nerienem vxorem ſuam. Meminit & Martianus. Dictam Nerienem opinantur eruditi, quòd lingua Sabina virtus ac fortitudo ea voce ſignificetur. vnde & Claudia familia Neronis nomen deſumpſit. In comprecationibus deorum immortalium, quæ ritu Romano fiebant, & Nerio & Neriene inuocabatur. Huius etiam deæ Licinius Imbrex mentionem fecit, in Neæra fabula, hoc verſu:

Nolo ego Neæram te vocent, ſed Nerienem.

Item Ennius libro primo Annalium. Gellius libro XIII noct. Atticarum, diſputat an Nerio, an Neriene dicẽdum. Citat illud Varronis ex ſatyra Menippea, σκιαμαχία, vel κριομαχία, id eſt ex vmbratili, vel arietum pugna: Neriene, Mineiua,

Fortuna

Fortuna, ac Ceres. Item ex III. Cn. Gellij Annal. illud, Herſilam, cùm apud T. Tatium verba faceret, pacémq; oraret, ita precatam eſſe: Neria Martis te obſecro pacem dare, vt liceat nuptijs proprijs & proſperis vti; quod de tui coniugis conſilio contigit: & cætera, quæ multa diſputat, de ſyllaba & deriuatione. Martianus verò ita in primo: Certúmq; eſſe Gradiuũ Nerienis Nerinę coniugis amore torreri. Porphyrion quoq; Pompo. in Comment. in Horatium: Maio, inquit, menſe & item Martio religio eſt nubere, quòd in hoc menſe de nuptijs habitũ fuit certamen, & à Minerua Mars victus eſt, & obtenta virginitate Minerua Nerine vel Neriene potius eſt appellata. hæc ferè ille.

BELLONA, ENYO.

Bellona, quæ & ab antiquis Duellona, vt duellum bellum, dicebatur, ſoror, fuit & vxor Martis, vt ait Auguſtinus in Ciuit. dei. Suidas vxorẽ, & Placidus Lactantius: Claudianus poeta, ſororem. Alij ex Enyo & Ioue Martem natum tradunt, vt in Marte traditum eſt. Dea hæc fuiſſe dicitur belli, quæ Marti in bella eunti currũ & equos pararet, vt à Statio in Theb. canitur. Sanè Hyginus in fabulis, Bellonam inueniſſe acum his verbis prodit: Bellone prima acũ reperit, quæ græcè Belone appellatur: hoc eſt, ἡ βελόνη, &c.

Enyo verò à Græcis dicta eſt. Idem Statius:

Tu Martia teſtis Enyo.

Et Martial. in ſecundo de Othonis morte:

Cùm dubitaret adhuc belli ciuilis Enyo. Idem poeta alibi:

Nec te decipiat ratibus naualis Enyo.

Scribit Phurnutus de Enyo, quòd eam aliqui matrẽ, alij vt filiam, plerique vt Martis nutricem dixere: in nullo differentes tamen. nam, inquit, Enyo quaſi immittẽs, vel addens animum & virtutem pugnantibus, id eſt ἐνιεῖσα: vel κατ' εὐφημισμὸν quòd neutiquam οὐκ ἦν καὶ ἐπιεικής, id eſt æqua & mitis ſit. Lycophronis interpres putat Enyo epithetõ fuiſſe Iunonis: alibi tamen Gorgonum ſororem. Heſiodus etiam in Theog. Phorcynos & Cetò filiam prodidit, Græarum ſororem, cæterarúmq; Phorcynidum: quod & interpres notat. Pauſ. ex carmine Homeri putat, Enyo vnà cum Pallade dea bellis præeſſe, & bella ipſa curare. dicta quaſi ἐνιεῖσα, ab immittendo videlicet furorem, robúrq; pugnantibus: vel quòd parum clemẽs ſit. hinc & Enyalius Mars dictus eſt. & vt quidam interpretati ſunt, ἐνυοῦς υἱὸν, id eſt Enyus filium. de Bellona verò Statius in Achilleide,

Ecce nouam Priamo facibus de puppe leuatis,
Fert Bellona nurum.

Idem in ſecundo Thebaid.

Nec magis ardentes Mauors, haſtatáq; pugnæ
Impulerit Bellona tubas.

Huius deæ ſacerdotes, Acron in Horatij comment. appellat Bellonarios. hi ſe ipſi cultris feriebant, & proprio ſanguine numen placabant, furentéſq; vaticinabantur: qua de re Tertullianus Septimius in Apologet. Longius, inquit, excurro, hodie iſtic Bellonæ ſacratus ſanguis de femore proſciſſo in palmulam exceptus, & ſuis datus ſignatis. Lactantius in primo Diuin. inſt. Alia, ait, ſacra Virtutis, quam eandem Bellonam vocant, in quibus ipſi ſacerdotes non alieno, ſed ſuo cruore ſacrificant. ſectis namq; humeris, & vtraq; manu diſtrictos tenentes gladios currunt, & efferuntur, & inſaniunt. Tibullus ſacra hæc ita deſcribit:

Hæc vbi Bellonæ motu eſt agitata, nec acrem
Flammam, non amens verbera torta timet.
Ipſa bipenne ſuos cædit violenta lacertos,
Sanguinéq; effuſo ſpargit inepta deam.

Statíq;

Statq; latus præfixa veru, ſtat ſaucia pectus,
Et canit euentus, quos dea magna mouet.

Scribit & alia pleraq; Apuleius de his fanaticis. Iuuenalis:

Sed vt fanaticus, œſtro
Percuſſus Bellona tuo diuinat, & ingens
Omen habet. Horatius in primo Serm.
Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis. Lucanus in primo:
—Tum quos ſectis Bellona lacertis
Sæua mouet, cecinere deos, etc.

Fingebatur furens dea flagello pugnas concire, eodem ita canente Lucano in ſeptimo:

Sanguineum veluti quatiens Bellona flagellum.

nunc cum face, nunc tuba bellicum canere. Romæ vicus Bellonæ fuit in alta ſemita, hoc eſt, in ſexta vrbis regione, vt P. Victor ſcribit. Bellonæ verò templum in nona regione ante portam Carmentalem fuiſſe, idem eſt auctor: & ante templum columella fuit, quæ bellica dicebatur, ſuper quam haſtam iaciebant bellum indicturi, vt ſcribit Feſtus. Non procul verò fuit à circo maximo. Ouidius in Faſtis:

Hinc ſolet haſta manu belli prænuncia mitti,
In regem & gentes cum placet arma capi. Appius Claudius auctor fuiſſe dicitur huiuſce ædis condendæ. quod & Ouid. oſtendit, canens:

Hac ſacrata die Thuſco Bellona duello
Dicitur, & Latio proſpera ſemper adeſt:
Appius eſt auctor, Pyrrho qui pace negata
Multum animo vidit, lumine cæcus erat.

Bellonæ ædem inter Martis & Apollinis quidam ſtatuunt. nam & extra vrbẽ Victruuius huius deę ædem conſtruendam pręcipit: quod alibi latius dicã. Dabatur etiam ſenatus apud ædem Bellonæ, plerumq; è bello redeuntib. ducibus, & legatis exterarum gentium: quod ex hiſtorijs facilè colligitur, & in primis Liuianis, vt in v. Dec. M. inquit, Pomp. Cos. Romam redijt, ſenatuſq; extemplo ad ædem Bellonę vocatus. Ma quidem Bellona à Carmanis vocabatur, in Antilabano: vt Strabo in xij. libr. ſcribit: vt verò Stephanus, à Lydis hoc nomine Ma Rhea nuncupabatur, vt in Rhea clarius prodidimus.

Threſſa virago ab Auſonio appellata eſt Enyo, vbi de Gratiano Imperatore agitur:

Bella, inquit, *horrida Martis*
Odryſij, Threſſæq; viraginis arma retractat.

Quare his cognominibus Mars & Enyo dicti ſint, in Marte prodidi, quod ſcilicet Thracię populi ſemper bellaces fuerint.

VICTORIA.

Victoriam nos in Martis Syntagmate adiũximus ea ratione, quòd Martem victoria, vt ait Seruius in 12 Aeneid. comitatur, eo loci, quo per hypallagẽ vult à Vergilio dictum:

Sin noſtrum annuerit nobis victoria Martem, id eſt: Mars victoriam annuerit.

Victoria latine, νίκη gręcè, pro dea culta fuit, quam Heſiodus in Theog. Stygis & Pallantis filiam cecinit. Vnde mirum eſt, aliquos Acheronſis illam potius, quàm Pallantis filiam dixiſſe. Scribit Phurnutus, Victoriam πάρεδρον, id eſt aſſiſtricem Mineruæ datam, quæ & in bello contra Gigantes opẽ tulit. Sunt qui tradant, paruulã adhuc Miuernam ab Ioue nutriendã traditã Pallanti Lycaonis filio,

lio, qui eam cum filia educauit: filiam adultam Minerua in deorum numerum retulit. & νίκην, id eſt Victoriam appellauit: ſe verò ab educatore Pallada dici voluit, vt Dionyſius primo Hiſt. lib. ſcribit: licèt diuerſa alibi tradiderim. Colebatur hæc ab antiquis dea, vt pluribus in locis Pauſanias oſtendit, & in primis in Attica. Romæ quoque ædicula fuit Virginis Victoriæ, prope ædem Victoriæ, vt Liuius ſcribit P. Victor in octaua regione: Fori Romani ædes, inquit, Victoriæ, cum alia ædicula Victoriæ Virginis, D. D. a Portio Catone ſeniore fuit. & ędes prope ædiculam, quam L. Poſthumius ędilis curulis ex mulctaticia pecunia faciendam curauit. Cos. verò cum M. Attilio Regulo bello Samnitico dedicauit vt in x. ab vrbe cond. ait T. Liuius: qui & in octauo libr. de ſecundo bello Pun. victorię templum etiam in Palatio fuiſſe oſtendit. In victorię templum Matrem deûm ex Peſiuunte Phrygiæ oppido aduectam, delatam fuiſſe legimus, donec ædes illi precioſis ſtatuis & columnis, cęteriſque ornamentis Romani conſtruxere, in cuius dedicatione ædis Megaleſia celebrata, Liuius, Cicero, alij ſunt auctores. Dionyſius autem Alicarn. victorię templum ab ipſis conſtructum fuiſſe Arcadibus in colle Auentino lib. Antiq. primo prodidit L. Sylla bellis ciuilibus victor deę victorię ludos inſtituit, quod M. Cicero & Aſcon. Pædian. in Verrem ſcribunt. Ita verò ab antiquis Victoria effingebatur, vt in nummis antiquis & marmoribus cernere datur: alata, volans, coronam vel palmã proferens. Sic eam ſuo carmine pingit Prudentius irridens:

Vincendi quæris dominam? ſua dextera cuique eſt,
Et Deus omnipotens, non pexo crine virago,
Non nudo ſuſpenſa pede, ſtrophioque recincta,
Nec tumidas fluitante ſinu veſtita papillas.

Claudianus quoque de laudibus Stiliconis:

Ipſa duci ſacras Victoria panderet alas,
Et palma viridi gaudens, & amicta trophæis,
Cuſtos imperij virgo, quæ ſola mederis
Vulneribus, nullumque doces ſentire laborem:

& reliqua.

Victoriæ ſtatuã in Germania ſcribit Dion. lib. LVI. quæ vergebat ad hoſtes, ſubitò verſam eſſe verſus Italiam. Talem in Iunonis templo in Olympia poſitã, deſcribit Pauſanias. Sed cùm ſuis ſacris literis Aegyptij victoriam pingerent, aquilam formabant, quoniam ea auis cæteras aues ſuperare ſolet. Porrò & eadem à Romanis in primis interdum cum lauro fingebatur: immò & laurus ipſa, vt palma, interdum victoriam apud ſcriptores ſignificat. vnde & literæ laureatæ dictæ, quæ victoriam ſignificãt: ita & faſces laureati. id quod colligimus cùm ex hiſtorijs, tum etiam ex Plinio. hinc & laureola corolla, vel etiam Chriſtianis ſcriptoribus dicta. Marcus Cicero in ſecũdo Epiſt. ad Cœlium: Velles enim, ait, tantummodo vt haberem negotij, quod eſſet ad laureolam ſatis. Idem ad Atticũ lib. 5. Bibulus in Amano cœpit Laureolam in muſtaceo quærere. quæ dicendi figura videtur prouerbij vice prolata. id quod, vt rectè obſeruauit Eraſmus, ſic meo iudicio non rectè expoſuit. non enim de re parua dixiſſet Cicero, quoniam & ſe cum Bibulo taxaſſet, qui in Amano monte caſtra duxiſſet. Quin illud potius intelligi volebat, quòd gloriam quæreret ex re iam confecta. Nam muſtaceum ita à Catone in re ruſtica paratur, vt lauri folia confecto muſtaceo ſupponantur: & ideo qui laurum quærit in muſtaceo, quærit ex eo, quod ei ſubtus eſt, quaſi dicat, ex reliquijs belli à Cicerone in Amano monte confecti, Bibulum triumphum quærere. Hiſtoria eſt notiſſima ex Familiaribus epiſtolis, ad Senatum & Catonem. Cùm eſſem hæc noſtra editurus, allatæ mihi ſunt Epiſtolicæ Cœlij quæſtiones, quas ille Thomæ Calcagnino ſcripſit, in quibus de hoc Ciceronis loco eadem fermè, quę ego prodidi, annotauerat. Sed nos iam ad Victorię cognomina tranſeamus.

Victoriam Orpheus ad muſæum ἡδυέπειαν vocauit, quod ſcilicet ſuauis ſit ſermo, qui de victoria affertur.

ἑτεραλκέα νίκην Homerus nuncupauit, hoc eſt, vtroq; inclinantem. eſt enim dubia victoria. Meminit & Heſychius poſt alios. Lucianus in dialogo Philopatris, plura. hinc Homerus idem alibi, ἀμφήριστον νίκην etiam vocat. i. dubiam & incertã victoriam. Dicitur & eadẽ ratione ἑτεροκλινὴ & ἑτερορρεπής. Trimatius, antiquus poeta latinus, & Auſonius Gallus, præpetem Victoriam dixerunt.

Dum dat vincenti præpes Victoria palmam. Trimatius. Auſonius:

Tu quoq; ab aerio, præpes Victoria lapſu.

ita etiam Drepanus, in panegyrico ad Theodoſium. Alij eadem ratione Volucrem dixere.

Palmaris Victoria videtur cognominari ab Apuleio, libro ſecũdo de Aſino, Atria, inquit, longè pulcherrima, columnis quadrifariam per ſingulos angulos ſtantibus, attollebant ſtatuas Palmaris deæ. Cic. primo de Nat. deorum: Sed illa Palmaris quidem, quod qui non modò natum mundum introduxerit, ſed etiam manu penè factum.

Vitulam deam, Victoriam dici Piſo putauit. cuius rei hoc argumentum protulit, quòd poſtridie nonas Iulias re bene geſta, cum pridie populus à Thuſcis in fugam verſus eſſet, vnde Populifugia dicta ſunt, poſt Victoriam certis ſacrificijs fiebat vitulatio. quidam interpretati ſunt, quòd potens eſſet vitæ tolerandæ. hinc illi pro frugibus ſacra fiebant: quod obſeruat Macrobius. Hyllus in lib. de Deis, Vitulam deam ait, quæ lætitiæ præeſſet: vnde etiam Vitulatio, & vitulari. Varro in lib. Rerum diuinarũ ait, quòd pont. in ſacris quibuſdam vitulari ſoleat, quod græci παιωνίζειν vocant. Titius verò vitulari interpretatus eſt, voce lætari. quidam de hac dea Vergil. intellexiſſe volunt, cùm cecinit:

Cùm faciam vitula pro frugibus, ipſe venito.

Vacuna quoque Victoria à Sabinis appellata, vt Varro in primo Rerum diuinarum ait: & ea maximè eos gaudere, qui ſapientia vincunt. Hinc puto illud eſt Auſonij:

Quas ſi ſolueris ô poeta nugas,
Totam trado tibi ſimul Vacunam.

Variæ ſunt de hac dea apud ſcriptores ſententiæ, quas licet in noſtro de Annis, menſibus & cęteris attulerim, hic tamen etiam repetẽdas duxi. Vacuna dea credita fuit, quæ vacantibus & otioſis præeſſe putabatur: cui, à laboribus cum vacarent agricolæ, poſt perceptos fructus & agrorum cultus, per hyemem ſacra faciebant. Ouid. ſexto Faſt.

Nam quoq; cùm fiunt Antiquæ ſacra Vacunæ,
Ante Vacunales, ſtantq; ſedentq; focos.

Sacra hæc Vacunalia dicebantur, quæ decembri menſi agebantur. meminit & Horatius huius, vt vetuſtę deæ, in Epiſtolis:

Hæc ego dictabam poſt templum putre Vacunæ. quo loco Porphyrion ait: Vacuna apud Sabinos plurimum colitur dea, quę eſt ſub incerta ſpecie formata. quidam Mineruam, alij Dianam putauerunt: nonnulli & Cererem eſſe dixerũt, ſed Varro Victoriam. hæc fermè ille. Virgo Victoria à Romanis culta, à Portio Catone poſita vt ſuprà dixi.

Cœligena Victoria etiam dicta, teſte Varrone de Ling. lat. his verbis: Victoria ab eo quòd ſuperati vincuntur. vtrique teſtis poeſis, quòd & Victoria & Venus dicitur Cœligena. Tellus enim, quòd prima vincta cœlo, Victoria ex eo: & ideo hæc cum corona & palma, quòd corona vinculum capitis, & ipſa à vinctura dicitur. Hęc Varro. Idem primò Rerum diuinarum, Vacunam deam Victoriam exiſtimauit: & ea maximè eos gaudere, qui ſapientia vincunt. idem & Porphyrion, vt modò eſt dictum.

ἄπτερος

ἄπτερος νίκη, etiam, id eſt ſine alis, & implumis ab Athenienſibus formabatur, vt eſt apud Pauſ. in Attica, cuius & ſtatuam aſcribit. Idem in Lacon. ait, Victoriam ideo ἀπτέρους, id eſt implumen eos ſtatuiſſe, ne videlicet ex Athenis euolaret. Ita & Lacædemonij Martem catenatum habebant, ne à ſe ſcilicet abſcederet. ſcribit Heliodorus, ἀπτέρους νίκην dextera malum punicum ſiniſtra Galeam tenere. Conſiderandum tamen, ἄπτερον apud Grecos non implumem modò ſignificare, ſed etiam prepetem, & celerem, quod apud Homerum & Aeſchinum notamus. Nec hoc Heſychium latuit. videtur tamen prior ſententia hoc loco Victoriæ cõuenire. Appellata etiam fuit Victoria, id eſt νίκη, Minerua, vt dictum eſt ſupra.

Naphthe demum ab Aegyptijs Victoria dicebatur, vt Plutarchus docet. repete quæ in Venere diximus.

Incruenta etiam Victoria cognominata, cùm ab alijs ſcriptoribus, tum à Liuio, in ſecundo ab Vrbe condita. Item alibi, nec ſemel. ſic etiam non incruẽta & cruenta dicta.

HERCVLES.

HErculis vitam iuuenis admodum compoſueram, quam adultus non editurus eram. Tunc enim, quæ me ad ſcribendum cauſæ impulerant, eæ duorũ chariſſimorum & illuſtrium amicorum acerbo & immaturo interitu ceſſauerãt: in quorum gratiam, id quicquid eſt laboris ſubiuerã. Verùm inter tot meas, non dico exantlatas ærumnas, ſed in ipſo earum euripo naufragus, & cõpulſus, cùm me Ferrariam quaſi in portũ recepiſſem, à Cœlio Calcagnino, viro doctiſ. & mihi ſingulari beneuolentia à primis vſq; pueritiæ annis iunctiſſimo, itémq; à Muſtio Auguſt. à quib. multis ſum beneficijs affectus, perſuaſus, vt ſcilicet Herculi II. noſtro Principi aliquo me argumento inſinuarem, hanc illi Herculis vitam vt mitterem, effecere: ex qua eius dei cognomina, vt plurimum eduxi, quibuſdam duntaxat additis. Quare ſi parcior ero in eis recenſendis, te ad eam legendã prouoco. Principiò igitur, variæ fuerũt de Hercule opiniones. Quidam plures hoc nomine fuiſſe volunt, duos aliqui, tres nonnulli, alij duodecim: Varro quatuor & quadraginta collegit. Cic. ſex tantum enumerat: Ex Ioue, inquit, & Licyto eſt is Hercules, quem concertauiſſe cum Apolline de tripode accepimus: alter traditur Nilo natus, Aegyptius, quem aiunt Phrygias literas conſcripſiſſe. Tertius, vnus ex Idæis dactylis, cui inferias Cretes afferũt. Quartus Iouis & Aſteriæ, Latonæ ſororis, quem Tyrij maximè colunt, cuius & Carthaginem filiam ferunt. Quintus, in India, qui Belus dicitur. Sextus, ex Alcmena, quem Iupiter tertius genuit. hactenus M. Cicero. Libet hoc loco ex Hygino aſcribere, quod non in Herculis vita poſui, quomodo Hercules genitus. ita enim inquit Hyginus in lib. Fabularum: Amphitryon cum abeſſet ad expugnãdum Oechaliam, Alcumena exiſtimans Iouem coniugem ſuum eſſe, eum thalamis ſuis recepit. Qui cum in thalamos veniſſet, & ei referret quæ in Oechalia geſſiſſet, ea credens coniugem eſſe, cum eo concubuit. qui tam libens cum ea concubuit, vt vnum diem vſurparet, duas noctes congeminaret, ita vt Alcumena tam longam noctem admiraretur. Poſtea cum nunciaretur ei, coniugem victorem adeſſe, minimè curauit, quod putabat ſe coniugem ſuum vidiſſe. qui, cum Amphitryon in regiam intraſſet, & eam videret negligentius ſecuram, mirari cœpit, & queri, quòd ſe aduenientem non excepiſſet. Cui Alcumena reſpondit: Iampridem veniſti, & mecum concubuiſti, & mihi narraſti quæ in Oechalia geſſiſſes. Quæ cum ſigna omnia diceret, ſenſit Amphitryon numen aliquod fuiſſe pro ſe, ex qua die cum ea non concubuit. quę ex Ioue compreſſa peperit Herculem. Hactenus Hyginus: qui et totam ipſius Herculis vitam, & res geſtas octo capitibus in eodem libro eſt complexus. Sed enim priſci viros omnes fortes, ac mõſtrorum domitores, Herculis nomine nuncupauere. Atq; ea de cauſa factum eſt, vt multorum geſta vni Iouis

& Alcmenæ filio adſcripta ſint. Theologorum vetus fuit opinio, per Herculem ſolem ſignificari: vnde & illi duodecim certamina attributa ſunt, quòd videlicet duodecim ſigna Sol toto anno permeat. Alij philoſophum Herculem putauere, & idcirco illi clauam aſſignant, per quam philoſophia ſignificatur: & leonis pellem, per quam prudentia, quibus rebus Hercules animi monſtra edomuit, & cogitationes vanas: quib. de certaminib. ſcripſiſſe Cleantē, ait Phurnutus, nec ideo vbiq; ſenem delirum ac nugacem fuiſſe. Sed libet Dionyſij Alicarnaſſei verba aſcribere: Verior, inquit, de Hercule ſermo talis eſt. Herculem ducem fuiſſe omnium ſuę ętatis optimum, validumq; exercitum habuiſſe, terras omnes inter Oceanum peragraſſe: eos dominatus amouiſſe, ſi qui ſubditis populis grauiter ac tyrannicè imperarent, aut vrbs finitimos iniuria atq; impotentia lædens: aut ſi qui eſſent homines immanes, & hoſpitum cædibus nefarijs gaudentes, in eos regna legitima conſtituiſſe, gubernationésq; moderatas & humanitatis mores, ius deniq; æquabile omnibus inferens, tam græcis quàm barbaris, maritimis & mediterraneis. quin & in deſertis locis vrbes condens, atq; diuertens flumina quæ campos inundarent, in montibus excidens, ſemitas in vijs, & cætera quæ mortalium eſſe vſui arbitratus eſt. Hæc Alinarnaſſeus. Sed quid vetat, quę Aelianus in IIII ſcribit, hoc loco apponere? quæ ſunt de grati animi memoria relatu digna. ita enim prodit: Beneficiorum memor fuit, & gratiam retulit Theſeus Herculi. nam cum ipſum Aidoneus Moloſſorum rex vinxiſſet, quo tempore in gratiam Pirithoi, non vt nuptias pararet, regiam vxorē rapturus, eò ſe contulit: Hercules ad Moloſſos profectus, eum è vinculis liberauit, & propterea ille in honorem Dei aram erexit. Septem illi Thebani duces Pronacti gratiam retulere. cū enim Pronax ipſorum cauſa interijſſet, certamē in eius honorē inſtituere, quod aliqui in honorem Archemori ducis inſtitutum fuiſſe putant. Hercules non oblitus eſt Neſtoreæ liberalitatis. cum enim Neleus detrectaret Herculem expiare, cæteriq; filij præter Neſtorem patri aſſentirentur, ipſe capta vrbe, occiſo Neleo & liberis eius, non ſolum vni pepercit Neſtori ſed etiam paterni regni dominum eſſe voluit. Athenienſes publicè gratiam retulere Herculis poſteritati. nam quòd illorum auus Theſeum beneficio affecerat, propterea Athenienſes ipſos in Peloponneſum reduxere. Hercules remuneratus eſt trecentos & ſexaginta Cleonæos, quorum opera aduerſus Molionidas vſus fuerat, quique præclarè & fortiter ceciderant. nam eis Nemæos honores conceſſit, quibus ipſe à Nemæis propter aprum agrorum vaſtatorem interfectum ornatus fuerat. Atque hæc quidem Aelianus.

Alcides igitur, vt ab hoc incipiā, Hercules cognominatus eſt, ab auo Alceo: ſiue ἀπὸ τῆς ἀλκῆς. i. à fortitudine. Pindarus initio Alcidē nominatū. poſtea Herculem dicit, ab ἥρα, quā Iunonē dicimus: quod eius imperijs opinionē famámq; virtutis ſit conſecutus. Proclus in Plat. Cratylo, Herculē ait Alcidē prius appellatū, à mortalib. parentib. Pythia verò ἡρακλέα vocauit, propter gloriā quā adeptus eſſet, & diuinitatē ex Iunonis affinitate & cognatione. Phornutus verò ſeu Cornutus, Herculem innuit vocatū, φ τοὺς ἥρωας κλεΐζεται. i. φ heroas gloria afficiat. ſiquidem Herculem, rationē eſſe ait, quæ in vniuerſis exiſtat, per quam natura fortis ac robuſta ſit. Inuictus & ἀπεριγένητος. i. inſuperàbilis, tribuens robur, & per partes fortitudinem Antiqui enim heroas vocabant, & corpore & animo fortes ac viriles, & propterea diuini generis participes: & cæ. quæ ille ſcribit. Sed hūc tantum deum, & tam celebrē, audi quo pacto irriſus ſit à Diagora, illo (vt puto) Melio. Is enim. cùm Herculem ligneū in penuria lignorū exuſtur⁹ eſſet, ad illum per ludibrium dicebat: Age ô Hercules, terciumdecimum laborē ſubiturus tibi adeſto, obſonium nobis cocturus, & ſanè acceptum illum in ſcandulas diffidit, deū irridens atheus, & cibaria excoxit. hoc quidem cùm alij, tum Epiphanius, vir & ſanctus & doctus. In huius dei tutela eſt populus arbor. Phyſici enim Herculem tempus dicunt interpretantes: ideo populum ei aſſignari ἀλληγορικῶς, quia bicolor ſit.

lor ſit,& ſic partes temporis accipere poſſumus id eſt diei et noctis. Hęc Probus in comment. Vergilianis. Rerum tamen ſacrarum periti tradunt, in ſacro quod Herculi fiebat, ad aram max. in foro Boario, laurea coronatos id perficere: cùm tamen ita canat in octauo poeta,

—Herculea cum populus umbra,
Velauitq; comas, folijsq; innexa pependit. & paulò poſt:
Tum Salij ad cantus, incenſa altaria circum
Populeis adſunt euincti tempora ramis. id quod Macr. in Satur. 3. declarat.

Tirynthius Hercules nnncupatus, quod in Tiryntha vrbe ſit enutritus. τίρυνς Peloponeſi vrbs, dicta à Tirynthe filia Alò: quæ etiam Amphitryonis ſoror dicta fuit, vt ſcribit Stephanus. Thebanus etiã Hercules dictus, vt Arnobius ſcribit, & in Oetæo dictum eſt.

Amphitryoniades Hercules dictus, quòd exiſtimatus ſit Amphitryonis filius. Propertius:

Amphitryoniades qua tempeſtate iuuencos
Egerat à ſtabulis ô Erithyia tuis. & præterea Catullus, Falſiparens dixit:
Auſus Falſiparens Amphitryoniades.

Cynoſarges Hercules cognominatus, vt meminit Herodotus, & Plut. quo de nomine licet in Hercule ſcripſerim, hoc tamen loco plura congeremus. Scribit in primis Suidas, quod Cynoſarges locus fuit Athenis, hac de cauſa Herculi cõſecratus: Didymus Athenienſis, vel Diomus, vt Stephanus & Heſychius vocãt, ad focum immolabat: cuius abreptã hoſtiam canis albus, qui forte ibi aderat, in quendam locũ attulit. cuius rei cauſa cũ ingenti eſſet terrore affectus, deus illi reſponſum dedit, oportere vt Herculi ibi arã erigeret, vbi canis victimã depoſuerat. qua re factum eſt, vt à cane alba, vel veloce, vt ait Heſychius, locus Cynoſarges appellaret. quo loco nothi, quicq; tam ex patre, quàm ex matre ciues non eſſent, ſe propterea exercebant, quòd Hercules & ipſe nothus extiterit. Plato nõ à cane alba, ſed à Cynoſargo quopiã, Cynoſargen dictã ait. & inde quoq; adagiũ deductum eſt, ἴθι εἰς κυνοσάργες, in infames atq; ignobiles. plura de prouerbio Eraſ. De Cynoſarges templo, & Pauſ. in Attica, & Heſychius.

Buraicus Hercules cognominatus ab Achaiæ vrbe Bura, vbi & ſpecus, & fluuius eodem nomine extitere. quo in loco tabella, & talis ſeu taxillis vaticinia dabantur. Nam qui deũ conſulebant, primum ante ſimulachrum dei preces effundebant: deinde quatuor talos, qui multi erant apud deum, ſuper menſam iaciebant. in ſingulis autem talis, figuræ notatæ inerant. in tabella verò figurarum interpretationes inueniebantur, itaq; vaticinium habebatur.

Thaſius Hercules etiã dictus, vt Herodotus ſcribit, eumq; multa veneratione coluerunt. Legimus etiam eundẽ ab ipſis appellatũ Seruatorem, hoc eſt σωτῆρα ἡρακλέα. quin & eius nomine publicã monetã inſcribebant, ἡρακλέυς σωτῆρος θασίων: cuiuſmodi ſe vidiſſe teſtatur Rheuclinus. Herculis Thaſij ſimulachrum ſcribit Pauſ. in Eliacis, multáq; de eo commemorat, quæ ego in pręſentia prætermitto. vnum illud tantum affero: Dedicarunt, inquit, & Thaſij, qui è Tyro, & reliqua Phœnice oriundi, ad Europam quærendam cum Thaſo Agenoris filio claſſe profecti ſunt, Herculem in Olympia æneum, ſuper ænea baſi: eius magnitudo eſt cubitũm X. dextera clauam, arcum læua tenet.

Chon Hercules Aegyptiorum lingua nuncupatus, qui cum Oſiride Italiã liberauit à tyrannide, & ab hoc Chone Hercule Aegyptio Italiam antiquitus vocatam prodidit Antiochus Xenophanis, & Chones Italiæ populos, & Chonem vrbem, cuius & Strabo meminit, & Stephanus.

Tyrius appellatus à Tyro Phœniciæ vrbe illuſtri. huius ſcriptores multa tradidere, & præcipuè qui Alexandri geſta perſcripſere, Q. Curtius, Arrianus: qui in ſecũdo notatu digna multa de Tyrio, Aegyptio, & Argiuo Hercule notauit.

Herculis ex Tyro ſimulachrum ſua ſponte rate delatum ferunt ad promontorium quoddam, inter Chios & Erethrios, & vtriq; ad ſe illud trahere certabāt. id fruſtra tentatum, nam dimoueri inde non poterat, donec Phormio ſenex piſcator cæcus factus eſt morbo: qui nocturno viſo monitus, iuſſit mulieres comas incidere, & exinde funem conficere: ſic fore, vt nauis ſequeretur. nobiles mulieres id facere abnuerunt. Threſſæ quædam libertæ paruerunt, & ex capillis contorta reſte, nauis ad Erethrienſium vſque vrbem ſecuta eſt, & viſus etiam Phormioni reſtitutus. quare deinceps ſimulachrum ſumma veneratione totius Græciæ & Ioniæ cultum eſt: & ei templum, quod ſolis Threſſis ingredi fas fuit, conditum eſt, & conſecratum.

Dorſanes Hercules ab Indis, & Gigantis nomine appellatus, vt Megaſthenes tradit, & Arrianus, item Heſychius. eoſdē & Belum appellaſſe, teſtis eſt Cic. Verùm de Belo in Ioue plura diximus.

Ogmion Hercules à Celtis dictus, vt Lucianus lepidiſſimo libello oſtendit. eum enim eloquentiæ ac prudentiæ deum exiſtimabant, itaque effingebant: ſenem penè decrepitum, caluum, paucis capillis, coloratum, fuſcúmve & rugóſum, quales videlicet ſeniores nautæ marini: leonina pelle indutum, cum rhopalo, id eſt claua dextra, ſiniſtra arcum tenentem, pharetra ex humeris dependente: catenulis verò ex auro & electro admodum tenuibus, linguæ ſuæ extremitate perforata inſertis, maximam hominum multitudinem, non inuitam, ſed ſponte ſequentem, auribus alligatis trahentem. hac Galli effigie, & hoc nomine ſuum Herculem coluere.

Prodicius Hercules in Officijs cógnominatus à M. Tullio, ea ſcilicet ratione, quòd Prodicus Ceus ſophiſta antiquus, primus induxit ſuis ſcriptis, Voluptatem, vel (vt alijs placet) Vitium & Virtutem, in ſolitudine Herculi adhuc puero apparuiſſe, vt vtram vellet ſibi comitem vitæ aſſumeret. hæc turpi & deformi erat habitu, ſed genuino ac natiuo decore pulchra: illa ornatiſſimis veſtib. ac calceis induta. nihilominus ille Herculem dixit Voluptati Virtutem antepoſuiſſe. hinc ergo Prodicius Hercules: tametſi & pòſt idem plures ſcripſere, inter quos Xenophon, apis illa Attica, & Lemnius Philoſtratus.

Gylius Hercules cognominatus, quod Gylion pleriq; grecorū interpretantur leonem, vel ſuē. alij chœrogryllum. i. porcum ſpinū: alij veſtis genus. Sunt & qui τὸν γύλιον peræ genus ſcribant militare, & vaſculū oblongū, in acutum deſinens, aptum militiæ, ad ſeruandos cibos. vnde γυλιαύχην is dicitur, qui collo eſt gracili & prælongo. Sed de Gyliauchene alibi dixi copioſius, & de Galeācone ex Hippocrate & Galeno & Plut. in Mercurio dictum. Porrò de Gylio, in Poetarū hiſtoria plura attulimus, in Carcini vita, ex Suida & Heſychio, alijsq;. Idæus Hercules cognominatus, ab Idæis dactylis, inter quos primus fuit. quinq; verò fuere, quorum hæc ſunt nomina: Hercules, Pæon, Epimedes, Iaſius, & Idas, fratres. Hic ergo Hercules, longe Amphitryonide antiquior: hic Olympij certaminis auctor. nam ex Ida in montem Olympum aufugiſſe traduntur, qua de re Pindari expoſitores multa.

Παραστάτης. i. adiutor, & præpoſitus Hercules nuncupatus, qui & προστάτης dicitur. huic Clymenus Cardis filius ab Hercule oriundus, ex Creta veniens, certamen inſtaurauit Olympicum, quinquageſimo poſt cataclyſmum Deucalionis anno: arámq; ſtatuit, & Paraſtatæ nomine appellauit, quòd poſt Pelopen Amphitryoni aſtitiſſet. Vide in Eliacis apud Pauſ.

Melius Hercules cognominatus, cuius variæ feruntur opiniones, quidam à pomis exiſtimant. alij ab ouibus, cum μῆλα vtrunq; ſignificet. alij longè diuerſa prodidere. Sunt qui bouē tradant, cum Herculi eſſet immolādus, aufugiſſe: cum verò nihil eſſet quo res ſacra deo fieret, malum, quatuor ſuppoſitis ramis pro pedibus, & duob. pro cornib. in bouis formam, Herculi in ſacrificium oblatum eſt. Vnde in tenues & frugales, qui nomen quidē magnificū gerūt, ſed nullis pollēt

opibus,

opibus, adagium factū eſt, Melius Hercules. Dicit̃ & Malum Herculis, vt ex Apollodoro Zenobius prodidit. Iulius autem Pollux, rem ita enarrat. ait enim in Bœotia de mali fructibus diuinam rem fieri, idq́ ea cauſa contigiſſe, quòd cū forte fortuna aries deo ſacrandus adduceretur, Aſopus fluuius adeò excreuit, vt adduci non poſſet, tū qui ſacra procurabant, malum maturū & pulchrum pro ariete accipientes, cui pro pedib. quatuor feſtucas, & pro cornib. duas affixerūt: atq́ eo modo rem ſacram perfeciſſe. proinde apud Thebanos & Bœotios moris id permanſit: vnde eſt μῆλων, ἢ μήλιος ἡρακλῆς. Sed & μηλοφόρος dicitur apud Heſychiū, id eſt Pomarius. Victor Hercules cognominatus, Vergilius,

Hæc limina, inquit, *victor Alcides ſubijt.* quod nomen licet ab eius crebris victorijs deduci poſſit, & (vt ait Varro) quòd omne animaliū genus vicerit: nihilominus tamen in ſomnium refertur. Cum enim M. Octauius Herennius mercaturam exerceret, idq́ illi pro animi ſententia ſuccederet, decimam Herculi nō dedit. Accidit autem, cum nauigaret, vt à prædonib. circūueniretur. ille, vt erat animo intrepido & forti, ſtrenuè ac animoſe pugnauit, atq́ ita piratarum manus euaſit. inſequenti verò nocte, ei viſus eſt adeſſe Hercules, in ſomnis, qui illū moneret, eum ſeruatum fuiſſe ſua ope: quamobrem Octauius tanti beneficij haud immemor, area impetrata à magiſtratib. Herculi Victori ædem poſuit, appoſita in rei teſtimonium & monumentū ſtatua, cum inſcriptione. Quidā Victorē Herculem poſitū ab Euādro tradunt in foro Boario, qui & triūphalis diceret̃, cuius & infrà meminim⁹. P. verò Victor: Aedes, inquit, Herculis Victoris duæ, altera ad portam trigeminam, altera in foro Boario, cognomine rotunda & parua. Extat & adhuc antiqua inſcriptio Aquini, HERCVLI VIATORI.

Inuictus etiam Hercules dictus, & pollens, vt antiquorum pleræq́ habent inſcriptiones. Varro ſic dictum putat, quòd animaliū omne genus vicerit, vt modò dicebam: Lucretius, quòd omnia monſtra animi.

Index Hercules etiam cognominatus eſt, cuius fanum ab Areopagitis conſtructum fuit hac ratione, quæ & ipſa in ſomnium refertur. Ferunt enim Sophoclem poetam ſomniaſſe, ſe videre Herculem, ſibi prodentem, qui nam graue auream pateram ex æde ſurripuiſſet. quod vbi compertum, Indicis Herculis & nomen & templum eſt conſtitutum.

Dexter etiam Hercules cognominatus, & Amicus, hoc eſt propitius & fauens: idq́ ſumptum, quòd Deus lucri Hercules ab antiquis creditus ſit, vt Probus Cornutus in Perſium oſtendit, in eo carmine:

O ſi Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria dextro Hercule.

Horat. verò lib. II. Sermonum ita inquit:

Illum ipſum mercatus arauit diues amico Hercule.

Ea autem ratione his cognominibus appellatus eſt, ex fabula cuiuſdam mercenarij coloni, qui aſſiduè Herculem deprecabatur (vt eſt à Porphyrione proditū) vt ſibi aliquid boni præſtaret. Hunc verò Hercules in ſomnis ad Mercurium duxiſſe viſus eſt, qui occultum obſeratúmq́ theſaurum oſtendit: quo effoſſo, ille illum ipſum agrum mercatus eſt, in quo mercenariam operam faciebat. Horat. ita rem explicat, his verbis:

Vt illi Theſauro inuento, qui mercenarius agrum
Illum ipſum mercatus arauit diues amico Hercule.

Quin & idem Hercules Incubo nūcupatus eſt, ſi eidem Pnrphyrioni ſtamus: quod ſcilicet theſauris incubaret. Sed & Hercules à Vergilio & Propertio Dexter alia ratione vocatus eſt, vt alibi oſtendi.

καλλίνικος θεὸς Hercules nūcupatus, hoc eſt honeſtus & pulcher victor, de quo Artemidorus libro ſecundo Onirocriticon. Nam, inquit, Hercules cùm inter mortales eſſet, affectis iniuria defenſor fuit, ac vindex: ijs verò qui præter leges viuerent, aliíſque iniurias inferrent, & iniqua agerent, iniquus fuit deus, ac ma-

lus. atque adeò hac ratione bonus eſt ijs, qui certamen ineunt, vel iudicium, vel pugnam. hinc & καλλίνικος θεὸς vocatus eſt, apud Pindarum quoque in Olymp. celebratum eſt illud Archilochi carmen, χαῖρε καλλίνικε τήνελλα ἄναξ ἡρακλῆς. cuius verſus in hiſtoria Archilochi in Poetis lyricis meminimus. lege & Pindari commentaria. Eſt verò & Callinici mentio apud Diog. Laertium, in vita Diogenis.

Ipoctoni nomine Hercules colitur ab Erythræis, à beſtiola vineis infeſtiſſima denominatus, quam illi Ipon vocant: ꝙ eos ab hoc beſtiolę genere liberauit.

Conopionis itē nomine Hercules vocitatus, quod Oetæos à culicibus, quos illi Conopas appellant, tutatus eſt. Reperias aliquos, qui Cornopiona, non Conopiona legant: quod ſcilicet Cornopas fugarit, hoc eſt locuſtas, quas illi etiam παρνόπας, vel ἀκρίδας vocant.

Canopius Hercules, & Aegyptius cognominatus, ad differentiam Thebani. Nota eſt hiſtoria Xenocleæ, quæ apud Delphos vates reſpōſa daret, Herculi nol uerit vaticinari, Iphiti cæde polluto. quare iratus Hercules, è fano tripodem aſportauit. Xenocleam dixiſſe ferunt: Alius vtiꝗ Hercules Tirynthius, quàm Canopius. nam & Aegyptium alium, quàm Thebanum, ferunt: de quo Pomp. Mela lib. 3. de Gadium promontorijs duobus agens. In altero, inquit, templū Aegyptij Herculis, conditoribus, religione, vetuſtate, opibus illuſtre. Tyrij cōdidere. Cur ſanctum ſit, oſſa eius ibi ſita efficiunt. Annorum, queis manet numerus, ab Iliaca tempeſtate principia ſunt: opes tempus aluit.

Herculem Aegyptium vnum fuiſſe ex VIII deis Aegyptij aſſerunt, qui priores fuerunt XII deis. Vide Herod. in ſecundo. Aegyptij etiam Herculis mentio eſt apud Arrianum lib. de hiſt. Alexandri ſecundo.

Polyphagus, & Addephagus, item Buphagus, & Buthinas Hercules cognominatus eſt, quòd multi cibi eſſet. item Philopotis, quòd multum biberet. Orpheus quoque inté r reliqua in eius hymno cognomina, Pamphagum vocat. de Addephago in noſtris Nauigijs diximus. quin etiam legimus Herculem integrum Thiodamantis bouem comediſſe: hinc Buthinas, παρὰ τὸ βοῦς καὶ θοινᾶν, quòd boues comederet. Sed rectius βουθοίνης ſcribitur: quippe θοίνη, conuiuium & θοινάω conuiuor ſignificat. Sed & illi fulicam, ſeu giauiam attribuit antiquitas, propter voracitatem: & ſcyphum eidem dicarunt, propter potum. Sed hac de re in Hercule plura diximus.

Lacertoſus etiam Hercules cognominatus, à robore videlicet, & lacertorum toris, vt in noſtro Hercule docuimus. hinc in poematis Priapeiorum:

Phœbus comoſus, Hercules lacertoſus.

Lindius Hercules, vel βούζυγος cognominatus ea ratione, ꝙ Hercules aliquādo boues Lindio Thiodamanti ſurripuit, quorum vnum tantū iugulaſſe ſcribit Philoſtratus: eúmꝗ adeò integrè voraſſe, vt ne quidem oſſa ſuperfuerint. Interea Thiodamas Herculi conuiciabatur. verùm mox cognito Hercule, Lindij ei arā ſtatuerunt: quā ex re βουζύγοις appellauere, ſacraꝗ Lindia, quæ conuicijs ac maledictis celebrabantur. vnde prouerbium emanauit.

Muſagetes Hercules, ſeorſum ab Apolline etiam appellatus, quo de nomine in oratione incerti auctoris de inſtaurandis ſcholis (quæ tamen Eumenij oratoris fuiſſe, ex ipſa oratione colligitur) hanc hiſtoriam legimus. Aedē, inquit, Herculis Muſarum in circo Flaminio Fuluius ille Nobilior ex pecunia cenſoria fecit, non id modò ſecutus, quòd ipſe literis & ſumma poetæ amicitia duceretur: ſed in Gręcia cùm eſſet imperator, acceperat Herculem Muſageten eſſe: hoc eſt, comitem ducémque Muſarum. Idémque primus nouem ſigna, id eſt omnium Camœnarum, quæ ex Ambracienſi oppido tranſlata ſunt, ſub tutela fortiſſimi numinis conſecrauit, vt res quæ à mutuis operibus & præmijs iuuari onerariꝗ deberent, Muſarum quies defenſione Herculis, & virtus Herculis voce Muſarum. & huſcuſꝗ ille.

Melampygos Hercules cognominatus, hoc eſt, vt quibuſdam arridere video, Clunia-

Cluniater. id verò ei cognomen inditum, ex tali fabula. Paſſalus & Alcmon, ſeu Alcimon, fratres fuere, Memnonis filij, omni ſcelere inquinati, quib. olim mater prædixerat, vt à Nigrinate cauerent. illi nil magis ab inſtituto deſtiterũt. accidit cum forte Hercules ſub arbore feſſus recubaret, vt hi fratres Herculi inſidias tenderent. q̃ præſentiens Hercules, viuos ambos cæpit, per pedéſq; ligatos, à tergo ſuſpenſos claua geſtabat. qui demiſſis capitib. cũ Herculis nigras nates videret, maternæ monitionis memores, inter ſe tacitè ſubmurmurabant. quos audiens Hercules, re intellecta, eo fertur cognomine vſq; adeo delectatus, vt ſtatim vinculis ſolutos impunè abire permiſerit. locus etiam vbi id contigit, Melampygos vocatus. Cætera in noſtro videnda Hercule: nam de his fratribus variæ leguntur opiniones. Monœcus Hercules ipſe, & portus etiam nuncupatus, in ora Liguſtica. Sic μόνοικος verò dict⁹, vt Seruius ait, quòd ibi fugatis cæteris omnib. ſolus habitauerit: vel quòd ſolus ipſe in Herculis templo coleretur, nec aliquis deorũ ſimul. meminit Strabo. Vergilius:

Aggeribus ſocer Alpinis atq; arce Monœci.

Triumphalis Hercules etiã cognominatus, qui in foro Boario poſitus, vt creditur, ab Euandro, qui per triumphos triumphali habitu induebatur, quib. Romæ triumphus agebatur.

Aſtrologus Hercules eſt dictus, ait Feſtus, quòd eo die ſe flammis iniecit, quo futura erat ſolis obſcuratio.

Cuſtos Hercules nuncupatus. Ouidius in Faſtis,

Altera pars circi cuſtode ſub Hercule tuta eſt,
Quod deus Euboico carmine munus habet.

Nam Syllã ferunt eã poſuiſſe ex carmine Sibyllino. Meminit P. Victor in nona vrbis regione, quę erat circus Flaminius: Aedes, inquit, Herculi magno cuſtodi circi Flaminij. Sãctus Hercules dictus à Sabinis. Aelius apud Varronẽ hunc eſſe Sanctum ait à Sabina lingua, Herculem à Gręca. hinc Propertius:

Sancte pater ſalue, cui iam fauet aſpera Iuno,
Sancte velis libro dexter ineſſe meo.
Hunc quoniam manibus purgatum ſanxerat orbem,
Sic ſanctum Taciæ compoſuere Cures. Virgil. de eodem:
——Et læti pars Sanctum voce canebant,
Auctorem gentis. Ouidius in Faſt.
Quærebam, nonas Sancto, Fidióne referrem,
An tibi Semipater. tunc mihi Sanctus ait:
Cuicunq; ex illis dederis, ego munus habebo:
Nomina terna fero, ſic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini,
Inq; Quirinali conſtituere iugo. Plut. in cauſis: Quid eſt, inquit, quod ſponſam Rom. introducentes, iubent dicere, Vbi tu Caius, ego Caia. poſt priorẽ expoſitionem, An magis (inquit) propter Caiam Ceciliam, honeſtã ſanè mulierẽ, ac bonam, vni ex Tarquinij liberis collocatam, cuius in Sãcti, id eſt σάγκτυ templo ſtatua ex ære poſita eſt. Inerant iam pridem & ſandalia, & colus, pudicitię et induſtriæ ſuæ certa monumenta. Scribit etiam Feſt. Pomp. Mediusfidius eſſe cõpoſitum & ſignificare Iouis filium Herculẽ, quia Iouem Græci Δία dicunt, nos Fidium pro filio. nam priſci ſæpe d litera pro l vtebantur. Varronis verba hæc ſunt: Vnde, inquit, ſub dio, Dius fidius, itaq; inde eius tectum perforatum, vt videatur diuum, id eſt cœlum. Quidam negant ſub tecto per hunc deierare oportere. Aelius Dium fidium dicebat, Dij Iouis filium, vt Græci Διόσκουρον Caſtorem: & putabat hunc eſſe Sanctum à Sabina lingua, Herculem à Græca. Sanè Sanctũ pro propitio, antiquos poſuiſſe videmus. Tibullus de Iunone: At tu ſancta faue. Catullus de Cupidine:

Sancte puer, curis hominum qui gaudia miſces. Idem de Venere:

Quem neq; ſancta Venus. Tibul. item de Genio:

Tunc precor infidos Sancte relinque focos. Porrò Sanctum quidam Piſtium apud Alicarna. Dionyſ. putauere, qua de re ego in Sango plura, & in Piſtio Ioue: vbi etiam de Fidio opinionem meam recenſui. Extat digna vt èxſcribatur Epigraphe, quæ hæc Herculis cognomina continet, quæ & græcè & latinè legitur. eſt autem huiuſmodi:

HERCVLI PACIFERO INVICTO SANCTO SACR. VOTO SVSCEPTO L. CORNELIVS L. F. PAL. TERENTIANVS ET LEMNIVS LIBERTVS FECERVNT. Græca verò hæc eſt:

ΕΥΧΗ ΗΡΑΚΛΕΙ ΘΑΛΛΟΦΟΡΩ ΙΕΡΩ ΕΥΑΓΕΕΣΤΑΤΩ Λ. ΚΟΡΝΗΛΙΟΣ Λ. ΚΟΡΝΗΛΙΟΥ ΥΙΟΣ ΠΑΛ. ΤΕΡΕΝΤΙΑΝΟΣ ΚΑΙ ΛΗΜΝΙΟΣ ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΣ ΕΠΟΙΗΣΑΝ

Quo in loco illud obſeruandum eſt, θαλλοφόρος poſitum pro pacifero, à ramo videlicet oliuæ, quod pacis ſymbolum eſt.

Briarei etiam nomine quidam Herculem appellauere, quod Pindari inter alios interpretes obſeruant: vnde & Herculis columnæ, Briarei ab aliquib. dictæ ſunt, vt in Herculis vita ſcripſimus.

Sardus etiam, qui filius dictus eſt Herculis, Hercules eſt appellatus: de qua re Pauſanias in vltimo, vbi de Sardinia loquitur, ſic ait: Primi in Sardiniam tranſmigraſſe nauibus Libyes dicuntur, duce Sardo Maceridis filio, cui & apud Aegyptios & Libyas Herculis cognomen fuit. Sardus igitur, quæ Ichnuſa inſula prius vocabatur, de ſuo nomine Sardiniam appellauit, vt apud authores res eſt notiſſima.

Hippodotes Hercules cognominatus, vt ſcribit Pauſ. cui templum Bœotij conſtruxere, ea ſcilicet ratione, quòd cùm Orchomenij aliquando vſq; ad eũ locum veniſſent, Hercules noctu equos, qui ad eorum currus erant iuncti, colligauit: vnde & cognomẽtum deductum. Heſychius: Hippodotes, inquit, Hercules in Oncheſto cultus: vel vt alij putant, Thebis.

Rhinocoluſtes Hercules à Thebanis dictus hac cauſa. Cùm ab Orchomenijs pręcones veniſſent ad exactionem quampiam, ijs Hercules nares abſcidit, à qua re illi nomen inditum eſt.

Manticlus Hercules vocatus, de quo ſic in Meſſen. apud Pauſ. legimus: μάντικλος, inquit, templum Meſſenijs fecit Herculis, quod extra muros fuit, nuncupatum ἡρακλῆς μάντικλος, quemadmodum Hammon in Libya, & in Babylone Belus. hic enim ab homine Aegyptio Belo, Libyæ filio, nomen habuit: Hammon verò, à paſtore.

πρόμαχος, id eſt propugnator Hercules, à Thebanis cult9, vt Pauſ. docet, cuius ſimulachrum effecere Xenocritus & Eubius, Thebani artifices, ex cãdidiſſimo marmore. Poſitum verò fuit in Amphitryonis ædibus. hoc eodem cognomine à Tanagræis Mercurius cultus, vt in eo dictum eſt.

Alexicacos verò Hercules, hoc eſt expellens mala, vt interpretatur Macrobius, poſt Apollinem etiam dictus. de hoc ita Lactantius lib. x. Diuin. inſtit. contra Hieroclem, vt puto, de Apollonio loquens: Stultũ eſt igitur, id putare Apollonium noluiſſe, quod optaret vtiq; ſi poſſet: quia nemo eſt qui immortalitatem recuſet, & maximè cùm eum dicas & adoratum eſſe à quibuſdam, ſicut deum, & ſimulachrum eius ſub Herculis Alexicaci nomine conſtitutum, ab Epheſijs etiã nũc honorari. Sed & Herculis Alexicaci Heſychius meminit, qui in Melita coleretur, vnde etiam μελίτης vocabatur. Hic plura attuli, quoniam eius tantum in Herculis vita memineram.

Ceramynthes etiam Hercules cognominatus, quaſi fata reijciens, vt idem ſit fermè cum Alexicaco. Palæmon quoq; Heſychio autore, Hercules appellatus,

quia in

quia in Olympijs cum Ioue obluctatus eſt.

μηνυτὴς ἡρακλῆς eodem auctore Athenis dictus fuit, Menytes.

Sandes Hercules vocatus eſt à Perſis, vt ſcribit Agathius II. hiſtoriarum lib. ex Athenoclis & Beroſi ſententia.

Oliuarius etiam Hercules cognominatus Romæ, cuius P. Victor in vndecima vrbis regione meminit. eum enim non longè ab ara maxima & Portuni æde commemorat.

Charops, & Charopos (vtrunque enim dicimus) Hercules cognominatus fuit, quòd truci ac minaci horrendóque fuerit aſpectu, quaſi dicas iracundè intuens. nam χάρα aliquando iram ſignificat: vnde & leonem Ariſtoteles Charopon appellauit. id pluribus in editione noſtri Herculis ſecunda diximus.

χαλκεοκάρδιος ἡρακλῆς à Theo. vocatus. 13. Edyll. quaſi precordia haberet & cor æneum. ab eodē poëta ταυροφόνος. i. Tauricida cognominatus eſt. Edyll. xvij.

μάλικα Herculem appellaſſe Amathuſios, teſtis eſt Heſychius.

τριέσπερος λέων, id eſt, Triueſper leo cognominat⁹ eſt Hercules, à Lycophrone in Alex. ſi Iſaacio credimus. Nota eſt fabula trinoctij concubitus Iouis & Alcmenæ, vel ex Plauto. Lucianus, vt ſolet facetè, ſi non potius ridens ſuos deos, eodem cognomine vocauit. Triueſperum etiam dicitur à Gregor. Nazian. in libro contra Iulianum.

ἐριδανάτας ἡρακλῆς à Tarentinis celebrabatur. vt notat Heſychius putauerim ipſe à contentionib. & rixis compeſcendis dictum.

Clauiger Hercules à noſtris dictus à claua gerenda, Ouidio & alijs: quo eodē nomine à claue nuncupatus eſt Ianus, vt in Iano dictum. Ropalos à Græcis, vt in eius vita oſtendimus, claua dicitur. Orpheus verò in hymno, κλάδοις ἐν χερσὶ πάλλοις, id eſt ramum in manibus vibrans dixit.

Melchratus Hercules nominatus à Phœnicibus proprio nomine. nam vt Philo & Euſebius ex Sachoniathone Byblio prodiderunt, Demaroon accepta vxore à Saturno genuit Melchratum, qui & Hercules vocatus eſt.

Oetæus quoque Deus Hercules cognominatus, ab Oeta monte, vbi ſe hominem incendio exuit, qua de re leguntur tragœdiæ. vnde eſt illud: Troia bis Oetæi numine capta dei: quod eſt à Propertio dictum. Arnobius lib. 1. aduerſus gētes: Thebanus, inquit, aut Tyrius Hercules, hic in finibus ſepultus Hiſpaniæ, flāmis alter concrematus Oetæis. Idem in quarto: Cheronæus inquit Plut. qui in Oetæis verticibus Herculem poſt morborum comitialium ruinas diſſolutum in cinerem prodidit. Sunt & illa, quæ in noſtro Hercule legas: Choſinidetes, Phyllites, & Olympius: item Maciſtus Hercules, cuius templum cōmemorat Strab. lib. 8. inter Alpheum & Chelonatan. Stephanus Maciſtum vrbem eſſe Triphyliæ ſcribit, à Maciſtro fratre Phryxi denominatam.

Polyphron præterea Hercules à Theocrito cognominatus, id eſt valde prudens, in eo Edyllio quod Hercules leonicida, id eſt λεοντοφόνος inſcribitur, quod ſine principio legitur, ζῶ δ' υἱός τι, βίητι πολύφρονος ἡρακλῆος:

Filius huic vna atque Polyphronis Alcidæ vis.

Gaditanus Hercules cognominatus, cuius non inerudita deſcriptio & tēpli et ſacri legitur apud Siliū Italicum lib. Punicorum tertio, quò deuicta Sagūto Annibalem ſcitatum oracula iuiſſe deſcribit, & munera attuliſſe. ita enim canit:

Vulgatum, nec caſſa fides, ab origine fani
Impoſitas durare trabes, ſolaſque per æuum
Condentum nouiſſe manus, hinc credere gaudent
Conſediſſe deum, ſeniumque repellere templis:
Tum queis fas & honos adyti penetralia noſſe,
Fœmineos prohibent greſſus, ac limine curant
Setigeros arcere ſues, nec diſcolor vlli

Ante

Ante aras cultus, velantur corpora lino,
Et Peluſiaco præfulget ſtamine vertex
Diſcinctus, mos thura dare, atq; è lege parentum
Sacrificam lato veſtem diſtinguere clauo:
Pes nudus, tonſæq; comæ, caſtumq; cubile
Irreſtincta focis ſeruant altaria flammæ,
Sed nulla effigies, ſimulachráve nota deorum.

atque hactenus poeta Silius, qui & ærumnas & labores Herculis ibidem pauciſſ. verbis deſcribit.

Nemeæus etiam Hercules nuncupatus. Sed ne te in re notiſſima detineam, Tertulliani tantummodo ex lib. de Coronis verba afferam: Hoc enim, inquit, ſupereſt, vt Olympius Iupiter, & Nemeæus Hercules coronentur: & cætera, quæ de aliorum deorum coronis ridet Chriſtianus eruditus ſcriptor.

Sunt & alia Herculis nomina, & cognomina, in hymno Orphei, quę latinam interpretationem difficillimè admittant, & ſoli conueniant. vt illa:

ὃς περὶ κρατὶ φορεῖς ἠῶ καὶ νύκτα μέλαιναν,
δώδεκ' ἀπ' ἀντολιῶν ἄχρι δυσμῶν ἆθλα διέρπων. hoc eſt:
Qui circunfers auroram, noctemq; nigrantem,
Ortus in occaſum biſſex certamina ſerpens.

Item καρτερόχειρ, id eſt manu potens: ἀδάμαστος, id eſt indomitus: αἰολόμορφος, variformis: παντοδυνάστης, omnipotens, παγγενέτωρ, cunctiparens, &c. Heſychius notat illū etiam ἐδεσσαῖον ἡρακλῆ appellatum, ab Edeſſa vrbe nota: ſed quam ob cauſam, non affert. Item ἄῤῥητον, id quod & Orpheus, quaſi dicas indictum & ineffabilem: quod epithetum & alijs quibuſdam deis attribuit, vt Protogono. Apuleius luſtratorem orbis appellauit, & purgatorem ferarum, & gentiū domitorē.

Legimus adhæc Saxanum Herculem, in inſcriptione quę viſebatur Tiburæ: ſicut & de Tricoſo Hercule in Epigrammate hoc, quod in Rodulphi Pij cardinalis vinea videri poteſt, ſic:

Alcmenæ Iouis & magni fortiſſima proles,
Tricoſus ſubito poſt mea facta vocor.

B. Aegius. Poſſemus & alia plura cognomina Deorum ex diuerſis marmoribus afferre: Sed his nos eatenus fidem habemus, quatenus cum aliquo antiquo ſcriptore conueniunt. Quis enim ſimplici marmorariorum inſcriptioni credere velit: qui apud veteres plerunque, vt etiam hac tempeſtate, indocti ſunt, & inerudití. Cur aūt Saxanus & Tricoſus Hercules vocetur, non facile quiſquam valet enūciare: niſi Saxanus Hercules à loco: & Tricoſus à trica, id eſt piloſus: vnde & Melampygus dictus eſt, vt alibi docuimus. vel quòd Tricones apud Antiquos moroſi, & ad reddendum duri ac difficiles dicebantur. Lucilius in Satyris:

Nec mihi amore hoc opus, cec, Tricone vadato.

Sunt & qui Tricones interpretantur apud Capitolinum, de Vero Imp. pro gerronibus, ſiue rixatoribus: quales hi ſunt, qui contentiones ac rixas auidius conſectantur. Idem Lucilius:

Cotta ſenex craſſi pater huius Paneti,
Magnus fuit triconum, idem manus ſoluere nulli Lentius.

Quod etiam obſeruat Nonius Marcellus.

HEBE.

HEben iure Herculi ſubiunximus, quòd ea Herculi nuptui ſit tradita, cùm poſt Oetæ incendium in deorum numerum receptus eſt. Catullus:

Pluribus vt cœli tereretur ianua diuis,

Hebe nec longa virginitate foret. Martialis:

Nunc tibi Iuno fauet, nunc te tua diligit Hebe. Seneca:

Deus Alcides poßidet Heben.

De Hebe ita fabulantur. Cùm grande conuiuium Apollo in domo patris Iouis Iunoni nouercæ paraſſet, & ipſa auidè lactucas agreſtes ediſſet, factum eſt, vt inde grauida fieret, cum eo vſque ſterilis fuiſſet. peperit verò Heben: quæ quia formoſa erat, pocillatrix ab Ioue ſuſcepta eſt, & dea iuuentutis dicta. Hæc deinde cùm in deorum cōuiuio pocula miniſtraret, & fortè cecidiſſet, veſtibus ſublatis deis pudenda oſtendit. quare indignatus Iupiter, eam ab officio amouit, & Ganymedem eius loco ſubſtituit. Poſtremò Herculi in deos relato, vxor data eſt. hoc ex Seruio. Scribit Phurnutus, Coos iure prodidiſſe, Herculem cum Hebe cohabitaſſe, hoc eſt, cum iuuentutis dea, quòd ſcilicet integerrimus eſſet mente. nam vt manus iuuenum fortiores ad labores, ita ſenum ad conſulendum animi meliores. Hebe quidem inde appellata, quod ἥβη pubertas ſit, & lanugo, & eius ætatis dea exiſtimata vnius Iunonis filia. Heſiodus de Iunone agens, eius tres filios hoc carmine commemorat, ſic à me conuerſo:

Hæc Heben peperit, Martemque, atque Ilithyiam.

Vnde & Iunonia interdum à poetis dicta. Ouidius:

Hoc illi dederat Iunonia muneris Hebe.

Homerus tamen in fine xij. Odiſſ. Iouis & Iunonis filiam ſcribit. Idem & apertè docet in Attica Pauſanias. Cynoſarges enim templum deſcribens, ſubiungit: Aræ Herculis & Hebes, quam Iouis & Iunonis filiam Herculi nupſiſſe arbitrantur. Scribit in quinto Iliad. Homerus, Heben, vt ſororem Martem abluiſſe, vulneratum à Diomede, & curatum à Pæone medico. Ioui verò ante Ganymedē, Heben pocula miniſtraſſe ferunt, vt Græcis Latinisque receptum eſt. Ridiculum eſt quod afferunt aliqui, cur Hebę Ganymedem ſurrogauerit Iupiter. Cognominata eſt Hebe Iouis priuigna, & nurus. Ouidius:

Iupiter his monitis priuignæ dona, nurúsque Præcipit.

Eſt autem Hebe pubertatis & adoleſcentiæ dea, & eius qui flos ætatis dicitur. vnde & Ephebus dictus, eius ætatis adoleſcens. Sicuti Hora Romanis dea, quę Quirini vxor dicta fuit. Hinc vetus illud Ennij:

Téque Quirine pater veneror, Horámque Quirini.

De qua & Ouidius in Metam. ſyllabam corripiens:

Et priſcum pariter cum corpore nomen

Mutat, Horámque vocat, dea quæ nunc iuncta Quirino eſt. de hac in Horta actum eſt. Agretius grammaticus eandem videtur facere Heben & Iuuentam: Ab Iuuēta, ait, dea quę Hebe græcè dicitur, Herculis vxore, Iunium menſem appellatum, in libris priſcorum ſe ait inueniſſe. Idem & in Faſtis Ouid. quod & in Annis & menſibus noſtris, &c. commodius retulimus. Cic. quoque de Nat. deor. Iuuentas pro Hebe poſuit. Pulchra & formoſa Hebe cognominata eſt: apud verò Sicyonios dea dicta fuit, vt Strabo auctor eſt. Cœleſtis etiam, à Propertio:

Nec ſic cæleſtem flagrans amor Herculis Heben,

Senſit in Oetæis gaudia prima iugis. Heben ſcribit Philoſtratus, deorū natu minimam ac maximam, quod videlicet per ipſam deam & dei ipſi iuuenes ſint. D. Aur. Auguſtinus in 4. Iuuentas dea, inquit, quæ poſt prætextam excipiat iuuenilis ætatis exordia. Idem alibi Iuuētas dea cum Termino deo Ioui noluit cōcedere in capitolio condendo. quam rem planius retulimus in deo Termino. M. Tul. 1. de Nat. deor. Vt poetę quidem nectar & ambroſiā epulis apparant, & aut Iuuentatem, aut Ganymedē pocula miniſtrantes. Sanè hæc dea Iuuentas effingebatur ab antiquis, mulier formoſa, ętate iuuenili, veſtib. verſicolorib. & florib. ornata, non abſimilis deæ Floræ. Sed vir doctus Alciatus, hanc deam in ſuis Emblemat. du ob. his deis Apolline & Baccho effinxit, hoc hexaſticho.

Natus vterq; Iouis, tener atq; imberbis vterq;,
Quem Latona tulit, quem tulit & Semele.
Saluete, æterna ſimul & florete iuuenta,
Numine ſit veſtro quæ diuturna mihi.
Tu vino curas, tu victu dilue morbos,
Vt lento accedat ſera ſenecta pede.

Digladiantur grammatici, Iuuentus ne an Iuuenta, vel Iuuentas dea ſit: quæ hac in re ipſi ſtatuunt, nos longè aliter poſtea apud auctores inuenimus. nam & Iuuentus, & Iuuenta, pro dea capitur. Ouid. lib. i. de Triſt. ad Flaccum:

Nectar & ambroſiam, latices, epulaſq;, deorum
Det mihi formoſa gnaua Iuuenta manu.

Sed & Iuuentus interdum pro dea accipitur. T. Liui. Iuuentutis ædem in circo maximo Licinius Lucullus duumuir dedicauit: vouerat eam XVI annis antè M. Liuius Cos. quo die Aſdrubalem exercitúmq; eius cecidit: idem cenſor faciendam eam locauit, M. Cornelio & Sempronio Cos. Huius quoq; dedicandæ cauſa ludi facti, & omnia cum maiore religione facta, quòd nouum cum Antiocho inſtabat bellum. De Hebone verò Neapolitanorum deo floris ætatis, in Bacchi nominibus actum eſt.

χρυσοστέφανος Hebe, id eſt auream coronam habens, Hebe interdum cognominata eſt. Heſio. in Theogonia, ἥβην τε χρυσοστέφανον. quo loco Scholiaſtes exponit εὔμορφον, id eſt formoſam, à corona ſcilicet muliebri ornamento, quæ compacta ſit ex auro & precioſis lapillis.

καλλίσφυρος Hebe cognominata, hoc eſt, quæ honeſtos habet talos, id eſt pedes, à parte totum. Homerus xi Odyſſ.

καὶ ἔχει καλλίσφυρον ἥβην παῖδα διὸς μεγάλοιο, καὶ ἥρης χρυσοπεδίλου. de Hercule loquitur: Et habet pulchros talos habentem Heben, filiam magni Iouis, & Iunonis aureos calceos habentis. Eadem ratione λευκόσφυρος ἥβη ab Theocrito etiam cognominata, hoc eſt, albos talos habens Hebe: & perinde à parte totum. i. pedes.

πολυήρατος ἥβη à poetis etiam vocatur: hoc eſt, à multis, vel multũ amata, propter eam ætatem quæ amabilis eſt. Adoleſcentiæ quippe ætas omnibus grata. Homerus in hymno Veneris, quo loco Tithonum iuueneſcere facit, Auroræ rẽ gratam faciens.

Ganymeda etiã Hebe apud Phliaſios cognominata eſt, de qua Pauſ. in Corinth. In arce cupreſſetum eſt, in quo vetuſtiſſimum templum. deam, cui id eſt dedicatum, priſci Ganymedam, recentiores Heben nominant. Cuius & Homerus mentionem fecit, vbi Alexandri & Menelai ſingulare certamen exponit. Eam quidem Oenochoon, id eſt vini miniſtram appellat, quo loco facit deſcendentẽ ad inferos Vlyſſem, vxorem eam Herculis eſſe dixit. At Olen poeta, eo carmine quo Iunonem exornat, ſcriptum reliquit, filios verò eam habuiſſe Martẽ & Heben. Habent huic deę Phliaſij honores multos: ſummum verò omniũ, quòd qui ſupplices huc confugerint, cuiuſuis criminis impunitatem conſequuntur. quin & qui vincti antè fuerunt, ad eas arbores quæ in luco ſunt, compedes ſuſpendũt dies verò feſtos quotannis celebrant, quos ciſſatomos, perinde ac ſi ederiſecos dicas, appellant. ſignum quidem neq; in operto cuſtodiunt, neq; in aperto vllum oſtendunt: atq; eius rei religione ſancitam cauſam quandam referunt.

SYNTAGMA

SYNTAGMA VNDECIMVM, DE MINERVA, AD D. BARTHOLOMAEVM FERRINVM.

Dum Ferrine meam hanc tibi pararem,
Dono mittere neſcius Mineruam,
Munus conueniens ratus futurum
Hoc noſtrum tibi, qui tuo hoc iuuentæ
Flore, æqualibus omnibus peræquè,
Virtute ac ſapientia præires:
Sed proh ſors fera, dura lex Anances,
Nondum impoſta libello erat coronis,
Nec ſinopide frons notata rubra:
Ferrino improba Parca cùm recidit
Fila argentea. Læta quo recepto,
Gratis Perſephone ſuum Dionæ
Adonin ſine lachrimis remiſit.

SI, cùm de nobis optimè meritis eſt gratia referenda, Ferrinè ſuauiſs. ea potiſſimū referre debemus (ſi modò poſſumus) quæ illis conuenire videantur: quis non iurè ac optimè à me factum iudicet, quòd, cùm te omnium officioſiſſimum eſſe cognouerim, & (vt de alijs nunc ſileam) nulla mihi tempora, etſi grauiſſima illa quidem, contigere, quò minus, quæ tua ſemper fuit cum prudētia ſumma humanitas, ſtudium erga me tuum propēſamq; voluntatem omnibus officijs declarares, nullamq; rem neq; tam magnam, neq; tam paruam putaſti, quæ tibi aut difficilis, aut parum te digna videretur: omniaq; quæ in rebus non modò meis, ſed cæterorum etiam amicorum agis, neq; laborioſa tibi, ſed etiam honeſta videntur: id quod nunquam ego prædicare deſiſtam, nedum præ me ferre. Quare cùm pro tot tuis tantisq; beneficijs gratiam nunc demum aliquam tibi referre ſtatuiſſem, qui in hac florenti ætate prudentia ac ingenio ita præditus es, vt inter primarios eos connumereris, quibus prudentiſs. ac ſapientiſſimus Princeps noſter HERCVLES Eſtenſis ſua arcana cōmittat: putaui ſimul noſtræ neceſſitudinis eſſe, meæq; in te beneuolentiæ, Mineruā prudentiæ ac virtutis deam creditam, & à me cum cæteris Gentium deis deſcriptam, in vulgus dare, vt ſub tuo nomine appareat. Et quanquam ſcripta mea non ea ſunt, quæ ad ſpem aliquam immortalitatis, vel poſteritatis memoriam. quenquam rapere poſſint: non tamen committam, vt à quoquā ipſe ingrati nomine accuſer. Abs te enim (quæ tua eſt in omnes manſuetudo, & ſingularis modeſtia) nihil metuo. Accipe igitur hoc qualecunque eſt, quod tibi pro tot beneficijs munus rependo. Ex hoc quidem videas licet, non referendi voluntatem mihi, ſed vires defuiſſe. Vtcunq; tamen, tu eo animo hoc noſtrum munus ſuſcipe, vt ex tua Mineruа, id eſt ingenio tuo ac prudentia, aliquid in hoc ſplendoris ac lucis lector accipiat. Vale: & quarum rerum ſpe ad laudem vocaris, earum fructum indies opto ampliorem conſequare.

MINERVA.

MIneruam noſtri, Græci ἀθηνᾶν, diuerſo etymo nuncuparunt. hi enim, quòd non indiguerit mammarum ablectatione, hoc eſt, ἄνευ θηλάζειν. θηλάζω quippe lac ſugo ſignificat. nam ex patris capite adulta prodijt, à qua re etiam κορυφαγενὴ dicta eſt, vt pluribus ſuo loco docebimus: & quòd ſine matre edita, ἀμήτρος vocata eſt, teſte Polluce: & ἀμήτωρ, teſte Phurnuto. Alij quaſi ἀθρηνᾶν dictam autumant, à præuidendi ſcilicet poteſtate, quòd ſit prudentiæ præſes. Plato deriuationem aliam attulit. Athenam ait quaſi θεονόην, & inde ἠθεονόην, id eſt quæ diuina cognoſceret. plura idem

in Cratylo. Aliј ἀπὸ τοῦ θλώεσθαι, id eſt ſeruire, & α particula priuatiua, quòd ſola prudentia liberum hominem faciat: vt eſt illud M. Tulliј ex Stoicorum ſententia, Liberum eſſe neminem, niſi ſapientem. Aliј dictam volunt quaſi Aetheroniam, ab æthere, quod Phurnutus ſcribit: hinc Panathenæa, huius deæ maxima Athenienſium celebritas, de qua Iſocrates, Plutarch. Pauſan. aliј. Fuit & ἄθηνα tibiæ genus, vt Iul. Pollux ſcribit, quo Nicophelen Thebanũ in Mineruæ hymnis vſum ferunt. Phurnutus & alias affert ἀθηνᾶς deriuationes, adeò vt dicat difficile eſſe, eius etymologiam afferre: hoc eſt, δυσετυμολόγον eius nomen, propter antiquitatẽ. nam & quidam ἀπὸ τοῦ ἀθρεῖν deducunt, quòd omnia colligat. Noſtri verò, quos inter M. Tullius, Mineruam dictam volunt à minuendo, vel minando, quia prudentiæ dea ſit, & belli. Feſtus Mineruam dictam ait, quòd bene moneat. Hanc etenim & antiqui etiam pro ſapientia ponebant. Cornificius verò dici ait, quòd fingatur pingatúrque minitans armis. De Minerua verò ita Arnobius lib. 3. Ariſtoteles, inquit, vt Granius memorat, vir ingenio præpotens atque in doctrina præcipuus, Mineruam eſſe Lunam probabilibus argumentis explicat, & literata auctoritate demonſtrat. eandem hanc aliј ætherium verticem, & ſummitatis ipſius eſſe ſummam dixerunt. Memoriam nonnulli: vnde ipſum nomen Minerua, quaſi quædam Meminerua formatum eſt. Iſidorus verò in decimo: Mineruam, inquit, gentiles multis ingeniјs prædicant. hanc enim primam lanificiј vſum monſtraſſe, hanc etiam telam ordiſſe, & coloraſſe lanas perhibent: oliuæ quoque dicunt inuentricem, & fabricæ, & multarum aliarum artium repertricem, ideóque illi vulgò opifices ſupplicant. Sed hoc poeticè fingitur. non enim Minerua iſtarum artium princeps: ſed quia ſapientia in capite dicitur eſſe hominis, & Minerua de capite Iouis nata fingitur, hoc eſt ingenium: ideo ſenſus ſapientis, qui inuenit omnia, in capite eſt. Ideo & dea artium Minerua dicitur, quia nihil excellẽtius eſt ingenio, quo reguntur vniuerſa. hæc penè totidem verbis Iſidorus. Sed enim & Ariſtoteles, & Phornutus, aliјque, Mineruam ferunt tibias inueniſſe. quas & abieciſſe, propter oris deformitatem, dum eas inflaret, ſeque eſſet in aquis intuita. hinc Ouidius ait.

I procul hinc, dixit, non eſt mihi tibia tanti,
Vt vidit vultus Pallas in amne ſuos.

id quod repetit & Claudianus, ne alios commemorem. Sed & aliarum bonarũ artium eam inuentricem tradũt, vnde illi facta cognomina ἐργάνης, & alia, vt paulo pòſt dicemus. Scribit Proclus, & repetit Ficinus, auream fuiſſe apud Aegyptios Mineruæ epigraphen, id eſt inſcriptionem in eius templis: Ego ſum quæ ſunt, quæ erunt, & quæ fuerunt: velum meum reuelauit nemo: quem ego fructũ peperi, Sol eſt natus. Multa ſuper hac re dicunt Platonici, qui Mineruam ſeu Pallada intellectilem prouidentiam eſſe prodiderunt, ac diuinitatem, ſapienter ſimul atque potenter (vt aiunt ipſi) cœleſtia exornantem, & quę ſub cœlo ſunt, producentem. Sed hæc non noſtri inſtituti ſunt. A' Minerua Mineruał formatur, quod & Mineruale dicitur, vt placet aliquibus, præmium quod magiſtris exhibetur, hoc eſt græcè δίδακτρον. id in 3. de Re ruſt. oſtendit Varro. Meminit & Hieronymus in epiſtola Pauli ad Epheſios, innuunt Horat. & Ouid. vt notat Politianus. A' Minerua quoque Mineruiј verſus, & Mineruium, id eſt Mineruæ templum, cuius meminit P. Victor in nona vrbis regione. Fuit & Mineruium oppidum vetuſtum, de quo T. Liuius in V. Dec. Eſt & recens in agro Bononienſi, vnde eſt ridiculum in vulgi ſermone, in eo verſari. Sed vt à Minerua Mineruium, ita ἀπὸ τῆς ἀθηνᾶς Athenęum deducitur, pro loco vbi homines literati conueniunt, & de literarum ac diſciplinarum ſtudiјs agunt, græcis, quorum eſt frequens vocabulũ: ſed & latinis. Locus præterea Romæ fuit, vbi diſcentes ſe exercebant, vt ait Dion hiſtor. vbi etiam recitabantur verſus & orationes, & cætera. Eius loci meminere & veteres Horatiani interpretes, item Lãpridius, & Hieronymus. Locus eſt in ſecundo Herodiani, de quo pleríque dubitant, vbi ait ille & græcè & latinè à Politiano:

à Politiano: Commodi interfecti corpus vehiculo delatum, furtim miſſum in Ariſtæum. quidam emendant, Athenęum, coniectura ducti, quòd Ariſtęum in vrbe non fuiſſe legant. Mineruam ait in primo Diod. aërem vocatam, & Iouis filiã dici, & virginem fuiſſe, quoniam aer ipſe non corrumpatur, & ſublimiorem locum teneat, quapropter ex vertice Iouis nata dicitur. Porphirius philoſophus Mineruam virtutem ſolis exiſtimabat, quæ humanis mentibus prudentiam ſubminiſtraret. ideóq; ex capite Iouis prognata, id eſt de ſumma ætheris parte edita ferebatur, vnde ſit ſolis origo. Eadem Macrobius repetit. Sanè Heſiodus in Theogon. μῆτιν, hoc eſt conſilium, ſiue prudentiam, Mineruę matrem cecinit, quod & Phornutus refert. nam Metin cùm deuoraſſet Iupiter, inde mox deam ipſam Mineruam concepit, ac genuit, quamuis etiam in fine poematis, id eſt Theogonię, alteram ex paterno capite ortam Mineruam fingat. Copioſè verò hanc fabulam eſt interpretatus Chryſippus, ille Stoicorum ſcriptor acerrimus, quem tamen Cl. Galenus impugnat, non vt medicus, ſed vt philoſophus, acutiſſimus, libro tertio de Hippocratis & Platonis decretis: quæ breuitatis cauſa ipſe prætermiſi. Sed enim & de Meti meminere etiam Chriſtiani ſcriptores, dum rident gentiũ ineptias, & fabulamẽta, vt Clemẽs, & Epiphanius, viri cùm doctrina, tũ ſanctitate inſignes. Epiphanius eñ, dũ cõtra Hęreticos ſcribit & Gnoſticos pręcipuè, inter cætera ita ſcribit: Introducũt, inqt, poetæ Iouẽ, ſuã filiã μῆτιν deuoraſſe; infãtẽ aũt nemo vtiq; deuorarit, veluti ſanctus Clemẽs turpes deorũ græcorũ actiones irridẽs dixit. nã Metin deuorãs, non infantẽ deuorare potuit, ſed propriã geniturã: & cætera, quæ abominanda Gnoſtici illi hæretici peragebant, quæ præfato pudore vir ſanctus exequitur. Mineruæ autẽ nomine Marc. Cic. quinq; nominat in tertio de Natura deorum. Primam, quam Apollinis matrem dixit: ſecundam, ortam Nilo, quam Aegyptij Saitæ colebant: tertiam, illam quam Ioue generatam, in Ioue dictum eſt: quartam Ioue natam, & Polyphe Oceani filia, quam Arcades Coreſiam nominabant, & quadrigarum inuentricem ferebant: quintam, Pallantis, quæ patrem dicitur interemiſſe, virginitatem ſuam violare conantem, cui & pennarum talaria affingebant. Hæc ex Cicerone. Arnobius quoq; quinq; commemorat, ex quibus prima non virgo, ſed ex Vulcano Apollinis procreatrix: Nili altera proles, & quæ eſſe perhibetur Sais: Saturni tertia eſt, & quæ vſum excogitauit armorum: Iouis quarta progenies, quam Meſſenij Coryphaſiam nuncupant: & quæ Corypallantem occidit patrem, inceſtorum appetitorẽ, eſt quinta. hac parte Arnobij codex deprauatus eſt, quare vide quæ paulo pòſt in Coryphaſia dicam. Effingebatur verò Minerua varijs etiam modis, vultu in primis virili & truculento, teſte Phornuto. Alij armis inſignem, oculis toruam, & glaucis, cum haſta prælonga, & cryſtallino clypeo effecere: omniáq; hæc myſticè, prudentis ac ſapientis dicunt ſignificare naturam. Pauſanias verò in Attica, ſimulachrum Mineruæ in hunc propè modum effictum deſcribit: Simulachrum, inquit, ex auro & ebore cõſtat, media eius galea ſphingis ſpecies appoſita, vtraq; verò galeę parte gryphes ſunt exculpti. Simulachrum ſtat, veſte podere, id eſt ad talos demiſſa: Meduſæ capite in eius pectore ebore inſerto, & Victoria magnitudine quatuor cubitorum. in manu eſt haſta, ad pedes ſcutum iacet, iuxta haſtam draco, &c. Huius quidem ſtatuę ſic videtur Plinius meminiſſe, lib. 34. Phidias, inquit, præter Iouem Olympium, quem nemo ęmulatur, fecit & ex ebore æquè Mineruam Athenis, quæ eſt in Parthenone aſtans. Alio modo ab Apuleio lib. 10. deſcribitur. Capite, inquit, galeam gerens, contectam oleagina corona, clypeum attollens, haſtam quatiens. Legimus & Mineruam ſæpius ſtantem, ſed & ſedentem, cuius & Euſtathius meminit. Perinã enim ſcribit mulierem quandam Aegypti, ipſam ſedentem contexuiſſe: vnde, ait, Mineruę ſedentis ſtatua fieri cœpta eſt. Notiſſimum eſt illud, eam peplo ornatam, frequenter effictam fuiſſe: & plerunq; cum noctua, vt ſæpe videmus, nunc ad pedes, nunc in capite: ſed & cum dracone. Quare cùm in exilium iret Demoſthe-

nes,dixiſſe fertur,Mineruam tribus immanibus oblectari feris,noctua,dracone, populo:miror non etiam gallo dixiſſe.quippe Pauſania tradente,in Eleorum arce galeæ Mineruæ gallus inſidebat,quòd gallus pugnax auis ſit. quinimmò & ſimulachrum eius legimus,quod corniceˉ præferebat.Notiora verò ſunt, quàm vt plurib.explicem,Gorgona & ægida illi attribui.& in ipſa quidem ægide caput erat Gorgonis,linguam exerens:ideo quòd linguæ vſus,id eſt ſermonis, in omni re præſtet,atq; excellat.Si tamen plura velis,lege in 8 Aeneid.Verg.ibi:

Aegidaq; horrificam turbatæ Palladis arma,
Certatim ſquammis ſerpentum,auroq; polibat,
Connexoſq; angues,ipſamq; in pectore diuæ
Gorgona, deſecto vertentem lumina collo.

Nec eo loco Seruium legere pigeat.Sanè olea Mineruæ attribuitur, propterea quòd ſemper viret,& neſcio quid glaucedinis habeat.& oleum,quòd nihil contineat humidi admixtum,ſed ſemper ſincerum & ἀκήρατον perſeuerat:ſic & virginitas,vt Phurnutus ait.Sunt qui huic deæ oleæ ſertum aſſignent, quòd hæc arbor pacis ſit ſymbolum.nam & ideo arma inferri dicuntur,vt poſtea in pace viuatur.Scribit Plinius:Athenis quoq;,inquit,olea durare traditur in certamine edito à Minerua,de quo ipſius & Neptuni certamine non modo Muſæ & græcæ & latinæ,ſed & vtraq; hiſtoria,plurima prodidere.Certè illud Pauſanias tradit,oleam arſiſſe,cùm Medorum incendio vrbs Athenarum conflagrauit:& exuſtam,eodem die in duorum cubitorum proceritatem germinaſſe. Illud etiam mirum,ſcribit Plin.in oppido Troadis circa ſimulachrum Mineruæ, in eodem relicta ſacrificia non putreſcere.Sed iam his ſic expoſitis,cognomina interpretari aggredior.

Pallas Minerua in primis dicta eſt,vel à Pallāte gigāte occiſo, vt ſcribit Seru. vel quod in Pallante palude orta eſt,vt Feſtus:vel ἀπὸ τοῦ παλλεῖν τὸ δόρυ,id eſt, à vibranda & concutienda haſta:vel à ſaliendo,& ſaltando in bello,vt Plato ait. nā vel ſe,vel aliquid à terra attollere,ſeu manib.quippiā efferre,πάλλειν & πάλλεσθαι dicitur,hoc eſt vibrare,agitare,& ſaltare. Alij à Pallante patre dictam volunt, quem illa interemerit,virginitatem ſuam vitiare conantem.Sed an geminos patres Minerua habuit?Arcades quidem fabulantur, Mineruam adhuc paruulam ab Ioue miſſam ad Pallantem Lycaonis filium,vt cum eius filia in eius ædibus educaretur:vbi cùm adoleuiſſet Minerua,educatoris filiam in deorum numero cooptauit, Victoriámq;,id eſt νίκην vocauit,ſe verò ab educatoris nomine Pallada dixit.Auctores Alicarn.Dionyſius & Pauſanias,vt etiam in Victoria repetam.A Pallade Palladion vocabatur,hoc eſt, Palladis ſimulachrum : quod alij vnum è cœlo lapſum apud Athenas tantùm fuiſſe,vt ait Seruius:alij duo volūt, Troianum & Athenienſe.de Troiano Vergil.in 2. Aeneid.

Omnis ſpes Danaûm,& cœpti fiducia belli,
Palladis auxilijs ſemper ſtetit,impius ex quo
Tytides,ſed enim ſcelerumq; inuentor Vlyſſes,
Fatale aggreſſi ſacrato euellere templo
Palladium,cæſis ſummæ cuſtodibus arcis,
Diripuere ſacram effigiem,manibuſq; cruentis
Virgineas auſi diuæ contingere vittas:&c.

Palladium demum Romam delatum ferunt,qua de re præter Seruium,Dionyſ. Alicarn.multa,inter quæ & hoc:Poſtea,inquit,capta vrbe inferiore, Sican dicunt,dominum arcis factum,ſuſtuliſſe ex adytis & magnorum deorum ſacra,& quod adhuc ſupererat Palladium.nam alterum quidem Vlyſſem & Diomedē, noctu ingreſſos Ilion,furto abſtuliſſe aiūt: profectum deinde ex vrbe Aeneam, ſacra ipſa ſecum ferentem in Italiam aduenisſe.Arctinus autem poeta,datum eſſe dixit Dardano ab Ioue Palladium vnum,fuiſſéq; ipſum in Ilio,donec vrbs capta eſt,abſconditúmq; in loco inacceſſo:exemplum autem eius ita adornatum,

vt nihil

vt nihil ab exemplari differre videret, ad fallendos inſidiatores, in aperto fuiſſe poſitum, idq; Achiuos per inſidias ſurripuiſſe. Hæc Alicarnaſ. quibus manifeſtè videmus Seruiũ deceptum, quæ de Mamurio confingit. Illud item de Palladio in Parallelis, quòd Ilus captus ſit oculis, quòd Palladium ex incẽdio ſuſtuliſſet, id quod deinde & Metello accidit eadem cauſa. minime enim licebat Palladiũ mortalium oculis conſpici. & hæc ille ex Dercyllo, & Ariſtide Mileſio recitat. Scribit & Strabo in 6. in Ilio cùm Caſſandra violaretur in templo, Palladiũ ſeſe auertiſſe. quo loco idem de Palladio & alia ſubdit, tum Romæ, tum Lauinij, & Luceriæ, &c. Scribit & Varro in libris quos de familijs Troianis ſcripſit, Nautiorum familiã Romæ fuiſſe, quæ Palladiũ cuſtodiret, & ſacra retineret: ex quo Nautes apud Vergilium inducitur in 5. Aeneid. Fuit & Athenis locus quidam iudiciorum, Palladiũ nuncupatus, de quo Demoſthenes in oratione κατ᾽ ἀριστοκράτους: Alter, inquit, iudiciorum locus in Palladio erat, vbi de cæde præter voluntatem, vímq; vi repellendo illata quærebatur, &c. Meminit &, ſi ſatis recordor, Pauſ. in Attica. Pollux quoq;: Euerſa, inquit, Troia à græcis, Athenas Palladium fuiſſe delatũ. Phaleri verò habitatores, qui portus eſt iuxta Piræum, illos eſſe hoſtes arbitrati, in mari præcipites dedere. Acamas etiam dixerat græcos fuiſſe homines, qui Palladis ſimulachrum attulerant: occiſos itaq; oraculum vocauit ἀγνῶτες, id eſt ignotos, quòd cùm eſſent amici conterraneíq;, tanquam ignoti periere. quà ex re in eo loco ob rei memoriam Palladium factum & tribunal conſtructum fuit, vbi de cæde non voluntaria ius diceretur: quoniam Phalerei non nocendi, ſed iuuandæ gratia patriæ, imprudenter tanquam hoſtes interfeciſſent. plura de hoc iudicij foro Pauſ. in Attica, quo loco Demophontẽ primum pœnas luiſſe prodidit, quod cum Phalereis Argiuos pepulerit: intereáq; Athenienſem quendã incautũ à Demophõtis equo prouolutũ, calcatúmq; interiſſe, atq; ideo Demophontẽ pœnas dediſſe. Sed iã plura de Palladio quàm putaram.

Parthenos Minerua, id eſt virgo, Athenis in arce, id eſt, Acropoli culta eſt ſũma religione, vnde & in ea templum Parthenon eſt dictum. Hinc & ſæpe legas in Parthenone apud ſcriptores, etſi parum quandoq; emendatè. Iuno quoq; aliquando παρθένος nũcupata eſt, vt ſuo loco diximus. Sed enim à Partheno Minerua, herba Perdicion, id eſt, quæ Vrceolaris herba à noſtris vocatur, Parthenium appellata eſt. Vernula, ſcribit Plinius, charus Pericli Athenienſiũ principi, cùm is in arce templum ædificaret, repſiſſétq; ſuper altitudinem faſtigij, & inde cecidiſſet, hac herba dicitur ſanatus, monſtrata Pericli in ſomno à Minerua: quare vocari parthenium cœpta eſt, aſſignatúrq; ei deæ. hæc ex Plinij verbis.

Tritonia, vel Tritonis Minerua cognominata, vt notiſſimũ eſt. Pauſanias in Bœot. Tritõ torrẽs eſt, inqt, haud magnus, ꝓpe Alalcomenas in Bœotia, verſus Lybiam fluens, & ex Tritone palude in mare fertur, vbi tradunt educatam Mineruam, & non in Lybia. Noſter hic tamen Mela à Tritone Lybica dictã putat, his verbis Lybiam deſcribens: Super hunc ſinum, inquit, ingens palus amnem Tritona recipit, ipſa Tritonis: vnde & Mineruæ cognomen inditum eſt, vt incolę arbitrantur, ibi genitæ: faciúntq; ei fabulæ aliquã fidẽ, quòd quem natalẽ eius putãt, ludicris virginũ inter ſe decertantiũ celebrãt. hæc Mela. Idem tradit & Herodotus, vt mox oſtendam: ſed & Lucanus poeta in nono, his verſibus canit:

Torrentem Tritonos adit illæſa paludem,
Hanc (vt fama) deus, quem toto littore pontus
Audit, ventoſa perflantem littora concha:
Hanc & Pallas amat, patrio quòd vertice nata
Terrarum primam Libyen (nam proxima cœlo eſt,
Vt probat ipſe calor) tetigit, ſtagníq; quieta
Vultus vidit aqua, poſuítq; in margine plantas,
Et ſe dilecta Tritonida dixit ab vnda.

Idem affirmat Iſaacius Lycophrõtis interpres, idem fabuloſe innuit Aeſchylus.

vel quòd ab Ioue genita, & apud Tritonem educata fuerit. vel dicta, vt Sthenæ placuit, quòd τριτομηνίς, id eſt tertio die menſis genita fuerit: hinc etiam apud Athenienſes tertius menſis dies Mineruæ fuit cōſecratus. vel ꝙ tertia nata ſit ex Ioue, poſt Apollinem & Dianā. vel ꝙ ex Iouis capite edita ſit. Bœotiorū enim lingua, vel Aeolicorū, τριτὼ, vel τριτὼ caput dicitur. vel quòd eadē ſit quæ & Luna, quæ tertia à coitu die apparere incipit. vel quòd nihil ab aere differat, qui tertium eſt elementum. Quapropter & Diodor. in 1. ait, Mineruā aeriam nominari. Euſeb. in Præparatione euang. & ipſe Tritoniā aera vocauit: qui ꝙ ter in anno mutetur, tres quoq; habere dicit qualitates, caliditatē, frigiditatē, & temperiem: ideo Tritonia appellata. nam τρίτον tertiū dicimus. Democritus quoq; philoſophus Pallada ideo Tritonida cognominatā prodidit, ꝙ tria hæc mortalib. fuerit elargita, βουλεύειν καλῶς, κρίνειν ὀρθῶς, καὶ πράττειν δικαίως. hoc eſt, bene cōſulere, rectè iudicare, & iuſtè facere. Notant Apollonij interpretes in 1. Argonaut. tres fuiſſe Tritonis nomine: vnā aiunt hanc in Bœotia, alteram in Theſſalia, tertiam in Lybia. Pauſ. verò in Arcad. à ſuprà recitatis aliā affert opinionē. Scribit enim, Alipherēſes in Arcadia (vetuſtū eſt id oppidū) maximè Pallada venerari, atq; apud ſe genitā & educatā iactare, ex eóq; Lecheatæ Iouis arā extruxiſſe, vtpote, q Pallada ibi ediderit, fontéq; Tritonidē appellaſſe, ſibíq; cætera vendicaſſe, quæ de Tritone feruntur. Simulachrū etiā Mineruæ æreum fuiſſe apud eos, ab Hypatodoro fabrefactū: celebritatémq; ibi habitā, in qua & Myiagro rem ſacrā agebāt, quem deū in primo Syntagmate deſcripſi. Scribit in 4. Herodot. Libycos dicere ſolitos, Mineruam Neptuni filiā & paludis Tritonidos: quæ cùm neſcio qua cauſa à patre reprehēſa fuiſſet, ipſam ſe Ioui donaſſe, Iouem filiam aſciuiſſe. quo loco idem ſcriptor exequitur & diē feſtum, & celebritatē quam propterea puellæ celebrabant, certamine quodā cruento: in quo quæ morerent̄, non virgines reputabant̄, & vna inter eas ipſo certamine celebrabatur, ornabatúrq;. Sed em̄ nequid omittam, & dea hæc Tritogenia nuncupata eſt, de qua Sex. Pompeius: Tritogenia à ripa Tritonis fluminis dicta, ꝙ ibi primitus ſit viſa. Diodorus verò Tritogeniā ideo ab Aegyptijs vocatā ait, propter tria anni tempora, ver, æſtatē, & hyemē. Tres enim Aegyptij anni partes faciebant. Sed & triplicē Mineruam præferunt, quæ in Cratylū Platonis Procli ſcholia circunferuntur: primā ποιοῦσαν & νοερὰν, ſecundā ἀρχικὴν, tertiā ἀπολυτικήν. quo loco multa, quæ ad antiquę philoſophiæ & theologiæ myſteria pertinent, explicātur. Nūc nos reliqua proſequamur. Apollonij interpretes in quarto, poſtquam de Tritone Libyæ vel Bœotiæ alijs conſentanea ſcripſiſſent, tum & hoc ſubiungunt, οἱ δὲ, τὸ τρεῖν ἤγουν τὸ φοβεῖσθαι τοῖς ἐναντίοις ποιοῦσα. hoc eſt: Alij, quòd hæc faciat contrarijs τρεῖν, id eſt timere. id quod & Seruius in 11. Aen. Tritonia, inq̄t, aut quaſi terribilis, ἀπὸ τοῦ τρεῖν, quod eſt timere: aut ſecundū Ircanū, &c. Heſychius etiā, τριτογένεια καὶ τριτογενὴς Mineruam cognomine ſignificare ait, ἀπὸ τοῦ τρεῖν ἐγγεννᾶν τοῖς πολεμίοις, hoc eſt, ab eo ꝙ pugnantes timere faciat. & hoc & plura Phurnutus ſcribit: à quo & illud, eam dictam etiam ἀτρυτώνην, quaſi non teratur vllo labore. alij ad triplicem philoſophiæ ſpeculationem pertinere aiunt. Plutarch. tamen in Iſide & Oſiride, Pythagoricos ſcribit numeros & figuras honorare ſolitos nominibus deorum. Triangulum enim æquilaterum, Mineruam appellarunt Coryphagenem, & Tritogenean, quod τριςὶ καθέτοις ἀπὸ τριῶν γωνιῶν ἀγομέναις διαιρεῖται: hoc eſt, Tribus lineis ad perpendiculum ductis, à tribus angulis diuiditur.

στρατεία, id eſt militaris Minerua cognominata, quòd bello & militiæ præeſſet. vnde etiam dictus Iupiter Stratius apud Herodotū, vt in Ioue dictum eſt. Lucianus in Dialogis meretriciis, Stratiæ Mineruæ, id eſt militaris meminit. ἀστρατείαν etiam eandem nuncupatam legimus à Lacedæmonijs, cuius deæ templum fuit in Laconia: ideo ſic nominatum, quòd illic Amazones vlterius, cùm in Græcia pugnarent, non prodiuere. hanc verò potius Dianam Pauſ. ait.

ἀρεία, id eſt Martia Minerua ab antiquis culta fuit, quòd dux & gubernatrix

exiſtima-

exiſtimaretur bellorum, & iuſtitię defenſatrix, vt ſcribit Phurnutus. Proditũ eſt, cũ Oreſtes poſt matris cędem iudiciũ ſubijſſet, in Ariopago cauſã dixiſſe: quo in loco Oreſtes abſolutus à parricidio, Martię Mineruæ arã conſecrauit, vt in Attica Pauſ. ſcribit: Ariopagus, inquit, id eſt Martis vicus ea cauſa dictus eſt, quòd ibi ἄρης, id eſt Mars condemnatus fuerit, cum Alirrhotion occidiſſet, quo loco etiam Oreſtes, quòd matrem interfecerat, iudicatus eſt: qui vt ſententiæ pœnam effugeret, aram Mineruę inſtituit, quæ ἀρέιας ἀθηνᾶς βῶμος vocata fuit. Huic porrò deę ex manubijs Marathonijs ædem Athenienſes conſtruxere.

Hippia, id eſt equeſtris Minerua, vt Phurnutus ait, itẽ Pauſ. in Attica, nec quidẽ ſemel: itẽ Arpocration. ſic verò nũcupata, quod currũ inſtruxerit prima. hanc Iſęus rhetor & Mnaſeas Neptuni filiã fuiſſe tradiderunt, ac Polyphes Oceanitidis. δαμνίππους etiam vocatam ſcribit Phurnutus, quaſi dicas equidomitricem.

Sthenias Minerua, hoc eſt robuſta, colebatur apud Trœzenios. ferunt enim, cùm inter Mineruam & Neptunũ contentio eſſet, vtrius ea foret regio, Iupiter ſtatuit, vt amborum eſſet vrbs communis. hinc porrò factũ eſt: vt Pallas & Sthenias & Polias cognominaretur: hoc eſt, & robuſta, & ciuilis: Neptunus verò vt rex appellaretur. hinc etiam in Trœzeniorum nummis altera parte fuit Neptuni fuſcina, ſeu tridens: altera verò os Mineruæ, vt à nobis alibi relatum eſt.

Glaucopis Athena, hoc eſt glauca oculos, vel cęſia Minerua, cognominata fuit non modo à poetis & ſcriptoribus, ſed & in ſimulachris ita effingebatur. Scribit enim Pauſ. in Attica: ſupra Ceramicum & porticum regiâm appellatam, templum fuiſſe Vulcani, cum Palladis ſimulachro, cui glauci erant oculi, iuxta Libycorum fabulam, qui Pallada ex Tritonide & Neptuno natã ferunt: & ideo glaucos oculos habere, vt etiam Neptunus habet. Alij ſunt qui autumant, quod τῆς γλαύκης, id eſt noctuę oculos haberet, quæ auis etiam ei (vt dictum eſt) aſcribebatur: ideo γλαυκῶπις eſt appellata. Alij putant ideo vocatam, quòd virtus illuſtris ſit, & conſpicua. Diodorus Siculus ab Aegyptijs ea cauſa Glaucopin appellatam prodit, non ea (inquit) quam Gręci putant, quòd glaucos habeat oculos: ſed quòd aer, quem Pallada antiqui credebant, glauci ſit coloris. Scribit Gellius ſic vocatam, non tam quòd glaucos, id eſt cæſios oculos haberet, quàm quòd horrendo ac formidoloſo eſſet aſpectu. vnde & glauci, id eſt cæſij leones & βασιλικοὶ traduntur, quod & Phurnutus ait. Sunt & qui dracones eadẽ ratione Glaucos nuncupent. Eſt & apud Stephanum in Alcomenio, ex Alcomene & Athenai de Hippobotę filia Glaucopus, à quo Glaucopion, & Glaucopis. Cæſia porrò à veteribus dicta Minerua eſt, quaſi Cœlia, vt docet Gellius in 2. Auctor Priapeiorum Flauam appellauit, illo Scazonte:

Minerua flauo lumine eſt, Venus pœto. Naſo in Eleg.

Quid ſi præcipiat flauæ Venus arma Mineruæ?

Ventilet accenſas flaua Minerua faces. Idem in Arte:

Si pœta eſt, Veneri ſimilis: ſi flaua, Mineruæ.

Quidam putãt ineptè à capillorum colere flauam Mineruam dici. Sed de flauo & glauco colere vide Gellium: & ſi libet, noſtrum Thileſium. Sed enim & Minerua ab oculorum truculento aſpectu, & acri intuitu γοργωπὸς eſt cognominata, vt grammatici obſeruant, ἀπὸ τοῦ γοργοῦ ὀπὸς, id eſt, à terribili acriúe aſpectu.

Poliuchos Minerua cognominata, cuius ædes, vt Pauſan. ſcribit, in arce fuit Spartanorum. πολιοῦχοι enim communi genere, vt Suidas ait, dicuntur, qui ciuitatibus imperant, eiſq́ moderantur: nos, deos tutelares dicere poſſumus, ſeu cuſtodes. Hinc & Iupiter etiam hoc cognomine vocatus eſt, vt dictum eſt. Hinc Vitellius Cæſar patinam ſuam (vt ait Tranquillus) ob immenſam magnitudinẽ clypeum Mineruæ, ægida Poliuchi dictitabat. Poliuchi cùm alij, tum in primo Herodotus meminit. Valla tutelarem interpretatus eſt. Sed & Apollonius lib. primo Argonaut. videtur hoc eodem nomine Dianam illo verſu nuncupare: ἰφιὰς ἀρτέμιδος πολιούχου ἀρήτειρα.

Chalciœcus Minerua à Lacedæmonijs cognominata, cuius (vt Pauſ. in Lacon. ait) ſimulachrū æneum Gitiadas vir indigena confecit, ſimúlq; in eandē verſus edidit. Suid. Chalciœcum Mineruam appellatam à Spartanis ait, quòd οἶκον χαλκοῦν, hoc eſt quòd ædem æream haberet: vel quod Chalcidenſes ex Eubœa exules eā conſtruxerant. Meminit in 1. Thucydides, nec ſemel Plutarch. diuerſis in locis. item in Pauſaniæ vita Aemilius Probus, & Stobæus ex Chryſermo, in 2. hiſtor. ſed & Aelianus in Varia hiſtor. & Titus Liu. & Apuleius. Sūt qui Polyuchon & Chalciœcum eādem faciant. Mirum & adhuc eſſe aliquos, qui apud Liuiū Chalcionē legendum putent, & Chalcioniam apud Thucydidem latinum. Fuit & Minerua Chalcidica in vrbe Roma, in nona regione, ſi vera P. Victor ꝓdit. Quidam nunc D. Mariæ eſſe arbitrantur, quod templum ab ea nomen adhuc ſeruat. quidam Mineruium. meminit, ni fallor, & Dion in hiſt. lib. LI.

Hellotis Minerua nuncupata, quòd cùm Dorienſes Corinthum vrbem cepiſſent, ardere̅ntq; duæ ſorores, Eurytion & Hellotis, in Palladis templum confugerunt, vbi & interierunt. mox ſubſecuta peſte oraculum redditum eſt, expiandos ſororum manes arſarum. quare ceſſante peſtilentia, templum Mineruæ Hellotidi conſtruxerunt, & Hellotia celebritas inſtituta eſt. Alij ab ἕλος, id eſt palude, quaſi paluſtrem dicas. alij ab ἑλεῖν, id eſt capere, ab equo videlicet Pegaſo, cui Pallas primum frenum impoſuerit. plura his legas in commentarijs Pindari, in Olymp. Fuerunt & Hellotides coronæ ambitus ingentis è myrto, ab Europa dictæ, quam Corinthij Hellotida appellabant. hinc & Hellotis Minerua: Athenæus auctor.

κορυφαγένη ἀθηνᾶ, Coryphagene Minerua à Plut. dicitur in lib. de Iſi & Oſiri, qđ è Iouis capite orta putaretur. & vt ait poeta:

Quæ de patrio vertice nata dea eſt. & Lucanus:

Hanc & Pallas amat, patrio quæ vertice nata eſt.

Fabulātur verò, Vulcanum ſecuri patris caput aperuiſſe, quod & Lucianus in Dialogis ridet, & Pindarus in Olymp. in Diagoræ Rhodij hymno, cùm inquit, Vulcani inſtrumento, id eſt ærea bipenne Pallas ex vertice patris prorumpens vehemēter exclamauit, ita vt cœlū & tellus formidarent. quam fabulā plerique in allegoriā conferunt. Illud nunc tantum, quod idem tradit Plutarch. Pythagorici numeros & eorum figuras deorum appellationibus honeſtare ſolebant: nam triangulum æquilaterū vocabant ἀθηνᾶν κορυφαγένην, & τριτογένειαν, quoniam à tribus lineis ad perpendiculū ductis ex tribus angulis deducitur. Poetæ quoq; fabulantur, in Mineruæ natiuitate aureos hymbres pluiſſe. hinc illud Claudiani:

Auratos Rhodijs hymbres, naſcente Minerua,
Induxiſſe Iouem perhibent.

Coryphaſia etiam Minerua appellata eſt à Coryphaſio promontorio, in quo Pylos vrbs condita fuit, vt Pauſ. tradit. Stephanus tamen, Coryphaſion regiunculam Laconicam ſcribit, Pylo proximam. de Coryphaſia Minerua ſic in IIII. prodit Arnobius: Quid, inquit, arbitramur fore? deſiſtétne illa Mineruam ſe dicere, cui Coryphaſiæ nomen eſt, vel ex Coryphæ matris ſigno, vel quòd è vertice ſummo Iouis parmam ferens emicuit, atq; armorum accincta terroribus, &c. Idem: Iouis (inquit) quarta progenies, quam Meſſenij Coryphaſiam nuncupāt. ex his Arnobij verbis corrigere facile poſſumus locū apud M. Tullium in III. de Nat. deorum, vbi quartam commemorat Mineruam, vt nō Polyphe eius mater, ſed Coryphe legatur. & ibidem pro Coreſia, Coryphaſiam legendum: tametſi etiam Coreſiam Pallada legamus, vt paulo poſt dicam ex Stephano. De Polyphe non me præterit, quòd ſuprà ex Iſæo & Mnaſea relatum eſt, ex qua & Neptuno orta dicitur Minerua.

Lyndia Minerua cognominata fuit in Rhodo inſula, ab vrbe Lyndo. de hac Diod. Siculus inter cętera tradit, Danaū cū filiab. Lyndū appuliſſe ex Aegypto, extructóq; Mineruæ templo ſtatuam deæ ingentem dicaſſe. paulo pòſt ſubdit:

Cadmus

Cadmus Mineruam Lyndiam muneribus ornauit, in quibus olla fuit ænea, admodum conſpicua, vetuſto more fabrefacta. in ea literis Phœniceis tunc primũ in Græciam delatis inſcriptum erat, Rhodum vaſtatum iri à ſerpentibus. lege Bibliothecam Diodori. Meminit & Strabo lib. XIIII.

Capania nominata Minerua, vt Pauſanias tradit, Argis in gymnaſio Cylabare, vbi eius fuit ſimulachrum: aut à Capaneo dicta, aut à curru qui κάπανα à Theſſalis dicebatur.

Ophthalmitis, quæ & Optiletis, hoc eſt, ocularis Minerua, à Lacedæmonijs culta fuit. cuius ædem à Lycurgo conſtructam, prodit Pauſanias, cùm ipſi Lycurgo oculorum alter ab Alcandro erutus fuiſſet, dum in Alpion locum confugiſſet: cui opem ferentibus Lacedæmonijs, reliquum ſeruauit. Plutarch. cùm in Lycurgi vita, tum in Apophtheg. Ophthalmidis non meminit, ſed Optileten vocat. nam (inquit) apud illius regionis Doricos oculi ὀπτίλοι dicuntur. ſed enim baculo Alcander Lycurgo oculum eruit, vt idem ſcribit Plutarchus, & à populo Lycurgo traditus, vt de eo ſupplicium ſumeret. Sed Lycurgus nullo alio ſupplicio Alcandrum affecit: tantum ſibi miniſtrare & famulari coegit, & ex inſolenti ac immani manſuetum probúmq; reddidit.

ὀξυδερκοῦς ἀθηνᾶς, id eſt acutè videntis Mineruæ templum à Diomede poſitum fuiſſe, ſcribit Pauſan. cùm ad Troiam pugnanti procul ab oculis Pallas caliginẽ depuliſſet, & inde factam appellationem, ab acutè ſcilicet videndo.

Cypariſſia Pallas in Aſopi vrbis Laconiæ arce templum habuit, vt Pauſanias ſcribit. idem & in Cypariſſijs cultam, & templum habuiſſe, tradit in Meſſen. Stephanus verò: Cypariſſea, inquit, Triphyliæ vrbs, quæ & Eranna vocabatur. vnde gentile nomen Cypariſſeus, & κυπαρισσία Minerua.

Alea Pallas cognominata fuit, quam Peloponnenſes ſumma veneratione colebant, vt in Lacon. ſcribit Pauſ. ad quam Leotychides rex pulſus confugit, ob rem auarè adminiſtratam contra Alebadas. Meminit & Xenophon lib. VI. Hellenicon. ſed & Aleæ vetuſtiſſimum templum Tegeates Aleus ædificauit: quo igni abſumpto, alterum Tegeatæ Scopæ Parij opera omnium magnificentiſſimum reſtituerunt. ab Alea Pallade, & Alæa feſta dicta fuere. Mineruæ etiam Aleæ meminit Herodotus, qui hiſtoriam narrat, vt Lacedæmonij cùm oraculi ambage perſuaſi, in Tegeatas bellum intuliſſent, victi & capti plerique, compedes quos tulerant contra Tegeatas, pertulerunt, ac demum Herodoti quoq; tempore in huius deæ templo ſuſpenſi pendebant. Eleam etiam Mineruam legimus apud Strabonem, & Domitium in Syluis Statij:

Aut Eleæ lucis vidit Tegeæa ſacerdos.

& idem Statius in 4. Thebaidos:

Templumq; Eleæ nemorale Mineruæ.

Licet perperam pleriq; legant Altæ.

μητὴρ, id eſt mater Minerua, & culta & vocata à mulieribus Elæis: quæ cùm viderent regionem deſertam, ab hac dea impetrarunt, vt vnico concubitu virorũ conciperent. quod cùm obtinuiſſent, deam ipſam Matrem nuncuparunt, & eidẽ templum poſuerunt: auctor Pauſ. in Eliacis.

Telchinia Pallas, vt eſt apud Pauſan. à Telchinis cognominata creditur, qui è Cypro venientes, Taumeſſi partem incoluerunt in Bœotia, templúmq; de ſuo nomine deæ Palladi conſtruxerunt. Nicolaus verò in lib. τῶν ἐθῶν, id eſt conſuetudinũ: Telchines, inquit, homines nuncupati ex Creta fuerunt, ſed & in Cypro habitarunt, vnde in Rhodum migrarunt, primíq; eam inſulam detinuerunt. inuidi autem & faſcinantes erant, artificéſq; exiſtentes priſcorũ opera imitabantᷣ, Palladis Telchiniæ ſimulachrum primi erexerunt: vt ſi quis dicat βασκανίου ἀθηνᾶς, id eſt faſcinatricis Mineruæ. hoc idem repetit Stobæus in ſermone de Inuidia.

βούδεια ἀθηνᾶ, Budea Minerua ab vrbe Magneſiæ dicta, quæ à quopiam Budeo cõdita fuit: licet & alia Budæa Phrygiæ fuerit, meminit Stephanus. Alij putant, quòd

quòd cum humana prudentia excogitarit, boum operą humum colere, inde factum nomen. atque ideo eadem ratione Boarmia à Bœotijs dicta fuit, quòd ſcilicet aptarit aratro boues: quod & apud Phauorinum legimus.

Achea Pallas cognominata, cuius templum, vt Ariſtoteles ſcribit, in Italia apud Daunios Apuliæ populos, in quo antiquitus fuiſſe tradit cùm alia, tum ſecures & enſes, cæteráque Diomedis eiúsque ſociorum arma. huius templi cuſtodes canes fuiſſe perhibentur, qui Græcis adeuntibus blandirentur, cæteris mortalibus agreſtes & feri. Accolæ longis ac pullis vtebātur veſtibus, propterea quòd cum Diomedes eò delatus eſt, cũ captiuis Troianis, loci opportunitate captus, è naui deſcendens ad ſpeculanda loca, relictæ in nauium ſtatione mulieres captiuæ Troianę, ne in Græciam ſeruitum ducerentur Græcorum vxoribus, naues incenderunt, & propterea ibi conſtitiſſę ferunt eo vtentes habitu.

Panachæis Minerua in Achaia culta fuit, cuius templum commune Achæis omnibus fuit, vt in Achaicis Pauſan. prodit.

Pallenis Minerua, cuius Herodotus lib. I. meminit, cùm de Piſiſtrati Athenarum tyranni reditu agit, in quo Amphilytus Acarnan vates, ornatus pompa ſacerdotali, ita Piſiſtrato cecinit:

Eſt nummus proiectus, item ſunt retia tenta,
Nocte meant thynni, claro ſub ſidere lunæ.

quod interpretans Piſiſtratus, in vrbem reuerſus eſt. lege Herodotum. Meminit & Palladis quoque quæ in Pallenide coleretur, Euripides in Heraclidarũ tragœdia. De Pallene Diana ſuo loco agemus. Fuit & παλληνία Minerua in Chalcide, vt ſcribit Heſychius.

χαλινῖτις, hoc eſt Frenatrix Minerua, vel vt Domitius interpretatur, Frenalis, dicta ἀπὸ τοῦ χαλινοῦ, id eſt freno. Colebatur verò à Corinthijs. nam Bellerophonti opem deam tuliſſe aiunt, eíque equum Pegaſum, quem & infrenauerat, præbuit: huius deæ ſimulachrum ligneum fuit, vt Pauſ. ait, præter faciem, manúsque, & imos pedes, qui ex lapide candido conſtabant.

Scirias Minerua, quæ & Sciras eſt cognominata, à Sciro vate Dodonæo dicta eſt, qui vetuſtiſſimum eius deę templum condidit: idem & loco in Attica nomen dedit. Scirus autem hic vates eo prælio cecidit, quo Eleuſinij aduerſus Erechtheum regem depugnarunt. eo enim tempore ex Dodona venerat, ſepultúsque eſt prope torrentem, qui & ipſe à Sciro appellatus eſt, vt Pauſan. ſcribit. Stephanus tamen, Scirum quidem Atticæ locum tradit, & Scironidas petras, à Scirone: vel potius à loco ipſo. locus autem à Sciro heroe. Porrò in hoc loco, ait, meretrices proſtare ſolebant. Similiter & Sciraphion locus, vbi κυβευταὶ, id eſt aleatores conueniebant: & σκιραφόρος, quod ἀκόλαστον ſignificat, id eſt prodigum & κυβευτὴν, ab his qui in Sciro verſabantur. Heſychius verò: Sciras inquit, Minerua. Sciron aiunt Neptuni filium vxorem duxiſſe Salamina Aſopi. Strabo quoque in IX. de Attica loquens, & eius partibus & locis: Nam, inquit, à quorundam vocabulis heroum Sciras & Cychria dicebatur, vnde & Minerua Sciras appellat. Et locus alter Atticæ Scira, σκίρα: & Epiſcirosis, ἐπισκίρωσις, quoddam ſacrificandi genus: & menſis Scirophorion. Illud certè obſeruaui, diſtinctè qui græcè hęc nomina ſcripſerunt, hæc per ſimplex ἰῶτα, illa per diphthongum ει notaſſe: quamuis Stephanus & alij quidam confundant. Ergo illud rectè, qui Heſychium exſcripſit, σκειρῶν. Sed quod ſequitur, malè, ἀργίτις. ibi enim, vt etiã notat aſteriſcus, legendum eſt ἀργέστης, qui ventus eſt notiſſimus, vt cum Strabone alij declarant, qui de ventis ſcripſerunt: & ipſe in Aeolo, hoc eſt Syntagmate Neptuni retuli. Porrò & Scirrhada legimus, vt apud Arpocrationem: ἀθηναῖ, inquit, σκιρράδα τιμῶσι ἀθηναῖοι, Mineruam Scirrhada colunt Athenienſes.

Apaturias Pallas, id eſt deceptrix, ſeorſum à Venere nũcupata eſt. Scribit enim Pauſanias, Aethrã compreſſam à Neptuno, quo in loco Apaturiæ Mineruæ templũ, ab ea conſtructum: & pro Sphæria inſulam Hieram vocauit, ſtatutúmque

eſt, vt

eſt,vt Trœzeniorum virgines ante nuptias zonam huic deæ ſoluerent.De Apaturijs celebritate in Venere plenius egimus.

Hygeia,id eſt ὑγίεια Minerua ab Athenienſibus culta,cuius ſtatua in acropoli ænea ſpectabatur,à Pericle poſita,quòd ei in ſomnijs dea oſtendiſſet,quomodo ſanaretur artifex tantum non conclamatus,qui in propylæorum conſtructione ex alto ceciderat.Memini ſuprà ex Plinio,in Partheno. Huius deæ meminit & Lycurgus orator,in oratione περὶ τῆς ἱερείας.meminit & Pauſanias in Attica.item Val.Arpocratiõ.Fuit & altera Hygiæ Mineruæ ſtatua in populo Atticæ Acharnis,quam Soſpitem interpretatus eſt Domitius.Porrò de Hygia Aeſculapij alibi,hoc eſt,& cùm patre,& ſuo loco dictum.

Ilias Minerua cognominata eſt in Daulia,cuius templo canes alebantur:quibus id erat inſtituti ac moris,vt aduenientibus Græcis blandirentur: barbaris verò ſi aduenirent,latratu infeſti erant.Scribit Dion Chryſoſtomus in libro de bello Troiano,cum Vlyſſes legatus de pace ad Troianos miſſus fuiſſet, græcos à Troia abituros ſpopondiſſe,ſe Mineruæ relicturos maximam ac pulcherrimã oblationem,cum hac inſcriptione,Hilaſterion,id eſt ſacrum, Achiui Palladi Iliadi.ἱλαστήριος verò καθάρσιον θυσιαστήριον,id eſt expiatorium, ſeu propitiatoriũ,purgatorium ſacrificium.Mineruæ etiam in Ilio meminit Xenophon,ſtatim in principio Hellenicôn.

Singa Palladis nomen apud Phœnices,cuius nominis ſimulachrum Thebis Cadmus conſtituit,vt Pauſan.docet.

Craſtia Minerua templum habuit apud Sybaritas,de quo ſic Herodotus in v. Prope(inquit)Craſtia,Dorieum capta Sybari extruxiſſe aiunt templum Mineruæ,Craſtiæ cognomine.

Laphrya Pallas cognominata legitur,vt notat in Lycophronem Iſaacius, ꝙ ex bello ſpolia ducat:quaſi dicas,Laphyria,quando ita græcè ſpolia dicuntur. de Laphrya Diana ſuo loco agemus.

Pilætis Minerua cognominata eſt,quòd in portis vrbium appingeretur.quin etiam & in ædium ianuis,veluti in ſuburbijs Mars:ea ſcilicet ratione ſignificantes,in vrbe & ædibus prudentia opus eſſe:foris verò vt quæ eſſent,defenderentur armis belloq́;.

Aethyia Minerua cognominata,quaſi αἴθυια,id eſt mergus dicas:quòd cũ prudentia nauigare oporteat,mergi exemplo.Mineruæ Aethyię meminit in Attica Pauſ.Cùm,inquit,ab Apollinis & Dianæ Agreſtis templo deſcendis , Pandionis heroum,id eſt Pandionis herois templum occurrit,quem eo loco ſepultum iam diximus,quem Mineruæ Aethyiæ ſcopulum vocant.quo loco in græco & latino codice hoc nomen perperam ſcribitur.in græco enim ἤθυια,In latino verò ethyſia legit̃:cùm in vtroq; Aethyia legendum ſit.Rectius alio loco Pauſan.de eodẽ heroo Pandionis loquens:Ibi,inquit,Pandionem aduerſa valetudine extinctũ,cui in Megaride tumulus ad mare adiacet,quem Athenis αἰθυίας σκόπελος,id eſt mergi ſcopulũ,vel(vt vertit Domitius) Gauię ſcopulũ nuncupãt.

Endarthyia,hoc eſt,ἐνδαρθυία,hoc nomine culta à Megarenſib.vt ſcribit Heſychius,quoniam Minerua in αἴθυιαν,id eſt in mergum conuerſa, ſub alis Cecropa occuluit,& in Megaram deduxit.hinc illi eſt cognomen: quod exiſtimaui cum ſuperiore conuenire.Sed cùm Phauorinus idem ijſdem verbis referat, vt ipſum eſt apud vtrunq;,ipſe quoq; retuli.

Ἐργάνη Pallas cognominata,vt Theophilus ait,ex eo quòd ſit præſes muliebriũ operum:Operaria latinè dici poteſt.Meminit Artemidorus lib.2. de Inſomnijs, & Arpocration. Aelianus & Pauſ.hoc nomine tradũt primùm ab Athenienſibus nuncupatam.Diod.Siculus eo nomine vocatam ait,quòd plura inſtrumenta inuenerit ad diuerſas artes.eadem ratione & Mechanitis Minerua cognominata putatur,quòd excogitarit artes.hinc eſt etiam in prouerbijs græcis, σὺν Ἀθηνᾷ.Illud quoq; obſeruat Heſychius,quod etiam Ἐργάτις à Samijs ſit dicta.

σάλπιγγος ἀθανᾶς, hoc eſt, tubicinis Mineruę cognomen Pauſ. commemorat: cuius templum Hegeleum poſuiſſe ait, qui Tyſſeni ſeu Tyrſeni potius filius fuit. Porrò ipſe Tyſſenus, Herculis & puellæ Lydiæ filius, qui primus tubam inuenit, vnde & Latini Tyrrhenorũ inuentum tubam tradunt, qui aliquando à Gręcis Tyrſeni appellati ſunt. qua ex re Hegeleus à tuba Mineruam Salpinga vocauit. Lege apud Pauſ. plura in Corinth. Heſychius & Phauorinus Salpingis Mineruæ templum aiunt apud Argiuos fuiſſe.

γιγαντοφόντιδα etiam vocatam legimus Mineruam, hoc eſt Giganticidam, vt Phurnutus ait, id etiam in allegoriam transferens.

Νίκη ἀθηνᾶ, id eſt Victoria Minerua Athenis colebatur, cuius meminit Licurgus orator in ea oratione, quæ inſcripta eſt περὶ ἱερείας. Huius deæ ſimulachrum ſine alis erat, hoc eſt ἄπτεροις, in dextra malum habens granatum: ſiniſtra verò κράτος, id eſt galeam, vt quidam interpretantur. ita verò culta fuit in acropoli, id eſt Athenarũ arce, vt in primo de Acropoli Heliodorus ſcribit, & Arpocratiō repetit. De victoria quæ ſine alis, id eſt ἄπτερα ab Athenienſib. colebatur, actum eſt: & cùm de victoria ageremus, diuerſa recenſuimus. Fuit & in arce Megarenſium νίκης ἀθηνᾶς ſacellum, & aliud item αἰαντίδος, ab Aiace dictum, vt Pauſan. ſcribit. Meminit & νίκης Phurnutus. Extat in Hiſpania marmoreum hac inſcriptiōe: Palladi victrici ſacrum: hîc hoſtium reliquias profligauit Cato, vbi ſacellum miro artificio conditum, & æream Palladis effigiem reliquit.

πολιὰς ἀθηνᾶ, quaſi tu dicas, ciuilis vel vrbana Minerua, dicta (vt innuit Pauſanias in Attica) quòd in acropoli eſſet, quem locum eo tempore πόλιν, id eſt vrbē appellabant. Phurnutus autem non tantum Poliada, ſed etiam ἐρυσίπολιν nominatam ait. Ferunt verò tum primum hoc cognomine dictam Mineruam, cùm (vt antè diximus) iam Iupiter ſtatuiſſet, vt promiſcuè Neptunus & Minerua Atticæ præſiderent. vnde ab vrbe ipſa Poliada vocarunt, & Stheniada, ſed Neptunum βασιλέα, id eſt regem. vnde & nummi eorum fuſcinam, ſeu tridentem altera parte, & altera Mineruæ os habebant: quamuis alios auctores ſecutus ſuprà, idē de Trœzenijs tradiderim. ſcribit Strabo lib. 9. Poliadis Mineruæ templum in ſaxo vetuſtum fuiſſe, in quo lucis inextinctæ lychnus erat. idem Parthenon, quod Ictinum cōdidiſſe ferũt. hinc ab aliquibus Ictini domina Pallas vocata eſt. Sed enim Pauſanias in Attica de Poliade & lychno alia. Callimachum enim, non Ictinum ait, qui marmor primus ſecuerit, vnde illi nomen κακιζότεχνου inditum. Scribit Heſychius, οἰκουρὸν ὄφιν, Poliadis Mineruæ cuſtodem draconem vocatum. & hic quidem vnum, alij verò duos aiunt in Erechthei templo: & hunc acropoleos, id eſt arcis cuſtodem, cui ex melle placentam offerebant, Poliadis Mineruæ peplum primos contexuiſſe legimus, Aceſeum Patarenſem, & Heliconem Cariſtium: de quibus in Prouerbijs legitur & hiſtoria. duas virgines vocatas Canephoras, quaſi dicas Ciſtophoras, huic deæ quotannis ſtatuebant, quæ inſeruirent, de quibus plura Pauſan. Sed & alibi gentium alia fuiſſe Poliadis Mineruæ templa legimus, inter quæ illud quod Polieum ab ea nuncupabatur, apud Iliũ. Fuit & Tegeatis Poliatidos Palladis templum, in quod ſemel in anno ſacerdos ingrediebatur. lege in Arcad. Pauſan.

Alipheræa Minerua cognominata eſt, vt Stephanus & Polybius ſcribunt. ἀλίφειρα vrbs fuit Arcadiæ: hæc (vt Polybius tradit) in ſummitate collis arcem, & æneam Mineruæ ſtatuam longè à cæteris ſpecie ac magnitudine differentem habuit, quæ à quo, aut cuius ſumptibus, quoue tempore erecta fuerit, etiam apud eius loci incolas in dubio fuit. hoc inter omnes idem auctor conſtare ait, opus eſſe inter omnia opera Hecatodori & Soſtrati excellentiſſimum. hinc ergo ἀλιφειραία nuncupata.

Itonia, & Itonias, & Itonis Minerua, vt notat Stephanus, & ſi Feſto ſtandum, Itonida: qui ſcribit, Itonida Minerua à loco appellata. Itonea verò à T. Liuio, qui in 6. lib. 4. Dec. ſcribit, Ibi ſtatua regis Antiochi in templo poſita Mineruæ Itonææ iram accendit. Callimachus in Cereris hymno:

ὤθον ἰτωνιάδος μιν ἀθαναίας ἐπ' ἄεθλα
ὀρμενίδαι καλέοντες. id eſt,
Cumq; ad Itoniados certamina Palladis ipſum
Ormenidæ inuitant.

Et Apollonius in primo Argon. ἔργον ἀθηναίης ἰτωνίδος, hoc eſt, opus Palladis Itonidis. quo loco interpretes, Itoniæ Mineruæ ſcribunt templum fuiſſe in Coronia Bœotiæ, de qua non intelligit Apollonius: ſed potius de Theſſalica Itonia, cuius meminerit Hecatæus in primo hiſtor. Strabo: Bœotij, qui venerat ex Theſſalia, expugnata Coronæa, Itoniæ Mineruæ templum in plano condiderunt, eodem quo Theſſalicum nomine. Armenidas verò in Thebaicis ſcripſit, Itonon Amphictyonis filium in Theſſalia natum fuiſſe: à quo ſit ἴτων ciuitas, & ἰτωνὶς ἀθηνᾶ, id eſt, Itonis Minerua. Meminit & Alexander in primo Caricorum commentariorum, item Stephanus & Suidas. Pauſan. in Attica, vbi de Pyrrhi regis victoria contra Antigonum agit, ſcribit, inter Lariſſam & Pheras Itoniæ Mineruæ poſitum fuiſſe templum. Citatur hoc Epigramma Pyrrhi apud Plutarch. item in vita Pyrrhi:

Hæc tibi dona refert clypeos Itonia Pallas,
Aeacides Pyrrhus, quos audax Galata in armis,
Et magnæ Antigoni bello amiſere cateruæ,
Quæ quondam Aeacidis armorum gloria parta eſt.

Sic verſu quidem heroico Domitius vertit, quod eſt elegiaco ſcriptum Græcè,

τοὺς θυρεοὺς ὁ μολοσσὸς ἰτωνίδι δῶρον ἀθάνᾳ
πύρρος ἀπὸ θρασέων ἐκρέμασεν γαλατᾶν.
πάντα τ' ἀντιγόνου καθελὼν στρατόν. οὐ μέγα θαῦμα,
αἰχμηταὶ καὶ νῦν, καὶ πάρος, αἰακίδαι.

Papinius etiam in extremo ſecundi Thebaid. de Minerua loquens:

Siue Aonia diuertis Itone Læta choris.

Quo loco, Placidius: Itone ciuitas Bœotiæ Mineruæ ſacrata. vt ipſe alibi ait,

Ducit Itonæos & Alalcomenæa Mineruæ Agmina.

Bacchilides Mineruam Itoniam dicit. ab Itone ergo Mineruam oppido cognominauit; quod eſt in Macedonia; vbi eius antiqua fuit ædes, vicina Bœotiæ, in qua regnauit Anthonous Herculis filius, & Paphies.

Ithomia Pallas, ab vrbe Theſſalica Ithome, cuius & meminit Homerus, vt docet Strabo libro 9. qui & Curalium fluuium ſcribit labentem παρὰ τὸ τῆς ἰθωμίας ἀθηνᾶς ἱερὸν, id eſt, præter Ithomiæ Mineruæ templum, Peneum ingredi. Legimus & montem Ithomen, vt in Ithomate Ioue docuimus. quare apud Catullum quidam ita legunt:

Quod tibi ſi ſancti conceſſerit incola Ithomi.

quod tamen non recipit amicus noſtras, pro Ithomi reponens Hymetti. Idem Catullus eodem poemate:

Vnigenamq; ſimul cultricem montis Ithomi.

nonnulli tamen Ithini legunt. De Ictino quidem bis Strabo meminit: ſed in carmine ſyllaba contumax repugnat. quare res amplianda, vt Ictini lychnus ſit asbeſtos. Mirum eſt viros alioqui doctos, Itoniam & Ithomiam confundere, cùm diuerſæ ſint, vt eſt à me oſtenſum. Bembus quidem apud Catullum vbique Itoni legit, in dialogo ad Herculem Strozam: & duplice facit, citato ſuper hoc ex lauacro Palladis carmine Callimachi.

ζωστηρία ἀθηνᾶ. Zoſteria Minerua cognominata, cuius meminit Heſychius. Pauſanias verò in Bœot. ait, Amphitrionem ſtatuas duas erexiſſe ligneas, cùm aduerſus Eubæos & Chalcodontem pugnaturus arma indueret, quod veteres ζώσασθαι, arma induere dicerent. & Homerum ait, Agamemnona Marti ſimilem zona armorũ, &c. Stephanus verò in libro de Vrbibus, ζωστῆρα Atticæ eſſe Iſth-

mum ſcribit, vbi ferunt Latonam zonam ſoluiſſe, cùm in paludem deſcendiſſet, vt lauaretur: quo in loco piſcatores ſacra Latonæ & Dianæ faciebant, & Apollini Zoſterio. Tum & hoc ſubdit, quod in Locris Epicnemidiis etiam Minerua coleretur Zoſteria.

θαλλοφόρος ἀθηνᾶ, hoc eſt Ramifera Minerua eſt cognominata, à ramis oliuæ, puto. huius in Sympoſio meminit Xenophon, qui in eius celebritate ſenes ait venuſtos eligi.

ἀλαλκομενηὶς ἀθηνᾶ, ab Alalcomeneo dicta, vt eſt apud Stephanum, qui eius deæ ſtatuam erexit: non autem, vt Ariſtarchus putauit, παρὰ τὸ ἀλαλκεῖν, id eſt auxiliari. Alalceis enim vocaret̃, quam tamen ſententiã ſequit̃ Phurnutus, qui eandem etiã appellatam ait ἀγελείδα, ἀπὸ τοῦ ἄγειν τοὺς λαοὺς, hoc eſt, ab agendo populos: vel ab ἀγελαίαις, id eſt armentis boum, quæ illi ſacrificabant, vt indomita. vel vt alij tradunt, Agelea dicta eſt quaſi ἄγουσα λέαν, hoc eſt, agens prædam. meminit Herodotus libro nono, & Homerus cùm alibi, tũ in quarto Iliad. πρώτη δὲ διὸς θυγάτηρ ἀγελείη. hoc eſt, Prima autem Iouis filia Agelea. Sanè idem Alalcomenus & vrbem à ſuo nomine dixit Alalcomenen, de qua intellexit Statius libro Thebaid. ſeptimo,

Ducit Itonæos, & Alalcomenæa Mineruæ Agmina.

quo loco Lutatius Placidus grammaticus ita caſtigate legendus: Alalcomena ciuitas eſt Bœotiæ, in qua regnauit Herculis filius. hinc Bacchylides græcus poeta fuit, quẽ imitatus eſt Horatius, &c. in qua nata eſt Alcmena Herculis mater, & in qua etiam colebatur Minerua.

Porrò Aelianus etiam vocat Mineruam Alcomeneida. ſic enim ait: In Cereris templo, quod eſt in vrbe, Aranea ſolitam texit telam ante ſimulachri faciem: Mineruæ etiam ſimulachrum, quæ Alcomeneis dicebatur, ſponte ſua combuſtum eſt. & alia eiuſmodi complura.

Alcides Minerua cognominata à Macedonibus. T. Liuius libro ſecũdo quintæ Dec. de Perſe rege bellum aduerſus Romanos ſuſcipiente: Ipſe, inquit, centũ hoſtiis ſacrificio regaliter Mineruæ, quam vocant Alcidem, confecto, cũ purpuratorum & ſatellitum manu profectus Citium eſt, id Macedoniæ oppidum eſt.

Catuleana Minerua dicta, de qua Plin. trigeſimoquarto. Nat. hiſtor. de Euphranoris Alexandro, id eſt Paride agens. huius eſt, ait, Minerua Romæ, quæ dicitur Catuleana, infra capitolium, à Q. Lutatio Catulo dicata. Sunt qui libentius Catulianam legant.

Muſica Minerua etiam appellata fuit, de qua idem Plinius eodem libro trigeſimoquarto, capite octauo. Demetrius, inquit, fecit Mineruam quæ Muſica appellatur, quoniã dracones in Gorgone eius, ad ictus citharæ tinnitu reſonabãt.

Captam Mineruam quoque cognominatam legimus à Romanis, cuius delubrum fuit ad Cœlij montis radices: quæ cur ita vocaretur, varias in 3. Faſt. Ouid. opiniones recitat. ita enim canit.

Cœlius ex alto qua mons deſcendit in æquum,
Hic vbi non plana eſt, ſed propè plana via eſt.
Parua licet videas Captæ delubra Mineruæ,
Quæ dea natali cœpit habere ſuo.
Nominis in dubio cauſa eſt. Capitale vocamus
Ingenium ſollers, ingenioſa dea eſt.
An quia de capitis fertur ſine matre paterni
Vertice cum clypeo proſiluiſſe ſuo.
An quia perdomitis ad nos captiua Phaliſcis
Venit, & hoc ſigno ſyllaba prima docet.
An quod habet legem, capitis quæ pendere pœnas
Ex illo iubeat furta reperta loco.

A qua-

quacunq; tranas ratione vocabula, Pallas,
Pro ducibus noſtris ægida ſemper habe.

Addit & his aliam grammaticus Marſus ſuam opinionē, Captámq; Mineruam fortè vocari poſſe ille exiſtimat, quòd captus locus ex Feſti ſententia, ad ſacrificandum legitimè conſtitutus diceretur.

Nerine etiam Minerua, vel Neriene dicta fuit, ſi Porphyrioni Horatiano interpreti ſtamus: qua de re in Marte ſatis ſcripſimus.

Oleria Minerua appellata eſt, & Oleria feſta, ab vrbe Olero, quæ in Cræta fuit, vt Stephanus meminit.

ἀνεμῶτις ἀθηνᾶ, id eſt Anemotis Minerua, hoc eſt ventoſa, colebatur in ciuitate Methone, vbi & templum & ſimulachrum habuit, quod Diomedes dicaſſe fertur, vt Pauſan. docet: dicta, quòd ibi dea moleſtum ventum ſedarit.

Cydonia Minerua, cognominata quidem de nomine vrbis Cretenſis: templum verò à Clymeno Herculis Idæi nepote erectum fuit, vt apud eundem Pauſaniam lègimus.

ἀκρία Pallas dicta eſt Argis, vt Heſychius ſcribit, quòd ἐπὶ τινὸς ἄκρας, id eſt, quadam montis ſummitate conſtituta eſſet, à qua & Acriſius eſt denominatus. Eſt autem & Iuno, & Diana, & Venus eodem nomine Argis nuncupata, quòd pari modo in eadem ſummitate, id eſt ἐπ' ἄκρῳ ſint poſitæ.

Colocaſiæ Mineruæ templum fuit in Sicyone, vt eſt in 3. apud Athenęū, quo loco de ciborio & colocaſia agit, ex Nicandri Georgico.

ἐπιπυργῖτις ἀθηνᾶ, hoc eſt, turriū pręſes Minerua, ſic vocata & culta in Abderis, vt Heſychius ſcribit. ἐπιπυργιδίαν Pauſanias vocat in Corinth.

ἀτρυτώνη ἀθηνᾶ, hoc eſt Illaborioſa, & infatigabilis vllo labore, vt Phurnutus, vel inuulnerabilis in bello Minerua: Heſychius & Phauorinus. Sed & Phlyenſes Myrinuſij, vt Pauſ. ſcribit in Attica, Mineruam τιθρώνην colebant. interpretatur Domitius, Almam.

Pœonia Minerua id eſt medica cognominata, cuius cùm alibi ſimulachra, tum in primis in Attica Pauſ. commemorat, vt quidem apud Oropios in ara Amphiarai, item in Ceramico vnà cum Apolline Muſageta.

Aſia Minerua, id eſt ἀσία ἀθηνᾶ, cuius templū Pauſ. ait fuiſſe in ruderibus, conſtructum verò à Caſtore & Polluce ex Colchis reuerſis. nam & apud Colchos eodem nomine templum fuerat.

Hippolaitis Minerua dicta fuit, vt idem Pauſanias tradit, ab vrbe Hippola, cuius ruinæ extabant Pauſaniæ tempore. vrbis meminit & Stephanus.

Promachorma Minerua cognominata, quæ in monte Buporthmo templum habuit in inſula Trierana, vt in Corinth. Pauſ. ſcribit.

κελευθείας ἀθηνᾶς, hoc eſt, adhortantis Mineruę ſimulachrum confecit Vlyſſes, poſtquam curſu ſuperauit procos: Pauſanias.

Agoræa Minerua, id eſt forenſis, à Lacedęmoniis culta. idem Pauſanias.

Neduſia Minerua dicta, teſtibus Suida & Stephano, à loco vel vrbe Laconię. Strabo quoque tum libro octauo, tum vndecimo, Neduſiæ Mineruæ meminit, quam à Nedonte loco nomen habere ait. ſed duplex quidem templum Neduſiæ his verbis idem Strabo facit: Pręter Pheras autem, inquit, Nedon amnis per Laconicum labitur agrum, alter à fluuio Neda: Neduſiæ verò Palladis cognomēto inſigne templum habet. Eſt etiam in Pœaſſa Neduſię Palladis ſacellum nobile, à Nedonte loco nomen aſſecutę hęc quidem in octauo. in vndecimo verò ita: Inter autem ędem & Pœaſſæ parietina, Neduſiæ Mineruę ſacellum eſt, quod Neſtor ſecundum eius à Troia reditum ędificauit.

Ambulia Minerua: vide in Ambulio Ioue.

Parię, id eſt παρείας Mineruę ſimulachrum ſub diuo in Laconia deſcribit Pauſanias. Paniæ verò in gymnaſio Cylabare poſita fuit auctore eodem.

Axioppœna Minerua ab Hercule cognominata, cùm ſe vltus fuiſſet de Hip-

pocoonte & filiis, qui illum expiare abnuerant, & Oeonum interfeciſſent, ipſe Palladis Axiopœnæ templum in rei memoriam conſtruxit. antiqui enim ποινὰς vltiones vocare, vt & nos, conſueuere: vide noſtrum Herculem, vel Pauſaniam, qui hiſtoriam pluribus exequitur.

Cyriſtis Minerua à Strabone commemoratur libro decimoſexto. dicta à regione Cyriſtica, quæ Antiochenſium agrum attingit, à ſeptentrione verò Amanum montem. Huius regionis Tyndarus ciuitas fuit, Cyriſticæ regionis arx. atque inde Cyriſtis Minerua ἀθηνᾶ κυρισὶς appellata. Porrò & κυῤῥῆστις Minerua à Cyrrho Syriæ vrbe nuncupata, vt ait Stephanus, quæ tamē eadem eſt, niſi quòd differunt Græca exemplaria, ſcriptura.

σωτεῖρα, id eſt, ſeruatrix Minerua cognominata, teſte Heſychio. Soteræ Palladi & Neptuno, ait Pauſanias, Vlyſſem in vertice montis Borei, reuerſum à bello Troiano, templum condidiſſe. Sotera Pallas etiā à Galeno, aliiſq; antiquis medicis, antidotus quædam cognominata eſt. Legimus in Palladis Soteræ, quæ etiam Soteris dicitur, templo compedes, quibus vincti Lacedæmonij fuiſſent, ſuſpenſos fuiſſe: licet in exemplari Bapt. Leonis, pro Soteræ, Solertis legatur.

Sunias Minerua frequenti cognomine fuit apud Græcos, denominata à promontorio Atticæ regionis. de qua ſic Pauſan. In Græcia, quæ ad continentem è regione Cycladum inſularum & maris Aegæi adiacet, Sunium prominet, Atticæ promontorium: quod ſimulac pernauigaueris, & portus & Palladis Sunaidis delubrum in promontorij vertice exiſtit.

ληῖτις, id eſt prędatrix Minerua nuncupata fuit, quoniam pręeſſe credebatur prędæ, quę ληὶς grecè dicit. Phurnutus. Vel potius, ait, quòd ſeruatrix bonorum ſit, & poplorum. ac ciuitatis quidem, & domus, & totius vitę pręſidem poetæ fecere prudentiam: atq; ob hanc cauſam & ἐρυσίπολις & πολιὰς etiā cognominata eſt, hoc eſt protectrix vrbium.

ἀηδὼν, Aedon id eſt luſcinia, Minerua à Pamphyliis nūcupata, vt ſcribit Heſychius & Phauorinus.

Narcęa Pallas cognominata eſt à Narcęo, Dionyſij & Phiſcoę filio: qui deuictis finitimis eſt magnam adeptus potentiam, & deæ templum de ſuo nomine erexit, vt eſt à Pauſania proditum.

ἀῤῥενόθυμος ἀθηνᾶ, ſic à Græcis cognominata Minerua, quòd non muliebriter, ſed viriliter iraſcat, viriliq; ſit animo: vt in primis in eo hymno legimus, qui ipſi deæ Polymiti à gentilibus canebatur:

ἀῤῥενόθυμε, φέρασπι, μεγασθενὲς, ὀβριμοπάτρη,
παλλὰς τριτογένεια, &c.

quæ omnia vides eſſe deæ epitheta.

Cranea Minerua, cuius in Phocaicis Pauſ. meminit. eius enim celebre fuit tēplum, 20 ſtadiis tantum diſtans ab Elatea.

Dymęa & Lariſea Pallas, apud Achęos fuiſſe dicitur. hęc ita nūcupata, quod Dymęa vrbs diſtet CCC ſtadiis à Lariſo fluuio. lege Pauſaniam.

Coreſia Minerua, de qua Cicero libro tertio de Nat. deorum: Quarta, inquit, Minerua Ioue nata, & Polyphe Oceani filia, quam Arcades Coreſiam nominant, & quadrigarum inuentricem ferunt. Stephanus verò ait, Corion locū eſſe in Creta, ἀπὸ κόρης τινός. vnde ſit ciuis Coreſius, & palus Coreſia, καὶ ἀθηνᾶς ἱερὸν κορησίας, & Mineruę templum Coreſię, quam potius deductam ait à κόρη, quàm à Corio: vnde rectius fiat Corieus.

Agraule Minerua, Euſebius in quarto. Agraulos filia Cecropis fuit, & Mineruę cognomen: Arpocration. Sanè Latini vidētur legiſſe Aglaurum, vt apud Ouidium in Metamorph. Populus etiā Athenis tribus Erechtheidos fuit ἀγραυλῆ, teſte Stephano: qui & ſine α aliquando ἀγρυλῆ vocatur. Porrò etiam tres Cecropis filię dictę ſunt à rebus, quę augere faciant fructus, πάνδροσος, ἕρση, ἄγραυλος. & priores quidem à rore dictę, tertia verò à ruſticatione.

Lemnia

Lemnia Minerua Athenis cognominata, vt Pauſanias ſcribit, quòd à Lemniis conſecrata fuerit: Ex omnibus, inquit, Phidiæ operibus potiſſimùm ſpectabatur Palladis ſtatua, quæ à conſecrationis auctoribus Lemnia appellatur. Calydoniæ Mineruæ tanta fuit religio, vt capitalem fraudem auſi, aut pecunia iudicati, qui ad illam confugiſſent, noxa pecuniáque exoluerentur. quod idem præſtabatur Pergami in Aſia ſi quis ad Aeſculapij ædem confugiſſet, vt Polyhiſtor ſcribit Alexander.

Onca, hoc eſt, ὄγκα ἀθηνᾶ, dicta apud Phœnices, vt Stephanus ſcribit. vnde Oncææ dictæ ſunt Thebarum portæ. Citat Stephanus Euphorionē. Heſychius quoque Oncæ Mineruæ meminit, aitque & portas Ogygias, id eſt, Thebanas ſignificare. alibi tamen ὄγγαις Mineruam ait Thebis cognomen habere à loco, cùm ὄγκαιν ſit legendū. Fit enim valde veriſimile, Cadmum ex Phœnicia hoc Mineruæ nomen in Bœotiam attuliſſe. Sed enim & Pindari interpres in Olymp. in hymno ad Theronem, ſuper ea verba Pindari, quibus ait Mineruam continenter amare Semelen: Pallas vt dea indigena amat Semelen. Cadmus enim ſtatuam ei erexerat, Oncis Bœotiæ vico, vbi & Oncæa Minerua colebatur. Cæterùm legimus etiam in Aeſchyli tragœdia, quæ Septem duces ad Thebas inſcribitur, Ongeas quaſdam Thebis denominatas fuiſſe portas, a Palladis cognomine Ongeæ iuxtà ædificato templo, ſic appellatas. Onga autē apud Phœnicen dicta eſt Minerua, à quibus Cadmus traxit originem. hinc videmus Onca & Onga dici.

ἀρακινθὶς ἀθηνᾶ, Aracinthis Minerua cognominata, teſte Stephano, ab Aracintho monte Bœotiæ. meminit & Rhianus poeta in Fama:

κλῦθί μοι εὔχαλις ἀρακινθιὰς εὐπατέρεια, hoc eſt:

Audi me felix Aracinthias ab Ioue nata.

ἀσυρὶς ἀθηνᾶ. Aſtyris Minerua colebatur, teſte Stephano, in Aſtyra vrbe Phœniciæ, verſus Rhodon. Aſtyrena verò Diana in Italia colebatur, vt idem ibidem teſtatur, & Strabo: vt plenius in Diana dicendum.

ἀσσησία ἀθηνᾶ, Aſſeſia Minerua, de qua Herodotus in primo. Fuit verò Aſſeſus terræ Mileſiæ ciuitas, vt Stephanus ſcribit, ex Theopōpi libro XXIIII. Herodotus: Vbi Aſiæ Ionia bello ab Alyatte rege vexata, & ſegetes incenſæ, fanum Aſſeſiæ Mineruæ incendio eſt conflagratum.

μονογενὴς, quæ & μονογένεια ἀθηνᾶ dicitur, Vnigena Minerua à noſtris dicta, quòd ex ſolo Ioue nata eſt. Catullus:

Vnigenámque ſimul cultricem montis Ithomi.

Gorgona Mineruam Cyrenenſes, vt Græci grammatici notant: ſed & hoc nomine eam Romani inuocabant. M. Tullius ad Equites: Téque, inquit, Tritonia armipotens Gorgona Pallas Minerua, &c. De Gorgonum verò ſororum fabula, non eſt meum hoc loco plurima quæ traduntur hic, congerere, præcipuè cùm Græcis Latiníſque poetis ſcriptoribus deſcriptæ legantur.

Λαοσσόος ἀθηνᾶ, hoc eſt, Seruatrix populorum Minerua cognominata, vt Phurnutus & Heſychius notant. Theocriti interpres in IIII Edyllio ait, λαοσσὸς γὰρ ἡ ἀθηνᾶ, quæ populum ſequatur, vel ſeruans. δύσσοον quidem malum genium, id eſt cacodæmona ſignificat, vel qui inuitus ſeruat.

Ciſſea cognominata Pallas, cuius delubrum fuit celebre in arce Epidauri, vt eſt apud Pauſaniam.

ταυροβόλος ἡ ἀθηνᾶ dicta eſt, teſte Suida in Andro. nam cùm Anius dediſſet taurum Atridis, iuſſit, vt vbicunque è naui exirent, Mineruam conſecrarent. & ita cùm nauigaſſent, in Andro conſtituerunt.

Scilluntiæ Mineruæ templum, ſcribit in VIII Strabo, ad Scilluntem inter illuſtria numeratum fuiſſe: vnde σκιλλουντία ἀθηνᾶ.

Sais Minerua dicta. Strabo in XVII: Sais inferioris regionis Aegypti metropolis, vbi Minerua colebatur, in cuius templo Pſammetichi ſepultura fuit. Meminit & Herodotus in ſecundo. Propertius:

Mercurio Sais fertur Bœbeidos vndis
Virgineum primo compoſuiſſe latus.

Dicitur & Saites Minerua. Scribit Stobęus in ſermone qui de legibus & conſuetudinibus inſcribitur, quòd in Sai vrbe Aegyptia colebatur Minerua, quæ & Iſis credebatur: ideóque Sphinges pro eius templis apponebantur, quoniam ſacra deorum myſtica eſſe, & ænigmatica conuenit.

Sicyonia Pallas, cuius templum apud Sicyonios conſtruxit Epopeus Sicyonius, de Thebanis victor. Ferunt, cùm is perfecto templo deam rogaſſet, ſi gratum id haberet, aliquo oſtenderet ſigno: tum in eo loco oleum copioſe fluxiſſe.

Auxiliarē Mineruā, id eſt αὐξιλιάριν coluere Romani, quod Plutarchus oſtendit, & Clytonymus in libro rerū Italicarū, qui ad illius αὐξιλιαρίας ædem Caſſium Brutum confugiſſe produnt: tandémq; ibi fame necatū, inſepultúmq; iacuiſſe.

προναίας ἀθηνᾶς τέμενος, vel vt Herodotus προνοίης ἀθηναίης ἱρὸν, hoc eſt (vt Valla aliquando eſt interpretatus) fanum Protēplaris Mineruæ, fuit apud Delphos, quod poſt Herodotum Heſychius etiam confirmat. Pauſanias quoq; in Bœoticis, Mineruæ & Mercurij protemplares, id eſt προναοὺς vocat, qui eſſent in templo Apollinis Iſmenij: quorum alterum Phidias, alterum Scopas feciſſe dicūtur. Ad hæc legimus apud Phurnutum & πρόνοιαν, id eſt prouidentiam appellatā Mineruā. quin etiam & προνοίας ἀθηνᾶς, id eſt Mineruæ prouidentiæ apud antiquos templa erigebantur, vt etiam auctor eſt Pauſanias in Phocaicis.

μαγαρσία ἀθηνᾶ, Magarſia Pallas, vocata ab ingenti tumulo in Cilicia, vt ait Stephanus, apud vrbem Mallon. Arrianus in ſecundo de Alexandri hiſtor. Alexander, inquit, Magarſum profectus, Mineruæ Magarſidi ſacrificauit.

μυγισία ἀθηνᾶ καὶ μυγισαΐς, id eſt Mygiſia Pallas, vel Mygiſais, vocata eſt à Mygiſis vrbe Cariæ, cuius Hecatæus meminit in quarto Genealogiarum.

ἀλκιμάχα ἀθηνᾶ cognominata in bello, à virtute videlicet. meminit Suidas. vnde illud, ναὸν ὑπωρόφιας παλλάδος ἀλκιμάχας, hoc eſt, templum ſubtectæ Palladis Alcimachæ.

σταθμία quoq; cognominata Minerua, à Stathmios, quæ vox multa ſignificat, ſed in primis ſtationem, ſtatiua, ſtabulum, libram, alia: Heſychius.

περιπεπλεγμένη, ἢ ἀναπεπλεγμένη ἀθηνᾶ, teſte Polluce in ſecundo, vocata eſt, vbi de tonſoribus agit, id eſt Minerua circumamicta, vel redemita, cognominata quoq;, vt Phurnutus ſcribit δορυκέντειρα, quòd haſta ferire & ſtimulare diceretur. Et quòd cum Victoria aſſiſtrice Gigantes vicerit, γιγαντοφόντης nuncupatur, eodem Phurnuto auctore.

εὐπήχυν ἀθηνᾶν, hoc eſt boni cubiti, & perinde fortis, Mineruā vocat Rhianus poeta Græcus, cum canit, ἀμφί τε δ᾽ εὐπήχυν ἀθήνην, Ambitq; Eupechin Athenan.

Legimus pręterea & alia nonnulla Mineruæ cognomina, apud Heſychium pręcipuè, & Phauorinum, alióſque Gręcos ſcriptores, quæ omnia colligere difficile eſt. nā & νηίθ Minerua ab Aegyptiis, vt Plato ait, dicta eſt. Heſychius, νηίθη. item ἡφαιστία, Hephæſtia, id eſt Vulcania, κναφή, ἐλλωτίη, & quæ Bombylia diceba-tur à Bœotiis. Agripha etiam, item ἱππαλυσία vocata, & Mænalis à Pauſania dicitur Minerua.

Armipotens, & Armiſona vocatur à poetis. Vergilius:

Tum numina ſancta precamur Palladis armiſonæ, &c.

Cicero ad Equites: Téq;, inquit, Tritonia armipotens, &c. Statius item vocat Palladem littoream, illo Achil. carmine:

Palladi littoreæ celebrabat Scyros honorum Fortè diem.

Sed mihi potius ex tempore epithetum, quàm perpetuum cognomen eſſe videtur. nam Pallas præcipuè arcium dea cenſebatur. vnde illud Vergilij,

Pallas quas condidit arces Ipſa colat,

In Scyro tamen eius templum littorale fuit. hinc & illud eiuſdem Statij:

Placidaq́; ſuper Tritonia cuſtos.

SYNTA-

SYNTAGMA DVODECIMVM, DE DIANA, LVNA, HECATE, ISIDE, AD IL- luſtriſs.ac doctiſs.Herculem Bentiuolum:

Memini illuſtriſſime ac dilectiſſime Hercules *Bentiuole, ſuperioribus noſtris his libris tibi me pollicitum fuiſſe hoc de Diana* Syntagma*, quod in præſentia nomen vtcunque exoluo. Tu maiora volenti, quàm vires & valetudo præſtare valeant, faue, vt ſoles. Vale.*

DIANA dicta eſt, ſi Macrobio ſtamus, ab Iana, D litera addita. Iana enim Luna eſt, etiam Varroni in libro de Re ruſtica: alij à Διός, hoc eſt Ioue, quaſi Iouiana: Iouis enim filia. quidam & dictam credidere quaſi Deuianam, quoniam venantes per deuia & ſyluas deuiare ſoleant, captantes feras. alij Diuianam vocant: hinc et Dianius locus, Dianæ conſecratus dicebatur. eſt & Dianaria herba, quæ Gręcè eſt artemiſia, vt eſt apud Vegetiũ in mulomedicina. ἄρτεμις enim Gręcè Diana, vt notũ eſt, nuncupata, vt Plato docet, διὰ τὸ ἀρτεμὲς καὶ τὸν κόσμιον, διὰ τὴν τῆς παρθενίας ἐπιθυμίαν: hoc eſt, propter integritatẽ & modeſtiã, propter virginitatis deſiderium. vel forſitan quaſi ἀρετῆς ἵστωρας, id eſt virtutis inſpectrix & conſcia. vel dicta eſt ἄρτεμις, quaſi ἄροτον μισησάσης, id eſt quòd arationem vel coitum viri & mulieris odio habeat. Strabo verò in XIIII ſcribit, ἡ ἄρτεμις ἀπὸ τοῦ ἀρτεμέας ποιεῖν: hoc eſt, Artemis dicta quòd integros faciat. vnde etiam Phornutus ait, huius rei cauſa καθ' εὐφημισμὸν Artemin quidem ἀπὸ τοῦ ἀρτεμέος, ὅ ἐστιν ὑγιές denominari. Macrobius tamen ad Lunam reſpiciens, ait, ἄρτεμις quaſi ἀεροτόμις, quòd ſcilicet aera ſecet. Dianas tres cõnumerat M. Cicero in tertio de Nat. deor. primã Iouis & Proſerpinę filiã, quæ pennatũ Cupidinẽ genuiſſe dicitur: ſecundam notiorem ait, quam Ioue tertio & Latona natã accepimus: tertiæ pater Vpis fuiſſe tradit, mater Glauce, eam ſæpe Græci Vpin paterno nomine appellant. hæc ille. Sed & Latini Opin prima producta, quaſi Vpin, ſi non mentimur, vocant. βένδις verò Diana dicitur à Thracibus, vt Strabo & Phauorinus tradũt. eadem & βούβαστος, vt Heſychius tradit. ab Athenienſibus, βενδίδεια vocatur eius deæ celebritas. Tarentini autẽ Dianam Angeli nomine nũcupabant, vt idem ſcribit Heſychius. à Perſis verò ζαρῆτις, id eſt, Zaretis: Arſilache, ſeu Orſilache, à populis Tauricæ regionis, vt Ammianus prodit. αἰδὼ eſt à Chaldęis Luna nũcupata, vt notat Harpocration. Aſtroarche, ab Africanis Carthaginenſibus, vt Herodianus prodit in hiſtoria. Exiſtimarũt Dianam etiam antiqui furorem immittere, atque ideo in poetica Horatius Iracundam nominat: & in Partu virginis Actius Sanazarius libro tertio:

Cedet & infeſtæ violentior ira Dianæ,

dixit, cùm furentis morbum deſcriberet. vnde etiam ἀρτεμιδολήπτους Græci dicũt, & σεληνολήπτους, vt docet Macrob. Eſt etiã apud Gręcos verbũ σεληνιάζομαι, à Luna deductum, vt notant Grammatici, quod ſignificat lunaticũ eſſe: de quo genere morbi cùm alij multa, tũ plura Galenus, à quo etiã Hippocratis verba corrigantur. Creditur verò ideo vocatus hic morbus, quòd furor nõ ſit perpetuus, ſed certis recurrat interuallis. Alij, quòd qui interlunio natus ſit, hoc morbo tentari ſoleat: quod & innuere videt Quintus Serenus poeta. Scribit Seruius, Virbij numen coniunctum Dianæ, cultum fuiſſe antiquis apud Ariciam. id quod cùm alij, tum vatum maximus Vergil. in Aen. octauo cecinit: & Seruius idem copioſe exponit, totámque ibidem Hippolyti fabulam explicat. Fuit & Virbij cliuus prope Romã, vt Perſius ſexta Satyra innuit, & Probus ſeu Cornutus interpretatur, qui & ipſe de Virbio paucis multa executus eſt. Scribit Sex. Pompeius, quòd iuuenilia fingebãt Dianæ ſimulachra, quia ea ætas fortis eſt ad tolerandam viam. Diana enim, ait, viarum putabatur dea. Sed enim Dianæ imagines vario modo effingebãtur. nam aliter vt venationum dea, aliter vt quieta & pacifica, aliter vt

Luna, prima, nympharum habitu ſuccincta, arcu & pharetra & iaculis armata: altera, vt virgo ſtans. Pauſ. in Cypſelo, id eſt arca, in qua Cypſelus conditus fuit, inter cætera Dianam alatam inſculptam fuiſſe ſcribit, quæ altera leonem, altera pantheram teneret: cauſam ſe ignorare, ipſe fatetur. poſtrema bigis vecta, nunc vaccis, nunc equis bicoloribus trahentibus. Claudianus quidem graphicè Dianam his verſibus deſcribit:

At Triuiæ lenis ſpecies, & multus in ore
Frater erat, Phœbiq; genas, & lumina Phœbi
Eſſe putes, ſolusq; dabat diſcrimina ſexus.
Brachia nuda nitent, leuibus proiecerat auris
Indociles errare comas, arcuq; remiſſo
Ocia neruus agit. pendent poſt terga ſagittæ,
Criſpatur gemino veſtis Cortynia cinctu,
Poplite fuſa tenus. motóq; in ſtamine Delos
Errat, & aurato trahitur circumflua ponto.

Porrò Dianæ coronam ex heliocryſo attribuêre ſcriptores, quia puella quædam Eteſia eo flore eã coronare ſolita eſſet. Porrò vt Feſtus ſcribit, Hecate Diana & Luna & Proſerpina eadem putabatur. Idem tradit Iſidorus, qui & eas effingit ita,

Quando etenim luna eſt, ſubluſtri ſplendet amictu:
Cùm ſuccincta iacit calamos, Latonia virgo eſt:
Cùm ſubnixa ſedet ſolio, Plutonia coniunx. Vnde & eas nos ſimul deſcribemus, Proſerpina excepta.

LVNA à lucẽdo nominata eſt, ait M. Cicero. Luna verò, ait M. Varro, quòd ſola lucet noctu. itaq; ea dicta Noctiluca, in Palatio: nam ibi noctu lucet templum. vel Luna ſic dicta eſt, quòd luce luceat aliena, hoc eſt Solis: Græcè eadem fermè ratione σελήνη vocata παρὰ τὸ σέλας ἀεὶ νέον, id eſt, à nouo lumine. Id cùm alij oſtendunt, tum maximè Cleomedes. Nam, inquit, quòd lucem ſemper nouam habeat, σελήνη eſt nuncupata: & quòd ſacra Dianæ adeuntibus præſtet faces, ſanè & σελασφόρος, item φωσφόρος, id eſt ſplendida, & lucifera etiam appellata eſt. Itẽ quòd noctu in primis cernatur, νύχια, & νυκτιπόλος, vt Phurnutus meminit, hoc eſt Nocturna, & Noctiluca. Ouidius XV Metamorph.

Nec par, aut eadem nocturnæ forma Dianæ. Horatius:
Ritè creſcentem face Noctilucam.

Luna Endymionem amaſſe fabulis traditur, paſtorem, vt poetæ canunt: quare id fictum, cùm alij, tum in primis Plinius in ſecundo Nat. hiſt. & Alexander Aphrodiſeus in Probl. exponunt, & interpretatur idem etiam Arati interpres. ita enim: Endymionem, inquit, paſtorem Luna amaſſe dicitur. ſeu quòd primus hominum curſum Lunę inuenerit: vnde multos annos dormiſſe dictus eſt, quoniã nihil aliud in vita, niſi ei rei ſtuduit, ſicut Mnaſeas in primo libro de Europa tradidit. ſiue q Endymionẽ amaſſe fertur: quia nocturni roris humor, qui ſiderũ eſt, ipſius quoq; Lunæ, animãdis herbarũ ſuccis inſudatur, & paſtoralibus proſit ſucceſſibus. id verò cõtigiſſe tradũt in monte Latmo, vnde Latmius Endymion ipſe dictus eſt. Luna, vt idem ait interpres Arati, bigas dicit habere, ſiue propter velocitatẽ, ſiue pro eo q nocte & die apparet. ideo vnũ equum album, & alium nigrum habere dicitur. Porrò & interdũ boum bigis etiã vehi fertur, propter Lunæ cornua. Feſtus hac de re ita: Mulus, inquit, vehiculo Lunæ adhibebat, quòd tam ea ſterilis ſit, quàm mulus. vel quòd, vt mulus nõ ſuo genere & natura, ſed equis creet: ſic ea ſolis, nõ ſuo fulgore luceat. Ad hęc & ælurus, id eſt felis Lunæ filius fabuloſè dicit, quòd lunæ ſequat naturã: vt Demetrius Phalereus in eo dicit, quod eſt περὶ ἑρμηνείας. Vnde etiã nos hodie quoq; experiẽtia videmus, feliũ oculos ſicut lunã immutari: hoc eſt, pupillã augeri & minui, iuxta lunæ curſum.

Sanè

Sanè & tibi hoc loco illud nõ reticuerim, Lunã marem & fœminam exiſtimatã, atq; in primis ab Aegyptiis, vt apud Euſebium & Diodorum obſeruamus. vnde & Orpheus in hymno ad lunam cecinit, θῆλυς τὲ καὶ ἄρσενας: hoc eſt, & fœmina, máſq;. Sed quod vtroq; ſexu dei exiſtimarent, Seruius docet in ſecũdo Aen. cõment. & Macrob. in Saturn. ex Caluo Leuino, & Ariſtophane, vt in Venere Barbata & maſcula docuimus. Porrò ſicut Luna, ita Lunus deus, & vocabatur & colebatur: vt autor eſt Aelius Spartianus de Caracalla Imperatore. ait enim, ipſum dei Luni templum acceſſiſſe, quẽ deum miro cultu & veneratione Careni colebant, adeò vt qui Lunã fœmineo genere & nomine putaret nuncupandã, is addictus mulieribus ſemper inſeruiret. Qui verò marem eſſe crederet, is dominaretur vxori, neq; vllas muliebres pateretur inſidias. Hinc licet Græci, vel Aegyptij eo genere quo fœminã hominem, etiam Lunam deum dicebant, myſticè tamen deum intelligebant. Proditum quoq; eſt à Philochoro in Atthide, Veneri, quæ Luna eadem ratione putabatur, mulieres virili veſte, viros muliebri ſacra feciſſe, id ipſum quod & Macrob. prodidit. Theon in commentariis in Aratũ, cùm multa dixiſſet, quo modo à Sole Luna lumen acciperet, illud etiam ſubintulit: Ideo à tragicis, ait, Solis filia Luna vocata eſt. Heſiodus, Solem & Lunã Theiæ filios cecinit. Poetarum cõmunis opinio eſt, vt Iouis & Latonæ Apollo & Diana filij dicantur: & ille Latoius, & hęc Latonia dicatur. Luna à Scythis μέσπλη, teſte Heſychio, dicebatur.

Benden Lunam & Dianam vocabãt Thraces, teſte Palęphato, Suida & Phauorino. vnde dicta ſacra Bendidia, etiam ab Athenienſibus celebrata. Deã hanc eandem Thraces iidem Βένδατους vocabãt Heſychio auctore. Βένδις verò cognominata eſt δίλογχος, à Cratino poeta in fabula Thracum, ſiue quòd ea dea duos honores ſortita eſt, cœleſtẽ ſcilicet & terreſtrem: λόγχους enim ſortem vocãt. vel quòd duas lanceas, id eſt λόγχας, cùm eſſet venatrix, ferre conſueuerat. Sunt qui dicant, quòd duo lumina habeat: propriũ quidem Lunæ, & Solis. hęc quidem Heſychius. Sed & de Bendidiis Plato, & in 10 Strabo, meminere. Xenophon libro ſecundo Hellanicon, Βενδίδειον vocare videtur Munychiæ Dianę templum. Hinc eſt quòd ego libentius lib. VIII. Decad. IIII. T. Liuij legam (vbi paſſim legitur, Romanorum primum agmen extra ſaltum circa templum Mendidium caſtra loco aperto poſuit) Bendidion: conſentientibus etiam quibuſdã antiquis codicibus. nam & Mendidia apud Strabonem corruptè legitur, vt ante me Politianus etiam annotauit. Quidam & κυβήκην nominant: quanquã etiam ſunt qui Cybecan matrem deûm vocarint, alij Venerem, vt alibi oſtendimus.

Hecate, Diana, & Luna, à pleriſq; eædem exiſtimatæ. At ego quæ à plurimis tum Græcis, tum Latinis afferuntur, hic ſub compendio, quantum memorię ſuccurrerit, tibi ſubſignabo. Hecate primum, ſic nuncupata, quod ἑκάς, id eſt longè radios iaciat, vt iam in Apolline attigimus. Heſiodus in Theogonia, Hecaten ait nõ eſſe Proſerpinã, ſed aliam, Aſteries Latonæ ſororis filiã, & Perſei vxorem. quo loco notat Scholiaſtes, ideo eam ab Heſiodo laudari, vtpotè Bœotio. in ea enim regione Hecate colebatur, cui Iupiter vim ac poteſtatem in omnia cõceſſit elementa, vnde & exiſtimatur nuncupata. nam ἑκατὸν centum ſignificat, quo numero Graij aliquando infinitum deſignant numerum: quia Hecate infinitas habere poteſtates crederetur. Ouid. in Metamorph.

Ibat ad antiquas Hecates Perſeidos aras.

Perſeis verò appellatur, quod Perſei filia fuerit, & Aſteries, vt ait Heſiodus in Theog. ideo ſic & eam vocat Apollonius in Argon. ſic & Statius in Theb. & eorum comment. Muſæus tamẽ Iouis & Aſteries filiam ait, quam cùm amaret, compreſſit, & compreſſam Perſeo tradidit, ex qua ſola nata ſit Hecate, quæ ideo μουνογενής ab Heſiodo vocatur, & ab Apollonio in tertio Argon. quoniam vnigeniti ſine fratribus plus honoris aſſequunt̃, vt ait idem Heſiodi Scholiaſtes, & ſint etiam ditiores, &c. Pherecydes verò Ariſtæi Pęonis filiam ſcripſit.

Verùm in his quæ Orphica dicuntur, Cereris filia dicitur:

καὶ τότε δὴ ἑκάτην δηὼ τέκεν εὐπατέρειαν. hoc eſt, Tunc Hecaten peperit Ceres è patre magno. Theocriti quoq; cõmentatores in ſecundo Edyllio, inter cętera, quæ multa de Hecate ſcribunt, Iouem tradunt Cereri mixtum, Hecaten genuiſſe, robore & magnitudine præcellentem, quam ſub terras pater miſit, ad Perſephonem inquirendam: & nunc eam vocari Artemin, & Phylaca, & Daduchon, & Phoſphoron, & Chthoniam. Illi iidem interpretes non multo pòſt, alios aiũt dicere, Hecaten filiam fuiſſe Pheręæ, filiæ Aeoli & Iouis, quæ à matre in triuiis abiecta fuerit, & à paſtorib⁹ Pheretis ſuſcepta, & enutrita in triuiis: propterea dea exiſtimata fuit, quę & ante portas, vt ait Aeſchylus, ſtatuebatur. vnde ego facile crediderim, Prothyream denominatam, de qua agemus: & προπύλαιαν, cuius meminit Heſychius. Pauſ. verò Propyleam Dianã in Attica in primis appellatam docet. Sed enim porrò Bacchylides Hecatẽ Noctis filiã prodidit: ἑκάτα δαδοφόρε νυκτὸς μελανοκόλπου θύγατερ, Hecate faciferæ noctis & magnigremij filia. Ab Orpheo verò ταρταροπάις ἑκάτη, hoc eſt Tartari filia dicta eſt. Sed ſimul hoc loco libet ex Græcis commentariis Hecates & Circes originem afferre. Circem igitur quidã Aeetæ ſororem, quidã filiam dixere. hanc quidẽ Dionyſius Mileſius in primo Argon. filiã Aeetæ & Hecates Perſeos, ſororẽ verò Medeæ tradidit. Soli enim ferunt filios fuiſſe duos in illis locis Scythiæ, quibus nomina fuere Perſeus & Aeetes. hos autẽ tenuiſſe eã regionẽ, & quidẽ Aeetem Colchos & Męotas, Perſeã Tauricę imperaſſe, & indigenã duxiſſe vxorem, ex eáq; filiam natam, cui nomẽ Hecate, quæ in venationibus eſſet fortis & virilis: & prima dicitur inueniſſe mortiferas ac venenatas radices, & venenorũ peritiſſimã fuiſſe, & earũ rerum quæ medẽdi vim haberẽt. patrẽ verò hęc veneno ſuſtulit, in Colchóſq; profecta Aeetæ patris ſui fratri nupſit: id quod ante Apollonij interpretes, Diodorus etiã ſcriptũ reliquit: ex qua natæ ſint Circe & Medea. Circe verò Medea ſenior, matrẽ iis artibus ſuperauit, ei nihilomin⁹ obſequẽs. Sed iã potius cętera de Hecate ſequamur. A poetis hęc etiã Triformis nominata, & Tergemina. Verg.

Tergeminámq; Hecaten, tria Virginis ora Dianæ. Claud.

Ecce procul ternis Hecate variata figuris. Ouid.

Ora vides Hecates in treis vergentia partes. Idem:

Tuq; triceps Hecate. Vnde Pauſ. Præ cæteris, inquit, diis imprimis Hecaten colunt Aeginetæ, cuius quotannis initia celebrant. Initiorum authorẽ Thracem fuiſſe Orpheum perhibent. materia templũ ambit: in eo ligneum ſignũ factum à Myrone, cuius vnicũ os, vti corporis truncus. nã primus, vti ego exiſtimo, Alcamenes Athenienſibus triplex fecit iunctis corporibus Hecates ſignũ, quam Epipyrgidiam illi appellant, iuxta inuolucris Victoriæ ædem poſitam. Quidã ad Lunæ triplicem naturã & formã referunt, hoc eſt, cũ falcata eſt in cornua, & ſynodica, & cũ media orbis parte διχότομος, & ἀμφικύρτος diuiſa & gibboſa, & πανσέληνη, hoc eſt plena, vt res eſt nota. Alij referunt ad id quod ſcribit in Argon. Orpheus, quòd triceps ſit Hecate. dextrũ enim caput equi habere fingit, ſiniſtrum canis, medium hominis agreſtis: vnde & τρίμορφον Cornutus, & τρικέφαλον eam vocauit. Artemidorus lib. ſecũdo de Inſomniorum iudicio, τριπρόσωπον eadem ratione dixit. iiſdem etiam nominibus Chariclides vſus eſt apud Athenęum in ſeptimo. ſcribit Pauſ. Hecaten Aeginetas maximè coluiſſe, cuius ſacra ſe ab Orpheo habuiſſe iactabant, intra cuius deæ ſeptũ ædis ξόανον, id eſt ſimulachrũ fuit vna facie, Myrionis opus. Verùm Alcamenes, vt Pauſaniæ videtur, triformẽ fecit Hecaten, quã, ait, ἐπιπυργιδίαν, vocabãt, &c. Sed enim & Athenis locus fuiſſe fertur, qui Trigla dicebatur, vbi erat anathema, id eſt oblatio Hecates deæ Triglanthynæ, quæ & τρίγληνος dicta eſt. Plura Athenæus, qui & τρίγλαν ait huic deæ cõſecratã, quod & Phurnutus. trigla verò piſcis notiſſimus eſt. Illud porrò etiam notandũ, morem fuiſſe, vt in ſingulis menſibus locupletes Hecatæ ſacrificarẽt, panéſq; & alia in triuiis, ponerẽt, quæ mox ab inopibus, & egenis ra-

nis raperentur, quæ Hecates cœna dicebatur: auctores, Athenęus et Suidas. Ad quam conſuetudinem alludit in primo νεκρικῶν dialogo Lucianus, vbi et de ouo luſtrali etiã ſit mentio: cuius & Apuleius, Ouid. Iuuenalis, alij meminere. quin & hanc deam veneficiis quidam præpoſuere, vt docet Phurnutus. Sed & luctu & mœroribus eam gaudere: vnde & illi tetra & horrida ſacra impendebant, nępe humanas hoſtias, illicq́; ſanguine humano litabãt: id quod alibi retuli. Sanè in Scholiis Græcis in Platonis Cratylum, quæ Procli nomine circumferuntur, id aſſeritur, quod Hecate & Diana eadem ſit, idq́; ex Orphei ſententia, cuius hi citantur verſus:

ἠδ' ἄρα δ' ἑκάτη παιδὸς μέλη αὖθις λιποῦσα,
λητοῦς εὐπλοκάμοιο κόρη προσεβήσατ' ὄλυμπον,

Et reliqua: ne tam multa græca inculcem, quod tamen hac tempeſtate plerique libenter vſurpant: quàm rectè, illi viderint. Huic deę & canes antiqui tribuebãt. Theocritus in Pharmaceutria, τᾷ χθονίᾳ δ' ἑκάτᾳ, τὰν καὶ σκύλακες τρομέοντι. hoc eſt, Terreſtri Hecatæ, quam & catuli metuunt. Tibullus:

Sola feros Hecates perdomuiſſe canes.

Adnotant Theocriti expoſitores, à Theocrito id dictum, quoniam catuli auferrent Hecatæ cœnam. Scribit Sophron, & item Lycophron, à Diana canes iugulari. quin & ſpeluncam fuiſſe Hecates in Zerantho, Lycophron hoc ſenario cecinit, ζηρύνθου ἄντρον τῆς κυνοσφάγου θεᾶς: hoc eſt, Zeranthon eſt antrum Caniſuoræ deæ. Zeranthon verò antrum in Samothracia Lycophron fuiſſe putauit. Nicandri interpres tamen in Thracia, ad quercus Orphei fuiſſe putauit. Stephan. ζήρυνθος, ait, ciuitas ad antrum Hecates in Thracia: & Lycophronis citat ſenariũ. hinc & Zerinthia Venus dicta, vt Suidas docet, & nos alibi, hoc eſt in Venere, prodidimus. Verùm enimuerò ſi eadẽ Hecate & Diana ſit, non mirũ illi attribui canes, vt venatrici. hinc Liuius Andronicus in hymno, vt eſt apud Terentianũ:

Dirige odoriſequos ad certa cubilia canes: verſus eſt miurus. Verg.
Notior vt iam ſit canibus non Delia noſtris.

Porrò ait etiam Phurnutus, canes ideo Triuiæ ſacratos, quòd illi iugulari ſolerent. Alij, propter venationem. quidam etiam attribuunt, quòd & Proſerpina putetur, cui canes, id eſt Furiæ aſcriberentur. Horat. in Serm. Viderat infernas errare canes. Vel quòd, vt ait poeta Vergilius:

Nocturnis Hecate triuiis vlulata per vrbes.

Ad hęc ſcribit Heſychius, ſimulachrũ Hecates canem fuiſſe, vel quòd ei immolarentur canes: vel quòd ipſam nonnulli cum capite canino, hoc eſt, κυνοκέφαλον effingerent. Alibi idem auctor ait ἄφραστον Hecaten vocatam, & ab Athenienſibus Zean: in Mileto verò ὑπολαμπτεῖραν, quòd ſubter ſplendeat. In Stratoniceorũ quocq́; regione Staginis ſummo conuentu & celebritate culta fuit Hecate, vt Strabo ait in quartodecimo. Suidas etiam Hecates phantaſma, ſeu ſpectrum, ſecus deſcribit quàm Orpheus: hoc eſt ingens, ſed cum capite humano. Porrò Hecate lignum etiam vocabatur in cuſtodiis, ad quod delinquentes ac noxij ligabantur, flagellabanturq́;. Sed nimius tibi videri poſſim, ſi de Hecate quæcunq́; notaui, aſcribere voluero. quare ad alia iam tranſeamus.

βριμώ, Brimo Hecate dea dicitur, cuius in tertio Argon. meminit Apollonius Rhodius, vbi inuocatã ait ſepties, eiq́; hęc epitheta aſcribit, κουροτρόφον, νυκτιπόλον, & χθονίαν. quo loco interpretes ſcribunt, ſepties quidem inuocari, ideo quòd pharmacides, id eſt veneficæ mulieres Hecaten ita inuocent. Appellatur verò βριμὼ, propter horrorẽ dæmonis, & viſiones atq́; ſpectra, quæ Hecathæa dicuntur. Sępe etiam ſpeciem mutare feruntur, vnde & Empuſa vocatur, de qua nunc ſtatim agemus. Sum admiratus his diebus, virũ multæ lectionis, in ingenti & copioſo Opere ſcripſiſſe, βριμὼ & ὀβριμὼ nomina eſſe Cereris potiùs quàm Proſerpinę, ſeu Hecates, cum de hoc vel doceri potuiſſet à Zeze in cõment. Heſiodi, et Phauorino, qui et fabulã recitat Mercurij amãtis: qui cũ in venatione deſcẽdiſſet, voluerit

voluerit puellæ violentiam inferre. illa verò in eum commota, & comminata, illum perterruerit: vnde ſit appellata βριμώ. βριμᾶσθαι enim eſt iraſci, ac minari. Vel dicit βριμὼ, παρὰ τὸ βρόμον, τὸ τοῦ πυρὸς ψόφον: hoc eſt, à crepitu, ac ignis ſtrepitu. Quin βρι particula eſt intentiua, vt βριήπυος & ὄβριμος ἄρης, id eſt, latè perſtrepens & potens Mars. Porrò & Brizò dea fuit, quæ vaticinijs per ſomnia præeſſe putabatur, vt alibi retuli.

Empuſa dæmonis nomen. Heſychius: Spectrum, inquit, ſeu phaſma ſpecie dæmonis ab Hecate immiſſum, & vt nõnulli putant, vno pede vtens. Sed tamẽ Ariſtophanes Empuſam ſubinde mutari in alias formas dixit, & eius interpres repetit. id quod & apud Lucian. in comment. de Saltationib. tradit, cuius hæc ſunt verba: Videbis igitur ipſos eodem in tẽpore ſubitò in aliã tranſmutari ſpeciem, atq; ipſum referre Proteũ. Quin & Empuſam exemplum cõferre oportet quæ ſeſe in innumerabiles vertit formas. Noſtro hoc tẽpore, quib. hoc phantaſma muliebre apparuerit, audiuimus. Legi qui putarent, illud regis Dauidis meridianum dæmoniũ, huiuſcemodi terriculamẽtum ſignificare. Sanè Empuſa etiam aliquando numero pluriũ proferri videmus, vt in hoc Dionyſij, vbi de hiaſpide loquit, ἐχθρὴν ἐμπούσῃσι καὶ ἄλλοις εἰδώλοισι: hoc eſt, Empuſis inimicam, aliiſq; etiam ſimulachris. Quidam cũ Hecate Empuſam ſtatuunt, id quod & Ariſtophanes alicubi ſignificare videt. Putat dictam Euſtathius, quòd vno incedat pede: alij duos quidem illi attribuunt: ſed ferreum alterum, vt in Ranis Ariſtophanes. Sunt qui aſininum tribuunt. Alia perplura legimus de huiuſmodi phantaſmatibus, quæ nunc tantũ inſinuaſſe ſufficiat. Id vnum non reticuerim, quod in IIII. ſcribit Philoſtratus in vita Apollonij Tyanei, qui ait ex ipſius Apollonij ſententia, Empuſas etiam Lamias vocari, & Mormolycias, quo loco & lepidiſſimã narrat hiſtoriam Menippi Lycij, qui Corinthi à Lamia amaretur: vbi de Lamijs & huiuſmodi terriculamentis lectu digna & cognitu leges. De Lamijs Plut. & Dion Chryſoſt. in Lybica fabula, qui eas deſcribunt: vnde ſuam deflexit Lamiam vir doctiſſ. Politianus. Porrò & Thebani Veneris Lamiæ templum erexerunt, de nomine Lamiæ amicę regis Demetrij. Lamia etiam propriũ nymphę nomẽ, Sibyllæ matris: item nobilis familiæ, à Lamo ſcilicet. Sed de Lamijs alio loco copioſius dicam. Sanè & Demoſt. Empuſæ meminit, & Arpocration rhetor, item Euſeb. contra Hieroclẽ, & in Apollonij Rhodij cõment. de Empuſa & Hecate multa. Fuit & Empanda dicta paganorum dea quędam, teſte Feſto.

Titanis Diana cognominata, vt notatum legimus in commen. in Nicandrũ. Orpheus etiam in hymno:

τιτανὶς, βρομία, μεγαλώνυμε, τοξότι σεμνή.

vbi obſeruandum eſt, etiam ipſam vocari Bromian, vt Bacchus Bromius. Ennius apud Varronem, Titõis. Triuia dederit ſtirpem Liberum. Titanis verò dicta q eam genuit vnus ex Titanib. vt in Plauto. Latona etiam Titanis, vt ſcribit Manilius. vocat & Titania, vt Sol Titan. Ouidius:

Dumq; ibi perluitur calida Titania lympha.

ἀγροτέρα ἄρτεμις, vt Pollux in V. Venatrix Diana eſt. licet alij Agreſtem trãſtulerint: & Domitius apud Pauſ. Agrariam. Heſychius quidem montanam interpretatus eſt, id eſt ὀρειὰν ἄρτεμιν. Sed & Pollux, vt ſuprà, ſic nuncupat à montibus. Quin & ὀρεσίφοιτος, id eſt, quæ in montibus verſetur, Phurnuto vocatur. eadem etiam ἀγρολέτειρα Agroletera dicta eſt, & Agroeles. Alij quidem exiſtimant, quòd Agre fuerit regiuncula terrę Atticę prope Neſſum amnem, vnde nomen dea acceperit: & templum, vbi ferunt Dianam primã venationẽ exercuiſſe cùm ex Delo illuc veniſſet, cuius deæ ſtatua arcũ tenebat. Pauſ. Agroteræ meminit, & Artemidorus lib. II. Onirocr. Sanè cùm venationi Diana præeſſe crederet, etiam ideo appellata fuit θηροφόνος & θηροκτόνος, hoc eſt Fericida. quinetiam hac eadem ratione Iul. Pollux lib. V. ſic nominatam ait: ἀγροτέρα ἄρτεμις, id eſt, venatrix, & κυνηγέτις, hoc eſt venatoria: & φιλόθηρος, id eſt ſectatrix ferarum: & ὀρεία,

id eſt

id eſt montana, ἀπὸ τῶν ὀρῶν, id eſt à montibus: & Idea, ab Ida: & δίκτυννα, à retibus: & ἑκηβόλος, ἀπὸ τοῦ τὰ θηρεῖα βάλλειν, id eſt quòd feras iaculetur: & multa alia nomina ἀπὸ θήρας, id eſt à venatione deducta, quorũ et nos hoc ipſo Syntagmate meminerimus, prout ſe nobis obtulerint. Legimus & Agoream Dianam nuncupatam. Agroteram & Agoream in Olympiis memorat Pauſanias. Lucifera Diana dicta eſt, vt in ſecundo de Nat. deorum ſcribit Cic. φωσφόρος à Græcis, vt eſt apud Phurnutum. σελασφόρος etiam à Græcis, quod in Attica Pauſ. obſeruauimus. Eadem & Selaſia, id eſt σελασία nuncupata, à loco Laconicæ regionis, vt Heſychius notat.

Hypomelathia Diana nuncupata eſt, vt docet Heſychius.

Euporia, εὐπορία Diana in Rhodo, idem auctor: hoc eſt, facilis tranſitus.

Anaitis Diana quę diceret, vide in Venere, quæ & Anætis aliquando vocatur.

Parthenie Diana cognominata, propterea quod ipſa virago ſit exiſtimata à gentibus: vel vt alij magis credunt, à monte Arcadiæ Parthenio, in quo venationibus idoneo verſaretur. vel à fluuio Parthenio, qui mediã perlabitur vrbem Amatriatam: ſic dictus, quòd Diana virgo ibi venaretur. Stephanus auctor. de quo Val. Flaccus in quinto, Et fatis tibi Tiphi negatum Parthenium. Callimachus in hymno, ἄρτεμι παρθενίη τιτυοκτόνε χρύσεα μαῖα: id eſt, Parthenie Tityoctene cui aurea zona refulget.

Pheræa Diana nominata ab Argiuis, qui eã ex Pheris Theſſalica vrbe in ſuam aduexerunt, vt Pauſan. ſcribit. Sedetiam & Heſychius Pheræan cultam prodidit Athenis, deam hoſpitalẽ creditã, & ab aliquibus Hecaten. Callimachus in Dianæ hymno propè finem meminit, & quæ in ipſum Scholia leguntur:

> πότνια μουνιχίη λιμενοσκόπε χαῖρε φεραία. id eſt,
>
> *Munichie & portus cuſtos veneranda Pheræa.*

At Pherȩam Dianam apud Sicyonios deſcribit Pauſanias in Corinth.

Ecbateria Diana in Siphno inſula, & culta & nuncupata, ait Heſychius.

Derrhiatis Diana cognominata, vt Pauſanias ſcribit, à Derrhio non procul à Taygeto, cuius ſimulachrum ſub diuo conſtitutum ait. huius deæ templũ etiam Stephanus commemorat. ait enim Derrham, non Derrhium, locum eſſe Laconiæ: vnde ſit nomen gentile Derrhęus, vel Derrheates. vnde Derrheatidis Dianæ templum.

Daphnea Diana nuncupata, cuius ſacellum Pauſanias ſcribit fuiſſe in finibus Spartiatarum. Strabo lib. 8. cùm de Alpheonia Diana egiſſet: Ab Olympia, inquit, ſtadiis 80. diſtans, huic deę in Olympia annuus conuentus celebratur: ſicuti & Elaphiæ, & Daphneæ. Tota enim hæc regio templorum Dianæ, Veneri & Nymphis dicatorum, refertiſſima eſt.

χησίας Diana nuncupata à Callimacho in hymno ad deam ipſam à Cheſio oppido Ioniæ, vt Stephanus ait: vt verò Scholiaſtes, ita appellata à promontorio Sami.

Lucina Diana, quod parientibus fauere credebatur. Vergilius:

> *Caſta faue Lucina, tuus iam regnat Apollo.*

Varia tamen apud auctores ſententia. Quidam enim Iunonem, vt eſt in Iunone dictum: quidam Dianam. Catullus in ſeculari carmine ad Dianã ſic iſta iũgit:

> *Tu Lucina dolentibus, Iuno dicta puerperis.*

Et ſimiliter M. Cic. lib. ſecundo de Nat. deor. cuius verba placet hic ſubſignare, ne ea ſępius citare oporteat: Luna, inquit, à lucẽdo nominata ſit, eadem enim eſt Lucina, itaq; vt apud Gręcos Dianã, eámq; Luciferam, ſic apud noſtros Iunonem Lucinam in pariendo inuocant. Vidi in aureo numiſmate apud Achillem Maffeium, in poſtica facie inſcriptum, cũ Dianæ ſimulachro, facem ardentẽ habẽte, ſic: DIANA LVCIFERA. B. Aegius. Sed quod inter ſeptẽ numeretur, &c. quæ eadem Diana Omniuaga dicitur, non à venando, ſed quòd inter ſeptem numeretur, tanquam à vagãtibus Diana dicta, quia noctu quaſi diem efficeret.

Adhibetur autem ad partus, quòd ij matureſcunt aut ſeptem nonnunquam, aut (vt plerunque) nouem Lunæ curſibus: qui quia menſa ſpacia conficiunt, menſes nominantur. Concinnéque, vt multa, Tymæus, qui cùm in hiſtoria dixiſſet, qua nocte natus Alexander eſſet, eadem Dianæ Epheſiæ templum deflagrauiſſe: adiunxit, minimè eſſe mirandum, quòd Diana cùm in partu Olympiadis adeſſe voluiſſet, abfuiſſet domo. Hactenus Cicero. Macrobius quoque vltimo Sat. lib. ait, Lunam humidam & aperire & relaxare, ſubdit: Hinc eſt quòd Diana, quæ Luna eſt, ἄρτεμις dicitur, quaſi ἀερότομις, hoc eſt aerem ſecans. Lucina à parturientibus inuocatur, quia proprium eius munus eſt, diſtendere rimas corporis, & meatibus viam dare, quod accelerando partui ſalutare eſt. & hoc eſt, quod eleganter poeta Timotheus expreſſit, διὰ λαμπρὸν πόλον ἄστρων, διά τ᾽ ὠκυτόκοιο σελήνας. hoc eſt, Per ſplendidum polum aſtros, pérque accelerantem partũ Lunæ. Sed iam de Lucina, reliquum inſtituti reddo. Dicta eſt Lucina, vt Ouidius in Faſtis docet:

Gratia Lucinæ dedit hæc tibi nomina lucus,
Aut quia principium tu dea lucis habes:
Parce precor grauidis facilis Lucina puellis,
Maturumque vtero molliter aufer onus.

Reliquum de Lucina ex Iunone repete. nam Ilithyian ſtatim tibi aſcribam, quæ apud Græcos Lucina eſt.

Ilithyia Diana à pleriſque exiſtimata, vt ſcribit Phurnutus. Hinc Horatius in carmine ſeculari:

Rite maturos aperire partus,
Lenis Ilithyia tuere matres,
Siue tu Lucina probas vocari,
Seu genialis. Vergilius:
Caſta faue Lucina, tuus iam regnat Apollo. Ouidius:
Præpoſitam timidis parientibus Ilithyiam.

Vnde Ariſtys puella apud Theocrit. in Daphnide, χαλεπὸν βέλος εἰλειθυίας, difficile telum Ilithyiæ. Quare μογοστόκος etiam dicta eſt, vt notat Heſychius. vtitur item Theocritus. hæc & βολωσία dicebatur, vt Græci grammatici obſeruant. Huic deæ dictamus, ſeu dictamnus (vtroque enim modo appellatur hæc herba) fuit dicata, quòd valde ſit odorata & propterea ad facilem partum valere tradit. quin ea Ilithyia ideo coronabatur, vt apud Theonem in Arati commẽtariis legimus, & Phornutum. Idem & Zenodotus Mallotes, & ſuo carmine innuit Euphorion. Orpheus in primo hymno, quo loco & προθυραίαν, quaſi ianuæ præpoſitam, & vitæ ianitricem inuocat, eique deæ de ſtyrace ſuffimentum adolet. Et quod Diana Ilithyia & Prothyræa eadem ſit, ille idem Orpheus, in eodem hymno ita cecinit:

ἄρτεμις εἰλείθυια, καὶ ἡ σεμνὴ προθυραία: hoc eſt, Ilithyia Diana, & caſta Prothyræa. Sanè & hymno qui κοινὸς inſcriptus eſt, Prothyrea Hecate cognominatur, χαῖρ᾽ ἑκάτη προθυραία μεγασθενής: hoc eſt, Salue Hecate Prothyręa valde potẽs. Redeo ad Ilithyian, quam Pauſanias in Attica ait templum Athenis habuiſſe: exiſtimatámque ex Hyperboreis ad Latonã parturientẽ in Delum veniſſe, & inde ad alias gentes manaſſe, ſub ſpecie lupæ ex Hyperboreis, ſcribit in hiſt. animaliũ philoſophus. Homerus autem in hymno ad Apollinẽ, cecinit Irin miſſam dearũ iuſſu, inſcia Iunone, ad Ilithyiam, vt laboranti iam per nouem dies Latonæ opem ferret: atque ita illius aduentu Latonã partu leuatã. Huic propterea Deliaci in primis ſacrificabant, hymnóſque canebant ab Oleneuate conditos. Eademque de cauſa in Attica terra Ilithyia inter deas γενετυλλίδας collocabatur, quę deæ generationi prȩeſſe putabãtur. & ideo etiã Venus Genetyllis dicta eſt, vt ſuo loco dicemus. Cretenſes verò, qui gnoſſium agrum colebant, in Amniſo genitam Ilithyiam

arbitran-

arbitrabãtur, Iunonis filiã. quin & Heſychius Ilithyian, Amneſiam etiã vocatam ait. Idem Pauſ. auctor eſt, apud Athenienſes inſtitutum fuiſſe, vt Ilithyiæ ſimulachra ad imos vſq; tegerentur pedes. Fuit & Ilithyiæ apud Aeginenſes templum peruetuſtum, cuius ſimulachrum ita fuit effictum, vt à capite ad pedes tenuiſſimo eſſet panno contectum, & manum alterã in rectum porrigeret, altera facem teneret accenſam: ea ratione, q; partus dolores igni æquentur: vel potius, quòd in lucem partus efferre crederetur. Diodorus Siculus, quo loco Cretenſium res tractat, diuerſam Dianã & Lucinã facit. Lucinæ, inquit, data eſt parturientium cura, officiúmq; eorum quæ parturientes perferunt: vnde & in partus diſcrimine, & difficultate mulieres hanc præcipuè deam inuocant. ad Dianã verò tradũt infantium ac ciborum curã pertinere, & reliqua quę idem ſcriptor executus eſt. Homerus etiã diuerſam à Diana facit, & à Iunone, cùm Latonæ partum in hymno Apollinis deſcribit. Pindarus quidem in Pythicis & ipſe diſtinguere videtur, cùm Aeſculapij matrem aureis ſagittis Dianæ perdomitam canit, antequam cũ Ilithyia opus perficeret. idem in Nemeis Ilithyian invocat, in Soſigenis pueri Aeginetæ hymno, eãq; parcarum ait aſſiſtricem, filiámque Iunonis. Diodorus quoq; Siculus Lucinã, id eſt Ilithyian, Iunonis filiam ſcribit. item Heſiodus, qui de Iunone loquens canit, ἡ δ' ἥβην καὶ ἄρηα καὶ εἰλείθυιαν ἔτικτεν. hoc eſt, Hæc Heben peperit, Martémq;, atq; Ilithyiam. Idem Pindarus in Olymp. ἐλευθὼ Ilithyiam vocauit, cùm eã & Parcas Apollo iubet aſſiſtere Euadne parturienti. De eadẽ Eleutho meminit & Phurnutus, & Heſychius his verbis: Eleutho vna eſt Ilithyiarũ, & Cereris cognomen apud Tarentinos, & Syracuſanos. Ilithyiam ſunt qui εὔλιναν appellent, ceu cum Parcis, vt Pauſ. ait in Arcadicis: Eulimon, inquit, (vt Amaſęus exponit) quaſi dicas Lanificã, appellat: eãdem eſſe innuens, quæ & Pepromene, hoc eſt fati ſors dicitur. nam & Saturno antiquiorem memorat. Ilithyiæ templum in foro, & ſtatuam habuiſſe Tegeatas, idem Pauſ. ſcribit, quæ ἐγγόνασιν ex hiſtoria vocabaẽ, quaſi ingeniculata, vt parientes ſolent. Nam cùm Nauplio filiam præcipitãdam in mare Haleus dediſſet, illa interea genibus incumbens, puerum enixa eſt, vbi delubrum mox conſtructum. Dicta verò eſt Ilithyia ἀπὸ τοῦ εἰλύεσθαι, hoc eſt ab euoluendo. Eleutho verò, παρὰ τὸ ἐς τικτούσας ἐλθεῖν, hoc eſt, quòd ad parturientes accedat. Sanè numero plurium Suidas Ilithyias protulit, deas parientibus aſſiſtentes: idem & Phurnutus, qui ideo plures Ilithyias & Amores fuiſſe ſcribit, quòd varij ſint mulierum partus, & amantium deſideria. Sed Heſychius ait, Ilithyias interdum deas ſignificare, aliquando dolores. Singulariter verò poeta Iunonem in Argis poſuit. Porrò & Λοχία Diana etiam dicta fuit, à partu leuando ſcilicet, vt Artemidorus libro ſecundo, cap. 35. docet.

Acrea Diana ab Heſychio appellata ſcribitur, quòd ἄκρον mons apud Argiuos fuit, in quo Dianę templum conſtruxit Melampus, cum Prœtidas purgauit, eius rei gratia: Sophocles in Iphigenia. Sed enim & in eodem loco etiam Pallas & Iuno & Venus colebantur, quæ eodem etiam nomine appellantur, vt in Pallade ſcripſimus.

Coryphęa Diana, à κορυφῇ, id eſt ſummitate, ſeu apice nuncupata. nã apud Epidaurios in ſummo montis templũ habuit. auctor Pauſ. & propterea Coryphæa nuncupata, cuius Teleſilla in ſuis poematibus meminit, vt in Poetis ſcripſimus. auctor Pauſ. in Corinth.

Epiſcopos Diana, hoc eſt, ſpeculatrix cognominata, cuius templum in Elide fuit, Ariſtarchium vocatum: quod cùm expilaſſet Sambycus, & per annum cruciatus eſſet, in tormentis mortuus eſt. vnde prouerbium, Sambyco grauiora pati: vt Plutarchus in Græcorum problematibus pluribus prodit.

Dictynna Diana cognominata, eadem apud Cretẽſes exiſtimatur, quæ apud Aeginetas Aphæa ἀπὸ τῆς ἀφίσεως, id eſt deiectu nuncupata. Dictynna igitur, quæ & Britomartis, hoc eſt dulcis virgo, eſt interpretata, Iouis & Charmes filia fuit, & Dianæ valde chara: quæ Minoem regem amantem fugiens, vt Pauſ.

ait, ſe in retia, quæ piſcibus capiendis erant extenta, proiecit. mox à Diana dea facta, à Cretenſibus colebatur. Fabula elegantiſſimè in Ciri poemate Vergiliano à Charme ipſa recitatur: ad quam legendam te inuito, ne in hoc loco verſus aduocem: ſimul enim & de ea opiniones quę ferunt, infelix Charme attigit. Sed & Dictynnam ſibi Aeginetæ apparuiſſe aſſeuerabant. Dicta verò à retibus, quę Græcè δίκτυα dicuntur. Illud obſeruaui, apud quoſdam non Britomartem ſed Critomartin appellari: quos crediderim in mendoſos codices impegiſſe. Diodorus Siculus hanc fabulam ſic fermè recitat: Britomartem, inquit, etiam Dictynnam dicunt, in Creta genitam, ex Ioue & Charme filia Eubuli, Cereris filij. Hæc retia ad venandum inuenit, ex quo & Dictynna eſt cognominata. vtebatur verò cõſuetudine Dianæ: quæ res cauſam præbuit, vt quidam Dictynnam & Dianam eandem eſſe exiſtimarent, quam deam ſacris templiſq; Cretenſes coluere. Qui autem Dictynnam à rebus piſcatoriis, quas fugerat, Minoe inſequente cõcubitus gratia, denominatam volunt, procul à vero eſſe videntur, non enim credendum deam Ioue natam, ad tantam egeſtatem compulſam: nec Minoa regem iuſtiſſimum, tam impium fuiſſe. hęc ferè Diodorus ex Cretenſiũ theologia. Quidam Dictynnam dictam non à piſcatorum retibus, ſed venatorum potius, rati ſunt: quod & magis veriſimile videtur, cùm Dianã ſignificet, vel Dianæ comitem. Gręcus Pindari interpres in Pythiorum principio tradit, Apolline & Diana ex Latona natis, hanc in Dictynio Cretæ monte habitaſſe, illum in Lycia. Sanè Phauorinus & Dianam Britomartin vocatã ait; citátq; Callimachi illud, ἐλλάφονον Βριτόμαρτιν εὔσκοπον. Subdit & poſtea oraculum Ioui datum, quòd naſciturus eſſet ex Hecate, qui eum regno eiiceret. Pariente autem Hecate, aſſiſtentes puellas exclamaſſe βρίτον, id eſt bonum: hinc dicta eſt Britomartis. Phurnutus lib. de Deor. nat. ait Dictynnam dici ἀπὸ τοῦ βάλλειν δεῦρο τὰς ἀκτῖνας: hoc eſt, ab iaciendo huc radios. δίκειν γὰρ τὸ βάλλειν: δίκειν enim iacere eſt. vel ἀπὸ τοῦ διικνεῖσθαι τὴν δύναμιν αὐτῆς εἰς πάντα τὰ ἐπὶ τῆς γῆς: hoc eſt, quòd eius poteſtas pertranſeat omnia quæ in terra ſunt. hæc tantum Phurnutus. Crebra verò tum Græcis tum Latinis ſcriptoribus huius deæ mentio. Tibullus:

Perq; ſuas impunè ſinit Dictynna ſagittas.

Lutatius, ſeu Lactantius grammaticus commentario 9. Theb. Dictynna, inquit, ob id dicta Diana Britomartis filia, virgo Cretenſis Dianæ, à retibus piſcatorũ, (quæ Gręcè δίκτυα nominantur) à quibus huius corpus inuentum extractũ eſt. Inſula tamen Creta peſtilentia laborauit, quã euadere penitus nequiuiſſent, niſi templum Dianæ inſtituiſſent, eámq; Dictynnam vocaſſent à retibus. Statius:

Per te maternos mitis Dictynna labores.

Orthias Diana cognominata, in primis à Lacedęmoniis, cui & arã ſtatuerãt, ad quam (vt in Laconicis ſcribit Plut.) pueri Spartiatæ cæſi totum diem, ad mortem vſq; interdum verbera tolerabant. Pauſanias verò, Limnæum locum fuiſſe prodit, in quo Dianæ Orthiæ ſacellũ fuit, vbi antiquitus homines oraculo ſorte ducti mactabãtur. quam rem vt diram, Lycurgus in puerorũ flagella & verbera commutauit, vnde ara humano quidem ſanguine conſpergebatur. hoc ſimulachrum ex Taurica, vt alibi diximus, Iphigenia & Oreſtes deportarũt. Hęc & Lygodeſmos dicit, quòd Lygi plantæ genere ſimulachrum inuolutum tectũ fuerit. eſt aũt λύγος vitex, vt notum ex Dioſc. Plin. & aliis. Et de Orthia Diana Plut. in libello περὶ ποταμῶν: ſi modò Plutarchi eſt, vbi περὶ γάγγου ποταμοῦ. Orthiæ Dianæ & Orpheus in hymnis meminit & ego in primo de Poet. hiſtoria. Orthian ſcribit Heſychius denominatam, ab Arcadiæ regione, vbi eius templũ erectum fuit. Sanè & Orthian & orthrian inuenimus: ſed hãc à matutino tempore, illam quòd recta eſſet. de Orthoſia verò Diana alio loco agam.

Brauronia Diana cognominata, à Braurone Atticę populo, vt ſcribit Stephanus. Brauron verò heros fuit, vnde loco nomen. Brauroniæ Dianæ fanum Athenis fuit in arce, cuius ſimulachrum Praxitelis opus fuit, vt ait Pauſanias. Brau-

roniæ

roniæ Strabo meminit, & Valer. Harpocration, & Herodotus. Apud Heſychiũ legimus, βραυρώνια celebritatem eſſe Dianæ, in Attica, in qua de capra ſacra fierent: vbi & Rhapſodi primùm Homeri Iliada concinuere.

Triuia Diana dicta eſt, quod in triuijs coleret, vt ait M. Varro. Græci τριόδον, & τριοδίτην eadem ratione vocant. Ex noſtris quidam Triuiam appellatã tradũt, quòd in cœlo, in terra, & apud inferos eius ſit poteſtas. Phurnutus verò τριοδῖτιν, καὶ τῶν τριόδων ἐποπτήν cognominatã ait, à triplici eius mutatione, dum per cœli ſigna gradit. In cõmentariis Theocriti etiam illud legimus, Hecaten Iouis & Phereæ, Aeoli filiæ, filiam fuiſſe, quæ in triuiis à matre abiecta fuerit, & à Pheretis paſtoribus & ſuſcepta & nutrita fuerit. atque ideo & in triuiis culta & nuncupata: quod in Hecate pluribus à nobis oſtenſum eſt. Varro: Diana ab eo Triuia dicta, quòd in triuio ponit fere in oppidis Græcis: vel quod vna dicitur eſſe, quæ in cœlo tribus vijs mouetur, in altitudinem & latitudinem & longitudinẽ. Interpres item Arati, Latinus, cur Triuia dicta ſit, pluribus ediſſerit. Cleomedes verò in ſecundo de Mundo, triformem Dianam ideo ab antiquis exiſtimatam ſcribit, quòd tres ſint Lunæ effigies, falcata, biſſecta, & plena: & propterea ait Dianam triformem. Horat. Ter vocata audis, adimiſq; letho Diua triformis. At quare triformis dicta, ex Orpheo & alijs ſuprà plura attulimus. De Triuia, id eſt Proſerpina, Vergil. Iam ſubeunt Triuiæ lucos, &c. Pro luna Catullus:

Vt Triuiam furtim ſub Latmia ſaxa relegans,
Dulcis amor gyro deuocet aerio. Idem:
Tu potens Triuia & notho es dicta lumine Luna.

Chariclides apud Athenæum in ſeptimo ait, δέσποιν᾽ Ἑκάτη, τριοδῖτι, τρίμορφε, τριπρόσωπε, &. Vide quæ in Hecate multa ſcripſi, & ſi libet, huic confer.

Enhodia, hoc eſt ἐνοδία ἄρτεμις eſt cognominata: hoc eſt, viarum dea, vt Feſtus docet. vnde & eam virginem eſſe putabant, quòd via nihil pariat, id quod & diuus Auguſtinus tradit, & Arati interpres in Luna. Enhodiæ Dianæ & Artemidorus libro ſecundo Onirocriticon meminit. Scribit Phurnutus, non aliam ob cauſam ἐνοδίαν dici, quã qua Apollo Agyieus, de quo in Apolline egimus. Sanè & de ἐνοδίῳ Mercurio iam actum eſt.

Leucophryne Diana apud Magnetes quidem maximè culta, ſed cuius etiam apud Athenienſes ſimulachrum eſſet, quod à Themiſtoclis liberis poſitum ferunt, vt in Attica docet Pauſanias. Magneſiis enim Themiſtocles Perſarum regis beneficio imperauit, inde eſt dea Athenas aduecta. B. Aegius libentius ſcribit Leucophryenen.

Aphæa Diana dicta, cuius in Aegina templum fuit, vt ait Pauſanias: & iam etiam in Dictynna dictum eſt. nam apud Aeginenſes Aphæa fuit, qualis apud Cretenſes Dictynna, & Britomartis. Aphææ & Heſychius meminit.

Saronis Diana cognominata eſt, quod eius deæ templum Saron in mare conſtruxit. Verùm cùm aliquando ceruam inſectaretur, in aqua ſummerſus eſt, ibidemq; ſepultus: qua ex re ille & mari & deæ cognomentum, vt ferũt, dedit. Pauſanias auctor. Euſtathius tamen Saronicum ſinum vel à flumine, vel à venatore dictum prodit, qui feram inſequens in mare decidit: vel ἀπὸ τοῦ σύρεσθαι, quòd Scylla Niſi illic tracta ſit. vel quòd olim querno nemore redimitus ſinus Saronicus eſſet, ita appellante antiqua Græcia quercum, Plin. auctore. Heſychius verò Saroniam deam vocat, ſed rem parum exprimit.

Laphria Diana nuncupata, cuius in primis templum Patris vrbe Achaiæ fuit, vt Pauſ. pluribus ſcribit. eius ſtatua in modum venantis ex ebore confecta fuit, & auro, quam Menæchmus & Suidas Naupactij confecerant. Patrenſes ab Auguſto ex præda Calydonia acceperunt. cognominata verò à Laphrio viro Phocenſe, qui eam in Calydone erexerat. Sunt qui appellatam malint, quòd ipſius deæ ira aduerſus Ceneũ ſingulis annis ἐλαφροτέρα fieret, id eſt leuior ac facilior. Dum Laphricæ Patrenſes ſacra facerent in pyra, quæ circa aram ſtructa erat, va-

rias feras & aues iniiciebant. Fuit & Laphria Mineruæ epitheton, vt apud Lycophronem ſcribit Iſaacius. Porrò quidam non à Laphrio denominatã tradunt, ſed per ſyncopen quaſi λαφυρείαν, quòd vt hæc, id eſt Minerua ex bello ſpolia, ita Diana ferat capita, & ferarum ſpolia. Legimus & Miſian Dianam apud Pauſ. & eius ſacellum fuiſſe in Laconicis. Alibi tamen & Hieriam vocatam ait: nã apud Oreſtaſium, templum hoc nomine habuiſſe tradit.

Epheſia Dianà ab vrbe cognominata. Epheſiæ Dianæ templũ ſcribit Pauſ. in Achaicis ſtruxerunt Crœſus, homo indigena, & Epheſus, Iſtri fluminis filius: à quo & vrbs & templum nomẽ obtinuit. alij tamẽ Amazonas ſtruxiſſe tradunt, vt Pindarus & Dionyſius Afer, & Strabo, alijq́;. Theophilus autẽ cùm de Epheſo agit, primum quidem ab Epheſo quodam dictam ait, qui ibi cauponã exercebat, id eſt καπηλεύοντος. Tũ ſubdit: vel dicta ab Epheſo Lydes Amazonis, quæ prima Dianã venerata eſt, & Epheſiam cognominauit. aliqui dicunt, cùm Theſeus & Hercules propter Hippolytæ baltheũ depugnarent, vſq; in Lydiã eas inſecuti ſunt, ad templũ Dianæ, quam δὸν ἐφεῖναι αὐταῖς τὴν σωτηρείαν, à qua re eſt Epheſus vocata, & dea ipſa Epheſia. Sed hęc fabuloſa: & his ſi plura cupis, lege Euſtathij cõmentaria in Dionyſiũ, vbi de trunco ſeu ſtipite vlmi agit: & Callimachi hymnum in Dianã, vbi Amazones templũ ſtruxere. nunc ad hiſtoriã veniam. Templum Epheſiæ Dianę Amazones primùm incendiſſe, ſcriptũ inuenimus, Syluio poſthumo regnãte. rurſus verò incenſum, quo tempore Socrates venenũ ebibit. hoc Bap. Leo lib. 7. Plinius verò ait, Dianæ templũ CC & XX annis factũ à tota Aſia. totius tẽpli longitudo fuit pedum CCCCXXV. latitudo, CCXX. columnæ, CXXVII. à ſingulis regibus factæ, LX pedum. ex iis XXXVI cælatæ, vna à Scopa, operi pręfuit Cteſiphon. Heroſtratus templum incendit, vt ob aliquod ſaltem facinus nominaretᷣ. id cùm ea nocte fieri contigiſſet, qua Olympias Alexandrũ peperit, Gręcæ adulationi locũ fecit vt diceretᷣ, deſertum à dea templũ, vt parturienti aſſiſteret Olympiadi, & Magnus naſceretᷣ Alexander. Strabo lib. quartodecimo: Dianę Epheſiæ templũ, ait, primus Archiphron mirè fabricatus eſt, poſtea maius fecit illo. ſed cùm Heroſtratus quidã id incendio conſumpſiſſet, aliud pręſtantius conſtruxerunt, mulierũ ornamẽtis, & multis opibus ad id collatis, refectiſq; prioribus columnis, quarũ rerũ teſtimonio ſunt decreta tũc facta, quę Artemidorus dixit Timęum Taurominitanũ hiſtori cũ ignoraſſe. et paulo pòſt ſubiungit, ab eodẽ Timæo proditũ, Dinocratẽ architectũ templum conſummaſſe, eũ qui Alexãdriam eſt in Aegypto architectatus. Tectũ, inquit Plin. Epheſiæ Dianæ ſcandiᷣ vite vna Cypria, quoniã ibi ad pręcipuam altitudinem exeunt. Arrianus in primo hiſt. Alexãdri beneficia cõmemorat in Dianæ Epheſiæ honorẽ collata. De hoc Dianæ Epheſiæ etiam templo, Lucas in Apoſtolicis actionibus multa: vnde D. Paulo à Demetrio negotium facſſitatũ. quo loco Lucas & Theophylactus in prologo epiſtolæ Pauli ad Epheſios νεωκόρον Dianam Epheſi dixerunt, hoc eſt æditutam, & vt Latinus interpres exponit, cultricem. Porrò in Dianæ Epheſiæ annuo feſto iuuenes primo flore ętatis, & virgines cultu nobili, ad templũ cũ pompa procedere ſolebãt, feſtúmq; diem agere, & ſponſalia mutuò inire. Sed enim vt Heſychius notat, Epheſij Eluſian Dianã vocabãt.

Caryatis Diana, ſic cognominata, vt Pauſan. ſcribit in Lacon. à loco Dianæ & Nympharum ſacro. Caryatidis verò Dianæ ſimulachrũ ſub diuo fuit, quo in loco annuas choreas Lacænæ virgines agebãnt. Loci meminit Theopompus & Stephanus. Heſychius verò & loci, & celebritatis, & templi: Dianæ verò Caryatidis, & celebritatis, Diomedes grãmaticus & Probus meminere. itémq; Theocriti commentatores, vbi agunt de Bucolici carminis inuentione: Quo tempore, tradunt, Xerxes in Græciam aduentaret, omnes deſerta Laconia, metu barbarorum perterriti, in diuerſas partes fugẽre: & cùm virgines timore laterent, ex hoc eueniſſe, vt eo die quo ſolitus erat chorus virginum Dianæ Caryatidi hymnum canere, nemo ad ſolenne ſacrum inueniretur. tunc itaq; paſtores ex rure

in vrbem conuenerunt: & ne ritus ſacrorum interrumperetur, paſtorali carmine compoſito deæ honorem celebrauerunt, vnde etiã βȣκολιασμὸς dictus. hæc illi fermè. Alia quæ de huius carminis inuentione feruntur, & fortaſſe potiora, nõ noſtræ rei propoſitæ faciunt. Apud Caryum vel oppidum, vt quidam, vel χωρίον, id eſt regiunculam, Caſtor & Pollux ſaltationis genus inuenere, quo poſtea in Dianæ honorem vſæ ſunt Caryatides virgines, vnde & Græcis freques verbũ καρυατίζειν, Cuius meminit Lucianus in dialogo de ſaltatione.

Lye Diana nuncupata à Siculis, vt amicus noſter multę lectionis, ſcribit, quoniam ea dea Siculos lienis morbo laborantes liberauit. quare factum eſt, vt ruſtica turba theatrum ingreſſa, victoriam caneret, quã Hiero de Syracuſanis obtinuerat. hęc ille, & plura. Diomedes & Probus hoc Dianæ cognomentum non à liene deductum ſignificant, ſed potius (vt elicimus) à verbo Græco λύω, ſoluo & libero. Diomedis verba: Antequam Hiero Syracuſas expugnaret, morbo Sicilia laborabat (vel, vt Probus ait, lue pecora interibant) variis & aſſiduis ceremoniis Dianam placantes, finem malis inuenerunt, eandem Lyen cognominauerunt, quaſi ſolutricem malorũ, &c. Liuius libro quinto, v. Decad. Luam deam commemorat: neſcio an eadem ſit cum Diana. ita enim ille: Edito ludicro omnis generis, clypeiſq; æreis in naues impoſitis, cætera omnis generis arma cumulata in ingentem aceruum, precatus Martem, Mineruam, Lunámq; matrem, & cęteros deos, quibus ſpolia hoſtium dicare ius faſq; eſt.

Taurica, Thoantea, vel Thoantis, Oreſtea, Faſcelis, Aricina, & Nemorenſis, cognomina ſunt Dianæ, quæ ſimul enarranda mihi videntur, quòd ex eadem penè fabula deſumpta videntur: quæ fabula licet à pluribus tradatur, ego hic ex Seruij Grãmatici ſecundo & ſexto Aen. cõmentario ſub compendio recitabo. Cùm Gręci, inquit, in Aulidem veniſſent, Agamemnon Dianæ ceruum occidit ignarus. vnde irata dea, flatus ventorũ remouit. quamobrem cùm nec nauigare poſſent, & peſtilentia laborarent, oracula conſulta dixerũt, Agamemnonio ſanguine Dianã eſſe placandam. Ergo cũ ab Vlyſſe per nuptiarum ſimulationẽ adducta Iphigenia in eo eſſet vt immolaretur, numinis miſeratione ſublata eſt, ceruа ſuppoſita: & trãslata ad Tauricam regionem, regi Thoanti tradita, ſacerdóſq; facta Dianæ: cùm ſecũdum ſtatutam cõſuetudinem humano ſanguine numen placaret, agnouit fratrem Oreſtem: qui accepto oraculo, carendi furoris cauſa cum amico Pylade Colchos petierat. & cùm is occiſo Thoante ſimulachrum ſuſtuliſſet, abſconditum faſce lignorũ, vnde & Faſcelis dicitur, (non tãtum à face, cũ qua pingitur, propter quod & Lucifera Diana, & φωσφόρος, & σελασφόρος dicitur) Ariciam detulit. Sed cũ poſtea Romanis ſacrorum crudelitas diſpliceret, quanquam ſerui immolarent, ad Laconas eſt Diana tranſlata, vbi ſacrificij conſuetudo adoleſcentulorũ verberibus ſeruabat, qui vocabantur βωμονῖκαι: quia aris ſuperpoſiti contendebãt, qui plura poſſent verbera ſuſtinere. Licet nõnihil aliter in tragœdia Iphigeniæ in Tauris, Euripides fabulam recitet. non enim occiſum Thoantem ait, ſed à Minerua monitum, vt impunè cum ſimulachro Oreſten & Iphigeniam in Atticam abire permitteret. At verò in ſexto Seruius, de ramo aureo agens: Licet (inquit) qui de ſacris Proſerpinæ ſcripſiſſe dicuntur, quiddã eſſe myſticum affirment, publica tamen opinio hoc habet: Oreſtes poſt occiſum regem Thoantem in regione Taurica, cum ſorore Iphigenia fugit, & Dianæ ſimulachrum inde ſublatum haud longè ab Aricia collocauit. in huius templo poſt mutatum ritum ſacrificiorum, fuit arbor quędam, de qua infringi ramum non licebat: dabatur autem fugitiuis poteſtas, vt ſi quis ex ea arbore ramum effringere potuiſſet, cum fugitiuo eius templi ſacerdote monomachia pugnaret. nam fugitiuus illic erat ſacerdos, ad priſtinæ imaginem fugæ. dimicandi autem dabatur facultas, quaſi ad priſtini ſacrificij reparationẽ. hæc Seruius. Sed nos iam ſeorſum hæc ipſa cognomina interpretemur.

Taurica igitur Diana ideo vocata, vt ex his quæ hic, & in Tauropolo ſcripſi-

mus, vidiſti, & preterea ex Diod. Siculo. Scribit Ammianus Marcellin9 in hiſt. à Tauricis populis Dianam nuncupari Arſilachen, ſeu Orſilachen. De Taurica meminit etiam Ouid. lib. 3. de Ponto. Thoantias autem, & Thoantea, à rege ab Oreſte interfecto dicta. Silius:

Mille Thoanteæ ſedes Faſcellina diuæ. Ouidius item:

Quiq; Thoanteæ Taurica ſacra deæ. Val. Flaccus in octauo:

Illa Thoanteæ tranſit deflexa Dianæ.

Oreſtea verò vocata ab Oreſte. Ouidius:

Sacráq; Oreſteæ gemitu quæſtuq; Dianæ. Idem:

Cultáq; Oreſteæ Taurica terra deæ.

Faſcellis, & interdum Facelis Diana vocata fuit, vt ex Seruio diximus: & Facelina quoq;, vt Prob. ait. Appellata verò vel à faſce, vel à face, vel ἀπὸ τοῦ φακέλου, id eſt à lignorũ onere ac faſce: atque ideo nunc prima producta, nunc correpta enunciatur, vt ex his quos ſubdam verſibus, facile cognoſcere datur. Silius:

Mille Thoanteæ ſedes Faſcellina diuæ.

Quanquam Silij hoc carmen quidam ſic interpolant, Sedes Facelina, propter illud Lucilij ex tertio Satyrarum, *Et ſæpe quod antè*

Optaſti freta Meſſanæ & Rhegyna videbis

Mœnia, tum Liparas Facelinæ templa Dianæ.

Quod ideo dictum videtur, non tantũ propter id quod paulo antè ex Seruio recitauimus, quòd Oreſtes apud Ariciam Dianæ ſimulachrum collocauit: ſed ob id, quod Varro lib. Diuinarũ. & Cato de Originibus tradũt, ꝙ Oreſtes à nece matris dicit᷑ purgatus apud Rhegiũ, quod à Taurica (vt puto) Taurocinũ dictum eſt: & Rheginos, Taurocinos vocauit Cato in tertio de Originibus. nam eò (vt Probus etiã ſcribit) Oreſtem cum Iphigenia atq; Pylade dicũt materna nece expiatũ veniſſe: & diutius ibi viſum eſſe ex arbore ſuſpenſum enſem, quem abiens Oreſtes reliquiſſe dicit᷑: cuius enſis & Cato et Varro meminerunt. Scribit etiam Donatus, quo tẽpore Oreſtes è Scythia cum Pylade fuerat reuerſus, ſurrepto numinis ſimulachro, & lato in faſce lignorũ, Faſcelidem Dianã nuncupatam eſſe. atq; adhuc de Faſcelide, de qua & Hyginus in Aſtronom. Poet. & in libro Poet. fabularũ. Nunc de Aricina et Nemorenſi Diana agamus. ſic igit᷑ culta & nũcupata à nemore Arricino, nõ multũ à Roma diſtãte. Suetonius Tranquillus in Caligula: Nemorenſi regi, quòd multis iam annis potiretur ſacerdotio, validiorem aduerſarium ſubornauit. Quod ideo ab ipſo dictũ eſt, ꝙ vt Strabo ait, qui ibi primus hoſtiã mactabat ſacerdos, rex appellabatur: ſerui de honore certabãt fugitiui: ſinguliſq; annis ei qui renuerat ſacerdotium, certandũ erat cum aliis, victor ſuccedebat, & hi appellabantur reges Nemorenſes. Strabo: καθίσαται γὰρ ἱερεὺς ὁ γενηθεὶς αὐτόχειρ τοῦ ἱερωμένου, πρότερον δραπέτης ἀνήρ. ξιφήρης οὖν ἐστιν, ἀεὶ περισκοπῶν τὰς ἐπιθέσεις ἕτοιμος ἀμύνεσθαι. Qui enim victimæ mactator prius extiterit, ſacerdos inſtituitur, fugitiuus quidam vir gladiũ tenens, & inſultus ſemper circumſpectans, ad tutandum ſtrenuè eſt paratus. Pauſanias quoq; in ſecũdo eadem penè ait, vbi de Aeſculapio agit, qui Hippolytum vitæ reſtituit. ait enim, ipſum poſt vitã reſtitutam in Italiam veniſſe, Aricinſq; imperaſſe, & ibi nemus Dianæ cõſecraſſe, vbi etiã Pauſaniæ tempore ſingularia fiebant certamina, & victor ſacerdotium obtinebat: certamen libero nulli proponebat᷑, ſed ſeruis tantũ fugitiuis. hæc ferme Pauſ. Hinc igitur in Faſtis, regnum hoc ſacerdotiũ vocat Ouid. & in Arte:

Ecce ſuburbanæ templum nemorale Dianæ,

Partáq; per gladios regna nocente manu. Item Martialis in IX.

Qua Triuiæ nemoroſa petit dum regna viator. Val. Flaccus:

Soliq; immitis Aricia regi. Silius:

Quiq; immite nemus Triuiæ. Lucanus in tertio:

Qua ſublime nemus, Scythicæ qua regna Dianæ. Idem in ſexto:

Parua

Parua Mycenæa quantum ſacrata Dianæ
Diſtat ab excelſa nemoralis Aricia Roma.

Dicta autem Mycenæa Diana, à Mycene græca vrbe, ex qua Iphigenia illi mactanda, eius facta fuerat ſacerdos, & cum fratre eius ſimulachrum aſportauerat. Scythica etiã dicta, propterea quòd Tauri populi in Scythica fuerant, vnde eſt ablata. ſic poſt Lucanum, Solinus: Ariciæ Oreſtes oraculo monitus, ſimulacrum Scythicæ Dianæ de Taurica extulerat, quod priuſquam Argos peteret, conſecrauit. Sanè cum ſacrum nemoralis Dianæ inſtaret, id eſt, Idus Sextiles, ab vrbe facibus accenſis in nemus Aricinum diſcurrebatur. Propertius in ſecundo,

Cum videt accenſis deuotam currere tedis
In nemus, & Triuiæ lumina ferre deæ. Ouidius in Faſtis:
Sæpe potens voti frontem redimita coronis
Fœmina lucentes portat ab vrbe faces:

de Diana loquens Aricina. Papinius in Syluis:

Iámque dies aderat, profugis cum regibus altum
Fumat Aricinum Triuiæ nemus, & face multa
Conſcius Hippolytæ ſplendet lacus:

Porrò & Nemidis etiã Dianæ templũ fuit in Græcia, vt in octauo ſcribit Strabo. Iphigeniam Dianam cognominatam lego à Diodoro, Heſychio, & Pauſania in ſecundo: quam vt eandem eſſe crederem cum Tauropolo Diana, fabulæ quæ diuerſæ traduntur, faciunt. Herodotus quippe in quarto, de Tauris populis agens, & eorum moribus: Ita virgini, inquit, naufragos immolant, & quoſcunque Græcos illuc delatos, hoc modo. poſtquam preces peregerint, hominis caput claua feriunt, truncum corpus proturbant è rupe, vt fertur. Eſt enim in prærupta rupe templum poſitum. caput cruci affigi quidam, truncum ſepeliri humo, tradunt. Dæmonem, cui immolant, aiunt Iphigeniam Agamemnonis. hæc quidem fermè Herodotus. Sed vt rem proſequamur: Iphigenia, vt Phœdimus ait, Dianæ miſeratione in vrſam conuerſa fuit, cum in Aulide mactanda eſſet: vel in taurum, vt Nicander ſcribit. Sunt qui in anum, vel in ceruam. Lycophronis verò interpres Iſaacius, rem hanc ita prodit: Cùm, inquit, Iphigenia ad aras mactanda ſtaret, vrſa, vel cerua, vel anus, vel taurus per medias cucurrit Græcorum copias. qua re viſa, vates ſic iuſſit, quodcunque illud fuerat, mactandum eſſe: Iphigenia autem quæ mactanda fuerat, in Scythiam delata, vbi Dianæ templum erat, & vrbs, in qua Græci immolabantur, qui fortè illuc perueniſſent. quod tandiu obſeruatum eſt, donec Oreſtes cum Iphigenia ſurrepto Dianæ ſimulachro, quod è cœlo cecidiſſe credebatur, in Atticam deuenere, vbi ab Oreſte, Palladis iuſſu & Iphigeniæ, templum Tauropoli Dianæ cognominatæ conſtructum fuit. Hæc fermè Iſaacius. Fabulam quoque Euripides in tragœdia Iphigeniæ in Tauris copioſe exequitur. Tauropoliæ Dianæ meminit & Diod. lib. v. Idem & Tauropolia ſacrificia Dianæ & Martis apud Amazonas vocari ſcribit. Strabo quoque libro quartodecimo, ait in Icaria inſula templum Dianæ fuiſſe, quod Tauropolium à dea diceretur, id quod in XVI repetit: vbi fuit & oraculũ. T. Liuius libro quarto. V. Decad. Amphipolim cùm iam fama pugnæ perueniſſet, concurſuſque matronarũ in templum Dianæ, quam Tauropolon vocãt, ad opem expoſcendam fieret, &c. ταυροπολία, ait Heſychius eſſe, quæ in celebritatem Dianæ deferuntur. Phauorinus verò, Tauropolon (inquit) Dianam dixerunt, quoniam vt taurus πολίζει omnia: vel quòd taurum Neptunus immiſerit Hippolyto, furente œſtro per omnem ferè terrã: vel quòd Iphigenia è Scythia fugiens, in Attica ſimulachrum Dianæ conſtituerit, & tauropolon Dianam appellauit. Dionyſius Afer in ſitu Orbis, non à gente tantum ſed à tauro, Tauropolon Dianam denominatam ait: quia, vt Euſtathius, ea regio armentis abundet, quibus præſit dea: ſeu, quia Diana Luna credatur. quare &

re &

re & Tauropus dicta eſt, quòd ſit vt taurus aſpectu. Sanè Heſychius non modò Tauropolam Dianam, ſed & Mineruam vocat. ταυρῶ quoque idem, in Tauris regione Dianam nuncupatam fuiſſe ait. Sed & Taurica dea, & Taurica ſacra, ab eadem regione appellantur, vt paulo pòſt dicemus.

Munichia Diana Athenis culta, vt Pauſ. in Attica oſtendit. meminit eius Callimachus in hymno, vbi interpres Scholiaſtes, Munichiam ait partem portus Pireæi eſſe,

πότνια μουνιχίη λιμενοσκόπε χαῖρε.

Munichia ô cuſtos portus ſalue veneranda.

De Munichio verò loco maritimo plura Strabo. meminit & Demoſthenes pro Cteſiphonte. Hellanicus verò in ſecundo Atthidos, Munichiam ait appellatam eſſe à Munichio rege, Pentaclei filio, qui & Dianę Munichiæ templũ erexit, in quo cùm Athenienſes vrſam Dianæ ſacram interfeciſſent, fames facta eſt: qua tum demum eos liberatum iri prædixit oraculum, cùm eorum quiſpiã deæ filiam ſacrificaſſet. id quod Embarus ea conditione pollicitus eſt, ſi ſacerdotium in ſua familia perpetuò permanſiſſet, & gentilitiũ fieret. quod cùm annuiſſent, exornatam filiam immolauit: qua ex re factum in eos eſt prouerbium, qui inſani ac vecordes ſunt, ἔμβαρός εἰμι, id eſt, Embarus ſum. plura in prouerbiis Eraſmus. Ab hoc facto, ſcribit Arpocration, mos inoleuit, vt inde virgines Dianæ Munichiæ & Brauroniæ conſecrarentur ante nuptias, quæ puellę ἄρκτοι, id eſt vrſæ ab eis vocarentur: à quibus & verbum quoque deductum ἀρκτεῦσαι, quo verbo vſus eſt Lyſias & Euripides. ἀρκτεῦσαι autem δεκατεύειν, id eſt decimare ſignificat. Alij hiſtoriam aliter recitant. Puellas enim tradunt ornatas veſte crocota, nec decimo anno grandiores, nec quinto minores immolari ſolere. nam cùm aliquando vrſam cicurem in Attica, quæ cum hominibus verſabatur, fratres quidam intereміſſent, quod ſororem ſuam petulantius colludentem intereміſſet, Dianæ ira peſtilentia in Attica graſſari cœpit. vnde oraculum conſultum, reſponſumque eſt redditum, tum peſtilentiam deſituram, ſi virgines aliquas Dianæ mactarent pro vrſa. indéque factum verbum quod diximus ἀρκτεύειν. Pollux verò libro quinto, ἀρκτεύεσθαι, ait, τὰς παρθένους ἔλεγεν ὁ δῆμος ἀττικός: decimari verò virgines dicebat populus Atticus. quem locum parum expreſſit, qui Pollucem niſus eſt Latinę cõſuetudini tradere. A Munichia & Munichion menſis Athenienſium dicitur, in quo Munichia celebritas agebatur, vt in noſtro ſcripſimus de Annis & menſibus, &c. Huius prætereà hiſtoriæ & menſis meminit Sophiſtes Libanius in ea declamatione, qua Dianam laudat: quam eſt operæpretium legere, quoties de Diana hiſtoriam amplius noſſe volueris. multa enim in ea narrat parum protrita Latinis.

Alphæa Diana, culta & nominata ab Elæis, vt docet Pauſ. Aiunt enim, Alpheum Dianæ amore captum, eam precibus ad nuptias deflectere nequiuiſſe: quare ad inſidias conuerſus, noctu ei vim inferre tentauit, vnà cũ nymphis eius comitibus. quas inſidias Diana cùm ſenſiſſet, luto ſibi ac Nymphis faciẽ illeuit. ingreſſus Alpheus, quęnã Diana eſſet, minimè diſcernere potuit: quare illuſus, abſceſſit. hinc Letrinæi Dianã Alpheam nominarũt: quam aliqui Alpheniam dixere: bene, an male, nõ ſtatuo. Elæi verò Elaphięam dixerũt, vel à ceruis, vt Pauſanias exiſtimat: vel ab indigena muliere, quam ferunt Dianæ fuiſſe nutricẽ. ἐλαφηβόλος etiã Diana nuncupabatur, ab ictu ceruorũ, & nece: ſicuti & à cęteris feris, quæ ab ipſa in venatione occiderent, θηροκτόνος appellata fuit. Dicebatur & Elaphibolia, quo nomine culta eſt à Phocẽſibus. de qua hęc legit̃ hiſtoria, quòd cùm Phocenſes à Theſſalis obſiderent, ſuaſu Daiphanti principis pyrã conſtruxere, vt ſi quid durius accidiſſet, bona in ea omnia imponerent vnà cum mulieribus, id vnanimiter comprobantibus. qua pyra conſtructa, in hoſtes exiuere, & victoriam obtinentes, anniuerſariũ Elaphiboliæ Dianæ Phocenſes inſtituerunt, vt Pauſanias pluribus recitat. hinc factum prouerbium, φωκέων ἀπόνοια,

id eſt

id eſt Phocenſium deſperatio, de his qui magno animo ardua & ſupra vires aggrediuntur. hiſtoriæ pręterea Plut. & Stephanus meminere. Sane Alphæa Diana ἀλφαίη etiam dicitur, vt apud Pindarum notant interpretes in Pythiis: quo loco ποταμίαν ἀρτέμιδα, id eſt fluuialem Dianā Pindarus vocauit, ob eandem cauſam. Alpheæ, & Elaphiæ meminit & Strabo libro VIII. quo tamen loco Alpheonia vertit Latinus interpres, cuius lucū ait ad oſtium Alphei fuiſſe, & templum, & quæ in eo picturæ.

Cnagiam Dianam coluere Lacedæmonij, à Spartano Cnagio cognominatam, qui in bello apud Aphidnas geſto captus à Caſtore & Polluce, & Cretenſibus venditus, cum Dianæ ſimulachro in patriam aufugit: vnde nomen dea ſortita eſt. Pauſ. in Laconicis: tametſi aliam ipſe hiſtoriam libentius ſequatur, quæ nihil ad rem noſtram.

Triclaria Diana in Achaia culta, in cuius feſto peruigiliū celebrabatur quotannis, in eóq; hominum fiebat immolatio, quæ inde ſumpſit initium. nam cùm in eius templo Menippus & Comertho nimia victi cupidine coiuiſſent, irata dea id piaculum exegit. Longa eſt apud Pauſaniā in Achaicis hiſtoria. De Triglantina in Hecate egimus.

Pitho Diana cognominata eſt etiam, quod cùm Picus meus apud Hermolaum libro trigeſimoquarto Nat. hiſt. legiſſet, qui id tantum innuit, ipſe quid afferret amplius non habuit. ego in Corinthiacis, hoc eſt, libro ſecundo Pauſ. comperi, cuius hęc ſunt verba à me expoſita: Sacellum, inquit, Dianæ cognomine πειθοῦς, Hypermeſtrā conſtituit, cùm patrem in iudicio viciſſet, quod iudiciū Lyncei cauſa effugit. de Pytho verò, id eſt Suada dea, quæ ſuadendi dea eſt, plura collegit Politianus, & ego nonnulla in Poetices hiſtoria, & in hoc etiam vbi de ſingularibus deis egi.

Icaria Diana in inſula Icaro colebatur, vbi deæ celebre templum fuit. ſcatebat verò capreis & leporibus prępinguibus hęc inſula, quas feras qui capere ac venari cuperet, impetrata à ſacerdotibus venia, venatores quotquot vellent ex iis capiebant: ſi veniam non impetraſſent, vacui à venatione, & inanes redire dicebantur. atq; vt audaciores mulctabantur.

Didyma Diana à Pindaro cognominata in Pythiis, illo carmine, παρθένος χερὶ διδύμα: quod & comment. obſeruant. Didyma verò, vt reor, quia cum Apolline ex Latona genita. δίδυμοι enim gemini dicuntur, vt noſti.

παιδοτρόφος, hoc eſt puerorum nutrix Diana appellata eſt, vt Diodorus notat: quod ad eam infantium ac ciborum, quos ea ætas poſtulat, officiū pertinere putarent antiqui: qua, inquit, ex cauſa παιδοτρόφος vocabat, cuius deæ templum apud Coronem fuit, vt in Meſſeniis ſcripſit Pauſanias.

Pellenea Diana cognominata à Pellene vrbe notiſſ. de hac in Arati vita ſcribit Plutarchus. eius ſimulachrum per alia tempora intactum manſiſſe: & cùm à ſacerdote motum de loco afferretur, aſpectum ita perſtringere conſueuiſſe, vt à nullo contrà aſpici poſſet, ſed ab eo oculos cuncti auerterēt: nec hominibus modò viſum horrori eſſet, ſed propinquas quoq; arbores, cùm portabatur, infœcundas redderet, et immaturos fœtus excuteret. quòd cùm Arati tempore ſacerdos extrà tuliſſet, & ad Aetolos cōuertiſſet, ſic omnes conſternauit, vt ne mente quidem conſiſterent. Fuit & in Attica Pallenidis Mineruæ fanum, vt in primo Herodotus ſcribit, cùm de Piſiſtrati reditu agit.

Hemereſia Diana appellata fuit, quoniā apud Clitorios Melampus quibuſdam ſacris & expiationibus Prœtidas in Dianæ templo inſania ac furore ſanauit: id quod pluribus in ſecundo de Poetarum hiſtoria ſumus executi. Diana autem ideo cognominata, à manſuetudine, quam ἡμερησίαν Clitonij ipſi nuncupant. Hiſtoria in Arcadicis à Pauſ. exponitur.

πολυθύταος Diana etiam vocata, & vt quidam etiam putant Proſerpina, quæ & ita in ſacris inuocabatur, πολυθύταιν ἄρτεμι, πολυθύταιν κόρα: tametſi quidam hoc

loco

loco κέραν non Proſerpinam, ſed ſimpliciter puellam interpretantur, de Diana. Sic autem nuncupata à fimbriis, quibus vteretur: vel quòd multis ex locis audiretur, vt venatrix: vel quòd multo canum latratu frequentaretur, vel à multis ſacrificiis: auctor Heſychius.

εὐκλεία, Euclea Diana Thebis culta, cui & templum poſitũ, vbi ſimulachrum fuit à Scopa factum, vt in Bœot. ſcribit Pauſ. quo loco ſepultas ait Androclian & Alcidan, Antipœni filias, cuius & hiſtoriam enarrat. Ante huius deæ ædem leonem ex marmore factum, poſitum fuiſſe ferunt. Miratus ſum Domitiũ in Attica, quam ex Pauſ. in Latinum conuertit, quid eo loco ſibi vellet: Longè poſterius templum, inquit, εὐκλείας ἀνάθημα: ipſe de ſuo addidit, quam Romani luſtam appellãt, &c. alij Latinè Celebrem interpretati ſunt. Eucleæ meminit & Sophocles. Eiuſdem Eucleæ apud Bœotios & Locros ara & ſtatua in foro dicata fuit. hæc in primis Diana credita: ab aliis Herculis & Myrtus filia. quæ cùm virgo interiiſſet, meruit vt ei nubentes, priuſquam conuenirent, rem ſacram facerent, vt in Ariſtide pluribus ſcribit Plutarchus.

Calliſtes Dianæ ædes fuit in ſummo tumulo, vbi ſepulta erat Calliſto. vnde factum eſt deæ cognomen, vt eſt apud Pauſ. in Arcad.

Auentina Diana cognominata, quòd in Auentino monte Romæ in primis coleretur. quæ & Auentinenſis etiã à Val. Maximo appellata eſt, cum ait: Quiſquis Auentinenſi Dianæ immolaſſet, &c. nam Ser. Tullio regnante, à Latinis templum ibi cõditum fuit, teſte Liuio. Sex. Pomp. Seruorum, inquit, dies feſtus exiſtimatus Idib. Aug. quòd eo die Ser. Tullius natus ſerua, ædem Dianæ dicauerit in Auentino: cuius tutelæ ſunt cerui, à quorum celeritate fugitiuos vocet Ceruos. Dionyſius tamen Alicarnaſ. videtur Ancum Martium huius templi auctorem facere. de Anco enim inter cætera ita: Poſt quæ Rex pecuniis quas cõtulerant vrbes eæ omnes, extruxit Dianę fanum in maximo Romæ colliũ Auentino collocatum, legesq́ue in baſe ærea conſcripſit. Decipiuntur, qui Ouidij illud interpretantur de Diana, quod eſt:

Luna regit menſes, huius quoq; tempora menſis
Finit, Auentino Luna colenda iugo.

Nam diuerſum hoc fuit à Diana Auentina, vbi nunc eſt ædes Sanctæ Sabinæ. Liuius autem de æde Lunæ: Atrox, inquit, cum vento tempeſtas forem ex æde Lunæ, quę in Auentino eſt, raptam tulit. in ſummo enim dorſo Auẽtini Lunæ ędes fuit. In veſtibulo huius templi ex vetuſto ritu boum cornua affigebãtur, cùm in cæteris Dianæ templis ceruorum cornua. Cauſam Plut. in quæſtionibus Romanis quærit, & recitat: Ferunt, inquit, in Sabinis Antroni Coratio bouem inſigni ſpecie ac magnitudine natam fuiſſe. à vate deinde quodam monitũ, ſi quis eam bouem in Auentino Dianæ immolaſſet, factum iri eius qui rem diuinam feciſſet ciuitatem totius Italiæ imperio potituram. hominem re credita, vt bouem immolaret, ſtatim Romam veniſſe. ſeruũ interim Seruio regi clam rem omnem indicaſſe. illum è veſtigio Cornelio ſacerdoti imperaſſe, vt Antroni, antequam is rem diuinam faceret, in Tiberi ſe ablueret, ritè pręciperet: (ſic enim eos qui litare vellent, facere conſueſſe:) Antronem cupidè profectum lauiſſe, Seruium interim occupaſſe ac Dianæ bouem immolaſſe, & cornua templo affixiſſe. hoc luba monumentis mandauit, et Varro: niſi, quod Antronis nomen Varro nõ prodidit: nec à Cornelio ſacerdote, ſed ab æditiuo deceptum fuiſſe Sabinum dicit. Auentinæ Dianæ & Propertius in quarto meminit:

Phyllis Auentinæ quædam eſt vicina Dianæ. Martialis:
Laudat Auentinæ vicinus ſura Dianæ.

Aſtratea Diana ſacellum habuit in agro vrbis Pyrrhichi, ideóq; ibi poſitum, quòd inde Amazones contra Gręcos præliantes vlterius non proceſſerunt, & vox indicat. Eodem etiam loco Amazonius Apollo cultus: auctor Pauſanias.

Iſſoria Diana Teuthrane & culta & dicta, vrbe Laconica, à Tęuthrante condita:

dita:Pauſ. vbi Dianæ Iſſoriæ & Aeginææ templa fuere.Iſſoria,inquit Heſychius,Diana,& celebritas & locus in Sparta. meminit & Stephanus in ἴσωρ. Anyſidora verò,alibi dicta.

Φιλομείραξ,hoc eſt, adoleſcentum amatrix Diana cognominata, cuius ſacellũ fuit,vt ſcribit Pauſ.in via Siope euntibus ex gymnaſio ad balnea,apud Elienſes.

Cordaces Dianę templum diſtabat,vt eſt apud Pauſ.per ſtadium à ſepulchro procorum Hippodamiæ. ſic aũt vocata fuit,à ſaltationis genere, quod Pelopis ſocij prope deam ibi exiſtentem duxere, ἐπινίκια canentes:hoc eſt,victoriæ carmina.Quod aũt ſaltationis genus eſſet κόρδαξ,probè,vt puto,docuimus in 1.de hiſtoria poetarum, itemq; quæ eſſent Epinicia.

Pyronia Diana dicta; cuius templum fuit in Arcadiæ monte Crethide: vnde ad Lernæa ſacra antiquis temporibus ignem ſumere ſolebant.à quo igne,vt reor,dea ipſa Pyronia nuncupata eſt.

Cedreatis Diana, ab Orchomenijs ideo ſic vocata fuit, vt Pauſan.auctor eſt, quòd eius ſimulachrum in ingenti eſſet cedro erectum. Conſiderandum verò, apud Heſychium in vocabulo κάλαβις,an legendum ſit κεδρεάτιδος, an δρεάτιδος ἀρτέμιδος.

Heurippa à Pheneatis in Arcadia Diana cognominata,vt Pauſan.ſcribit: cui templum ab Vlyſſe poſitum fuiſſe exiſtimant, quòd videlicet amiſſos equos in eo loco inueniſſet,qua ex re & cognomen factum,παρὰ τὸ εὑρεῖν τὰς ἵππους. Nuncupata etiam εὐπορεία a Rhodijs,vt notat Heſychius,quaſi boni tranſitus.

Hymnia Diana ab ὕμνοις,id eſt laudibus appellata,cuius templum fuit in Orchomeniorum regione,parte lęua montium Achiſiorum.vide hiſtoriam apud Pauſ. in Arcad.vbi & cultum,& ſacerdotum ritum planè perſcribit.

Aethiopia Diana cognominata, teſte Stephano, q & eius varias opiniones recenſet.Quidam enim ſic appellatam putant à regiuncula quadam Lydiæ αἰθιόπιον nomine,vbi coleretur. alij quòd cũ apud Aethiopas verſaret,eam Apollo abduxerit.nõnulli παρὰ τὸ αἴθειν, ab ardore videlicet, quòd Luna ſit, vt Callimach. ait.quidã,quòd ea Hecate ſit,quę facibus vti putabat,vt Eratoſthenes prodidit.

Perſia,quæ & Perſea ſeu Perſica Diana nuncupata,de qua ſic Diodorus:Colitur,inquit,& à Perſis plurimum Diana,cui myſteria inſtituerunt barbari:quæ vt ait,ad ſuum vſq; tempus Perſea dicebant.Sed enim dea hæc trans Euphraten colebatur ſumma religione & cultu,cui ſacrę paſcebantur boues,nullo cuſtode: Erant verò tantummodò ſigno deæ notatæ,hoc eſt face,vel lampade.Harũ vnius miraculum Plut.in Lucullo perſcribit, quæ illi ſacrificati ſe obtulit.Legimus quòd in Caſtabalis Perſicæ Dianæ fanum fuit tantæ religionis, quòd ibi dicatæ virgines(ſi credere dignũ eſt)ſuper pruna nudis pedibus ambularent,nullo nocumento.id quòd tamen dæmonũ illuſione ad montem Soractis Hirpinę quædam familiæ ad Feroniæ templum contigiſſe ſolitum,tradunt auctores:Plin.Solinus,Seruius,alij. Pauſ miraculum hoc à ſe viſum tradit. Deam verò ait Lydis celebratiſſimam,Perſicam fuiſſe,cuius celeberrima templa fuiſſe præcipuę in Hierocæſarea & Hypepis,in quibus ſacella cum ara,cum quodam cinere haud ſueto:vbi cùm res diuina fiebat,ſacerdos cum lignis ingrediebatur,quæ arę ſupponebat,& capiti Tiaram,& manu librum tenens, legebat barbaras quaſdam ſuas precationes.Cornelius quoq; Tacitus in lib.Ann.ſic de hac re prodit: Altius Hierocæſarienſes expoſuere Perſicam apud ſe Dianam, delubrum rege Cyro dicatum.& memorabantur Perpennæ Iſaurici,multaq; alia Imperatorum nomina,quę non modò templo,ſed duobus millibus paſſuum eandem ſanctitatẽ tribuerunt.

Phyllida Dianam Callixenus apud Athenæum appellare videtur:ſed quãobrem,non ſanè compertum habeo.Sunt qui à folijs arborũ quod ea dea, hoc eſt Luna,etiam poteſtatem habeat eorum propter humorem.Cùm ego nihil ab antiquis didicerim,quiſq; quam velit ſibi rationem vel afferat,vel confingat.

Corythalliã etiam Dianam apud Athenæum in quarto appellatam inuenio: ad cuius templum pueri mares à nutricibus deferebantur. quidam ſic appellatam arbitrantur, quòd κόρυς pueros dictos videmus. ſunt qui κορυθάλλην laurum nuncupent.

Amphipyron quoque cognominari videmus Dianam à Sophocle in Trachinijs, ea videlicet cauſa, quod vtraq; manu facem præferret. eadem & Hecate exiſtimatur.

ἰοχέαιρα, hoc eſt, ſagittis gaudens Diana, à Græcis cognominata eſt, vel quòd dea bellica ſit: vnde & Polemarchi Athenienſium, qui principes erant belli, ſacris Dianæ & Martis Enyalij præerant: vnde armigeram ab Ouidio nuncupatã exiſtimarim in Metam. propter arma venationis. vel quòd venationib. dea gauderet. quare & venationum præſidem veteres putabant. id quod ex eius pleriſque cognominibus Phurnutus in lib. de Deorum nat. oſtendit. Hoc verò ἰοχεαίρας epitheto, Orpheum & Homerum ſecuti pleriq; alij poetæ vſi ſunt.

κυνηγέτην, id eſt venatricem: & θηροκτόνον, id eſt Fericidã: & ἐλαφηβόλον, id eſt Ceruicidam: & ὀρεσίφοιτιν, id eſt monticolam Dianã nuncupatã ait Phurnutus. Suid. etiam, & ἐλαφόφονον dictam ait, quòd ſcilicet ceruos venari crederetur, quos Græci ἔλλους καὶ ἐλάφους nuncupant. Theophilus Elaphebolon, à ceruorum inſectatione dictam putat. Meminit Orpheus in hymnis. eadem ratione & Elephia nominatur, cuius & Strabo lib. 8. De Elaphibolia iam actum eſt. Heſychius etiam à feris cædendis, Dianam cognominatam ſcribit θηροφόνον καὶ θηροκτόνον. Dianæ præterea canes ſacri fuere, quod Phurnutus ait. Diana in Arcadicis apud Pauſ. vbi de Megalopoli & Acaceſia agit, venatrix ita deſcribitur: Ceruina pelle velata, pendente ex humeris pharetra, altera manu lapidem, dracones duos altera ſuſtinet. adiacet canis de venaticorum genere.

Lycæa Diana, eſt à lupis cognominata, à Trœzenijs, cuius ædes ab Hippolyto poſita narratur, quòd inde lupos depulerit: auctor Pauſanias.

Pergæa Diana vocata eſt, ab oppido Pamphyliæ Perga, de qua ſic Mela Põponius: Inter eos, inquit, Perga eſt oppidum: & Dianæ, quam ab oppido Pergæam vocant, templum. meminit & Strabo libro decimoquarto. Hanc eandẽ Stephanus Pergaſiam vocat.

Elymaitis Diana, ſic nuncupata, teſte Porphyrio, & Hieronymo, quòd Elymais regio eſſet vltima Perſarum ad Orientem, vbi templum fuit ditiſſimum Dianæ Elymaitidis: quod cùm Antiochus Epiphanes ſpoliare conatus fuiſſet, à tẽpli cuſtodibus, & vicinis circùm gentibus oppreſſus traditur, paniciſq; quibuſdam terroribus in amentiam verſus, demum morbo interijt. & hoc ei accidiſſe commemorant Polybius & Diodorus, quòd templum violare ac diripere conatus ſit. Strabo quidem apud Elymæos Palladis ac Dianæ templum commemorat, quod Azara diceretur, ex quo decem milia talentorum ablata ſint. hanc verò hiſtoriam recitat Appianus in Syriaco: & non Dianæ, ſed Veneris templũ Elymææ prodidit. ait enim, miſſum Popilium cum literis, vt nunciaret Antiocho, ne pugnaret in Ptolemæos: Antiochum deliberãdi tempus popoſciſſe. Popilium, virga circulum duxiſſe, & dixiſſe: intra hunc delibera. Rex ſtupefactus, ſtatim abitionem parauit, Veneriſq; Elimeæ templum ſpoliauit. tum demum ex valetudine tabeſcens, mortem obijt, nouem annorum filium relinquens.

Amarynthis Diana, quam & Amaryſiam vocari putamus, de qua Pauſ. in Attica: Athmonenſes, inquit, Dianam Amaryſiam colunt. cuius cauſam cùm perquirerem, nihil apud interpretes certi cõperire potui. Ego verò, ait Pauſ. ita cõiectura colligo: Amarynthus in Eubœa eſt, vbi hanc Amaryſiã colunt. nec minore pompa ꝗ Eubœi, eundem diem Athenienſes celebrant: vnde apud Athmonenſes hoc nomen extitiſſe arbitror. hæc ille. Porrò & Steph. Amarynthum Eubœæ inſulam prodit, à venatore Amaryntho nuncupatam. vnde fiat gentile Amarynthium, & Amaryſium. citátque Pauſ. Vnde eſt Amaryſia Diana, quæ

& à no-

& à noſtris aliquando Amaruſia dicta eſt. Strabo verò libro 9. Amarynthum ait vicum fuiſſe apud Eretriam, vnde Amarynthia Diana. Fuiſſe autē apud priſcos Eretrienſes celebres, colligit ex columnæ vetuſtæ teſtimonio, quam in Dianæ Amarynthiæ templo antiquitus illi erexerant, cuius etiam inſcriptionem adſcribit. Huius deæ & T. Liuius libro quinto Decad. quartæ ita meminit: Sacrum, inquit, anniuerſarium eo fortè tēpore Eretriæ Amarynthidis Dianæ erat, quod non popularium modò, ſed Caryſtiorum etiam cœtu celebrabatur. Euphronius apud Phauorinum ait, quod in Amarynthio Colænis Diana coleretur, de qua alibi plenius agemus. Porrò & Creſſa, & Creſica etiam cognominata cùm ab alijs, tum Callimacho & Diodoro.

Soluizona Diana, hoc eſt, λυσιζώνη cognominata eſt. de hac Apollonij interpretes: Soluebant, aiunt, primùm parientes zonas, & Dianæ dicabant: vnde eius etiam Athenis Soluizonæ phanum fuiſſe proditum eſt. Eadem ratione & Ilithyia Lyſizonos nuncupatur, teſte Phurnuto. hinc Theocritus:

ἔνθα χαρ Ἐλειθυίαν ἐβώσατο λυσίζωνον:

Hic vbi Lucinam vocitabat Lyſizonam.

In decimoſeptimo Edyll. Orpheus in hymno:

λυσίζωνε, φίλοιστρε, κυνηγέτι, λυσιμέριμνε.

Legimus & græcum epigramma de zona ſoluta. & Catullus noſter de eadem re nec ſemel meminit, vt:

Quod zonam ſoluit diu ligatam. Idem alibi:

Quod potuit zonam ſoluere virgineam.

Latini Virginenſem deam pari ratione vocauere, vt alibi docuimus. Sed & ſoluere pudorem legimus dici, propter vincula caſtitatis, vt Seruius docet in quarto Aeneid. in eo:

Spemq́; dedit dubiæ, ſoluitq́; pudorem.

Quin & Homerus in Odyſſ. λ. λῦσε δέ οἱ ζώνην dixit, id eſt, Soluit autem ei zonam. Sanè ſunt qui zonā tum ſolui tradiderunt, cùm primùm nuptui puella traderet: quo modo Homerus & Catullus. alij verò, cùm primùm puellæ pariūt, id quod Apollonij interpretes: vnde & Lyſizonæ Dianæ templum apud Athenienſes. Meminit & Lyſizonæ Dianę Heſychius. Sed &, quo loco Homeri dicitur, quēadmodum Neptunus Tyro Enipei amnis amore captam, priuſquam Enipeo iungeretur, euirginauerit. id enim ſignificare, ait Scholiaſtes inibi, λύων παρθενίην ζώνην. Sanè & Latini ita tradunt, vt eſt apud Feſtum: Cingulo noua nupta præcingebatur, quod vir in lecto ſoluebat, factum ex lana ouis: vt ſicut illa in glomos ſublata coniuncta inter ſe ſit, ſic vir ſuus ſecum cinctus vinctúſq; eſſet, &c. Meminit idem in Cynxia Iunone.

Cnacalyſia Diana à Caphyaris culta, cognominata verò à monte Caphyis propinquo, qui Cnacalos vocabatur: auctor Pauſan.

Condyleatis Diana, appellata à Condyleo loco, qui non plus ſtadio diſtat à Caphyis, vt idem ſcribit Pauſ. Huius tamen poſtera ætas cognomen mutauit, & pro Condyleatide ἀπαγχομένη vocitata eſt. nam pueri quidam pro templo ludentes, reſtem fortè inuentam collo imaginis Dianę iniecere. Sed Dianam ferunt ſuſpendiſſe inijcientes. id quod Caphyiatæ intelligentes, pueros ipſos quaſi ſacrilegos lapidauere: tum poſt euenit, vt eorum vxores morbo quodam correptæ abortirentur. Conſultum ſuper hac re oraculum, Pythia reſpondit, pueros ſepeliendos, & quotannis eis ſacra facienda. qua ex re ἀπαγχομένη Diana, id eſt ſtrangulans, pro Condyleatide eſt nuncupata.

Sciaditis Diana à Scia vocitata, qui locus à Megalopoli tredecim ſtadijs diſtabat: cuius templum Ariſtodemus tyrannus, vt docet Pauſan. condidiſſe dicebatur.

Angitas etiam Dianæ nomen, & fluuij non longè à Pangæo decurrentis, vt Heſychius prodit.

ἡγεμόνη ἄρτεμις: Hegemones Dianæ, id eſt ducis fanum ſtadijs quatuor ab Acaceſio vrbe diſtabat, de qua in Mercurio Acaceſio meminimus. nam Dianã Cereris, non Latonæ filiã, Aeſchylus fuiſſe ait, Aegyptios imitatus: vt & Pauſ. refert. Porrò hæc de Hegemone Diana hiſtoria prodita eſt. Ariſtomelidas Orchomeniorum, qui in Arcadia fuere, tyrannus, Tegeatidis virginis à ſe vitiatæ cuſtodiã Chronio commiſit: quæ priuſquàm ad tyrannum reduceretur, præ metu ac pudore ſibi manus intulit. Chronius per quietẽ à Diana excitatus, Ariſtomelidan occidit, & Tegeam aufugiens euaſit, atq; ex ea re ducis, id eſt ἡγεμόνης ἀρτέμιδος ædem conſecrauit. Meminit & Hegemones Dianę Heſychius, qui & Venerem hoc eodem nomine fuiſſe ſcribit. Sed enim & apud Lacedæmonios fuiſſe legimus δρόμοις, id eſt curſus locum, in quo, ait Pauſ. ſua etiam tempeſtate adoleſcentes ſeſe curſu exercere ſolebant. & à curſu diſcedentibus, Dianæ ἡγεμάχης appellatæ templum fuit, quæ ſcilicet ad pugnam deduceret.

Limniatidis Dianæ templum fuit apud Tegeates, ab ea vrbe 7 ſtadijs procul: decem verò ab eadem, Cnateidos Dianæ fanum. Sanè hoc nomen apud Cor. Tacitum lib. 4. ita legitur: Audite, inquit, dehinc Lacedæmoniorum & Meſſeniorum legationes, de iure templi Dianæ Limenitidis, quod ſuis à maioribus, ſuáq; in terra dicatum, Lacedæmonij firmabant annalium memoria, vatúmq; carminibus: ſed Macedonis Philippi, cum quo bellaſſent, armis ademptum, ac pòſt C. Cæſaris & M. Antonij ſententia redditum: contrà Meſſenij veterem inter Herculis poſteros diuiſionem Peloponneſi protulere: & cætera, quæ ſequuntur, mendoſa, nec ideo aſcripta. At verò Artemidorus lib. 2. vbi de deis agit, Dianam ait λιμνῆτιν dictam, & piſcatoribus bene ſignificare: à ſtagno videlicet nuncupata. Porrò & alicubi apud Pauſ. me legiſſe recordor, Limneam etiam Dianam appellatam: in Corinthiacis, vbi ait, apud Sicyonios cultam fuiſſe, templúmq; habuiſſe, cuius tectum collapſum vetuſtate eſſet: de ſtatua verò ſe nihil habere, idẽ ſcribit Pauſ. Sed & in Scholiaſte Euripidis in Hippolyto: λίμνας, inquit, gymnaſium Trœzenis, vbi mirificè colebatur Diana. Vnde videri poteſt, Limneã dictã eſſe.

Lycoatidis Dianæ templum fuit in Lycoa vrbe, & eius item deæ æneum ſimulachrum in monte ad meridiem, vt in Arcad. Pauſan.

Chitone Diana ab Atticæ populo, vel potius à tunica cognominata, quæ gręcè χιτώνη dicitur. de hac Callimachus in ipſius deæ hymno:

πότνια πουλυμέλαθρε, πολύπτολι χαῖρε χιτώνη: id eſt,
Vrbibus & domibus multis Veneranda Chitone, *Salue.*

& item in hymno Iouis meminit. Solebant enim veteres infantium veſtes ipſi deæ Dianæ ſuſpendere. Stephanus & Chitonem hanc deam, & Chitoniam vocari ait, ex Menippi Byzantij ſententia. Epicharmus in Sphinge, Chitoniæ quis concinat mihi melos. Athenęus libro quartodecimo, apud Syracuſanos ſcribit peculiares fuiſſe Dianæ Chitoniæ (ſic enim ipſe legit) ſaltationem, & tibiarum modulum. Porrò, niſi mendum ſit, Heſychius Dianam & κιθωνίαν vocauit. B. Aegius ſe ait vidiſſe Lauiniæ in Latio, inſcriptionem hanc: VIRGIN. CHITONE SACR. hoc eſt, Virgini Chitone ſacrum.

Oenoatis, οἰνωάτις Diana etiam cognominata eſt, vt Heſychius ait, ab Oeno Argiua. Oene ciuitas fuit agri Argiui, vt in primo Hecatæus apud Stephanum. Horus vocat Oenoen, vnde ſit Oenoatis Diana, quæ à Prœto erecta fuerit.

Stymphalia Diana vocabatur, vt eſt apud Pauſ. à Stymphalo Arcadiæ vrbe, iuxta cuius deæ templi tectum Stymphalides aues fuiſſe fabulantur. Sed de his auibus in Hercule noſtro plura diximus, & nobis longè plura Pauſ. Stymphalię etiam Dianæ Stephanus meminit.

Colęnis Diana cognominata à Colæno viro, qui vt Myrrhinuſij tradunt, rex fuit ante Cecropem, quod Pauſan. obſeruat. Hellanicus autem, Colænum à Mercurio oriundum, ait ex oraculo Colænidis Dianę templum condidiſſe: & Phęnodemus in quarto. ſed Euphronius in Amaryntho, Colęnida ait fuiſſe appellatam,

latam,propterea quod Agamemnon ei ſacrificauerit ex cera τὸν κόλον,id eſt hircum ſine cornibus:ita ego interpretor.Metagenes in Auris, meminit Colænidis:& Ariſtophanes in Auibus,vnde locus nō amplius Colænis,at Diana Acāthia.Meminit & Suidas:qui præterea ſubdit,etiam hoc nomine genus volucris ſignificari.Fuit & Diana Heſychio Colemis,quæ à Colemo nomen ſortita eſt, niſi perperam legatur.

Coloena,κολοήνη Diana etiam appellata,teſte Strabone in 13.à lacu in Sardiana regione,qui Gygæus prius,mox κολόη nuncupatus eſt. ibi ſunt Hermi & Cayſtri campi:& templum fuit Dianæ Coloenes,quod maxima habebatur veneratione.in eius ſiquidem celebritate ſimiæ ſaltare ferebantur,qua in re ſuam non vult fidem Strabo aſtringere.

Opis,ὦπις,ἢ οὖπις,nomen Dianæ apud Græcos, vt teſtantur Callimachus & Macrobius,qui ex Alexandri Aetoli poetæ græci epigrammate,in libro qui inſcribitur Muſæ,hoc carmen citat:

ὑμνῆσαι ταχέως ὤπιν βελητήραν ὀϊςῶν.

Scripſimus & ipſi in primo de Poetarum hiſtoria,Hypingos,Vpingos,fortaſſe non male vocari cantica & carmina quæ Dianæ dicata fuerāt.Dicti verò Vpingi,ab Vpi,ipſius Dianæ patre,cuius in 3.de Nat.deor.Cicero meminit.Vnde & Diana ipſa & Vpis,& Opis interdum vocata eſt,prima producta. Nam Ops Opis,pro Saturni coniuge,prima correpta profertur.Tibullus:

Ideæ currus ille ſequatur Opis.

Callimachus in Dianę hymno,Vpis meminit.

οὖπι ἄνασσα εὐῶπι φαεσφόρε,&c.

Hoc eſt,Vpi regina pulchri aſpectus,lucifera, &c. quo loco Gloſſema cauſas, cur Vpis Diana vocetur,habet.Sed ea præcipua eſt,à tribus puellis hyperboreis,Vpi,Hecaerge,& Loxo:quæ Dianam & Apollinem aluere. à prima Diana nomen ſumpſit,& reliquis duabus Apollo.vel Vpis dicta παρὰ τὸ ὀπίζεσθαι, id eſt, à curandis parientibus.Idem Callimachus in hymno Deli:

οὖπις τε,λοξώ τε,καὶ εὐαίων ἑκαέργη: id eſt,

Vpisq́ue,Loxoq́ue,& firma ætate Hecaerge.

Porrò & Palephatus in libro ἀπίςων,Dianam(inquit)Thraces vocant Bendiā, Cretes Dictynnam,Lacedæmonij Vpin.Sed Vergilius cùm in quarto Georg. tum & in XI.Aeneid.Opin non Dianam,ſed ſociam comitémq́ue Dianæ facit. vt in illo:

At Triuiæ cuſtos iamdudum in montibus Opis. & paulò pòſt:

Opis ad æthereum pennis aufertur Olympum.

Ops verò pro Rhea dicitur,Saturni coniunx,vt alibi notatum:licet & docti quidam,etiam Opis vocent.Sanè & Hecaerge Diana dicta,quod Pauſ. Herodotus,alijq́ue,& nos in Olenis vatis vita,de Poetis lib.3.retulimus.

Coccoca Diana in Olympicis quare ſit dicta,ignoratur.Pauſ.

Eluſia Diana nuncupata ab Epheſijs,ſcribit Heſychius.Me præterit,an eadē ſit quæ Luſia Diana dicitur,de qua in Cerere Luſia actum eſt, & de qua etiam Callimachus meminit in hymno.

Chia Diana,ab inſula Chio vocata,in qua poſita & facta ab Anthermi filijs, eius inſulæ indigenis.de qua ſic Plin.lib.XXXVI.Et in ipſa,inquit,Chio narrata eſt operis eorum Dianæ facies,in ſublimi poſita, cuius vultum intrantes triſtem,abeuntes exhilaratum putabant.

Neleidam Dianam nuncupatam legimus apud Mileſios. Sic verò appellatā exiſtimo,à Neleo,ex cuius filijs longè potentiſſimus fuit Phrygius.hi autem ſeceſſerant,relicta Mileto,Myuntem,dúmq́ue ibi manerent, Pieria puella vehementer amata à Phrygio impetrauit,vt pax inter eos componeretur,quo Pieria cum puellis comitibus ad Dianæ Neleidis templum impunè quotannis proficiſci poſſet,qua adepta,apud vtroſq́ue,Mileſios ſcilicet & Myuntios , illud inter

nubentes emanauit: Sic amer, vt Pieriam amauit Phrygius. quod & in prouerbium deduxit Eraſmus.

Priapinam Dianam commemorat Plut. in Lucullo. Scribit enim, poſt illã ingentem victoriã, qua Lucullus Mithridatem omni maritima poteſtate priuauit, creditũ eſſe, cœleſtis numinis ope eam gloriã Pop. Ro. Lucullum peperiſſe. Ferunt enim, ait, Priapinæ Dianæ indignatione tam vaſtam Ponticos tempeſtatẽ inuaſiſſe, quia hi ſpoliato templo, deæ quoq; ſtatuam abſtulerant.

Delphinia Diana cognominata: repete quæ in Delphinio Apolline copioſe diſſeruimus.

Aſtyrena Diana, vt ſcribit Strabo lib. XIII. nuncupata fuit ab Aſtyra, qui vicus fuit in regione Troiana, & lucus ipſius Dianæ. Sed enim Stephanus Aſtyrenam Dianam videtur ab Aſtyro Italiæ deducere: & Mineruã Aſtyrida eſſe vult, à Phœniciæ ciuitate circa Rhodum. Ait enim: Aſtyra genere neutro; numero plurali, ciuitas Myſiæ apud Troada. Dicitur & ſingulari numero, Aſtyron. Fuit & vicus proximus Adramyttio, vt ait Strabo. Fuit & vrbs Phœnices circa Rhodum, in qua colebatur Minerua Aſtyris. Eſt & Bœotiæ, ad Potnias, vt Charax ſcribit in ſecundo. Eſt & regio Italiæ, cuius gentile Aſtyrenus, à qua Dianæ Aſtyrenes templum.

Bubaſtis Diana cognominata ab Aegyptijs, vnde & vrbi nomen, vbi conuẽtus quotannis agebatur in honorem Dianæ, vt Herodotus auctor eſt. Stephan. verò & Strabo: Bubaſtus, inquiunt, ciuitas Aegypti, quam Herodotus Bubaſtin per iota enunciat, vnde nomen gentile Bubaſtites, & vrbs Bubaſtitis. Bubaſtus autem & ciuitas & templum Dianæ, & nomos, id eſt præfectura Bubaſtites. Dicitur & Bubaſtius à Theopom. Aegyptij verò Bubaſton æluron, id eſt felem nuncupant. Hæc Stephanus. Ouid. in Metam.

Sanctaq; Bubaſti, varijsq; coloribus Apis.

Bubaſtia ſacra etiam Gratius in poemate de Venatione memorat, de lino agẽs, ita canens:

Vix operata ſuo ſacra ad Bubaſtia lino,
Velatur ſonipes æſtiui turba Canopi.

Panagæa Diana prouerbio dici ſolita, vt ſcribit in Prouerbijs Eraſmus, de errabundis, ac impenſius peregrinationes amantibus, quod talis Diana fuiſſe dicatur. Sed cur Panagæa vocetur, non affert.

Elæa Diana, teſte Strabone libro octauo, nuncupata ab Elos, qui locus quidam penes Alpheum à quibuſdam dictus eſt. alij vrbem Laconicam dixere. Sũt qui maritimum oppidulum ita appellarunt. quidam circa Elos elorium, ſiue paludem, vbi Dianæ Eleæ templum ſitum fuit, Arcadiæ ſubiectum. nam Arcades eius ſacerdotium gerebant. Eſt apud Plutarchum in Græcorum problematis, Dianę etiam templum inſigne fuiſſe in Elide, quod Ariſtarchium nuncupabãt, quod cùm Sambicus diripuiſſet, tandem pœnas dedit: vnde prouerb. apud Eleos fuit, δεινότερα σαμβίκου παθεῖν, hoc eſt, grauiora Sambico pati: de ijs qui grauia iuſtè patiuntur.

Σωτεῖρα Diana cognominata, ſalutarem latinè dicere poſſumus. Domitius tamen in Attica; Soſpitem eleganter vertit. Huius diuerſa ſimulachra & templa legimus: primum apud Trœzenios à Theſeo erectum, ex victoria Aſterionis Minois filij. ſimulachrum verò ita deſcribitur, σωτείρας ἀρτέμιδος, id eſt Soſpitæ Dianę. Cùm Mardonij Perſæ exercitus milites agrum Megarenſem populati, Thebas ad Mardonium ducem redire vellent, Dianæ numine noctem interueniſſe, eóſq; locorum itinere ignaros aberraſſe in partes regionis montanas. vbi cum hoſtilem exercitum in proximo eſſe ſuſpicarentur, ſagittas emiſiſſe: quarum repercuſſu, quoniam rupes proxima gemitum edebat, ardentiores, vt aiunt, ad ſagittandum facti ſunt, putantes hoſtium corporibus ſagittas contineri. Interea dies illuxit, hoſtéſq; ſubiere. qui cùm armati aduerſus inermes ac ſagittis vacuos

dimica-

dimicarent,multos ex his interfecere.cuius rei gratia Dianæ σωτείρας ſimulachrũ erexerunt.Ibi & duodecim deorum imagines,quæ Praxitelis artificio attribuuntur:Dianam verò ipſam Strongylion effinxit,auctor Pauſan.Non ſalut s nomine tantum Dianam,ſed & libertatis legimus.Nam,vt Artemidorus ſcribit in 2,Eleuthera Diana culta fuit à Lycijs,cap.XXXV.

Sarpedoniæ Dianæ,ait Strabo lib.14.in Cilicia fanum fuiſſe,& oraculum: vbi numine perciti reſponſa dabant.

Orthoſia Diana cognominata,cuius Pindarus in Olymp.meminit, & Heſychius.denominata verò ab Ortheſio Arcadiæ monte:vel παρὰ τὸ ὀρθοῦν, id eſt,ab erigendo & ſubleuando,quòd ſcilicet hæc dea parientibus opem ferat. Meminit præterea Lycophron,& Phauorinus,interpretésque Pindarici. de qua etiam Plutarchus,in lib.περὶ ποταμῶν,vbi de Caico Myſiæ flumine.

Coryphea Diana,ſic cognominata,quòd in mõtis vertice templum haberet. Sunt qui Coryphæon montem dicant prope Epidaurum,in quo Diana coleretur:auctores Pauſanias & Stephanus.nos quoque in Teleſillæ vita docuimus, quod Teleſilla de hac dea carmen ſcripſerit.

Magneſia Diana,nominata ab vrbe Magneſię,cuius meminit Victruuius li. 3.cum de ſacris ædibus agit.ait enim,Pſeudodipteri,cuius formam deſcribit,exemplar Romæ non fuiſſe:ſed Dianę Magneſię,Hermogenis Alabandi.

χρυσηλάκατος Dianam Homerus,alijque poetæ cognominant:hoc eſt, Colum auream habentem.Vide hymnum Homeri,in Venerem.

χρυσήνιος ἄρτεμις,vocata ab Homero & poetis,quòd conſpicua ſit habenis aureis & pulchris.Iam ſæpius dictum,aurum poni pro pulchro & inſigni: vt Venus aurea,χρυσηλάκατος ἄρτεμις,& id genus multa.

Cercæa Diana vocata,quam celebrat in primis Arrianus in hiſtoria Alexandri Macedonis libro 7.ait enim inter cætera,eius ſimulachrum relatum ex Aſia Athenas,in Græciam,Alexandri iuſſu,quod antea fuerat à Xerxe rege cum alijs plurimis ablatum.

μερόεσσα,Meroeſſa Diana nuncupata:quidam à Meroë deducunt,quæ & vrbs & inſula eſt,vel Aethiopica,vel Aegyptiaca.Eſt & Meroe,vt ait Stephanus, ad orientem,non longe à Daphne Antiochiæ,cuius gentile nomen eſt Meroæus, vel Meruſius,nomen iuxta celebritatem.at Theopõpus Meruſium in XXXIX Philippicorum regiunculam ſcribit eſſe:& qui eam incolunt, ſimiliter Meruſij dicuntur,& inde Meroeſſa Diana.Abeſt autẽ hic locus à Syracuſis ſtadia LXX. auctor Stephanus.

Gazoria Diana,culta & denominata à Gazoro vrbe Macedoniæ, vt idem ſcribit Stephanus.Gentile nomen à Gazoro,Gazorius:vnde Diana dicta.

ἱππικὴ ἄρτεμις,id eſt Equeſtris Diana,nuncupatur ab interpretibus Pindari in primo Nemeorum hymno,quo Chromium Aetnæum victorẽ in Nemeæis celebrat Pindarus.Scribunt quidam ἄρτεμις τὴν δὲ διὸς ἱππικὴν: quo pacto, paulo antè notauimus & χρυσήνιον ab Homero nuncupari, quòd videlicet aureas habenas habeat.

Ariſtobula Diana,id eſt optimè conſulens nuncupata. Scribit Plutarchus in vita Themiſtoclis,quòd cùm in eum inuidia quadam Athenienſis populus inuectus eſſet,ipſe vt eum ad ſaniorem animum mentémque conuerteret,magis incitaſſe,offendiſſéque,cum Dianæ templum dedicauit,quam Ariſtobulam, id eſt optimè conſulentem appellauit,vt quæ optimè ciuitatis Græcorúmque ſaluti conſuluiſſet. Subdit idem pòſt:Fuit in Ariſtobulæ templo Themiſtoclis ſignũ, idque ad noſtram vſque permanſit ætatem,&c. hæc Plutarchus. Ariſtobulę deę meminit Artemidorus in ſecundo.Sanè & ἀρίστην, & καλλίστην, id eſt optimam pulcherrimámque Dianam cognominatam,ait Pauſanias in Attica.

LATONA

LAtonam quæ græcè λητὼ dicitur, cum Diana iunximus, quòd illius & Apollinis mater fuerit. Hæc autem Cœi filia traditur, vnde ab Orpheo in hymnis κοιαντὶς forma patronimica dicta eſt. διδυματόκος etiam cognominata, hoc eſt Gemellipara, propter Dianam & Apollinem liberos. Latonę gallum gallinaceum in amore exiſtimatum ab antiquis, ait Aelianus, quòd ei parturienti affuerit, & quòd etiam nunc parientibus adſit, eisq́ faciles partus efficiat. Sanè idem Aelianus alibi, hoc eſt lib. de Varia hiſt. 5. de Latonæ partu ita propemodum ſcribit: Fama eſt, virere in Delo oleam & palmas, quibus tactis Latonam, cum prius non poſſet párere, Dianam ſtatim peperiſſe. qua de re cùm alij plures meminere, tum maximè Catullus in ſuo ad Dianam hymno:

O Latonia maximi
Magna progenies Iouis,
Quam mater prope Deliam
Depoſiuit oliuam:

Sed longè copioſius me ſcripſiſſe memini ex Græcis & Latinis ſcriptoribus, de hoc Latonæ partu, in mea quapiam Annotatione iuuenili: tametſi Hyginus lib. Fab. cap. LIII. nonnihil euariet in hac recenſenda fabula: Tacitus quoq́ libro 3. Ann. de eadem ita propemodum ſcribit: Primi omnium Epheſij adiere (de Tyberio principe loquitur) memorantes, non vt vulgus crederet, Dianam atq́ Apollinem Delo genitos. Eſſe apud ſe Cenchrium amnem, locum Ortygiam, vbi Latonam partu grauidam, & oleæ quæ tum etiam maneat, adniſam, edidiſſe ea numina: Deorúmq́ monitu ſacratum nemus, atq́ ipſum illic Apollinē poſt interfectos Cyclopas Iouis iram vitauiſſe. mox Liberum patrem bello victorē, ſupplicibus Amazonum quæ aram inſederant, ignouiſſe. Auctam hinc conceſſu Herculis, cùm Lydia potiretur, cærimoniam templo, neq́ Perſarum ditionē diminutum ius, poſt Macedonas dein nos ſeruauiſſe. hactenus Cornelius Tacitus. Culta verò fuit Latona, cùm à Græcis, tum maximè ab Aegyptijs cuius & celebre oraculam in Bute vrbe fuiſſe, legimus apud Strabonem in vltimo, & Herodotum in ſecundo, qui & ipſum copioſè deſcribit. Alibi tamen ait, Iſin matrem Apollinis & Dianæ; hoc eſt Hori & Bubaſtis: ſic enim eos Aegyptij vocabant, vt ſuis locis oſtendimus. Latona verò eorum nutrix, quo loco & oraculum ipſum deſcribitur. Prima quoq́ Latona cenſetur inter VIII deos quos ſummo cultu venerabantur Aegyptij, & primos deos exiſtimabant ante XII, qui & à Græcis & Romanis (vt iam dictum eſt) celebrabantur. Fuerunt & tertij dei nuncupati, qui à XII, qui ſecundi fuerant, procreati putabantur. Nocturna Latona quare cognominata ſit, Plutarchus & Euſebius in tertio Præparationis euang. oſtendunt. Apud inſulam Hyperboream, ad Oceanum, vbi natam Latonā ferunt, regia vrbs Apollini ſacrata fuit: cuius ciues quòd quotidie cantu deū ipſum colerent, erat eorum nemo non citthariſta: quòd Bap. Leo in ſeptimo Architect. libro recitat. At cætera quæ fabuloſa de Latona traduntur, ex poetis leges. Sufficiat hæc tantum dixiſſe pro inſtituto noſtro.

ISIS.

QVoniam Iſin Diodorus Siculus, & Plutarchus, alijq́ eandem eſſe cum Luna tradidere, ideo & ipſe in hoc Dianæ Syntagmate conſcribam. Iſin autē eandem cum Luna eſſe docent ſimulachra, vt Plut. ait, quoniam κερασφόρα, id eſt, cornigera, ad Lunæ ſimilitudinem effingebatur: & μελανόστολος, hoc eſt nigris veſtibus: quibus occultationem & adumbrationem eius ſignificabant, in quibus deſiderio & amore capta, ſolem ſequi videtur: hinc quoque in amatorijs eadem inuoca-

inuocabatur:& ab ea amatoria,vt ait Eudoxus,ſubminiſtrari dicebantur. Sed enim Iſis certè credita eſt Aegypti genius:qui per ſiſtri motum,quod gerere fingebatur in dextra,Nili acceſſum ſignificabat:per ſitulam, quam ſiniſtra retinebat,omnium lacunarum fluentiam oſtendebat,vt in VIII. Aeneid. comment. Seruius docet,qui & eam ait terram Aegyptiorum lingua eſſe. Sed Horus Apollo Aegyptius,quem in Græcam linguam tranſtuliſſe creditur Philippus quidam,annum deſcribens,ita propemodum de Iſidis ſtella hæc prodit:Annum ſignificare volentes,Iſim,hoc eſt mulierem pingunt:hoc eodem ſigno Deum intelligi volunt.nam apud ipſos Iſis ſtella eſt, Aegyptia lingua Sothis appellata: græca verò Aſtrocyon:tametſi alia quædam exemplaria aſtromyon legũt.Scribit Macrobius in Satur.Iſis,inquit,cuncta religione celebrabatur,quæ ſit vel terra,vel natura rerum ſubiacens Soli.Hinc eſt,ait,quòd continuatis vberibus corpus deæ omne denſetur,quia vel terræ,vel rerum naturæ alimento nutritur vniuerſitas.Sanè huiuſmodi ſimulachrum repertum Romæ fuit,cùm ego ibi optimam vitæ meæ partem ingratis contererem.Vidi & nomiſma vetuſtum Hadriani,in cuius tergo hæc ipſa effigies inerat,quod his diebus Saluiatus Cardinalis per Octauium Pãtagathum mihi oſtendit.Alij Iſides duas fuiſſe volunt:id quod Picus meus in ſuis commentarijs ſcriptum reliquit: Sunt qui nauiculam in ſiniſtra illi imponant,eámque coronatam abrotano dicant. alij in manu abrotanum ipſum ſtatuunt.Fuerunt qui deam Syriam eandem facerent cum Iſide: ſed ex lib.Luciani de dea Syria,facile redarguuntur.Alij Pallada, plerique Cererẽ:quod & in Iſide & Oſiride Plutarchus notat.hinc & Thermophoros cognominata eſt,vt Diod.ſcribit:nam & leges Aegyptijs ſtatuit.Fabulam quidẽ vulgatam apud poetas de Io,minus hîc aſcribo:eam cum ex Græcis tum Latinis leges,ſed in primis apud Ouid.in Metamorph.& Luciani Dialogis. vnde Inachis appellatur,à patre Inacho fluuio.Propert. in 1:

Argus vt ignotis cornibus Inachidos.

Idem de ſacris,quæ ſuo tempore Romæ agebantur:

Atque vtinam Nilo pereat quæ ſacra tepente
Miſit matronis Inachis Auſonijs. Idem & in 2:
Io uerſa caput primos mugiuerat annos,
Nunc dea,quæ Nili flumina vacca bibit.

quæ ſacra Ouidius in Arte,& Iuuenalis & Ioſephus & alij deteſtantur.Eſt apud Plutarchum proditum,Iſin alios dixiſſe Prometheo natã,alios Mercurio: quorum hic grammaticam & muſicam,Prometheus verò ſapientiam & prouidentiam inuenit.In Hermopoli quoque Iſin muſarum primam,eandémque iuſtitiam & ſapientiam vocarunt Aegyptij.Si verò de Iſide plura cupis,totum Plut. librum de Iſide lege.Sanè Iſis,vt idem Plut.tradit,Myrionymos à nominum diuerſitate nũcupata fuit.σώθις aſtrum Iſis apud Aegyptios vocari,teſtis eſt Horus: vel Philippus potius,qui eum in græcũ ſermonem conuertit.Summaten deam Iſin vocat Apuleius in 10.de Aſino:& eſſe oſtendit vnam,diuerſis tamen nominibus à diuerſis nuncupari,quàm partem,ſi modò breuiter ſcire cupis quę dea Iſis ab antiquis crederet,legere ne pigeat.ea ſi non locutionis candore,at certè te eruditione non vulgari iuuabit.Scribitur ab Aeliano in lib.de Animalibus, Copton vrbem eſſe Aegyptiam,in qua Iſis coleretur eo cultu,quo aut coniuges,aut liberi à lugentibus afficiuntur.eóque loco quo Iſis ſic colitur,pernicioſiſſ.& mortiferos eſſe ſcorpiones,qui morſu ſtatim necent:quos vt vitent,omni diligentia ac arte ſtudent Aegyptij,& cùm alijs cautionibus,tum ad Iſidis fanum capræ feræ omnibus tegumentis nudæ inter ſcorpiones humi iacentes, ab illorum acerbitate integræ incolumésque permanent:ex quo fit,vt Coptitæ eius generis capras fœminas ad diuinitatem & religionem conſecrent,& religioſiſſ.colant, & deæ ipſi Iſidi gratiſſimas putent,mares verò immolent.

τιθηνὴ, id eſt nutrix Iſis cognominata: & πανδεχὴς, hoc eſt, ſuſceptrix,vt ex

Platone

Platone Plut.recitat,quòd dea ipſi fœmina, & totius generationis ſuſceptrix crederetur.

Linigera Iſis à noſtris dicta eſt,quod eius ſacerdotes lineas veſtes induerentur. Ouidius:

Nunc dea linigera colitur celeberrima turba. Idem:

Vidi ego linigeræ numen violaſſe fatentem
Iſidis,Iſiacos ante ſedere focos. Iuuenalis:

Qui grege linigero circundatus,& grege caluo.

Nam Iſin ferunt intellecta Oſiridis nece,caput totondiſſe:qua ex re & eius ſacerdotes caput raſitare ſolebant. Sed de raſitatione capitis ſecundum morem Aegyptiorum,aliarúmq; nationum,Hebræis interdicta, longam annotationē confeci,atq; ideo hic à me prætereunda.Illud etiam ab Aeliano proditum legimus,deæ Iſidis ſimulachra ab Aegyptijs effingi ſolita,vt quodam diademate aſpidum coronarentur:illi verò Thermotin aſpidem vocabant.Huiuſmodi vetuſtum numiſma me vidiſſe recolo apud Auguſtinum Muſtium noſtrum. Idem quoq; Aelianus,vbi de vulturibus agit,vulturem Iunoni ſacrum fuiſſe ait apud Aegyptios,& eius volucris pennis Iſidis caput redimi ſolere, & veſtibulorum faſtigia exornaſſe.

Iſidis pompam in Metamorph.his verſibus deſcribit Ouidius:

Inachis ante thorum,pompa comitata ſacrorum
Aut ſtetit,aut viſa eſt:inerant lunaria fronti
Cornua,cum ſpicis nitido fulgentibus auro,
Et regale decus:cum qua latrator Anubis,
Sanctaq; Bubaſtis,varijsq; coloribus Apis.
Quiq; premit vocem,digitoq; ſilentia ſuadet.
Siſtraq; erant,nunquamq; ſatis quæſitus Oſiris,
Plenaq; ſomniferis ſerpens peregrina venenis.

Hactenus Ouidius.Sed & Apuleius etiam longo ordine deſcribit. Iſidis quoq; geſta in eius columna breuiſſimè deſcripta Diod.Siculus commemorat. Ego Iſis ſum,Aegypti regina,à Mercurio erudita:quæ ego legibus ſtatui, nullus ſoluet.Ego ſum Oſiridis,ego ſum prima frugum inuentrix. Ego ſum Hori regis mater. Ego ſum in aſtro canis refulgens:mihi Bubaſtia vrbs condita eſt: Gaude Aegypte,gaude,quæ me nutriſti. Plutarch.quoq; in libro Iſidis & Oſiridis,pauimentum templi Iſidis,inſcriptum his literis refert: Ego ſum quicquid fuit, eſt,& erit,nec meum peplum mortalium quiſquam retexit.hoc eſt Græcè: ἐγὼ εἰμὶ πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὂν, καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸ ἐμὸν πέπλον οὐδεὶς τῶν θνητῶν ἀπεκάλυψεν. Scribit & Cornelius Tacitus,Iſin cultam fuiſſe quoq; à Sueuorum Germanorum parte, eidémq; eos ſacrificaſſe.Tacito ipſi parum cōpertum, vnde origo & cauſa peregrino ſacro.ſignum apud eos ipſius deæ in modum liburnæ nauis figuratum fuit.Putarim ego id ſignificaſſe,quod de Iſidis nauigio in Nauigijs ſcripſimus: tametſi parum,vt dictum eſt,Cornelio compertum.Sed & Lucianus nauigationi præeſſe facit,in Dialogis deorum.

Atmis Iſis etiam vocata fuit,id quod ex Epiphanij ſcriptis videmus: Si verò, inquit,de Iſide ſermonem facturus ſum,quæ iam & Atmis & Io appellatur, filia quidem Aſpidis Cappadocis,qui & Inachus vocatus eſt: eius actiones referre erubeſcam,&c. quæ de eius deæ impudentiſſimis ſacris exequitur.

Iſis Pelagia etiam cognominatur,vt datur intelligi ex marmore quodam vetuſto,reperto in vinea Ioannis Pogij Pontificij quæſtoris,extra Portam Flaminiam.Item in alio marmore,in ædibus Fr. Quirini Patauij, Iſis Regina cognominata videtur. Sed has inſcriptiones marmoreas breuitatis cauſa aſcribere ſuperſedeo. Et Iſis Triumphalis in marmore,in domo Card. Cæſij Romæ: de quibus me monuit B. Aegius.

Iſis Patricia etiam Romæ colebatur,cuius meminit P. Victor in regione v.

SYNTAGMA DECIMVMTERTIVM, DE VENERE, ADONIDE, VVLCANO, CVPIDINE, GRATIIS. AD C. V. PROSPERVM PASETHVM.

Accipe & hoc alterum Proſper, V. C. Syntagma, in quo Venerem, Cupidinem, Adonim, Vulcanum, & Charites, qua potuimus breuitate complexi ſumus. Iucunda, vt opinor, nec ingrata erit lectio: qua à laboribus publicis Pot. Tribunitiæ, & prælectionibus, poſſis aliquando, tanquam in diuerticulum (vt certè eſt) voluptatis te recipere. Sit vtcunq; tamen, eodem animo noſtra accipias, quo tua mihi frequentius exhibes, etſi non pares meas eſſe vires video: debes cêrtè animũ, non exile librare munus. quem, ſi cernere queas, dicas, Quàm ſunt imparia voluntati munera. Sed rectè factum eſt à magnis philoſophis, qui magnanimitatem quidem in magna & ampla dando metiuntur: ſed ea plerunq; bona voluntas, quæ parua ſunt, maxima eſſe facit. Vale.

VENVS, ADONIS, VVLCANVS, CVPIDO, CHARITES.

Venus dea à latinis nuncupata, à græcis ἀφροδίτη, generationis voluptatisquẻ dea, & formæ, credita à gentibus: ideóque dicta Venus, quòd ad omnes res veniat: vel quòd per eam omnia proueniãt. hęc fermè Cicero. Varro verò: Poetę, inquit, de cœlo quòd ſemẽ igneum cecidiſſe dicunt in mare, ac natam è ſpumis Venerem, coniunctione ignis & humoris, quam haberent, vim ſignificantes Veneris, à qua vi natis dicta vita, & illud à Lucilio:

Vis eſt vita, vides, quæ nos facere omnia cogit.

Veneris antiquum non fuiſſe nomen, Cincius & Varro teſtes ſunt, qui nec græcum eius, nec latinum ſub regibus fuiſſe, apud Macrobium teſtantur: quod mirum tamen videtur, cum Aphrodite toties Homero & Heſiodo nominetur. Sanè Cic. quatuor Veneres commemorat, in 3. de Nat. deor. Venus, inquit, prima Cœlo & Die nata, cuius in Elide delubrum vidimus: Altera ſpuma procreata, ex qua & Mercurio Cupidinem ſecundum natum accepimus. Tertia Ioue nata, & Dione, quæ nupſit Vulcano: ſed ex ea & Marte natus Anteros dicitur. Quarta, Syria Syróq; cõcepta, quæ Aſtarte vocatur, quam Adoni nupſiſſe traditum eſt. hæc quidem totidem verbis M. Tullius. Venus à Græcis ἀφροδίτη, & ἀφρογένεια nuncupata eſt, ab ἀφρῷ, id eſt ſpuma, quòd ex Vrani, id eſt Cœli teſticulis & matris ſpuma ipſa nata fingatur. vide Heſiodi Theogoniam. Alij ἁλιγενῆ, hoc eſt, Saligenam, eadem ratione nuncupant, vt Plut. ait. Sunt qui παρὰ τὸ ἀφραίνειν, id eſt inſanire dictam arbitrentur: vnde Euripidis illud, τὰ μῶρα γὰρ πάρεστιν ἀφροδίτη βροτοῖς: id eſt, Nam ſtulta proxima Venus mortalibus: id quod etiam ſubinnuit Phurnutus. Ariſtoteles ideo Aphroditen appellatam dicit, quòd ſeminis natura ſpumoſa ſit: id eſt ἀφρώδες. qua etiam ratione ipſum ſemen album eſt, vt ſpuma. Sed enim Didymus Aphroditen dictam putauit, παρὰ τὸ ἁβρὸν τῆς διαίτης, hoc eſt, à mollicie vitæ, media litera in aſpiratam verſa in compoſitione: id quod & in ſimplicibus aliquando inuenimus, vt βρύγδην pro φρύγδην. Veneris etiam ſimulachra varijs diuerſisquẻ modis antiqui effinxerunt: nunc puellam in concha è mari exeuntem, hoc eſt Anadyomenen: nunc vt mulierem, manu concham tenentem, roſis, floribúsq; coronatam, ponè quam Charites, & hinc & hinc Cupido & Anteros. Phurnutus illi etiã comites facit, Mercurium & Pithò, vt paulo pòſt dicam. Curru etiam vectam aliquando legimus, columbis tracto, vt in ſexto facit Apuleius: quod & Phurnutus interpretaẽ, propter columbæ puritatem & caſtitatẽ, propterq; oſcula, vt in Periſteræ puellæ fabula, in hanc auem conuerſæ, Lactãtius gram-

us gram-

us grammaticus retulit. Alij cygnis vehi dixere, vt Horatius in tertio Odarum, idem Ouidius & Statius: hic in Epithalamio dicens, Amycleos ad frena citauit olores: ille in Metam.

Cypron olorinis nondum peruenerat alis.

Sed & Philoſtratus in Cupidinum imagine cum argenteo ſpeculo effinxit, & cum ſandalijs inauratis, cum aureis fibulis. Talem verò ego aliquando me vidiſſe remetior in vetuſtis quibuſdam nomiſmatibus. Idem etiam Philoſtratus in ſecundo libro Imaginum, eam ex ebore in myrtetis effinxit. Plutarchus autem in præceptis connubialibus, Venerem ſcribit teſtudinem pede calcantem Eleis Phidiam effeciſſe, vt domeſticæ cuſtodiæ & ſilentij mulieribus ſymbolum eſſet. Idem Plut. in libro de Iſide & Oſiride, de hac Venere agens, ita interpretatur: q̃ virgines cuſtodia indigeant, nuptas verò quòd deceat domus gubernatio, & ſilentium. Huiuſce Veneris meminit & Pauſan. in Eliacis libro ſecundo. Apud Sicyonios Veneris templum fuiſſe, idem Pauſan. in Corinth. ſcribit, in quo ſolæ ingrediuntur æditua mulier, cui viri conſuetudine eſt interdictum, & virgo quę annuo fungitur ſacerdotio. λουτροφόρον eam, à lauacro quod portat, appellant. cæteris ab ipſo duntaxat veſtibulo omnibus Deam aſpicere & venerari fas eſt. Eius effigiem ſedentem fecit Canachus Sicyonius: is nempe qui & Didymeum Mileſijs, & Thebanis Iſmenium Apollinem fecit. Venus ipſa ex auro & ebore facta, capite apicem, qui polus dicitur, geſtat: manu altera papauer, altera malũ tenet. victimarum illi omnium femora, præterquam ſuum, conſecrant: partes alias iuniperi lignis adolent. verùm & dum femora torrentur, cum illis vna pęderotis folia incendunt. Naſcitur pæderos herba intra ſeptum aprico loco, neque alibi vſpiam prouenit, ne in ipſa quidem Sicyonia. folia ei minora fagi, ilicis maiora: forma eadem ferè cum quercus folio. altera pars ſubnigra, alba altera, neq; omnino diſſimilis color ei qui in albæ populi folijs cernitur. atq; hactenus Pauſan. ex Romuli Amaſæi verbis. Qui & in Eliacis Vraniam, id eſt, cœleſtem Venerem fuiſſe apud Eleos prodit, quæ pede altero teſtudinem premeret, Phidiæ opus. & ibidem etiam Pandemon, id eſt, popularem Venerem fuiſſe, quæ capro inſideret, Scopæ opus: quarum rationem interpretandi Pauſan. alijs ſe ait relinquere. Deſcribitur item Venus libro ſexto & decimo ab Apuleio. Sanè planũ in Saxonia fuit, vbi tale Veneris ſimulachrum in Saxonum hiſtorijs fuiſſe legi. Stabat dea in curru nuda, myrto capite cincta, ardentem facem pectore, dextra mundi figuram, ſiniſtra mala aurea tria ferebat. poſt erant nudæ Gratiæ, nexis manibus poma geſtantes, auerſis inuicem vultibus dona conferentes. iugales quadrigæ aderant, gemini cygni, totidémq; columbæ. At verò Scopas Pandemion Venerem & popularem vel communem arieti inſidentem finxit. Mercurium etiam aliquando cum Venere erigere conſueuerunt antiqui, quòd orationis ac ſermonis ſuauitate amor, & amoris copula, nuptiæq; quodammodo cõdiri videantur. Hinc etiam Pitho, id eſt Suadela cum Gratijs, vt diximus, in eius deæ comitatu affingebatur, vt etiam à Phurnuto traditum eſt. ait enim, eas παρέδρους καὶ συμβώμους, hoc eſt aſſiſtentes, & in eiſdem aris cum Venere coli. Ceſtum etiam cingulum, ſeu baltheum Veneri attribuerunt antiqui, varium & pulcherrimum, vt poeta Homerus in Iliade deſcribit, de quo & Gręci & Latini adeò multa nugati ſunt. Ab hoc & noſtri inceſtum deduxere. ſic verò vocatus Ceſtus, veluti κεκοσμένος, id eſt ornatus: ſeu διακεκεντημένος, ſeu vt vulgata habẽt exemplaria, διακέντημος, quòd vim variam habeat & colligandi & conſtringẽdi. de ceſto & in Cytheræa loquemur. Myrtus etiam Veneri arbor attribuebatur, vel propter quandam amoris conciliationem & naturam: vel quòd planta ſit maritima, vnde nata ſit Venus. Roſæ quoq; illi dabantur, de quibus legitur in poematijs Vergilianis, elegia & Poeta & dea digna. Quin & fabulæ de roſa leguntur, vt in Cẽturia Miſcellaneorum annotauit doctè Politianus, ſed & Conſtantinus Cæſ. in Geoponicis. Philyram etiam Phurnutus ait Veneri aſſignari, quòd appoſita amorem

morem inducat, & ad plectendas coronas ſit idonea], quod ex Sapphico Horatij corroborari poteſt:

Diſplicent nexæ phylira coronæ.

Phurnuti tamen codices non Philyra,ſed φιλύτειαν habẽt,vel φιλυτρέω:quæ quoniam voces parum notæ ſunt,ideo ego aliquando φοίνικα,id eſt palmam legebã, propter ea verba Varronis de Ling.Lat.de Venere Victrice,cui coronã & palmam aſſignare videtur.Nunc nihil ſtatuo,immo illud N.L.quod in iudicijs antiqui ſolebant,aſcribo.Cauebant etiam veteres ne Veneri buxum offerrent, vt ſcilicet πύγμην.i.pugillatum & palæſtrã Venereã expiarent.Scribit Plato in Sympoſ.& repetit Phurnutus,quod amantum iuramenta à deis minimè rata eſſe iubentur.quod & poeta Naſo ſcribit,& Tibullus his verſibus:

Nec iurare time,Veneris periuria venti
Irrita per terras & freta ſumma ferunt.

Poſtremò ſues & porcos Venus auerſatur,propter ſordes & immunditiam, vel propter Adonidis interitum.tametſi in Theocriti carmine dimetro inducit Venus apro ignoſcere qui Adonim] puerum interfecerat:quòd is ſe nimio amore necem puero feciſſe iurarit. Phurnutus in Cerere ideò à ſue interemptum Adonim ait,quòd ſegetibus ſemper ſus nocere ſoleat.Euſebius lib.3.Præp.euang. Veneris fabulam ita exponit:Venerem inquit, dicunt generandi vim poſſidere,ſeminis & cupiditatis cauſam.mulieriſq; ei formã accommodant,propter generationem.pulchram effingunt, quia Phoſphorus eſt,quæ pulcherrima eſt in cœlo ſtella.illi & Cupido aſſiſtit,propter cupiditatem.vbera & partes genitales obteguntur,quia ſeminis & nutritionis hæc membra cauſa ſunt.nata verò è mari perhibetur,quod elementum humidum calidúmque eſt, & motu crebro ſpumas eijcit,quæ res eſt ſpermatis ſymbolum. Sanè ἀφοδίτης ἥρας, hoc eſt Veneris Iunonis vetus ſacellum in Laconia fuiſſe perhibetur, qua parte Eurotas maximè ſtagnare conſueuit, vbi matres pro nuptis filijs ſacra facere ſolebant, vt in Lacon.tradit Pauſ.Sed nos ab his ad inſtitutũ iter accedamus.Pauſanias in Bœoticis,tria in primis Veneris cognomina enumerat,Vraniæ,Pãdemi, Apoſtrophiæ:quarum ſimulachra ait ex lignis nauium Cadmi,Harmoniam Cadmi vxorem conſtituiſſe,de quibus nos hic ſeorſum agemus.

Vrania,id eſt cœleſtis Venus: quidam ſic appellari autumant ab οὐρανοῦ,id eſt Cœlo,ex cuius à Saturno amputatis teſticulis,& in mare deiectis,vt dictum eſt, Venerem natam fabulantur.hinc & Cœligena vocabatur,vt Varro teſtatur,vel vt idem ſubiungit,quòd de cœlo ſemen igneum cecidiſſe in mare dicitur, ac natam è ſpumis Venerem coniunctione ignis & humoris. Alij potius ex puri & ſinceri amoris, quaſi cœleſtis, & à corporis illecebris alieni ſignificatione dictã volunt.nam Plato,& à Platone alij,duplicem Venerem conſtituerũt, cœleſtem & terreſtrem. De hac ergo Vrania Venere cœleſti,Pauſanias cùm alibi, tum præcipuè in Attica & Bœoticis,Itẽ Artemidorus libro ſecundo Onirocriticon: & Lucianus cùm in Amorib.tum in meretricijs dialogis, vbi ait huic deæ rem ſacram fieri,& Hortenſi Veneri. Exiſtimat vir doctiſſimus Alciatus, in ſuis in Cornelium Tacitum ſcholijs,eo loco quo de Paphia Venere agitur:vocem illã Venerianam,& reliqua,ita legi oportere:Vraniam,vnde Paphia Venus,inquit, Vraniæ nomen ſumpſit:& Pauſaniam citat. Pauſaniæ verò verba hæc in Attica leguntur:Non multum,inquit,à Vulcani templo Vraniæ Veneris ædes abeſt. Aſſyrij primum huius Vraniæ cultum inſtituerunt,quos Paphij in Cypro imitati ſunt,ac Phœnices,qui Aſcalonem in Paleſtina tenent,à Phœnicibus Cytherij edocti eadem ſacra ſuſceperunt,quę Aegeus Athenienſibus tradidit,quòd eius deæ ira & ſe liberis caruiſſe (nullum enim vnquam ſuſcepit) & ſororibus male eueniſſe arbitrabatur. Statua quæ Pauſaniæ ætate ſpectabatur,ex Pario erat marmore,opus Phidiæ. Sequitur eodem loco Pauſan.De regione,inquit,quã Hortos appellant & Veneris templo,nullam ex antiquitate cauſam commemorãt,

ac ne de Venere quidem, quæ iuxta templum poſita eſt, quadrangulari forma, quali ſunt Hermę. epigramma tamen teſtimonium facit, Venerem cœleſtẽ maximam eſſe Parcarum natu. eius autem ſimulachrum in hortis, opus fuit Alcamenis, cui ſacra Nephalia celebrabant: ita appellata, quòd ſobrij & abſtremij ea celebrarent. Aegyptij quoq; Vraniam Venerem coluere, teſte Aeliano, qui de bobus agens ſcribit: in Aegypti vico Schuſſa nuncupato, non magno illo quidem, ſed eleganti certè, quiq; in Hermopolitana nomo, id eſt præfectura cenſebatur, Venerem religioſe & ſanctiſſ. coli ſolitam, quam Vraniam appellabant. atque vaccam etiam ideo venerabantur, quia affinitatem & cõuenientiam cum dea ipſa habere exiſtimetur: nam huiuſmodi animal tanto impetu in Venerem incitatur, vt cùm maris mugitum audit, ad coitum vehementiſſimè inflammetur: & hæc quidem Aelianus. nomen quoq; quo vaccam nuncupabant, in Api deo recenſui. Porrò ſcribit Heſychius, Scythas Vraniam, id eſt cœleſtem Venerem ἀρτιμήχσαν, vel vt alij legunt, ἀρτίμπασαις vocaſſe. de qua ſuprà in Veſta. Herodotus verò tradit in primo, Scythis, qui templum in Aſcalone Veneris deprædati fuerant, deæ ira fœmineum morbum cum omni poſteritate immiſſum: qua ex re Enarees, id eſt execrati, cognominati ſunt. Idem Herodotus in Thalia, Vraniam ait ab Arabibus vocari ἀλιλάτ, quare conſiderandũ apud eundem in primo, an Alilat, an Alytta legendum, quo loco ſcribit: Mylitta Venus ab Aſſyrijs nuncupata, ab Arabibus Alytta, à Perſis Mitra. Vna Babylonijs hęc lex fuit, execranda quidem: nam mulierib. omnibus indigenis fuit cõmunis, vt ſemel in vita ad Veneris templum deſiderent, & cum externis viris conſuetudinem haberent. Deinde & hiſtoriã ſubdit, de diuitibus, quę vehiculis illuc deuehebantur, et alia quę ridicula mihi videntur. Sanè & Origenes, ac item Arrianus Vraniã deã hanc Arabum fuiſſe teſtantur. Sed enim & Babylonij Venerem Salambonem vocabant, vt eſt à Lampridio proditum. Omni planctu Syriaci cultus, & iactatione, Heliogabalus Imperator exhibuit. ζαλαμβώ, vt Heſychius & Phauorinus tradunt, Venus à Babylonijs dicitur. Sed & πόριβασώ Venus vocatur: à quib. populis, non prodit idem Heſychius.

πάνδημος ἀφροδίτη, hoc eſt Pandemus & popularis Venus. Theocritus in Epigrãmate ſimul meminit hui⁹ Pandemi & Vraniæ, de Chryſogonę oblatione:

ἡ κύπρις οὐ πάνδημος, ἱλάσκεο τὴν θεὸν εἰπὼν
οὐρανίαν, ἁγνᾶς ἄνθεμα χρυσογόνας.

id eſt, hęc Venus haud Pãdemus, diuã dicito placãs Vranien, caſtæ oblatio Chryſogonę. Sanè & Pandemos quoſdã dies nuncupatos legimus, quib. mortuis epulas publicè offerebãt, vnde & illius nomen: de quib. B. Epiphanius in Ancorato ſuo, libro ſic appellato: Pandemis, hoc eſt popularib. diebus, cibaria quidẽ in totum exurunt, vina verò libant, nihil cõmodi mortuis ex hoc afferentes, immò potius ſeipſos lędentes: veruntamen coguntur à conſuetudine confiteri mortuorum reſurrectionẽ. atq; hæc quidem Epiphanius. Diximus hoc nomine Venerem ab Harmonie Cadmi conſtitutã. Apollodorus tamen in lib. de Deis, Athenis ait ſic vocari, ꝙ ad forum antiquũ poſita eſſet, in quo ſoleret πάνδημος, hoc eſt omnis populus ad conciones conuenire, quas ἀγορὰς vocabant. Nicander verò in tertio Colophoniacôn, apud Athenęũ: Solonem ait πανδήμοις ἱεροὺς deę Veneris conſtituiſſe ex pecunia proſtitutarũ: qua de re & carmina leguntur comici Philemonis. πανδήμοις verò vniuerſalem & publicũ ſignificat, vt ſcribit Arpocration. hinc Domitius in Pauſ. Attica. cõmunem Venerem eſt interpretatus. hanc deam Pandemon, Artemidorus in lib. de Somniorũ interpretatione inter νοητοὺς, id eſt intellectiles cõnumerat quidã generationi & coniunctioni attribuunt. Pãdemo rem ſacrã facit Lucianus in Dialogis amatorijs. Sed & Phurnutus ait: Venus Vrania Pandemus & Pontia vocatur, propterea quòd in cœlo, terra & mari vim habere exiſtimaretur. Hinc deprehendere potes eos hallucinari, qui apud Phurnutum legunt πανακτίη, pro ποντία. Sed hi in codices inemendatos impegere, vt

re, vt

re,vt in pleriſq; alijs. Fuit & apud Germionenſes Veneris ædes,cui Pontiæ eidem & Limeniæ cognomina, quaſi marinæ & opportunæ dicas,vt Pauſanias auctor eſt.

ἀποστροφία ἀφροδίτη.quam nos vertibilem Venerem dicere poſſumus. hæc tertia eſt,quæ ab Harmonie Cadmi vxore conſtituta fuit.Hæc eadem homines à ſceleſtis & impijs operibus,& deſiderijs parum æquis, maliſq; cogitationib.auertere putabatur:vnde & illi nomen inditum,quod in Bœot.ſcribit Pauſ. Idem tamen in Attica ἐπιστροφίαν nominare videtur,quam ego Verticordiam latinorum facilè crediderim:tametſi Domitius, Venerem curatricem interpretatus eſt,niſi fortè ipſe ἐπιτροφίαν,non ἐπιστροφίαν legere maluerit. Porrò quoniã hic de Verticordia meminimus,hic eam tibi ſubſcribemus.

Verticordia Venus.de hac ita Lactantius Cœlius grammaticus lib. Theb. v. Habet,inquit, Venus ignes cupiditatis,nunc odij ſecundum fidem ſacrorũ, vel precationum Veneris Verticordiæ præcipuè,quæ rogatur vt amores inijciat, & rurſum vt auferat.Si enim poteſtas eſt dandi,nihilominus ius eſt tollẽdi,& amorę ſublato aut naturaliter odium reſidet,aut mittitur.vt Vergilius:

Quæ mihi reddat eum,vel eo me ſoluat amantem.

atq; hactenus ſuper ea Papinij verba:

Nec vultu,nec crine prior ſoluiſſe iugalem
Ceſton,& Idalias procul ablegaſſe volucres Fertur.

Dicta verò Verticordia videt̃,quod corda ad pudicitiam verteret. Valer. Max. lib.8.Cùm ſenatus, inquit, libris Sibyllinis per decemuiros inſpectis cenſuiſſet, vt Veneris Verticordiæ ſimulachrũ conſecraretur,quo facilius virginum mulierúmq; mens à libidine ad pudicitiam conuerteretur, & ex omnibus matronis centum,ex centum autem decem ſorte ductæ,de Sulpitia Seruij Paterculi filia, Q.Fuluij Flacci vxore,ſanctiſſima fœmina,iudiciũ fecerunt, cunctis caſtitate vt præferretur.Plinius Sulpitię huius lib.7.Nat.hiſt.meminit,& huius hiſtoriæ:ſed Verticordię non meminit. Iulius verò Obſequens de hac dea his propè verbis: Aedem,inquit, Veneri Verticordiæ factam,cùm tres vno tempore Veſtales virgines nobiliſſimę, cum nonnullis equitibus Romanis inceſti pœnas ſubiere. Verticordiam circunſcribit Ouid.quarto Faſt.lib.

Cumæam veteres conſuluiſtis anum.
Templa iubet fieri Veneri,quibus ordine factis,
Inde Venus verſo nomina corde tenet.

Murtia Venus à Romanis colebat̃,quę Myrtia prius dicta fuerat, vt eſt apud Plinium, à myrto ſcilicet Veneri dicata:iccirco & pro verbena in coniunctione Sabinorum & Romanorum electa fuit.Plnij verba ſunt ex XV.Nat.hiſt.vt Hermolaus caſtigat. Quin,inquit,& ara vetus fuit Veneri Myrteæ,quam nunc Murtiam vocãt.Idem tradit Plutar.in cauſis Romanorũ.Murcea verò dea ſecordiæ, fuit alia à Murtia,cuius in quarto de Ciuit.D.Auguſtinus meminit:Deã,inquit, Murceam,quæ præter modum non moueret,ac faceret hominẽ (vt ait Pomp.) murcidum.i.nimis deſidioſum & inactuoſum.Feſtus:Murceæ deę ſacellum erat ſub monte Auentino,qui antè Murcus vocabat̃.T.Liuius lib.1.Tũ quoq; multis milib.Latinorũ in ciuitate acceptis,quib.vt iungeret̃ Palatio Auentin⁹,ad Murceæ datę ſedes.P.Victor in 11.regione vrbis ædem Murciæ cõſtituit.Apulei⁹ aũtem li.6.Met.cũ dixit Metas Murtias, Veneri dicatas intellexit,teſte Hermolao.

Aſtarte Venus:Aſtarte,vt̃ ſcribit Theophilus,ſimulachrum Veneris, quæ colebatur à Sidonijs,aſtri figura:ipſum verò aſtrum Venerem putãt, nomine ἑωσφόρος: & eam quoq; Moabitæ colębant.Theologus verò ita: τί φῶ πρὸς τοὺς τὴν ἀστάρτην προσκυνοῦντας, ἢ τὸν χαμὼς βδέλυγμα σιδωνίων. id eſt: Quid dicam ad eos, qui ſe ad Aſtarten adoraturi inclinant,vel ad Chamum, abominationem Sidoniorum: Epiphanius contra hæreſes, de Sabellio agens: Adorauerunt, inquit, Beelphegor,& Chamos,& Aſtarten,& Muzuroth,& Neaſtho,& Beelzeboth,

& reliqua gentium ſimulachra. De Aſtarte meminit & Aelianus, qui eam Syriam deam vocauit, id quod & Lucianus de dea Syria, quo libro varias opiniones recenſet. Artemidorus quoque Daldianus de Somniorum interpretatione, item Euſebius libro primo de Præpar. euang. capite ſecundo. Marc. Tullius 3. de Nat. deorum. Tertullianus Septimius in Apolog. & demum Herm. Barb. in Plin. libro quinto, capite vigeſimoquinto. Quare magis mirum eſt, in Plauti Mercat. comment. ſcribere, ſe neſcire Aſtarten deam: quam & D. Auguſt. in libro Iudicum, Iunonem eſſe putauit. Plutarchus in vita M. Craſſi de prodigijs agens, quæ ipſi acciderunt in Syria, deam hanc ita deſcribit: Venus, inquit, ſeu Iuno, ab incolis dea nuncupata, quæ naſcentibus rebus principia conferre putatur, haud obſcuris ambagibus dinoſcenda mõſtrauit. Lucianus Syriam deam & Lunam videtur exiſtimare. Subdubitare me Herodianus facit, qui in hiſt. Anton. Heliogabalum ait Aſtroarchen deam, Lunam ſcilicet & Vraniam nuncupatam, Romam afferri iuſſiſſe: an Aſtroarche & Aſtarte eadem ſit, qua de re nihil ſtatuo. De dea porrò Syria ſi plura cupis, Luciani libellum legito, & 8. Meta. Apuleij. Fuit & Aſtarte Aethiopiæ inſula, vt Martianus in Nauigatione. i. περίπλῳ ſcribit, & Stephanus.

Anaitis venus vocata à Perſis, vt in hiſtor. ſcribit Agathius, ex Beroſo & Athenocle Symmacho, qui Aſſyriorum Medorumq́; res antiquiſſimas conſcripſerunt. Strabo lib. 12. de Zela agens vrbe, olim inſigni & ſacra: In ea, inquit, templum eſt Anaitidis, quæ ab Armenijs colitur. hoc in loco ſacra cum ſanctimonia maxima celebrabantur, & iuſiurandum de rebus maximis hic fiebat, &c. Idem Strabo libro 15. de Cappadocia agens: Hæc, inquit, ſacra in Anaitidis & Amani delubris fiunt. nam & horum ibi delubra ſunt, & Amani ſtatua in pompam ducitur. & hæc ſe vidiſſe ipſe ſcribit Strabo. In græco codice hæc nomina corruptè leguntur, hoc eſt, Naitidis & Omani. huius deæ ſacra Sacarum dicebantur, & dies feſtus Saca, quod eo die Cyrus rex Sacas deuicit & deleuit. Scribunt præterea alij, ei deæ antiquos dedicaſſe ex præſtantioribus, puellas quæ ibi proſtarent: quæ deinde velut ſacræ viris tradebantur, eas accipientibus hilarè maritis. tale quiddam de Lydis etiam prodit Herodotus. Plin. libro trigeſimotertio, cap. 4. Aurea ſtatua prima omnium, nulla inanitate, & antequam ex ære aliqua illo modo fieret, quam vocant Holoſphyraton, in templo Anaitidis poſita dicitur, quod in ſitu terrarum nomine hoc ſignificauimus, numine gentibus ſacratiſſimo. quo loco multa Hermolaus: libentius enim ille legit Anæitis. Sed quid dicam? ille Dianam, non venerem putat. Sed Hermolaus ſecutus Pauſaniam in Laconicis, qui in ancipiti eſſe tradit Cappadoces, & qui Euxinum accolunt, cuius ſimulachrum: & Lydos, quib. eſt ἀρτέμιδος ἱερὸν ἀναΐτιδος. Sed & Plut. in vita Artaxerxis ita: (ne te Lapus fallat) Dianę enim in E batanis, quam Anæitin vocant, ſacerdotem legit, vt caſtam reliquam vitam degeret.

Amathuſia venus celebri gręcis & latinis cognomine vocitata, quę & interdum Amathuntia dicta eſt. Catullus:

Nam mihi quam dederit duplex Amathuntia curam.

Vergilius in Ciri, vel quiſquis eſt, nam ineptè quidam negant:

Nam te iactari non eſt Amathuſia noſtri Tam rudis.

Amathuſia verò ab inſula, vel vrbe potius, in qua ſumma veneratione colebatur, nuncupata eſt. de qua Verg.

Eſt Amathus, eſt celſa mihi Paphos, atq; Cythera.

Catullus in annales Voluſij:

Nunc ô cœruleo creata ponto:
Quæ ſanctum Idalium, Vriosq; apertos,
Quæq; Ancona, Gnidúmq; arundinoſam
Colis, quæq; Amathunta, quæq; Golgos,

Quæq;

Quaq́ȝ Dyrrhachium Adriæ tabernam,
Acceptum face, &c.

Fuit verò ἀμαθοῦς Cypri ciuitas, vt Stephanus ſcribit vetuſtiſſima, in qua Adonis Oſiris venerabatur: qui cum Aegyptius eſſet, Cyprij & Phœnices proprium fecerunt. dicta eſt autem vrbs ab Amatho Herculis filio, vel à Cinyræ matre Amathuſa: alij ab Aetiæ filio, vt in Paphia Venere dicam.

Schœnida Venerem cognominatam ſunt qui credant, apud Lycophronem, quod obſeruat Hermolaus, à ſchœno.i. ſcilla, quæ dentibus pro ſit, & eius cibo accendatur libido, quem ſecutus eſt Cœlius. hinc fortè Schœniculæ, vel vt Feſt. ait, ſcorta plebeia ac vilia, ab vnguento, quo vtebantur viliſſimo. Plaut. in Penulo, Miſero ſchœno delibutas ſchœnicolas ſordidas.

Dione Venus, & Dionæa vocata à matre: res eſt notiſſima. hinc apud Orpheũ in Argon. Arete Alcinoo diſſiduadet, ne Medea Colchis poſcẽtibus reddatur: Nam volentibus, inquit, ſoluere amores, his valde eſt ſuccenſa Dionæa Aphrodite. θυμαίνῃ μάλα γὰρ σφι διωναία ἀφροδίτη. Vergilius:

Sacra Dionææ matri.

Pythonicæ Veneris templum & aram conſtruxit Harpalus Macedo Alexandri ſatrapa, qui Pythionicen puellam amauit, & mortuæ monumentum πολυτάλαντον, hoc eſt ſumptu multorum talentorum confecit, vt Poſſidonius ſcribit: vt verò Theopompus, templum & aram poſuit cum huiuſmodi inſcriptione, πυθιονίκης ἀφροδίτης. Sed de hac Pythionice longe plura Athenæus libro Dipnoſoph. VIII.

Cytheræa, Cythereia, & Cytheris Venus, variatis interdum nonnihil ſyllabis, cognominata eſt à Cythera, in quam primùm (vt Feſtus ſcribit) concha delata eſt. Martialis:

Leuior & conchis Galle Cytheriacis.

Pauſ. in Lacon. Cythera inſula eſt è regione Bœarum, quæ vrbs eſt in extremo ſinus Bœotici, ſic vocata à Bœo vno Heraclidarum, qui eam cõdidit. in ea ergo fuit ſanctiſſimum Vranies templũ Veneris, & templorum omniũ quotquot in tota Græcia, vetuſtiſſimum. ipſius verò deæ ſimulachrũ erat armatum. Heſiodi quoq; interpres in Theogon. Cythera, inquit, eſt Cypri ciuitas, vocat̃ autem Cythera, vt Phurnutus ait, παρὰ τὸ κεύθειν καὶ κρύπτειν τὸ αἰσχρόν: hoc eſt, ab occultando turpi, ſiue cupidine: vel, inquit, ἐκ τοῦ κύειν, quod hi prope mare nati ſint, Venus ſcilicet & Cupido. Sed enim & Heſychius: Cythera, inquit, inſula eſt Cretæ, & Theſſaliæ ciuitas. quidam verò inſulam Promalei aiunt: Promaleum autem Laconiæ promontorium. Cytheræa Venus iuxta Homerum quidem, non quòd Cytheris appulerit, ſed quòd occuletur, quaſi κευθόμενος. habet enim in ſe ipſa ceſtum, vinculum amatoriæ amicitię ἐξεργαζόμενον, id eſt perficiens, & iccirco varium: vel, quòd amatores intra ſe amatorios affectus occulunt, hæc Heſychius fermè. Sed de ceſto ſumus etiam antè locuti.

Philomedea Venus frequenti cognomine nuncupata à Græcis poetis, à Cœli, id eſt Vrani pudendis, ex quibus natam putabant. ea verò τὰ μήδεα græcè dicũtur, vnde etiam Aphrodite et Aphrogenia, vt iam dictum eſt. Alij à riſu dictã tradunt, vt Suidas ſcribit. μειδιῶ enim rideo, id quod & Phurnuto placet. Ad hoc alludit noſter Horatius lib. I. Carm.

Siue tu mauis Erycina ridens.

quo loco Porphyrion ait, hoc Homeri eſſe, ſecundum illud: φιλομμειδὴς ἀφροδίτη. Heſiodi tamen interpretes, & Phauorinus, φιλομειδὴς (aiunt) à pudendis Saturni deducit, & Bœotorũ more. Nam Heſiodus plerunq; ita locutus eſt, & in hoc nomine penultima per ει diphthongum ſcripſit, & μ duplicauit propter metrum. hic eſt Heſiodi verſus:

ἠδὲ φιλομμειδέα, ὅτι μηδέων ἐξεφαάνθη.

di eſt, Atq; Philomedea, quod ex teſticulis edita eſt.

Epitragiam vererem Plutarch. in magnis Parallelis ſcribit vocatam, cùm Apollo Delphinius Theſeo reſpondiſſet, nauigaturo in Cretam, vt deligeret ſibi nauigationis ducem venerem, & ad mare capram immolaret, ſtatim ea in marem eſt mutata. ἀπὸ τοῦ τράγου videlicet denominata ἐπιτραγία, id eſt ab hirco. id ſexta inſtantis Munichionis, hoc eſt menſis Martij VI. contigiſſe, idem Plut. eſt auctor.

Paſtophoros veneris epitheton, quaſi dicas ferens thalamum. παστὸς enim thalamum ſignificat. hinc παστοφόρος ἀφροδίτη, quòd παστὸν, id eſt thalamum curet.

ἀνοσία ἀφροδίτη, καὶ ἀνδροφόνος, hoc eſt impia & homicida venus cognominata. Nam vt Timæus prodidit, cùm in Theſſalia à mulieribus quibuſdam ob zelotypiam Lais occiſa fuiſſet, quòd ſcilicet ab iuuenibus Theſſalis ardentius amaretur, acubus percuſſa ligneis in æde veneris. vnde poſtea factum eſt, vt ædes ipſa veneris impiæ, hoc eſt, ἀνοσίας ἀφροδίτης nuncuparetur. Oſtendebatur autem apud Peneum eius ſtatua, hydriam lapideam continens: & hoc carmen:

τῆς δὲ ποθ᾽ ἡ μεγάλαυχος ἀνίκητός τε πρὸς ἀλκὴν
ἑλλὰς ἐδουλώθη κάλλεος ἰσοθέου
λαΐδος, ἣν ἐτέκνωσεν ἔρως, θρέψε δὲ κόρινθος,
κεῖται δ᾽ ἐν κλεινοῖς θετταλικοῖς πεδίοις.

Cuius carminis hic fermè ſenſus, quòd magnifica ac virtute inuicta Græcia in ſeruitutem redacta ſit, forma diuinæ Laidos, quam Cupido genuit, & nutriuit Corinthus: ea verò iacet in Theſſaliæ inclytis campis. Epigramma non illepidè à Leon. conuerſum eſt:

Inuictos potuit forma quæ vincere Achiuos,
Iſtic eximiæ Laidos eſt tumulus.
Cui patria eſt Ephyre, genitor deus ipſe Cupido,
Theſſaliæ in campis nunc tamen illa iacet.

De Laide hæc & alia apud Athenæũ leges. eadem ferè in ἐρωτικῷ Plut. niſi quòd templum ait appellatum ἀνδροφόνου ἀφροδίτης. i. homicidę veneris. Pauſ. autem ipſe in Corinthiacis nonnihil diuerſa ſcribere videtur. ait enim, in Theſſaliam ab Hippophato, vel Hippoſtrato (vt alij tradũt) amatam, profectam eſſe. Porrò de Laide Ariſtophanis interpres, & Suidas plura: & nos nonnihil in Melanide. nunc tantum quæ ad veneris cognomen pertinere videbantur, attulimus.

καλλίπυγος ἀφροδίτη, hoc eſt, vt ſic dicam, Pulchriclunis venus. Fuit apud Barbaros templum Pulchriclunis veneris, hac ratione conſtitutum. Fuerant agreſti cuidam filię duæ formoſæ, quæ inter ſe de natium ſeu clunium pulchritudine certarent. quæ cum in publicam viam veniſſent, adoleſcenti cuipiam inde eunti ſe oſtẽderunt, vt is iudicaret, vtra eſſet καλλιπυγοτέρα, id eſt pulchriorum natium. Iuuenis vtranque accuratè intuens maiorem natu clunium ſpecie præſtare pronũciauit: eiuſque ſimul eſt amore correptus. & domum reuerſus, rem fratri ſignificauit: qui vrbe exiens, ad rem huiuſmodi viſendam prodiuit. hinc & ipſe ſimiliter alterius eſt amore captus: quare ambo fratres ambas ſorores, agreſtes puellas, etiam inuito patre vxores duxere. quæ mox fortunis affluentes, ἱερὸν τῆς ἀφροδίτης καλλιπύγου, id eſt templum veneris pulchriclunis condidere, propterea quòd puellæ ipſę à ciuibus Pulchriclunes, hoc eſt καλλίπυγοι dicerentur. hiſtoriam hãc in Poetis ſcenicis attigimus, in Carcini vita. Eandem & Athenæus lib. 12. Dipnoſoph. ex Cercida Megalopolita in Iambis recenſuit.

Armata venus, hoc eſt Græcè ἐνόπλιος ἀφροδίτη quæ ὁπλοφοροῦσα in primo ab Apollonio dicta, & ὁπλισμένη à Pauſania. Armata ergo venus à Lacedæmonijs culta fuit, de qua ſic in primis Lactantius tradit: Cùm, inquit, Meſſenios obſiderent Lacedæmonij, & illi furtim deceptis obſeſſoribus egreſſi, ad diripiendam Lacedæmonem cùm cucurriſſent, à Spartanis mulieribus fugati fuſique ſunt. co-

gnitis

gnitis autem hoſtium inſidijs, Lacedæmonij ſequebantur. his armatæ mulieres obuiã longius exiuerunt: quę cùm viros ſuos cernerent parare ſe ad pugnã, quia putarent Meſſenios eſſe, corpora ſua nudauerunt. at illi vxoribus cognitis, ex aſpectu in libidinem concitati, ſicut erant armati, permixti ſunt vtriq; promiſcuè (nec enim vacabat diſcernere) ſic iuuenes ab ijſdem antea miſſi cum virginib. ex quibus ſunt Parthenij nati: propter huius facti memoriam, ædem Veneri armatæ & ſimulachrum poſuerunt. hæc Lactãtius. meminit & Pauſ. in Laconicis: qui inter cætera ait, Armatæ Veneris delubrũ in templo antiquiſſimo fuiſſe in colle, in quo ſuperædificatum tabulatum erat Veneris Morphus, de qua in hoc dicturi ſumus. Meminit item armatæ Veneris F. Quintilianus, qui & hoc ait, inde argumenta declamationum antiquos deſumere ſolitos, cur armata apud Lacedæmonios Venus. Legitur hac de re epigramma Auſonij tale:

Armatam Venerem vidit Lacedæmone Pallas:
Nunc certemus, ait, iudice vel Paride.
Cui Venus, Armatam tu me temeraria temnis?
Quæ, quo te vici tempore, nuda fui.

quod epigramma ex græco deſumptũ eſt, quod ἀδέσποτον in quarto Græcorum epigrammaton legitur:

παλλὰς τὰν κυθέρειαν ἔνοπλον εἶπεν ἰδοῦσα,
κύπρι, θέλεις οὕτως ἐς κρίσιν ἐρχόμεθα;
ἡ δ᾽ ἁπαλὸν γελάσασα, τί μοι σάκος ἀντίον αἴρεις,
εἰ γυμνὴ νικῶ, πῶς ὅταν ὅπλα λάβω;

Legitur & alterum Iuliani Aegyptij ex hyparchis; cuius ſunt hi duo extremi verſus:

ὑμεῖς δ᾽ ἐν θαλάμοισι λακωνίδες ὅπλα κυθέρης
ἀζόμεναι παῖδας τίκτετε θαρσαλέους.

hoc eſt:

Vos verò in thalamis Cythereidos arma Lacænæ,
Dum pudet, audacem gignite progeniem.

Barbata Venus, & Maſcula, teſte Macrobio dicebatur: ſuper eo Vergilij verſu ex ſecundo Aeneid.

Deſcendo, ac ducente deo flammam inter & hoſtes Expedior.

Idque Calui ac Leuini auctoritatibus comprobat, & Ariſtophanis, qui ἀφρόδιτον, non ἀφροδίτην hanc deam appellat. Sed planè & Ariſtoteles primo Elenchorum idem affirmat, eodem auctore Leuino, vbi de ſolœciſmo agit: hoc idem & Seruius grammaticus oſtendit. Iul. quoq; Firmicus eadem, vt puto, ratione biformem Venerem dixiſſe viſus eſt libro tertio. Quin & alios deos pari modo aliquando à ſcriptoribus enunciatos videmus, hoc eſt mares & fœminas, vt iam in Iuno & Luna ſcripſimus. Illud porrò ſcribit Suidas, Veneris ſtatuam ideo eſ fingi ſolitam cum pectine & barba, quod Romanis aliquando mulieribus peſtilens irrepſit pruritus, quem Gręci (ait) ἀνίφλην vocant: quo morbo cùm pili deciderent omnes, pectinum non erat vſus (vt hoc tempore, quo ſcribimus hęc: morbus eſt, quo tam mares quàm fœminæ toto corpore glabri & depiles fiunt, qui morbus in primis ex Venerea cõtage debacchatur.) Quare mulieres tam deformi ac inuenuſto morbo primùm angebantur. hinc Veneri vota facientes, deæ miſeratione eis pili iterum ſuccreuerunt: & propterea mulieres hac peſte liberatæ, deæ ſimulachrum cum pectine poſuere: eidemq; deæ ſimul barbam affinxere, vt dea maſcula & fœminea inſtrumenta haberet, vt omnis generationis præſes eſſe crederetur. Ideoq; ſuperiora corporis cingulo tenus maris ſpeciem pręferebãt: reliquum verò, id eſt inferiora fœminę. Legimus quoq; apud Thuſſas in Aegypto cornutam Venerem cultam, cui & vacca immolabatur, & in Nitriotica præfectura ouis, vt alibi repetam.

Genitrix Venus à Romanis culta, cuius meminit Macrob. Genitricis Veneris templum Cæſar dicauit, vt Suet. ſcribit, Appianus & Dion, item Plin. libro

36.Nat.hiſt.M.Varro magnificat Archeſilaum,L.Luculli familiarem,cuius proplaſticen pluris væníre ſolitã ab artificibus ipſis,quàm aliorũ opera.ab hoc factã Venerem genitricem in foro Cæſaris, & prius quàm abſolueretur, feſtinatione dedicandi poſitam. Idem alibi Plinius eundẽ tradit Cæſarem Veneri Genitrici thoracem dicaſſe,factum ex margaritis Britannicis.

Gnidiam Venerem non Gnidij tantum coluere, ſed totus ferme orbis, multaq́ eius templa habuere:quorum vetuſtiſſimum Veneris Doritidos cognominatæ,quam Dorida appellat Tatianus Aſſyrius.Secundum Acreæ. recentiſſimum Gnidiæ.Sed Gnidij ipſi Euplo eam nominabant.Scribit Athenęus XIII. Dipnoſoph.Praxitelem ſculptorem Gnidiam Venerẽ effinxiſſe ex forma Phrynes,quam efflictim amabat,atq; etiam in baſi Cupidinis,ſub ſcenam theatri epigrammà inſcripſiſſe.Sed tota Gnidiæ Veneris deſcriptio non aliunde petenda eſt,quàm ex Luciani Amoribus,quo loco eius deę & templum & lucum & ſtatuam egregiè elegantiſs.ſcriptor eſt executus.Si quem piget illa quęrere,hęc ſaltem noſtri Plinij ex trigeſimo ſexto libro breuiſſimè audiat. Praxitelis, inquit, ętatem inter ſtatuarios diximus,qui marmoris gloria ſuperauit etiam ſemet. opera eius ſunt Athenis in Ceramico:ſed ante omnia, & non ſolum Praxitelis, verùm & in toto orbe terrarum Venus,quam vt viderent,multi nauigauerũt Gnidum:duas fecerat,ſimulq́ vendebat,alteram velata ſpecie, quàm ob id quidem prætulerunt optione,quorũ conditio erat, Coi, cùm alteram etiã eodem precio detuliſſet,ſeuerum id ac pudicum arbitrantes.Reiectam Gnidij emerunt, immẽſa differentia famæ. Voluit eam poſtea à Gnidijs mercari rex Nicomedes, totũ æs ciuitatis alienum,quod erat ingens,diſſoluturum repromittẽs.omnia perpeti maluere,nec immeritò:illo enim ſigno Praxiteles nobilitauerat Gnidum.Aedicula eius tota aperitur,vt conſpici poſſit vndiq; effigies deę, fauente ipſa (vt creditur)facto.nec minor ex quacunq; parte admiratio eſt.Ferunt amore captũ quendam,cùm delituiſſet noctu,ſimulachro cohæſiſſe,eiúſq; cupiditatis eſſe indicem maculã.Sũt in Gnido & alia ſigna marmorea illuſtrium artificum, Liber pater Bryaxidis,& alter Scopæ,& Minerua:nec maius aliud Veneris Praxiteliçæ ſpecimẽ, quàm quòd inter hæc ſola memoratur.atq; hæc Plinius,vt cæterorũ plurima mittam.nam nihil omnino notius nec Gręcis,nec Latinis.

Sicyonia Venus,à Sicyonijs & culta & nuncupata, cuius deę templum duę tantùm mulieres ingredi ſolebãt,quarũ altera deę antiſtes erat,tota vita cœlebs: altera & virgo miniſtra,quæ Lutrophora dicebatur:cęteri omnes pro forib. ſupplicabant.Deæ effigies ſedẽtis ex auro confecta,Canachi opus,altera manu papauerũ capita,altera malum tenebat,in ſummo capitis vertice poculum geſtabãt:ſacrificia verò huic deę ex omni animantium genere,præter ſues:ex iunipero ſacrum adolebãt, & herba pęderote,quę fagi habet folia, ſed minora, prini maiora,id eſt ilicis,querna ſpecie,altera parte ſubnigra, altera ſubalbida, qualia videlicet populea. hęc Pauſ.& Leon.

κωλιὰς ἀφοδίτη, hoc eſt Colias Venus à Græcis, ſed in primis ab Atticis colebatur,de qua hæc ferè à Pauſ.in Attica: Colias, inquit, promontorium Atticę, XX.ſtad.ab vrbe diſtans,quo Medorum diſiectam claſſem maris æſtus detulit, vbi Coliados Veneris templum,& dearum quæ Genetyllides vocabantur, fuit. nihil differre videntur deæ illæ,quę à Phocæenſibus in Ionia Gennaides appellabantur.Arpocration quoq; deam à promontorio denominatam ſcribit, quod ſit ex metaphora κῶλα,id eſt membri nuncupatum.huius Demoſthenes in Neęrę oratione meminit,Ariſtophanis verò interpretes Venerem Coliada ideo cognominatam ferunt,ab adoleſcente quopiam Attico,qui à prędonibus captus, Veneris auxilio ab eorum manibus liberatus eſt. Prædonum enim principis vxor,vel vt alij ſcribunt,filia,eius amore correpta, eum impunè abire permiſit. Hinc Coliada Venerem à κώλοις, id eſt membris ſolutis nuncupauit. Sunt qui tradant Coliadã locum fuiſſe ſic vocatum,quòd mẽbrorum effigiem præ ſe ferret.Non

ret. Non deſunt qui putent, ab Ione ſacrificante appellatam, quòd cùm ſacram rem faceret, eam hoſtiæ partem coruus abripuit, quæ Cole dicitur: & in eum locum depoſuit, qui Colias poſtea eſt appellatus. Lucianus in Amoribus nomen à promontorio deducit. Idem Strabo, & Heſychius, & Stephanus, qui κωλιὰς ita appellatum ait, quòd ſimilis locus ſit hominis κώλῳ, id eſt membro. Fuit & ibidē Cereris templum πολύστυλον. i. multis columnis ornatum.

ἐξώπολις ἀφροδίτη, hoc eſt, extra vrbem poſita Venus. hæc Athenis fuit, vt teſtatur Plin. lib. 36. his verbis: Alcamenen Athenienſem, quod certum eſt, Phidias docuit, in primis nobilem, cuius opera Athenienſes complura in ædibus ſacris poſuere: præclaramq; Veneris imaginem extra muros, quæ appellatur Aphrodite Exopolis.

Hortenſis Venus, vel potius in hortis poſita, græcè enim ἐν κήποις ἀφροδίτη. Lucianus in primo de imaginibus, & item ſecūdo: Illud eſt, inquit, Veneri Gnidię, atq; ei quę eſt ἐν κήποις. Idem Lucianus in dialogis meretricijs, Mater & Muſariū: Pandemo, inquit, Veneri capram cādidam: Vraniæ verò, id eſt cœleſti, & ei quæ in hortis, τῇ ἐν κήποις, vtriq; iuuencam. Sic autem à loco, vt eſt apud Pauſaniam in Attica, qui ſe nullā eius templi cauſam edidiciſſe ait. Sed ne de Venere quidem, quæ iuxta templum poſita fuit, quadrangulari figura, &c. Ego putauerim ideo Venerem eam habuiſſe cognominis rationem, quòd, vt ait in primo de Re ruſtica Varro, Venus ſit hortis prępoſita, propter generationem. Quin & Næuius, vt eſt apud Feſtum, Venerem pro oleribus poſuit, vt Cererem pro pane, & Neptunum pro piſcibus: dicens coquus, Edi Neptunum, Cererem, Venerem. Sed & Varro in lib. de Ling. Lat. Vinalia, ait, ruſtica dicuntur ante diem duodecimū, (vel, vt in Calendario Maffeiano, XIIII. vide noſtrum Calendarium Baſileæ impreſſum) Kl. ſeptemb. quod tum Veneri dedicata ædes, & horti eius tutelæ aſſignantur, ac tum ſunt feriati olitores.

Praxis Venus cognomine, ab actione videlicet denominata, cuius ędes in Attica fuit, teſte Pauſ. poſt Bacchi templum, & ſimulachrum ex ebore.

ἑλικῶπις ἀφροδίτη, ſic appellata Venus à nigris oculis, vt apud Pindarum in Pyth. obſeruant interpretes, in eius hymni initio, qui Xenocrati Agrigentino victori canitur, ſuper ea verba, ἑλικώπιδος ἀφροδίτης. frequens omnino Græcis poetis epitheton: ſicut etiam illud ἑλικοβλέφαρος, quod à ſupercilijs pulchris & arcuatis, teſte Heſiodi commentatore ſuper illud Theogonię:

καὶ θέμις αἰδοίην, ἑλικοβλέφαρόν τ' ἀφροδίτην,
Et pudibunda Themis, curuis ciliiſq; Aphrodite.

Curuis autem. i. pulchris, vel à parte totum: vel ſumpta metaphora à vitibus, in quibus helices & capreoli. Eſt & apud Homerum.

Nicophorus Venus, id eſt victoriam ferens colebatur, teſte Pauſ. in Corinth. quam ferunt ab Hypermeſtra dicatam. nam illa cùm patris imperium contempſiſſet, à patre fuit ad Lycei forum citata. putabat quippe eius ſalutē non modo periculoſam, ſed & infamē ſibi futuram. qua ex re ab Argiuis abſoluta, νικοφόρον ἀφροδίτην. i. Venerem victoriā afferentem, denominatam dedicauit. Eadem Hypermeſtra & Dianæ cognomine Pithus, id eſt Suadelæ, ſimulachrum eandē ob cauſam dicauit, quòd ſcilicet Lynceum ſeruauerit, contra patrem Danaum. De Nicophoro verò Ioue, ſuo loco ſcripſi.

Cataſcopia Venus culta à Græcis hac ratione fuit, quòd in quo loco ſe Hippolytus exercere conſueuerat, Phędra illum ſpectare & videre poterat. quare cū ibi conſtructum templum fuiſſet, ab ea ſpeculatione Venus Cataſcopia appellata eſt. auctor Pauſ.

Morpho eſt Venus cognominata apud Lacedæmonios. vetuſtiſſimum in colle ædificatum templum fuerat, in quo ſuper conſtructum tabulatum, Morphus Veneris ſacellum: cuius ſimulachrum fuit ſedens, in capite tegumentum habens, & ad pedes pedicas. Sunt qui hiſtoriā in Tyndarum referant, qui vinculis

eiuſmodi

eiuſmodi mulierum conſtantiam ac ſtabilitatem aſſimularet. nam quòd Veneri ipſi Tyndarus vincula pedibus iniecerit, vt filiarum opprobria vlciſceretur, parum à ſcriptoribus probatur. Pauſ. Morpho hanc armatam legimus, vt ſuprà oſtendimus. Quin etiam cæteros deos deáſque lanceam tenentes effingebant iidem, ſignificantes, omnes eſſe bellica virtute præditos, atque itidem eſſe debere ciues in ſua R.P.

Migonitis Venus cognominata in Migonio, loco maritimo Laconiæ, vt ait Pauſ. vbi templum Veneris fuiſſe ſcribit, quod ab Alexādro Paride factum tradunt. prope hoc templum Menelaus poſt Troiam captam annis VIII, Thetidi ac Praxidicæ erexit ſimulachra.

Symmachia Venus ideo appellata, quòd in bello etiam auxiliatrix ſit. hanc Mantineēſes ſummo honore coluere, vt in Arcad. Pauſ. prodit, & quòd in Actiaco bello Romanis affuerit.

Byblia Venus nuncupata, de qua Lucianus in eo qui eſt de dea Syria, ita meminit: vidi, inquit, in vrbe Bybli templum ingens deæ Veneris, cognomine Byblię, in quo & ritus & ceremonias in Adonim peragūnt. vbi & fabulæ reliquum exequitur: ne ego longior ſim.

Elephantina Venus ab vrbe Aegyptia denominata, vt putatur. Deſcribitur Elephantina Venus à Philoſtrato in ſecundo de imaginibus, item ritus & ſacra, tum etiam habitus illius, & puellæ molles, qui illi deſeruiunt, & ſacra canūt, tum præterea & alia multa.

Architis Venus apud Aſſyrios culta, vt Macrobius teſtatur, quæ olim magna veneratione viguit: mox à Phœnicibus culta, vnà cum Adonide, quem quotannis lugeri etiam ſacra Hebræorum teſtis eſt hiſtoria, quo in loco multa Hieronymus. Simulachrum huius deæ in mōte Libano fingebatur, capite obnupto, ſpecie triſtis, faciem manu læua intra amictum ſuſtinens, lachrymæ viſione conſpicientium manare credebantur. quòd verò in Libano culta fuerit, docet etiā Muſæus in poematio Herus & Leādri, & Lucianus de dea Syria. quo loco inter cætera fluuiū ait ex monte Libano in mare deferri, fluuio nomen Adonis, qui quotannis cruore infectus in mare exit: ipſumq́ mare, quà lapſus eſt, purpureū reddit. eo tempore Adonim ab Apro ſaucium fuiſſe, indigenæ autumant. Cætera apud Lucianum lege. de Adonide verò ſeorſum egimus.

Erycina Venus cognominata ab Eryce monte Siciliæ, in quo Aeneas matri templum conſtruxerat, vt Verg. canit:

Erycino in vertice ſedem Fundabat Veneri Idaliæ.

Polybius in primo, in Erycis vertice planiciem fuiſſe ſcribit, vbi Erycinæ Veneris templum, quod ſine controuerſia omnium Siciliæ templorum locupletiſſimum atq́ ornatiſſimum fuit. Diod. Siculus Erycem ait Veneris & Butæ filium fuiſſe, qui monti, vt etiam Seruius teſtatur, nomen dederit, & matri templum, quod tamen Aeneæ adſcribit Vergilius. De hoc templo plura Diod. qui inter cætera & hoc ait, quòd à primordio eius templi nunquam per tot ſæcula imminuta ſit gloria, ſed ſemper aucta. nam præter ea quæ Eryx ipſe, & Aeneas, Siculi ipſi & Athenieēſes deinde, ac demum Romani multo honore & cultu illud honeſtarunt: & cætera, quæ idem ſcriptor exequitur. nonnulla etiam M. Cic. in Verrinis, dēq́ Venereis illi ſacratis. Fuit & Romę Veneris Erycinæ templū, vt Strabo in ſexto teſtatur, eius & Ouidius in Faſtis & Amoribus meminit. Liuius inquit lib. 2. tertiæ Decad. Tum ædes votæ Veneri Erycinæ, ædémq́ Fab. Max. dictator vouit: quia ita ex fatalibus libris edictum fuerat, vt is voueret, cuius maximum imperium in ciuitate eſſet. Idem libro tertio: Interea duumuiri creati, Q. Fabius. Max. & Attilius Craſſus, ædibus dedicandis, Menti Attilius, Fabius Veneri Erycinę: vtraq́ in Capitolio eſt, canali vno diſcretæ. Altera fuit Romæ Venus Erycina ad portam Collinam, quam eodem Liuio auctore libro 10. Decad. 4. eodē anno quo Aquileia colonia Latina in agro Gallorū eſt deducta.

L. por-

L.Portius,L.F.Licinus duumuir dedicauit:vota erat ab Coſ.L.Portio, Liguſtino bello.de hac Ouidius:

Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet,à Siculo nomina rege tenet.

Fuit præterea & Pſophide Arcadiæ Erycinæ Veneris templum, vt Pauſ.docet: quo argumento vtitur,eam vrbem à Sicula muliere nomen habuiſſe, quæ ibi Erycinam Venerem erexit.Erycinæ frequens eſt mentio. Catullus:

Spinoſas Erycina ſerens in pectora curas. Horatius:
Siue tu mauis Erycina ridens, &c.

Argynnis Venus cognominata eſt,ab Argynno pueri nomine, de quo apud Atheneum lib.13.legimus,quòd puer fuerit ab Agamemnone rege amatus, qui cùm frequẽtius nataret in flumine Cephiſo,perijt.quo in loco eum ſepeliuit Agamemnon,ibidemq́ Veneris Argynnidos templum cõſtruxit.quam fabulam inter Poetas retulimus.hinc illud Propertij ſanius intelligitur.

Sunt Agamennonias teſtantia littora curas,
Qua notat Argynni pœna natantis aquas.

Steph.quoq́ in lib. de vrbibus ἄργεννος ait filium fuiſſe Leuconis Athamantis, qui fuit Siſyphi,qui fuit Aeoli, Bœotium puerum, amatum ab Agamemnone: qui cùm in fluuium Cephiſum ingreſſus eſſet,interierit:à quo Argennida Venerem denominauit.Dicitur & Argynnis. Ariſtophanes tamen ἀργύννις cum diphthongo protulit.hęc quidem Stephanus. Qua ex re eorum falſum eſſe patet figmẽtum,qui confingunt,Argynnum Dianæ indignatione ſummerſum, quòd in eius contemptum eſſet auſus fretum ingredi,quod dea æſtuoſum feciſſet, ob interemptam ceruam,ſepultum in inſula Arginuſis. Et propterea Propertianũ verſiculum ita legunt:

Qua notat Argynni pœnā minantis aquæ.

Plutarch9 in eo qui inſcribitur ὅτι ἄλογα λόγῳ χρῆται.i.quòd ratione irrationabilia vtantur,huius hiſtoriæ meminit:ſed pueri nomen Argęum, non Argynnum facit.vel altera,non eadem eſt fabula.Porrò & Herodotus Arginuſſam ait, cœleſtem Venerem à Scythis vocari.Argem paſſam legit tamen Origenes lib.6.ex eodem Herodoto,vt alibi oſtendi.

Victricem Venerem cultam à Romanis legimus,cuius ædem(ſi rectè remetior)Porphyrion fuiſſe ait in theatro Pompeij. meminit Plut.in ipſius Pompeij vita.Plinius lib.8.de elephantis:Pompeij,inquit, altero conſulatu, dedicatione templi Veneris Victricis,pugnauere in circo XX.aut vt quidam tradũt,XVII. & cætera pulchrè. Superioribus annis Romæ effoſſum fuit marmoris fruſtum, in quo inſcriptum erat,Veneris Victricis. Extat & apud priuatum Tifernatem Tiberinum VENERI VICTRICI L.ARRONIVS.Non equidẽ auſim ſtatuere,an græcè hęc ſit dicta Nicophoros Aphrodite.Vidi in vetuſto Imp.Numeriani nomiſmate,in cuius tergo erat inſcriptio,Veneri Victrici. Erat verò imago ſtolata,quæ dextra Victoriolã porrigebat,ſiniſtra neſcio q̃d hac forma:



Cælius noſter putabat vmbilicum eſſe, qua ſpecie apud Paphum colebatur,teſte Tacito,vt docui alibi.Ego ſpeculum eſſe arbitrabar, quo de ſpeculo ſuprà ſum locutus.Sed B.Aegius,antiquitatis quidem ſtudioſiſs. putat tintinnabulum eſſe ad victoris claritatem indicandam, ſignificandamq́. Varro quoq́,ſi modo ad rem facit,de Ling.lat.Hinc comicos Victrix Ven9: videlicet ne hæc non quòd vincere velit Venus, ſed quòd vincere ipſa victoria,ab eo quod ſuperati vincuntur.vtriq́ teſtis poeſis,quod & Victoria & Venus dicitur Cœligena.

Melanis,quæ Melænis, Venus cognominata fuit ideo,vt tradit Pauſ. in Arcad.quòd hominibus non omnino diurni concubitus, vt belluis, ſed nocturni & abditi vt plurimũ conueniant.Colebatur verò in primis à Corinthijs. Tradũt

deam

deam hanc per quietem Laidi nunciaſſe, futurum eſſe vt aliquando talentorum non paruam copiam compararet: id quod & non multo pòſt euenit. Lege Athenæum, qui adeò eã formoſam ait fuiſſe, vt pictores eam adirent, quo vel eius pectus & mãmas imitarentur. Pauſ. verò in Corinth. ait, Cranion cupreſſorum nemus ante vrbem fuiſſe, in quo Bellerophontis lucus, & Veneris Melanidos tẽplum, ac Laidis monumentũ, inſculpta leæna, quæ priorib. pedibus arietẽ complecteretur. qua de re etiam Alciati extat epigramma, quod hic libẽter aſcripſi.

Quis tumulus? cuia vrna? Ephyrææ eſt Laidos, & non
Erubuit tantum perdere Parca decus?
Nulla fuit tum forma, illam iam carpſerat ætas,
Iam ſpeculum Veneri cauta dicarat anus.
Quid ſcalptus ſibi vult aries, quem parte leæna
Vnguibus apprenſum poſteriore tenet?
Non aliter captos quòd & ipſa teneret amantes:
Vir gregis eſt aries, clune tenetur amans.

Subiungit & hoc idem Athæneus, alterum eſſe in Theſſalia Laidis monumentum. ipſam enim in Theſſaliam acceſſiſſe ait, amore Hippoſtrati captam. Quidam non Hippoſtrati, ſed Eurylochi, ſiue Ariſtonici ſcripſerunt. alij Hippophati, quæ inuidia ac zelotypia à Theſſalis mulieribus occiſa, vt in Anoſia Venere relatum eſt. Sed de Laide ſatis. Scribit idẽ Pauſ. in Bœoticis, Theſpijs fuiſſe Melænidis Veneris templum.

Dexicreontis Venus in Samo colebatur, ſic ab euentu nuncupata. nam Dexicreon quidam circulator, id eſt ἀγύρτης & mendicus, Samias mulieres luxu ac petulantia perditas, ſacris quibuſdam ac piaminibus expurgauit: vnde Dexicreontis Venus denominata. alij Dexicreontem Nauclerum quempiam fuiſſe tradunt, qui cùm negotiandi gratia in Cyprum perueniſſet, & onus in nauim eſſet impoſiturus, Venus iuſſit vt aquam tãtummodo in nauim ipſe inferret, ſtatímque oram ſolueret. ille verò deæ paruit, aquam intulit. cúmq; ſumma tranquillitate nauigaret, reliquis mercatorib. ſitientibus propter æſtũ, vnus ipſe aqua abundabat, qua cæteris æſtuantibus ſiti diuendita, magnam argenti copiam coegit: qua & ſtatuam deæ erexit, quam de ſuo nomine Dexicreontis Venerem appellauit. Plut. auctor. in Quæſtionibus.

Zerynthia Venus appellata eſt, vt Suidas ait, & Zerynthion & Zerynthon antrum, in quo canes ſacrificabantur, vbi & Corybantum & Hecates myſteria agebantur, vt in Hecate copioſius retulimus, ex Lycophrone, & eius interprete Iſaacio, itémq; ex Stephano. Theophilus tamẽ & Phauorinus, Zerinphan Venerem & ζηρίνφιον antrũ vocant. Puto autem mẽdum ſubeſſe. Sunt & Zerynthia littora apud Ouid. de Triſtibus primo:

Inde leui vento Zerynthia littora nacta
Threïciam tetigit feſſa carina Samon.

Alij licet aliter legant. Ouidio conſentit Phauorinus. nam Zerynthium Thraciæ aſcribit. Sanè & apud Heſychium lego Zerenem hoc eſt, ζηρήνην Venerem in Macedonia vocari.

λαδωγενὴς ἀφροδίτη, Heſychius & Phauorinus tradunt Venerem nuncupatã Ladogenen, quòd propè Ladonem fluuium in Arcadia nata eſt.

Nephthe ab Aegyptijs Venus vocatur, quam & finem, ſeu mortẽ, alij victoriam nuncupant, de qua Plutarch. in eo qui inſcribitur de Iſide & Oſiride: quam & quinto loco natam ait, & cum Typhone coli. Heſychius tamen Venerem ait ἀθώρ ab Aegyptijs vocari: vnde Athyr menſis, qui in noſtrum nouembrẽ fermè cadit. Eſt apud Epiphanium lib. 3. aduerſus Hæreſes, Senephthe: putarim ego legendum eſſe Nephthe: Alij, inquit, Tithrambo, Hecaten interpretantes: alij Senephthy, alij Thormutidi ſacra faciunt, alij Iſidi.

Libitina Venus à Latinis exiſtimata fuit, ea quæ ſepulchris præeſſet, vt copioſè docuimus in noſtris Sepulchralibus. Sed & hoc loco repetenda, & addenda quædam. Hæc quidem dea & ingredientibus in vitam, & egredientibus præeſſe iudicabatur. vnde etiam ὠθιτύμβια Delphis cognominata: cuius etiam fuit ſtatua, vt ex Plut. docuimus. neſcio verò an hæc eadem ſit, quam M. Varro Libentinam Venerem vocaſſe videtur, à Libendo denominatam. Meminit & Cicero de Nat. deo. Veneri Libentinæ lucus Romæ fuit, vt Feſtus ait. Fuit & Lubentia, cuius Plautus bis, vt puto, meminit: item Gellius in Atticis noct. & Apuleius. Sed & Horatius Libitinam vitare dixit, pro mortem effugere: vt & eius interpretes teſtantur. Hinc libitinarij, de quibus in Sepulchralib9 actum eſt. Seneca in ſexto de beneficijs, ait vota Libitinariorum, pro eo quòd illi multos deſiderent mori. Ab hac dea Libitinenſis porta Romæ appellata fuit, cuius Lãpridius meminit in Commodo.

Baſilis Venus à Tarentinis vocata fuit, vt ait Heſychius. vnde & luſus quoddam genus, quo ij qui reges ac milites imitabant, vtebant: id eſt, cùm ducta ſorte aliquis rex creatur, & imperat ei qui deinde ſimili ſorte & ipſe rex imperat, quod luſus genus inter Iuſtiniani leges quidam trahere niſi ſunt, vt titulo de ludo & aleę, &c. nam Regindalia eſſe exiſtimatur, quæ βασιλίνδα græcè à Polluce, Suida, alijs dicta eſt. Etſi amicus meus Rhindalcha, à diſtortis narib. quaſi Rhinochalca, libentius legere conſueuerit: & neſcio quo pacto ad cottabũ transferre voluerit. Cum priore ſentit Alciatus.

ἔφιππος ἀφροδίτη, i. Equeſtris Venus, ab antiquis effingebatur. nam Veneris filius Aeneas, cùm occaſum verſus nauigaſſet, equum mox conſcendit, & hac ſtatua matrem deûm honorauit, vt Suidas ſcribit.

Elimæa Venus: Appianus in hiſt. Syriaca, vide in Diana Elimaitide, ex Hieronymo, & alijs. Fuit & Pyrenæa Venus, cuius templum in Galliæ deſcriptione Strabo commemorat lib. 4. à Pyrenæis montibus, vt videtur, nuncupata. quin idem Strabo Aphrodiſium memorat Veneris Pyrenææ promontorium. meminit & Ptolemæus.

πόρνη ἀφροδίτη, id eſt meretrix Venus cognominata fuit ab Abydenis, vt Pamphylus & Clearchus in mythicis tradunt. Nam cùm Abydena ciuitas fortè in ſeruitutem incidiſſet, meretricum arte liberata fuit. quare factum eſt, vt ciues in rei memoriam & monumentum, conſtruxerint fanum πόρνης ἀφροδίτης. Pluribus ab Athenæo res expoſita eſt, lib. 13. Cur non potius Meretrix Venus, quòd hęc prima, vt in hiſtoria ſacra continetur, artem meretriciam inſtituit, auctorq; mulieribus in Cypro fuit, vti vulgò corporum quæſtum facerent, vt Lactantius & Seruius ſcribunt. D. verò Aurel. Tres (inquit) Veneres: vna virginũ, quæ etiam Veſta eſt: alia coniugatarum, alia meretricum, cui etiam Phœnices donum dabant de proſtitutione filiarum, antequam iungerent eas viris. Iuſtinus & Lactantius Cyprias virgines hoc facere fermè ſcribunt. idem & Seruius. Strabo, Armenias & Aſſyrios. Herodotus, Lydos. Angilas & hoc in Africa factitaſſe, Solinus & Mela ſunt auctores. qua enim nocte nuberent, fœminas proſtituebant: quod & legimus quoſdam hoc tempore facere, in Hiſpanis, Luſitaniſve nauigationibus. Scribit Iuſtinus, Locrenſes bello preſſos vouiſſe, feſto Veneris filias proſtituturos, ſi victores fierent: id quod & alios feciſſe mihi videor legiſſe. Adeo gentes ante lucem editam, in tenebris cæcutiebant, ſtultáque deis ſuis vota faciebant.

Sycenſis Venus: Sycæ, quæ Punica ciuitas fuit, fanum Veneris fuiſſe proditũ eſt, in quod ſe matronæ conferebant, atq; inde procedentes quæſtum dotis corporis iniuria contrahebant, honeſta nimirum tum inhoneſto vinculo coniugia iuncturæ. hoc fermè ex verbis Val. Max. in ſecundo.

ἑταίρα ἀφροδίτη, id eſt Amica Venus ab Athenienſibus colebatur, vt Apollodorus ſcribit, meminit & Heſychius. Sic verò appellata, quòd amicos & amicas

coniũgeret. Eualces verò in Epheſiacis prodidit, in Samo templa ædificata Veneri Hetæræ, quòd & Athenæus repetit in Cœnis. De Ioue Hetærio, ſuo loco ſcripſimus. Sanè ἑταίρα vocabulum eſt, quod tam in bonã quàm malam partem accipimus, ita vt ſodalem & meretricem ſignificet. Sanè græci πῶλυς amicas nominant. nam meretrices, πῶλυς Veneris nuncupant, vt Heſychius notat. Nos pullos, pueros etiam vocamus. Feſtus: Pullus Iouis vocabatur Q. Fabius, cui Eburno cognomen erat, propter candorem, quòd eius natis fulmine icta erat. Antiqui puerum, quem quis amabat, pullum eius dicebant.

Idalia, & Acidalia Venꝰ vocata: Idalia, ab Idalio Cypri memore, de quo Verg. primo Aen. & Seruius, & Plinius. Acidalia verò, vt Seruius in eo Vergilij, At me mor ille matris Acidaliæ: Acidalia, inquit, Venus dicitur, vel quia inijcit curas, quas Græci ἀκίδας dicunt: vel certe à fonte Acidalio, qui eſt in Orchomeno Bœotiæ ciuitate, in quo ſe Gratiæ lauant.

Golgia Venus, vocata fuit à ciuitate Cypri, ſic à Golgo Adonidis & Veneris filio appellata, vbi colebatur Venus. Meminit in 15 Idyllio Theocritus:

> δέσποιν' ἃ γολγόν τε καὶ ἰδάλιονς ἐφίλασας,
> αἰπεινάν τ' ἔρυκα. id eſt,
> *O dea quæ Golgon colis, Idalióſq; receſſus:*
> *Sublimemq; Erycem.*

Quo in loco hæc eadem fermè interpretes. Stephanꝰ verò: Golgi id eſt Golgoi, inquit, ciuitas Cypri, à Golgo duce Sicyoniorum coloniæ. Dicitur & Golgon neutro genere, vnde eſt Golgia Venus. gentile nomen Golgius, Golgia, & Golgeis Ionicè. Catullus Golgos numero plurium vſus eſt. tametſi ex noſtris quidam Colchos ſcribere maluerunt, quos tamen in Plinij caſtigationibus Hermolaus docere potuiſſet. Catullus:

> *Quæq; regis Golgos, quæque Idalium frondoſam.*

Meminit & Lycophron in Caſſandra.

Pelagia Venus dicta, vt Artemidorus lib. 2. de Inſomnijs ait, quam Marinam dicere poſſumus. vnde etiam ἐπιποντία, teſte Heſychio, & Phauorino, dicitur. quin etiam eadem ratione ἁλιγενής, quaſi dicas Saligena, vocatur. ad hæc & Hermionij, vt Pauſ. ſcribit, Pontiam & Limeneiam coluere, cui ante nuptias virgines, & viduæ, ſi nubebant, ſacra facere conſueuerant.

Cypris Venus frequenti cognomine dicta, vt ait Theophilus, quòd parere faciat, ἢ τὸ κυεῖν παρέχουσα: quòd & Phurnutus innuit, idemq; ferè in Homerum grammatici dicunt. hoc eſt, veluti κυεῖν παρέχουσα. vel quòd in Cypro colebatur, vnde & Cypria interdum dicta. Tibullus in ſecundo:

> *Et faueas concha Cypria vecta tua.*

Item quòd in Cypro genita, κυπρογενής. vide Heſiodum, & Feſtum. Lactãtius verò Venerem ait in Cypro primum omnium artem meretriciam inſtituiſſe, mulieribúſq; ſuaſiſſe, vt corpore quæſtum facerent, ne ſola videretur impudica. Seruius item & Iuſtinus ſcribunt, virgines in Cypro ſtatutis diebus ad maris littus ire ſolitas, vt ex proſtitutione dotalem pecuniam pararent.

Scotia Venus, cuius templum apud Aegyptios fuit, vt ſcribit Heſychius, à tenebris videlicet. Venus enim in tenebris & abdito peragenda.

Calua Venus ab euentu, culta à Romanis. nam vrbe à Gallis occupata, obſeſſi in Capitolio Romani, cùm ex mulierum capillis tormenta feciſſent, ædem Veneri Caluæ cõſecrarunt. Lactantius auctor in primo Diuin. inſtit. Hiſtoriam copioſè Vegetius Renatus in 4. de re milit. recitat, & Caluam Venerem ſub tecto nominare religio fuit.

Aurea Venus cognominata Latinis, & Græcis χρυσῆ, in primis Vergilio, Homeróq;, vt notat apud Latinos Seruius, & Euſebius x. Prępar. euang. Homerus in hymno πολύχρυσον vocat. Pindarus verò in Pyth. ἀργυρόπεζαν. i. argenteos pedes habentem, vel albos & pulchros.

Syria

Syria Venus vt Diodorus ſiculus ſcribit,cognominata, cuius verba vt ſunt Poggio expoſita, hæc ſunt: Venus in Sicilia commorata eſt circa Erycem, in Cypro circa Cythera ac Paphum,in Aſia autem circa Syriam:ob hásq; peregrinationes Venerem tum Erycinam,tum Cytheream, tum Paphiam,tum Syriā incolæ appellarunt.hæc ille.Crediderim ego hanc deam Syriam eſſe.quare ſi videtur,cum ea,id eſt Aſtarte,coniunge.

Paphia Venus nuncupata, vt Diodorus ait,quòd ipſa peregrinata ſit circa Paphum.Eſt enim Paphus vrbs Cypri.Paphum & Palæpaphum Strabo celebrat: Paphum quidem ab Agapenore conditam:Palæpaphum verò vetuſtiorem, Veneris templo illuſtrem.De Agapenore & Pauſanias in Arcad. qui ipſum Ancæi filium ſcribit,Lycurgi nepotem,qui capto Ilio in Cyprum tēpeſtate delatus eſt, & Paphum vrbem condidit,& fanum in vrbe opulentiſſimum.Plin.lib.2. Celebre fanum habet Veneris Paphos, in cuius quandam aream non impluit. De vtroq;,oppido & fano,poeta in 1.Aeneid.

Ipſa Paphum ſublimis abit,ſedesq́; reuiſit
Læta ſuas, vbi templum illi,centúmq́; Sabæo
Thure calent aræ,ſertisq́; recentibus halant.

Sunt qui tradant,quòd Aerias vetuſtiſſimum Paphiæ templum poſuerit,& poſt eum filius Amathus Amathuſiam Venerem denominarit. Sed libet hoc loco aſcribere quæ Cor.Tacit⁹ de Phaphia Venere prodidit,lib.18.Haud fuerit,inquit longum initia religionis,templi ſitum,formam deę(neq; enim alibi ſic habetur) paucis diſſerere.Conditorem templi regem Venerianum,vel Vranum) vt caſtigauit Alciatus)vetus memoria, quidam ipſius deæ nomen id perhibent. fama recentior tradit à Cinara ſacratum templum deamq́; ipſam conceptam mari huc appulſam:ſed ſcientia arteq; haruſpicum accitum è Cilicia Myram intuliſſe, atq; ita pactum,vt familiæ vtriuſq; poſteri ceremonijs præſiderent. mox ne honore nullo regium genus peregrinam ſtirpem antecelleret,ipſa quā intulerant,ſcientia hoſpites ceſſere.tandem Cinarades ſacerdos conſulitur:hoſtiæ, vt quiſq; vouiſſet,mares deliguntur.certiſſima fides hœdorum fibris:ſanguinem aræ offundere vetitum,precibus & igne puro altaria adolent.nec vllis hymbribus, quanquam in aperto,madeſcunt.ſimulachrum deæ non effigie humana: continuus orbis,latiore initio,tenuem in ambitum metæ modo exurgens.Et ratio in obſcuro.hactenus Tacitus.Paphus,inquit Phurnutus,peculiare Veneris domicilium, Paphiæ nuncupatæ:fortè per figuram ἔλλειψις,id eſt defectum,ἀπὸ τοῦ ἀπαφίσκειν, quod decipere eſt.habet enim Venus iuxta Heſiodum, μειδήματά τ' ἐξαπάτας τε, hoc eſt,riſusq;,deceptionésq;.Iuxta verò Homerum,ſubdola verba, animū quæ & fallunt ſapientū hoc eſt,πάρφασιν,ἥτ' ἔκλεψε νόον πύκα περ φρονεόντων. Ne mirere, ſi in citando Phurnuto non edita exēplaria plerunq; ſequor.nam apud me eſt manuſcriptus codex,illis & caſtigatior,& locupletior.Illud hoc loco tantum dixerim.hanc orbicularem in metam creſcere:aliam,quam in Venere Vrania retulimus, quadrangularem Hermæ in morem fuiſſe.

Acręa Venus,cuius in Gnidia facta eſt mentio.Strabo de Cypro loquens, ait Carpaſiam vrbem ſtadijs XXX verſus inſulas Carpaſias eſſe,vbi & mōs & promontorium.montis ſummitas Olympus dicitur,vbi Veneris Acrææ templum. Fuit & Aſcræa Venus,cuius mentio eſt apud Pauſ.in Corinth. Sunt qui ſcribāt, Acrææ Veneris templum mulieres nec videre,nec adire,fas fuiſſe:ſicuti Eunoſti fanum in Tanagra adeò mulierib. interdictum fuit, vt ſi quo infortunio aut vaſtitate Tanagræi opprimerentur,diligenter inquirerent, ne qua mulier conſultò aut caſu templo Eunoſti appropinquaſſet.

Apaturias Venus:de hac ita in vndecimo ſcribit Strabo, vbi de Phanagoria agit,emporio apud Scythas Mœoticos:Phanagoriæ eſt, inquit, inſigne Veneris Apaturiæ templum.id nomen interpretantur,fabulam quandam afferentes, quòd cùm gigantes Venerem adorti eſſent,illa Hercule inuocato, tandiu in la-

tebris quibuſdã latitauit, donec ſigillatim Gigantes excipiens dolo Herculi occidendos exhibuit. ἀπατάω quippe eſt fallo, & decipio. hinc eſt ἀπατοῦρον templũ ipſum Veneris nuncupatum, vt prodit Stephanus. hinc & Apaturia celebritas, de qua ſic Euſebius Pamphili in lib. de Temporib. Anno mũdi circiter MMMMLXXX. Erechtheidarum imperio deſtructo, Atticorum principium regni ad aliud genus translatum eſt, cùm Timœten prouocaſſet ad pugnam Xanthus Bœotius: & Timœte recuſante, Melanthus Pylienſis Andropompi filius ſuſcepiſſet ſingulare certamen, ac deinde regnaſſet. hinc & ἀπατουρίων, i. fallaciarum ſolennitas celebrabatur, quia ad victoriam fraude proceſſerat. Sed hãc hiſtoriam locupletius tibi ex Suida recitabimus. ἀπατούρια, inquit, celebritas Athenis celebrabatur, in qua Sitalci Thracum regis filius ciuitati aſcriptus. quatuor autẽ dierum ea fuit. primam diem δορπίαν appellabant, quod ſodales ad veſperã in vnum coacti epularentur. ſecundã ἀνάῤῥυσιν, à ſacrificãdo: nam Ioui Sodali et Palladi ſacra faciebant. tertiã κουρεῶτιν, i. puellarẽ vocabant, quod ſcilicet pueros & puellas, i. κούρους & κόρας ſodalitati aſcriberent. quartus dies ἐπίβδα dictus eſt. Horum autem dierũ feſtorum talis cauſa fuiſſe dicitur. Bellum erat Athenienſib. aduerſus Bœotios de Celænis vico, qui in cõfinijs erat. Xanthus autem Bœotius Thymœten Athenienſium regem prouocauit: quo recuſante, Melãthius Meſſenius à Periclymeno Nelei filio generis originem ducens, imperij cauſa pugnare ſuſtinuit. quare cùm ſingulari certamine pugnarẽt, quidam hircina nigra pelle indutus, poſt Xanthij terga Melantho apparuit: ipſum igitur iniquè facere dixit, quod cum comite veniret. quo dicto, reſpientem Xanthium interfecit. vnde & feſtum ἀπατούρια, hoc eſt deceptoria cognominata fuit: & Dionyſij Melanægidos templum ſtruxerunt, vt in Dionyſij cognominibus recitauimus. Sunt qui Apaturia pro homopaturia dicta eſſe velint, quòd patres, vt liberos curiæ aſcriberent, conuenirent: vt ã, pro ſimul accipiatur. De Apaturijs Herodotus in primo meminit & Xenophon in primo Hellenicon, & Tertullianus: ſed plenius Simplicius in Phyſicis Ariſtotelicis, itémq; Heſychius, aliíq;. Cognominata eſt etiã Pallas hoc nomine, vt in ea dictum eſt.

Melinæa Venus, dicta eſt à Melina vrbe Argiua, vbi colebatur, vt ſcribit Stephanus. Lycophron, τὴν κασανίαν τε μελιναίαν θεὸν, id eſt, hanc Caſtaniámq; Melinæam deam.

Cluacina Venus à Romanis culta, dicta (vt Plin. ſcribit. lib. 15.) quòd cluere antiqui pugnare dicebant. T. Liuius lib. 3. Ac nutricẽ prope Cluacinæ ad tabernas. licet in hoc loco ſint qui non Cluacinã, ſed Cloacinam legere malint: de qua ſuo loco. Plin. Quippe ita traditur, myrtea verbena Romanos Sabinóſque, cùm propter raptas virgines dimicare voluiſſent, depoſitis armis pacificatos, in eo loco qui nũc ſigna Veneris Cluacinæ habet. Cluacinam porro quidam Venerem armatam interpretantur, cuius templum non procul à foro fuit.

Anadyomene Venus cognominata, quæ ex mari exiret. Plin. libr. trigeſimoquinto: Venerem exeuntem è mari diuus Auguſtus dedicauit in delubro patris Cæſaris, quæ Anadyomene vocatur, verſibus græcis tali opere dum laudatũ victo, ſed illuſtrato. huius enim inferiorem partem corruptam qui reficeret, non poterat inueniri. verùm ipſa iniuria ceſſit in gloriã artificis. Conſenuit hæc tabula carie, aliámq; pro ea Nero in principatũ ſubſtituit ſuo, Dorothei manu. hæc Plin. Sed non modò poetæ Anadyomenes meminere, ſed & philoſophi. Plut. & Artemidorus lib. 2.

ἀμβολογήρου ἀφροδίτης, hoc eſt Veneris ſenectam differentis: huius Veneris ſimulachrum Pauſ. in Lacon. tradit à Spartanis ex oraculo erectum fuiſſe.

Mechanites etiam cognominata, eodẽ Pauſ. teſte. id nomen ei deæ & operib. eius conuenit: vnde & illa Polymechanos cognominata meretrix, à vario concubituum genere. Porrò & Minerua, eodem Pauſ. auctore, in Arcadia culta eodem nomine fuit, quòd artium & conſiliorum inuentrix fuerit.

Phoſpho-

Phoſphorus, Veneris ſtella matutina: ἕσπερος, id eſt, Heſper, & Veſper, veſpertina eadem. Cic. ſecundo de Nat. deor. Apul. Martianus, cæteri. δελέφατ verò à Chaldæis dicta.

ἄδικος Venus dicta in Libya, vt Heſychius notat. βαιῶτις autem à Syracuſanis, ἐλίμωνς in Cypro & Chalcedonia. alicubi & ὀριεύτης. Cyprij verò Venerem ἔγχειονς vocabant, Gnoſſij ἀνθέαν, Syracuſani εὐδῶ: Carchedonij, id eſt Carthagìnenſes ἐπήκοονς. μιλίτης etiam alicubi vocata Venus. atq; hæc quidem ferè ab Heſychio & Phauorino. Porrò & ἐρωτοτρόφος ἀφροδίτη etiam cognominata, hoc eſt, Cupidinis nutrix.

Hoſpita etiã Venus, hoc eſt græcè ἀφροδίτη ξείνη, appellata ab Aegyptijs, vt Herodotus ſcribit lib. 2. Nam cùm de fano Protei ageret, ita propemodum ſcribit: In Protei, inquit, Fano ædes eſt, quæ Veneris ξείνης. i. hoſpitæ appellatur, quam Herodotus ipſe coniectura ductus, exiſtimauit Helenæ Tyndari filiæ, quę apud Proteum ipſum diuerſata fuerit, & eo nomine vocata. Hiſtoriam totam, ſi libet, lege apud hiſtoricum ipſum.

Momephita Venus, & præfectura. i. nomos apud Aegyptios, de quib9 Strabo lib. 17. Huic deæ ſacram vaccã alebant, quemadmodum Memphitæ Apim, & Heliopolitani Mneuin boues, quos pro deis nutriebant.

Aeneis præterea Venus, etiam ab Aenea nuncupata, vt Alicarn. Dion. ſcribit in primo hiſt. Frugi demum Venerem dictam inuenimus, vt apud Feſtũ: Fruginal, inquit, templum veneris frugi, Frugutal Iouis. alij licet Frutinal legant apud Feſtum, dictum eſſe Veneris templum Frutæ. Et hucuſq; de venere dictũ ſit: cui iure Vulcanum & Adonim ſubdidimus, tum Cupidines & Charites ſubiungemus, vt totam tibi Veneris cohortem muneri mittam. Tacitus libr. tertio, Smyrnæos ait Tiberio principi, Apollinis imperio, Stratonicidæ veneri templum dicaſſe.

CVPIDO.

VEnerem, & eius cognomina plurima, quàm potuim9 breuiſſimè deſcripſimus: nunc propoſitum ſequentes ordinem, Cupidinem, hoc eſt Amorem ſubiungemus. Nam Latini, vt ait Seruius, Cupidinem vocant, eo quòd faciat amorem. Sed vergilius græcos imitatus, vno nomine vtrunq; ſignificat. Amorẽ dixit deum in illo:

Ergo his aligerum dictis affatur Amorem.

Idq; diſcreuit epitheto. Sed cum hæc perpetua non ſit Seruij obſeruatio (nam & Propertius ita cecinit:

Quicunq; ille fuit, puerum qui pinxit Amorem.) ne in re minimè dubia plures afferã: ideóq; nos indiſcretè vtroq; nomine hac Syntagmatis parte vtemur. M. Cicero primum in tertio de Nat. deor. tres nomine Cupidinis enumerat, quorum primus, inquit, Mercurio & Diana prima natus dicitur, ſecundus Mercurio & Venere ſecunda: tertius quidem (inquit) eſt Anteros, Marte & venere tertia genitus. hæc Cicero. Plato in Sympoſio ſcribit, Cupidinẽ natum ex Poro metidis, id eſt Conſilij filio, & Penia, id eſt inopia: quod plerıq; omnes magno myſterio à Platone confictum prodidere. quæ ſi minus placeant, quæ à philoſophis Platonicis traduntur, vel prolixiora ſunt, accipe quæ paucis Euſebius piè & religioſe ſcribit. Plato, inquit, in Sympoſio allegoricè ꝑ paradiſo Iouis hortos appellat, pro ſerpente deceptionem Peniæ, quæ Poro inſidiata eſt: pro viro autem primo, quem Dei conſilium atq; prouidentia quaſi nuperrimè natum filiũ produxit, Cõſilij filium Porum nomine poſuit: & inde natus Cupido, veneris obſequentior ſeruus, quia in Veneris natalitio feſto die ortus erat. præter Euſebiũ lege & in quarto aduerſus Epicureum Celſum, Origenem. Sed iam quæ cæteri

Græci ſcriptores tradunt, afferamus: qui Cupidinē cuius filius fuerit, variè enunciant. quidam enim (vt Græci tradunt Theocriti expoſitores, aliiq́ præterea) ex Chao & Terra natum fabulantur, vt Heſiodus. Orpheus item ex Chao primum apparuiſſe, & Phaneta illum appellare videtur: Simonides ex Venere & Marte: Acuſilaus, ex nocte & Aethere: Alcæus, ex Lite & Zephyro: Sappho, ex Venere & Cœlo. Olen Lycius in hymnis, ex Ilithya, i. Lucina natum cecinit. Sed enim quòd Mercurij filius crederetur, Euſebius & alij ideo traditum aiunt, quòd amandi vis & virtus orationi attribuitur. Verg. in primo Aeneid. Venerem facit ita Cupidinem alloqui:

Nate meæ vires, meā magna potentia ſolus,

Nate patris ſummi. Vbi Seruius: Nate meæ vires, quia Venerea voluptas exerceri ſine amore non poteſt. aut ſecūdum Simonidem, qui dicit Cupidinem ex Venere tantum eſſe progenitum: quanquam alij dicant, ex ipſa & Marte: alij, ex ipſa & Vulcano: alij verò Chaus & primæ rerum naturæ eum eſſe filium velint. Heſiodus Erota & Himerum, quo vtroque nomine Amor ſignificatur, Veneris ſectatores facit. quo loco Scholiaſtes philoſophatur, differentiámque inter eos ponit. Erota enim, id eſt Cupidinem, ex aſpectu amare: ἵμερον verò, id eſt deſiderium, poſt aſpectum deſiderare facere ait. vt ſi pulchrum, inquit, librum aſpicias, propter cultum & literas ames, & poſſidere cupias: ecce hîc ἔρως eſt. Sed ἵμερος, poſt poſſeſſionem adeptam, illius diſcendi naſcitur deſiderium, & quæ in eo ſcripta ſunt aſſequendi: & cætera, quę ille ſcribit. transfert enim Amorē hunc, & Cupidinem, ad cætera quæque negotia. Cupidinem Pſychen amaſſe, eámq́ ſibi copulaſſe, fabula narrat, quam lepidiſſimè Apuleius executus eſt in Metam. & Fulgentius in Mythol. ex græcis auctorib. eſt interpretatus. Meminit & Martianus, qui Pſychen ait Apollinis & Endelechiæ filiam. Plures autem Cupidines antiqui ſcriptores, & poetæ in primis finxere, vt eſt apud Claudianū in Honorij & Mariæ epithalamio: item apud Papinium, à quo fortè Claudianus deſumpſit. & ante hos Propertius lib. 2. Eleg. cecinit:

Obuia, neſcio quot, pueri mihi turba minuta
Venerat, hos vetuit me numerare timor.
Quorum alij faculas, alij retinere ſagittas,
Pars etiam viſa eſt vincla parare mihi.
Sed nudi fuerant: quorum laſciuior vnus,

et reliqua. Certè & illo ſuo dicendi filo Apuleius in decimo Cupidines cum matre Venere diuerſos & laſciuientes deſcribit. Phurnutus etiam plures ait Cupidines, propter ſcilicet πολυτροπίαν, i. morum varietatem. Sed in Imaginibus pulcherrimè à Philoſtrato deſcribuntur: Ecce, inquit, ἔρωτες, i. Cupidines mala colligunt. quòd verò multi ſint, ac innumerabiles, ne admireris. Nympharum enim filij ſunt, mortalium genus moderantes: multiq́ ideo, quòd multa ſint ea quorū mortales amore ducantur. Cœleſtem autem Cupidinem diuina in cœlo facere tradunt: mox Cupidines ipſos pharetras ac ſagittas aureas habere deſcribit, omnéſq́ nudos eſſe, nec quidem coronas in capite habere. ſatis quippe illis coma. Pennas cœruleas ac puniceas habent, nonnulli etiam aureas. Calathos porrò habent, in quibus poma deponunt: gemmis ornati ſunt, ſmaragdis, ſardonyche, & margaritis à Vulcano compoſitis. In arbores deuolant, ſine ſcalis, ad poma legenda. Inter hos verò quatuor formoſiſſimos eſſe ſcribit: duo inuicem malis ſe petunt. duo reliqui ſagittis: non iratis quidem vultibus. quod ita interpretatur. Principium amoris mittere poma, ſagittas verò amorem perficere. Addit & idē Philoſtratus luctā ipſorum Cupidinū, rem vtiq́ iocoſam: tum etiam de lepore quædam ſubdit, vt videlicet cadentia poma ambedunt, & vt inſequantur Cupidines. Addit præterea de leporis natura multa, & de Venere, quorum pleraq́ iā in Venere retulimus. Sanè idem ſcriptor alio loco, Cupidines ſcribit frenis cy-

gnos

gnos compeſcere, & eos regere: quodq; dei pueri ſint, qui libenter cum auibus ludant, & per ſtagnantes aquas eos agant, ac ſi eſſent in hippodromi ſtadio. Sed quo modo Cupido deus pingatur, pulchrè in Elegia à Propertio lib. 2. deſcribitur, ex qua hi verſus:

Quicunq; ille fuit, puerum qui pinxit Amorem,
Nónne putas miras hunc habuiſſe manus?
Hic primùm vidit ſine ſenſu viuere amantes,
Et leuibus curis magna perire bona.
Idem non fruſtra ventoſas addidit alas,
Fecit & humano corde volare deum.
Scilicet alterna quoniam iactamur in vnda,
Noſtráq; non vllis permanet aura locis.
Et merito hamatis manus eſt armata ſagittis,
Et pharetra ex humero Gnoſsia vtroq; iacet.
Antè ferit quoniam, tuti quàm cernimus hoſtem,
Nec quiſquam ex illo vulnere ſanus abit.

Sic Propertius. Apuleius quoq; Cupidinem ſuo illo Mileſio dicendi genere elegantiſſimè in Aſino deſcribit. Seruius etiã Honoratus in 1 Aeneid. Sanè, inquit, Cupidinis nomen ratione non caret. nam quia turpitudinis eſt ſtulta cupiditas, puer pingitur: item quia imperfectus eſt in amantibus ſermo, ſicut in puero: alatus autem ideo, quia nihil amantibus leuius, nihil mutabilius inuenitur, vt apud Vergilium ipſa Didone probatur. Sagittas verò iccirco geſtare dicitur, quia & ipſe, vt illæ incertæ veloceſq; ſunt. In templo Aeſculapij fuiſſe Cupidinis ſimulachrum, his verbis ſcribit in Corint. In eo, inquit, fuit Pauſiæ pictoris opus, Cupido abiecto arcu & ſagittis, lyram tenens. Plutarchus apud Stobæum, Quòd amor non ſit iudicium: Quamobrem, inquit, Cupidinem facem geſtare, hoc eſt, πυροφόρους, poetæ tradunt, & plaſtæ ac pictores effingunt: quoniam quod ignis ſplendidũ eſt, ſuauiſſimum: quod verò καυστικὸς, i. aduſtiuum, moleſtiſſimũ. Sed poſtquam hæc attigimus, audiamus & Alexandrum Aphrodiſeum in lib. Problematum (ſint, non ſint eius, quid ad nos?) qui hanc pulcherrimè eſt executus, cuius verba, ne hic prolixior ſim, meo arbitratu interpolata recitabo. Problematis hoc eſt initiũ: Cur amãtiũ extremæ partes modò frigidæ ſunt, modò calidæ: cũq; in ſpem & deſperationẽ cauſam retuliſſet, ſubdit: obq; hanc ipſam cauſam pictores Amorẽ nunc triſtẽ pingunt & quieſcentem, nunc volantẽ & ridentẽ. puerũ verò mutabilẽ, quia cupido vehemens quidẽ eſt, non tamen diuturna & perpetua. Itẽ paulò pòſt: Facem verò habere fingunt, atq; eſſe pennatũ, quia amãtium animi ſuſpenſi tolluntur, ſúntque mutabiles ceu volucres. & mox: Tenet autem dextra gladium, vel vt alij habent codices, ſagittam: ſiniſtra verò pharetram, & quamplurimas ſagittas: quoniam à principio quidem ex vno oculorum radio amor oritur, qui radius ſagittæ ſimilitudinem habet. Quòd autem multas in pharetra ſagittas habere videatur, quoniam amantes occultos emittunt radios. tum & illud ſequitur: Nudum autem fingunt, quia abſque medio deſiderium eſt, manifeſtóque euenit. neque enim ob aliud quiſpiam amat quicquam, neque clam, neque quod ignoret. quocirca & ſtatuarij & artifices nonnunquam nudos deos & reges effingunt, vt eorũ adapertas virtutes, & manifeſtas, nec occultas oſtendãt. Porrò non vnũ Cupidinẽ, ſed plures eſſe ferunt, quia diuerſi rerum ſunt amores. aliter enim atque aliter amamus: vnde & Plato, multorum capitum eſſe belluam Amorem dixit. hæc quidem ex Aphrodiſeo, meo (vt dixi) arbitratu excerpta. Sed & Phurnutus penè conſimilia de Cupidine ſcribit. Idem ſcribit & Proclus in Sophiſta Platonis, vbi & illud ait, Cupidinem Sophiſtam etiam appellatum, & magum, dum generatione animas naturalibus rationibus miſcet, & allicit, adeò vt ęgrè à generatione amoueantur. Multiceps verò, quoniam ſibi eſſentias vitaſq; multas vendicauit, per quas varietatem genera-

tionis diſponit. Si minus hæc quæ adhuc ſcripſi, de Cupidinis imagine fecerint tibi, quæſo & legas Moſchi pulcherrimum poema quod ἔρως δραπέτης, id eſt Cupido fugitiuus inſcribitur; in quo Venus ipſum, eiúſq; naturam oſtẽdit. Legitur & Aeneæ Syluij, qui Pius ſecundus Roman. Pontif. poſtea fuit, elegia, eodem picturæ argumento: itémq; Marulli epigramma. quæ apud ipſos legas, ne nimius ſim. Fuit & in curia Octauiæ, vt ſcribit Plinius, Cupido fulmen tenens, cuius auctor neſciebatur. id affirmabatur, Alcibiadem fuiſſe principem forma in ea ætate: in cuius clypeo ita erat pictus. & memini hoc argumento ad Cœlium noſtrum luſiſſe Cynthium. quin & fractum fulmen ipſum tenuiſſe Cupidinem, ſic canente viro docto:

Aligerum fulmen fregit Deus aliger igne,
Dum demonſtrat vti eſt fortior ignis Amor.

Fuerunt & antiquis celebratæ ſtatuæ Hermerotes, ex Mercurio & Cupidine confectæ: de quibus alibi meminimus. Sed iam de pictura ſatis. Sed enim antiqui in gymnaſijs Cupidinem inter Mercurium & Herculem poſuere, eum amorem ſignificantes, qui ex ratione & virtute naſceretur. Quinimo & Samij gymnaſium illi conſtituerunt, teſte Athenæo. Ecloge legitur Auſonij poetæ de Cupidine, ab heroinis patibulo crucis affixo: vt & meminit Lactantius, ſi rectè rememtior. Verùm iam Amoris nomina interpretemur. Ammonius ſanè & Phurnutus, alijq;, Cupidinem his tribus nominibus vocatum tradunt, ἔρωτα, πόθον, & ἵμερον. Quos ait Pauſanias in Attica, à Scopa effictos, tam ſpecie inter ſe differentes, quàm operis artificio. ἔρως igitur per omega, ipſum Cupidinem & flagitioſum amorem ſignificat, hoc eſt Amores, vt dicimus, & notant grammatici. ἔρος verò per o micron, pudicum & bonum amorem ſignificat. quod diſcrimen an rectè ſtatuatur, non diſquiro, cùm inter legendum apud idoneos auctores non ita ratum offenderim, vt illi præcipiunt. ἔρωτα autem dictum ait Plato, & Phurnutus, ab inquiſitione amati. ἐρᾷν enim pro ζητεῖν, id dſt inquirere, capitur. Plotinus tamẽ ab aſpectu & viſione deduxit. ἔρως. ait, quaſi ὅρασις. ad quam rem illud perbellè Propertij deducimus:

Si neſcis, oculi ſunt in amore duces.

Scribit etiã Heſychius, quod ideo cupido ὀμματίτης. i. oculeus vocatus ſit, quòd ex aſpectu amor concipitur. & in Achillis amoribus ὀμματοπάλογχα dicta ſunt. πόθος verò deſiderium dictus, quòd amantes ijs frui deſiderent quæ pulchra venuſtáq; viſa ſunt. Nam (vt noſti) ποθέω eſt deſidero, & cupio rem propriè quę abſit, nec præſens ſit. Vnde & quidam inde deductum volunt πόθον, quia amantes dilectos ſæpe percontentur ac interrogent, πόθεν ἔρχονται, καὶ ποῦ ἦσαν: hoc eſt, vnde vel venerint, vel vbi fuerint. Scribit & Plin. Scopa fecit Venerem, & Pothon, Phaethontem, qui Samothraciæ ſanctiſſ. cæremonijs colebantur. Phurnutus & hoc ait, quod dictus ſit πόθος ab oſculorum imitatione: vnde & παππίας denominationem habuiſſe ſcribit.

ἵμερος autem dictus, vel quaſi ἥμερος. i. cicur & manſuetus, nec ſylueſtris. tales enim Amor, dum ſui compos eſt, homines efficit. quin & gentium quidam ſcriptores ἵμερον ipſum Cupidinis fratrem ideò ſcripſere. vnde mirum etiam, quoſdã ſine afflatu in primo hoc nomen notare. Vel dictus, vt Phurnutus ait, ἀπὸ τοῦ ἵεσθαι, hoc eſt, ab incitando, quòd feratur ad ea quæ formoſa ſint.

Sed & πτέρως, id eſt, alatus, vel pennatus à Platone in Phædro vocatur. hinc & Cicero de Natura deorum, eundem latinè pennatum Cupidinem vocat. à Phurnuto verò πτερωτὸς dictus, quaſi dicas volans & pennatus, quòd ſcilicet leues faciat, & amantium cogitationes vagas, & in auis modum ipſe ideo volare videatur. Iuxta quam ſententiam à noſtris Aligerum cognominatum videmus, vt ante ſcripſimus.

Ergo his aligerum dictis affatur Amorem.

& ab Orpheo πτερόεντα.

Sagitta-

Sagittarius etiam.i. τοξότης Amor nũcupatus eſt, quòd amore capti ab aſpectu quaſi vulnere à longè feriant, neq; audeant formoſos attingere: vel contrà, quòd ab aſpectu formæ capite vulnerentur. τοξαλκὴς ab Orpheo ideo vocatus. Certè illud admirandum de Cupidinis telo legimus, quod in templo Dianę apud Epheſum pependiſſe ferunt, nullis penitus laqueis mandatũ: quod in ſeptimo de Architectura Bap. Leo recitat.

Geminus Cupido cognominatus, non modò vt mater Venus Gemina, qua de re Plato in Sympoſio multa, quod ſcilicet cœleſtis ſit & terrenus: ſed etiam propter geminum ſexum. hinc Seneca in tragœdia:

Quam vocat matrem Geminus Cupido.

Quin & alij non Geminos, ſed (vt diximus antè) tres & quinq;, & plures.

Tyrannus Cupido à Platone dictus eſt, quòd in generoſos & nobiles animos bacchari & ſæuire, tyrannidémq; exercere videat, id quod & Euripides illo verſiculo, quem & Abderitæ deleri canebant, oſtendit, σὺ δ᾽ ὦ θεῶν τύραννε κ᾽ ἀνθρώπων ἔρως. Id eſt, Túq; ô deûm tyranne & hominum Cupido. quin etiam Proclus in Platonis ſophiſta, Amorem magum appellauit, vt ſuprà dictum eſt.

Harpys deus à rapacitate Amor vocatus eſt. hac voce vſus eſt Parthenius in Crinagora, ἀμφοτέρους ὠδῖβας ἅρπυς ἑλκίσατο. Quin etiam fabulæ tradunt, Erinnyn furiam ab Amore amatam fuiſſe, vt impotentiam ac impetum ſignificarent inſanè ac deperditè amantium.

Phanes etiã dictus eſt Amor, quòd ex Chao primus apparuerit, quod Orph. & Lactantius aiunt. Macrob. tamen ſolem Phaneta interpretatur, quoniam quotidie φαίνεται νεός.i. nouus appareat. meminit & Hermias in Phædro Plat. nec ſemel. vt illud, τὸν φάνητα, ὅπερ ἐστὶ πέρας τοῦ νοητοῦ.i. Phaneta q eſt finis intelligibiliũ deorũ.

ψίθυρος ἔρως, hoc eſt, nugax & loquax Cupido, Athenis cognominatus cultúſque fuit: & eodem cognomine Venus, vt eſt apud Arpocrationem.

Pharetratus à noſtris Cupido cognominatus eſt. Ouid. in Eleg.

Nullus amor tanti eſt, abeas pharetrate Cupido. Item vulgare illud:

Cæcus & alatus, nudus puer, & pharetratus. Socrates in Sympoſio Xenophontis, inter alia multa quæ de Amore diſputat, ideò Pharetratũ dici ait, quod forma procul inſpecta, amantem quaſi ſagittis quibuſdam feriat.

πανδαμάτωρ ἔρως cognominatus.i. omnium domitor, frequens eſt apud Græcos. Hinc notiſſimum eſt diſtichon:

Perfringunt, penetrant, vrunt mea ſpicula fulmen,
Scilicet hinc nomen eſt mihi πανδαμάτωρ.

Caunius Cupido vocatus, quòd in Cauno vrbe coleret, vt ait Heſychius. Poſſumus & ab æſtu deriuare, qui fit ex amore. vnde & illi ardentes faces attribuebant antiqui: vel quòd Amor καυνοὺς homines reddat.i. difficiles & malos.

ἀμφιθαλὴς ἔρως.i. vndiq; germinans Cupido dictus, quòd mutuus ſit & reciprocus amor. Ariſtophanes in Auibus & grammatici. tametſi ἀμφιθαλεῖς etiam dicuntur, quibus vterq; parens adhuc generat.

Sanctus Amor & Cupido à noſtris ſæpe dictus. Tibullus in II.

Sancte veni dapibus feſtis, ſed pone ſagittas,
Et procul ardentes hinc precor abde faces. Catullus:

Sancte puer, curis hominum qui gaudia miſces.

Idem & Venerem ſanctam ad Mallium vocat,

Quem neq; ſancta Venus molli requieſcere ſomno,
Deſertum in lecto cœlibe perpetitur. Sed de Sancto aliàs plura.

Theſpius præterea Cupido nuncupatus, à Theſpijs, vbi colebatur, vt Strabo in nono, & Ouidius. M. Cic. in Verrem. quinetiam vt eſt apud Athenæum, ex Erexia, Cupidinea, quę & Theſpia vocata fuere, feſta celebrabantur à Theſpijs, de quib. & Plut. in Erotico: ex his enim ſermonis originem ſumit. In Helicone, inquit,

inquit, apud Muſas, ô Flauiane, Theſpijs Erotica agentibus: certamẽ enim agũt quinquennale, vt quidẽ Muſis & Cupidini illuſtre & honoratum. Plinius lib. 36. Eiuſdem, inquit, Praxitelis eſt Cupido, obiectus à Cicerone Verri, ille per quem Theſpiæ viſebantur, nunc in Octauiæ ſcolis poſitus. eiuſdẽ & alter nudus in Pario colonia Propõtidis, par Veneri Gnidię nobilitate, & iniuria. Adamauit enim eum Alchidas Rhodius, atq; in eo quoq; ſimile amoris veſtigium reliquit: vt in Venere retuli. Pauſ. verò in Bœoticis, de Theſpio Cupidine multa refert. ait enim: Venerantur Theſpienſes maximè deorum omnium Cupidinem, cuius eſt ſignum vetuſtiſſimum rude quoddam ſaxum. Qui primus tantos apud Theſpienſes præ cęteris Deis honores Cupidini habendos cenſuerit, compertum certè non habeo. Non minore verò cultu Pariani, qui circa Helleſpontum ſunt, ex Ionia oriundi (Erythris nempe huc colonia deducta) at noſtra ætate Romanis parent, eundem proſequuntur deum. Cupidinem certè vulgus hominum natu Deorum minimum & Veneris filium putant. Lycius verò Olen, qui antiquiſſimos Græcis fecit hymnos, in Ilythiæ hymno matrem eſſe Cupidinis Ilythiam ipſam dicit. & qui poſt Olenem carmina fecerunt Pamphus & Orpheus, de Cupidine nonnulla verſibus mandarunt ſuis, quæ Lycomedi initijs celebrandis cantarentur. Ego ſanè quædam cognoui de homine qui ſacras lampadas præferebat, quę cõſultò reticeo. Heſiodum quidem, vel quicunq; is fuerit, qui à ſe ſcriptum de origine Deorum carmen Heſiodi nomine ediderit, ſatis ſcio prodidiſſe Chaos primum, Terram deinde, Tartarum & Cupidinẽ genitos. At Lesbia Sappho multa de Amore, & ea non ſatis inter ſe conſentanea, cecinit. Theſpienſib. ex ære Cupidinem elaborauit Lyſippus, & ante eum è marmore Pentelico Praxiteles. Tum ſubiungit Pauſ. à quibus fuerit Cupidinis ſignum ablatum, & reſtitutum. Dein & eos qui violarunt, malè eis eueniſſe, & cętera quæ ſcribit Pauſ.

Cęcus Cupido fingitur, hoc eſt τυφλός. Scribit in decimo Idyllio Theocriti interpres, ſuper ea poetę verba, τυφλὸς δ᾽ οὐκ αὐτὸς ὁ πλοῦτος, ἀλλὰ καὶ ὡφρόντιστος ἔρως: hoc eſt, Cæcus nõ modo Plutus, verùm etiam delirus Amor: Nota, inquit, quòd antiqui duos cæcos dicebant, Cupidinem & Plutum. nam qui amat, cæcus eſt: Quid faciat, non videt vllus amans. nam deformẽ amat mulierem, quæ illi videtr pulcherrima eſſe. hæc enim eſt cæcitas, ſicut & Amor Cæcus. Cęcus ergo amor, cæcos efficiens. i. τυφλοποιός. facit namque amantibus, quæ non ſunt, pulchra videri. De Pluto alibi agemus. Plutarch. in libello de Captanda vtilitate ab inimico, ait à Platone Amorem cæcum dictum, quòd amantes in re amata cæcutiant. Sed quòd etiam oculatus dicatur, iam eſt oſtenſum.

Anteros nomen Cupidinis, amorem reciprocãtis. Et licet aliàs de Anterote ſcripſerim, & de hoc Cœlij noſtri libellus extet, nolui tamen non hic meminiſſe. Hiſtoria apud Pauſ. in Attica legitur de Timagora & Melete, à quorum miſerando interitu ſtatua & ara ab Athenienſib. Anteroti poſita: quæ tamen hiſtoria diuerſa videtur ab ea quam pluribus eſt Suidas executus. nam Meletus, non Meles, apud eum legitur: & amator, non amatus. Sed hoc tum in Symbolis Pythagoræ, tum in Poetarum dialogis planius oſtendimus. Eſt & Melanippi & Charitonis alia de Anterote hiſtoria apud eundem Suidam, qui ambo mutuo ſe ſunt amore proſequuti, vnde ſit ἀντέρωτος nomen. Sed hanc ipſam hiſtoriam, ſi placet, longè copioſius deſcriptam, lege apud Aelianum libro vndecimo de Varia hiſtoria. Eiuſdẽ hiſtoriæ Charitonis & Menalippi meminit Athenæus lib. XIII. Dipnoſoph. vbi de verſu elego agit, in quo pentameter aliquando hexametro præponitur. vt in illò oraculo, quòd Dionyſius Athenienſis cognomento Chalcus fecit, quod tale eſt:

Εὐδαίμων χαρίτων, καὶ μελάνιππος ἔφυν,
θείας ἀγητῆρες ἐφημερίοις φιλότατος.

Fuerunt ad hęc in Eleorum gymnaſio parte quapiã, Amoris & Anterotis imagines: Cupido quidẽ palmæ ramũ manu tenebat, quẽ ab eo auferre Anteros nitebatur. quæ res anſam prętitit aliquibus

vt non

vt non reciprocantis dei, ſed auertentis magis crediderint. quos Seruius in quarto cõment. Aeneid. Vergilianæ ſequi viſus, ſuper ea poetæ verba:

Tum ſi quid non æquo fœdere amantes
Curæ numen habet: iuſtúmq; memórq; precatur.

Inquit enim: ἀντέρωτα inuocat contrarium Cupidini, qui amores reſoluit, aut certè cui curæ eſt iniquus amor. Apud Platonẽ Socrates probroſum Amorem criminatur, quem dei, inquit, πνιγμὸν, hoc eſt ſuffocationẽ veri amoris nuncupant: quem Proclus eſt interpretatus aliter, quàm à me exponitur, diuinum ſcilicet amorem, animas à corporibus abſtrahentem. Anterotis porrò meminit & Cicero de Nat. deo. vt ſuprà dictum eſt. Porphyrius quoq; philoſophus de Anterote apologum ſic propemodum recitat: Cùm, inquit, Cupido infans parum coaleſceret, Venus Themin deam conſuluit. quæ Veneri reſponſum dedit, Cupidini Anterota neceſſarium eſſe, qui rependat vices, vt mutuam viciſſim dent operam. Cui Venus acquieſcens, Anterota, quaſi Anticupidinem dicas, genuit: quo vix dum nato, Cupido adoleſcere cœpit, & alas pẽnáſq; explicare. quin quoties præſens Anteros adeſſet, Cupido formoſior & procerior: abſente illo, contrà accidere videbat̃. Aliqui, inter quos Alciatus, Anterota amorẽ virtutis eſſe exiſtimarunt, ipſumq; ſuperare Cupidinem. vnde eſt carmen illud:

Aligerum, aligeróq; inimicum pinxit amori,
Arcu arcum, atq; ignes igne domans Nemeſis.
Vtq; alijs fecit, patiatur. at hic puer olim,
Intrepidus geſtans tela miſer lachrimat.
Ter ſpuit inq; ſinus imos (res mira) crematur
Igne ignis, furias odit Amoris Amor.

Atq; hactenus de Cupidine. nunc ſubſcribemus Adonin, & Gratias, quas Veneris & Amoris comites putauere gentes.

ADONIS.

ADonis, qui & Adon, deus à diuerſis nationibus cultus, ea ratione Veneri eſt à nobis coniunctus, quoniam (vt ſcribit Seruius) eum Veneri ita veteres iungebant, vt Dianę Virbium, Atyn Cybeli. Adoneus verò etiam à Pluto in Menech. dictus: ſed ab Auſonio duobus in locis Bacchus dictus, de quo plura in eius dei Syntagmate diximus. Fuit verò Adonis Cynarę Cypriorum regis filius, & eius filiæ Myrrhæ, cuius fabulam lepidiſſimè deſcriptam apud Ouid. videto in Metamorph. & apud Hyginum in lib. Fabul. qui eam Græca voce vocat Smyrnam, cuius allegoriam in tertio Mythologicon Placiades Fulgentius exponit. Fabulantur præterea, vt Phurnutus ſcribit & interpretatur, Adonim ſex menſes apud Proſerpinam, & ſex alios apud Venerem fuiſſe: idq; interpretãtur quidam de frumentis & frugibus in terra ſatis, quarum rerum Adonis ſymbolum eſſę exiſtimabatur, vt etiam in commentarijs in Theocritum legitur. Dictũ Adonim Phurnutus ait, ἀπὸ τοῦ ἁδεῖν τοῖς ἀνθρώποις, id eſt, ab eo quod hominibus canat. Adonis apud Phœnices Gingres dictus, vt Democlides apud Athenæũ ſcribit in quarto. vnde ſunt Gingræ, & Gingrinæ tibiæ, quarũ etiam Feſtus meminit: vnde etiam Pollucem lib. IIII. Idem Adonis Thamuz, vel vt D. Hieronymus, Thamus ab Hebræis vocatus eſt. In comment. in Iezechielem: Quin Thamus, inquit, menſe Iunio amaſius Veneris pulcherrimus iuuenis occiſus, & deinceps reuixiſſe narratur. eundem Iunium menſem eodem appellant nomine, et anniuerſariam ei celebrant ſolennitatem, in qua plangitur quaſi mortuus, & poſtea reuiuiſcens canit̃. hæc Hieronymus. à Perſis ἀβωβάς, à Cyprijs verò, γαλβαῖτα, vel (vt ſcribit Heſychius) πυγμαίων, immo etiam φόρικλία vocatum legimus. Sũt qui duos Adonidis nomine fuiſſe putent, Cyprium alterum, alterum Byblium: qui, vt in pleriſq; deis gentilium fit, confunduntur. Stephanus in libro de Vrbib.

Amathus

Amathus,inquit,Cypri ciuitas vetuſtiſſima,in qua Adonis Oſiris colebat̃, qui cùm Aegyptius eſſet,Cyprij & Phœnices proprium fecerunt.De ſacris Adonidis,& fletu,etiam mentio eſt in ſacris Hebræorum literis, quo in loco plura D. Hieronymus,nec minus Macrobius in primo Satur. ſed longè plura Lucianus in libro de dea Syria:qui copioſe eos ſacrorum ritus vel deſcribit, vel potius ridet.Gratius poeta in lib.de Venatione,

Flet adhuc,& porrò flebit Adonim, Victa Venus.

Hinc & Orpheus in hymno ab honore lachrymarum,qui illi impendebatur,δακρυόζμοις nuncupat. Meminit & fletus huiuſmodi cùm alibi Theocritus,tum in Idyll.XXIII.quod Adonidis epitaphium inſcribitur. Adonia autem ea celebritas à Græcis vocabatur, de qua in hiſtorijs proditum,quòd cùm Athenis mulieres ea agerent, vrbe tota ſimulachra erigebantur,circumq; ſepulchra & paſſim exaudiebantur fœminei plãctus;quæ res ſiniſtrum augurium Athenienſiũ claſſi in Siciliam proficiſcenti feciſſe exitus oſtendit,vt pluribus Plutarchus in Alcibiade & Nicia docuit.de Adonijs & Ammianus Marcellinus lib.XXII. hiſto. Euenerat,inquit,iiſdẽ diebus annuo curſu cõpleto, Adonia ritu veteri celebrari. Quibus omnib.melius exponuntur verſus illi ex.X.Metamorph.Ouidij:

Queſtaq; cum fatis,& non tamen omnia veſtri
Iuris erunt,dixit,luctus monimenta manebunt.

Adonidis etiam templum inſigne Strabo lib.10.deſcribit. Adonidis verò horti frequenti prouerbio celebrantur,de florentibus & infructuoſis,cuius prouerbij etiã philoſophi,Plato in Phædro , & Ariſtoteles meminerunt. Praxilla poetria græca Adonidis leuitatem notauit in illo, cùm ait , ipſum apud inferos interrogatum, Quæ pulcherrima apud ſuperos vidiſſet?repondiſſe ait,ſolem , cucumeres,poma.De Adonide,& eius hortis,Pauſanias meminit.Heſychius item alterum prouerbium commemorat,quod eſt, οὐδὲν ἱερὸν,hoc eſt nihil ſacrum: quod ab Hercule tractum eſt,qui cùm primũ vidiſſet Adonim, dixerit, Nihil ſacrum. vide præter Heſychium & Eraſmum.Euſebius in Præparat.euang.& D.Auguſtinus in Ciuit.Dei,ſcribunt, antiquos allegoricè per Adonim ſignificaſſe tum perfectos fructus,tum deciduos flores.Adonim interemptum fabulæ ferunt, apri dẽte inuidia Martis immiſſo.vnde & Venus ſuem ſemper eſt abominata, vt in Venere attigimus.Eſt in fabulis proditum, Adonim à Venere inter lactucæ folia occultatum fuiſſe.Vnde eſt illud docti viri carmen:

Inguina dente fero ſuffoſſum Cypris Adonin
Lactucæ folijs condidit exanimem.
Hinc genitali aruo tantum lactuca reſiſtit,
Quantum eruca ſalax vix ſtimulare poteſt.

Sed quod Adonis à Venere in lactucis ſit occultatus,alij de Phaone Lesbio tradidere,vt planius in hiſtoria poetarũ,in Sappho prodidi. Scribit Phurnutus in Cerere,Adonim ideo à ſue ſublatum fuiſſe, quòd ſegetibus ſemper ſus noceat, & eas vaſtare ſoleat.Seu huius animalis dens vomeris dentẽ ſignificat, quo ſub terra condũtur ſemina.Sanè legimus in XV Idyllio Theocriti, quòd ſit τριφίλητος Adonis cognominatus:quæ verba ab interprete ita exponuntur, quòd à tribus deis Adonis amatus fuerit,Ioue,Venere,Proſerpina. alij tamen τριφίλητος interpretantur pro πολυφίλητος. hæc enim particula τρὶς tam græcis quàm latinis in compoſitione ſæpe auget. ſic etiam apud Homerum ἀσπασίη τριφίλητος dictum eſt.

Riſi apud virum doctum,Adonin poſitum pro Veneris cognomine.quis vnquam legit Venerem hoc nomine cognominatam?Numẽ quidẽ legimus Adonim Veneri iunctũ,vt Dianæ Virbium,vt Matri deûm Atyn, Mineruæ Erichthonium.Hyginus quoq; ſcribit in Aſtron. poetico , Venerem cùm Proſerpina ad iudicium Iouis veniſſe, cui earum Adonim concederet: quibus Calliopen à Ioue datam iudicem,quæ Muſa Orphei mater fuit. itaque Calliopen iudicaſſe, vti di-

vti dimidiam partem anni earum vnaquæq; poſſideret. Venerem autem indignatam, quòd non ſibi proprium conceſſiſſet, obieciſſe omnibus quæ in Thracia eſſent mulieribus, Orpheum, vt ſibi quæq; appeteret, membráq; eius diſcerperent. Extat demum Orphei hymnus, quem ille Adonidi cum ſuffimento aromatum concinuit, in quo myſticè de Adonide multa. Sane Lucianus Adonis etiam fluuij nomen eſſe ait, de quo & mira narrat. Eſt etiam hoc nomine piſcis, cuius in primis Aelianus meminit, qui & exocœton eum vocari ait, quod extra mare in arida cubet: Adonin verò dici, quòd nunc humi, nunc in mari degat. ſic, vt Adonis à deabus, terreſtri altera, marina altera fuit amatus.

VVLCANVS.

VVlcanus deus exiſtimatus à Gentibus, à Græcis ἥφαιστος appellatus, quaſi φάεος ἵστωρ, id eſt, luminis præſes, addita η, vt Socrates apud Platonem exponit. vel vt Phurnutus ait, ἀπὸ τοῦ ἧφθαι, id eſt ab incedendo: noſtri antiquitus Volcanum appellabant, quaſi Volicanum, vt Seruius ſcribit. Varro: Ab ignis iam maiore, inquit, vi ac violentia Volcanus dictus. Vulcanum ex ſola Iunone natũ canit Heſiodus, hoc carmine:

Iuno Vulcanum nulli commixta in amore Edidit.

quem multi ſecuti ſunt, inter quos Apollonius Rhodius in primo, quod eius planius oſtendunt interpretes. idem & Ouidius. Lucianus in eo qui eſt de Sacrificijs: De Iunone, inquit, ferunt, nempe hanc citra virilem congreſſum ſubuentaneo conceptu grauidam, puerum edidiſſe Vulcanum, atq; eum quidem non admodum fortunatum, verùm excuſorem, & fabrum ærarium, quiq; perpetuò tũ igni tum in fumo verſetur, ac ſcintillis oppletum: quippe cuius ars in fornacib. exerceatur. Tum autem, ne pedibus quidem integris. claudicare enim è ruina, cùm à Ioue præceps datus eſſet è cœlo. Quod ni Lemnij pro ſua bonitate, eum dum adhuc ferretur in aere, ſuſcepiſſent, perierat Vulcanus. Hactenus Lucian. at Iſidorus: Ideò, inquit, fabrorum fornacis Vulcanum auctorem fuiſſe dicunt, quia ſine igne nullum metalli genus fundi extendiq; poteſt. Sed enim Homerus Vulcanum ex Ioue & Iunone natum ſcribit, quas opiniones Phurnutus de Nat. deorum explicat, & allegorias interpretatur. Vulcani plures fuere, vt notat M. Cicero in tertio de Nat. deorum. primus Cœlo natus, ex quo & Minerua Apollinem, eum cuius in tutela Athenas antiqui hiſtorici eſſe voluerunt. Secundus Nilo natus, Opas, vt Aegyptij appellant, quem cuſtodem eſſe Aegypti volunt. Tertius ex tertio Ioue & Iunone qui Lemni fabricæ traditur præfuiſſe. Quartus Mænalio natus, qui tenuit inſulas prope Siciliam, quæ Vulcaniæ nominantur. Seruius libro octauo Aeneid. Vulcanus, inquit, quaſi Volicanus dicitur, quòd per aerem volet. Ignis enim è nubibus naſcitur. vnde Homerus dicit eum de aere præcipitatum in terras, quòd omne fulmen de aere cadit: quod quia crebrò in Lemnum inſulam iacitur, ideò in eam dicitur cecidiſſe. Claudus autem dicitur, quia per naturam nunquam rectus eſt ignis. Phurnutus & alias rationes affert, cur claudus dicatur. At Aegyptiorum ſacerdotes, teſte Diodoro, affirmant Vulcanum primum regnaſſe in Aegypto, ignísq; inuentorem, quo beneficio Aegyptij ducem eum conſtituerunt. cùm enim arbor ictu fulminis in montibus conflagraſſet, ligna propinqua hyberno tempore à flamma ſunt comprehenſa. qua ex re Vulcanum calore lætatum, deficiente igne illi materiam addidiſſe ferunt, & eo modo alijs etiam ignem oſtendiſſe, tanquam à ſe inuentum. Lucretius tamen poeta fortuitò hoc accidiſſe canit. Euſebius quidem in Præp. euang. ignis virtutem Vulcanum appellatam dicit, & in forma hominis ei ſimulachrum conſtitutum, in cuius capite pileus eſſet cæruleus, cœleſtis ſymbolum volutionis, vbi integer ſincerúſq; ignis inuenitur: nam qui è cœlo in terram delapſus eſt, cùm imbecillior ſit, materiáq; indigeat, claudicans fingitur.

gitur. Vulcani verò vxor Venus dicta eſt. Cincius tamē vetus rerum Romanarum ſcriptor apud Macrobium, Maiam dixit. Piſo verò non Maiam, ſed Maieſtam ait. Quidam alij Gratiarum vnam illi attribuunt. nam inquiunt, quæ arte fiunt, gratiam habere oportet (vt alibi etiam diximus) & Venerem quandam, vt ait Phurnutus. Sed vt notat Strabo in 1. quæ perfecta & ad excellentiam fieri dicebantur, Vulcani opus, vt etiam Mineruæ, & Gratiarum, Muſarúmq;. Illud etiam ſubdit Phurnutus, quòd ideo Mars dicitur Vulcani vxorem adulterio cognouiſſe, quia ferrum & æs igne domantur. ferunt præterea fabulæ, cùm Mineruam in capite geſtaret Iuppiter, Vulcano vſum fuiſſe ad ipſam edendam, vt etiam in Dialogis ante Phurnutum Lucianus ſcripſit. Sed iam cognomina & reliqua ſubiungamus. Lemnius deus Vulcanus dictus eſt. Vergil. in 8:

Hæc pater Aeolijs properat dum Lemnius oris. Ouidius:

Lemnius extemplo valuas patefecit eburnas.

Lemnius autem dictus, quoniam in Lemnum inſulam cecidit, à Iunone propter deformitatem deiectus. alij ab Ioue dicunt, vt Phurnutus: quem aerem eſſe conſtat, ex quo fulmina procreantur. Ideo autem Vulcanus de femore Iunonis fingitur procreatus, quòd fulmina de imo aere naſcantur. quod & Lucanus innuit:

Fulminibus terræ propior ſuccenditur aer,
Pacem ſumma tenent.

Hac eadem ratione Ouid. Vulcanum Iunonigenam vocauit. Ex Iunone enim vel mythicè, vel phyſicè gigni videtur. Scribit Seruius, Vulcanum è cœlo in Lemnum cecidiſſe: idq; fingi ea ratione, quia Vulcanus videtur eſſe fulminis ignis, qui crebrò in Lemno inſula cadit. Quod verò ibi colatur notum eſt. Vnde illud in Priapeijs.

Tutela Lemni diſpares mouet greſſus. Item:
Tardo gratior æſtuoſa Lemnos. Et illud:
Vulcanum tellus Hypſipylæa colit.

Quia, vt notum eſt, in Lemno regnauit Hypſipyle: Statius, & Ouid. alij. Lemniaca etiam ſtirps dicitur Vulcanus, ab eodem Ouidio in Meta. Philoſtratus in Heroicis de Philoctete, Lemnia gleba liberato: In Lemnū, inquit, cecidiſſe Vulcanus dicitur: Gleba quidem ipſa Lemnia inſanos expellit morbos, ſanguinis profluuium ſiſtit, hydris ſerpentibus occurrit, eorúmq; morſibus. Galenus de ſimplic. medica. Vulcanum ait in Lemnum ideo exiſtimatum in fabulis decidiſſe, quòd eius terra exuſta eſſe videatur, in eáq; parte nihil naſci niſi terram, quæ Lemnia vocatur à medicis: quæ quòd exempta ſigillo ſignetur, græcè Sphragis à noſtris ſigillata vocat. Dioſcorides ſignari ſigno capræ, & appellari ait Sphragida ægos, id eſt, capræ ſigillū. Galenus verò ait: Sphragis vocatur, quòd Dianę ſignum habeat à ſacerdote impreſſum. tum etiam oppidum propè, quod legitur Hephæſtiada nuncupatum, quòd in eum locum Vulcanus ceciderit.

Mulciber Vulcanus, vt ait Feſtus, dictus eſt à mulcendo, id eſt molliendo ferro. vocatur & Mulcifer, eadem cauſa. Lucan. in 1. Ora ferox Siculæ laxauit Mulcifer Aetnæ. quin etiam eundem fabricæ Ferrariæ pręſidem fecere, illiq; feſta, quę Chalcea dicebantur ab Athenienſibus, inſtituta: de quibus & Pollux in 7. hinc & ductor Ferreus vocari videtur in Priapeis:

Ductor ferreus inſularis, æquè.
Laternæ videor fricare cornu.

Plautus in Amphit. Quò ambulas tu, qui Vulcanum in cornu concluſum geris? alij licet non ductor, ſed vectes legant, à vecte laternæ Phari. Ego quid ſentiam in re tam obſcœna, cur afferam nulla eſt cauſa. Sed enim & Vulcanalia Romani celebrabant, eiq; rum feriæ, vt ait Varro, & eo die populus pro ſe in ignem animalia mittebant. Sextili verò menſe agebantur, vt alibi docuimus: quo tempore Plinius Secundus, altero Plinio teſte, lucubrare incipiebat. Finxere quidam

poetæ officinam habere, hanc autem tum in Lemno, tum in Vulcanijs inſulis, alijsq; locis, in quibus ignis æſtuare ſolet.

Aetnæus deus dictus eſt Vulcanus: quin & nunc vulgo Aetna mons, Mongibelus vocatur, quaſi Mulciber: quoniam ſic Vulcanus appellatur, vt modò dictum eſt. Sanè non omittenda hiſtoria, vel potius dæmonis illuſio, quæ à pleriſque prodita eſt, de templo Vulcani in Aetna quod circunſeptum fuiſſe ferunt, & arbores inibi cõſecratas. In eo ignis fuit perpetuus, & inextinguibilis. Canes ad templi & luci cuſtodiam aſtitiſſe, qui adeuntibus caſtè & religioſè blandiendo aſſociantes comitabantur, vti dei familiaribus. In ſceleſtos verò & contaminatos, ſi vel templum, vel lucum ingredi vellent, irruebant, & mordicus eos appetentes lacerabant, cæteris allatrabant.

Ignipotens etiam appellatus eſt Vulcanus, à Vergil. in octauo, & alijs, vel quia ipſe ignis, vel eius inuentor: vel iuxta fabulas, quod cum Cyclopibus, Bronte, Sterope, & Pyracmone ſeu Arge, fulmina Ioui fabricet, & deorum arma, vt Homerus, Heſiodus, Vergilius, cæteri: vnde hoc:

Ignipotens cœlo deſcendit ab alto:
Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro,
Brontesq;, Steropesq; & nudus membra Pyracmon.

Phthas Vulcanus nuncupatus ab Aegyptijs, vt De myſterijs Iamblichus oſtendit. Sunt & qui à Memphiticis Aphthas appellatum ſcribant. Ego certè illud apud Ciceronem libro tertio de Natura deorum, quod ſuprà citaui, Secundus Nilo natus Opas, vt Aegyptij appellant: Phthas legẽdum crediderim. Prouerbium fuit apud antiquos, ἀφθάς σοι λελάληκεν, hoc eſt, Vulcanus tibi vaticinatus eſt, vt docet Suidas. Illud hoc loco notant grammatici, ita dici Aphthas pro Phthas, vt etiam aſtachys pro ſtachys, & alia nonnulla, A adiecta.

ἰλωὸς Vulcanus à Dorienſibus dictus eſt, vt ait Heſychius.

κυλλοποδίων, teſte Theophilo, cognominatus eſt Vulcanus, quòd claudus eſſet. id enim κυλλὸς ſignificat. Eadem ratione & χωλοίπους, vt notant Nicandri interpretes in Theriacis, qui & ipſum ideo χαλαίποδα, & κυλλοίποδα cognominatũ tradunt. à Catullo Tardipes ideo vocatus:

Scripta tardipedi Deo daturum.

Quare verò claudus dicatur, iam ſuprà dictum eſt.

ἀμφιγυήεις quoq; Vulcanus appellatus, in primis ab Heſiodo in Theogonia, itẽ in Ergis, id eſt, claudus vtroq; pede: vbi de Pandora agit. Item ab Homero in fine 1. Iliad. quod & Cyrillus contra Iulianum in tertio notat.

Leguntur in Vulcanum hymni duo, alter Orphei, Homeri alter. in hoc κλυτομήτης, & κλυτοτέχνης cognominatur, hoc eſt inclyti conſilij & artis, quódq; cũ Minerua homines ex antris eduxit, vt in domibus habitarent: in illo diuerſis & varijs nominibus inuocatur, κρατερόχειρ, id eſt manu potens, & τεχνοδίαιτος.

Pandoram non quidem deam legimus, ſed tamen à deo Vulcano Iouis iuſſu factam. nam vt Hyginus prodit, cùm Prometheus primus homines ex luto finxiſſet, poſtea iuſſu Iouis Vulcanus mulierem finxit, cui Minerua animam dedit, cæteriq; dei alius aliud donum dederunt: ob idque Pandoram nominarũt. Scribit Heſiodus, mulierem fuiſſe formoſiſſ. & à deis hæc habuiſſe munera, ſapientiam à Minerua, decorem à Venere, muſicam ab Apolline, à Mercurio eloquentiam. hæc ab Ioue in terram demiſſa fingitur, vt homines falleret ac deciperet: & Epimetheo fatuo Promethei fratri in vxorem eſt data. hanc igitur omnibus formæ, cultus ingenij, linguæque dotibus cumulatã, Iupiter cum pyxide pulcherrima illa quidem, ſed intus omne calamitatum genus abſcondente, ad Prometheum miſit: qui recuſauit munus, & fratrem monuit, vt ſi quid ei muneris mitteretur, dum ipſe abeſſet, ne reciperet. Mox cùm Pandora rediſſet, Epimetheo perſuaſit, Pyxidémq; illi dono dedit. quam ſimulac aperuiſſet, omnia intus mala abſcondita & calamitates euolarunt: ſed ſola ſpes in pyxidis fundo remanſit,

ad quam rem ſcriptores alludunt,& Eraſmus in prouerbio perſtringit,Malo accepto ſtultus ſapit.Sunt qui hanc primam mulierũ fuiſſe tradant,vt Pauſ.in Att. Ariſtophanes tamen Pandoram pro terra cepiſſe videt̃,quòd ex terra videlicet omnia dona proueniant.Tertull. Septimius in lib.de Coronis, ait Pandorã fœminarũ primam coronatam fuiſſe à Charitibus,cùm ab omnib. muneraret̃: vnde eſt appellata Pandora.De Pandora & Irenæus,vir ſanctiſs. & doctiſs.nec ſemel lib.2.aduerſus Hęreſes,et inprimis vbi de Paulo Apoſtolo agit.Palęphatus lib.Incredibilium,Pandoræ fabulam ſic interpretat̃, ꝙ ex terra ipſa cùm formata eſſet,alijs fœminis ſimilem formam dederit, quòd videlicet diues mulier fuerit,quæ ſeſe exornare ſoleret,quoties ex ædibus prodiret: eóq; ſe pigmento ornabat quod è terra confectum erat. atq; hæc quidem de Pandora.

Admonuit me,quod ſuprà de Pandora ſcripſi, vt & hoc loco aliquid de Prometheo & Epimetheo fratribus,Iapeti filijs,ſcribam.& licet Heſiodus eos commẽoret in Re ruſtica, nihilominus mihi potius viſum eſt ambos fratres ex Claudiani carminibus deſcribere. Atq; de Prometheo quidem in quarto Panegyrico conſulatus Honorij Auguſti, ita ille canit:

Diſce orbis,quòd quiſq; ſibi dum conderet artus
Noſtros,æthereis miſcens terrena Prometheus,
Sinceram patri mentem furatus Olympo,
Continuit clauſtris,indignantemq; reuinxit.
Et cùm non aliter poſſent mortalia fingi,
Adiunxit geminas:illæ cum corpore lapſæ
Intereunt:hæc ſola manet,buſtoq; ſuperſtes
Euolat. hanc alta capitis fundauit in arce,
Mandatricem operum,proſpecturamq; labori.
Illas inferius collo,præceptaq; ſummæ
Paſſuris dominæ,digna ſtatione locauit.
Quippe opifex veritus confundere ſacra profanis,
Diſtribuit partes animæ,ſedeſq; remouit.
Iram ſanguinei regio ſub pectore cordis
Protegit imbutam flammis,auidamque nocendi,
Præcipitemq; ſui rabie ſuccenſa tumeſcit,
Contrahitur tepefacta metu: quumq; omnia ſecum
Duceret,& requiem membris veſana negaret,
Inuenit pulmonis opem,madidumq; fluenti
Præbuit,vt tumidæ ruerent in mollia fibræ.
At ſibi cuncta petens,nil collatura cupido,
In iecur,& tractus imos compulſa receſſit:
Quæ velut immanes reſerat dum bellua rictus,
Expleri paſciq; nequit,nunc verbere curas
Torquet auaritiæ,ſtimulis nunc flagrat amorum,
Nunc gaudet,nunc mæſta dolet,ſatiataq; rurſus
Exoritur, cæſaq; redit pollentius hydra.

De Epimetheo verò alibi idem poeta Claudianus his verſibus canit:

Namq; ferunt geminos vno de ſemine fratres
Iapetionidas,generis primordia noſtri,
Diſſimili finxiſſe manu,quoſcunq; Prometheus
Excoluit, multumq; innexuit æthera limo,
Hi longè ventura notant,dubijſq; parati
Caſibus,occurrunt,fabro meliore politi.
Deteriore luto prauus quos condidit auctor,

Quem

Quem meritò Graij perhibent Epimethea vates,
Et nihil ætherei ſparſit per membra vigoris,
Hi pecudum ritu non impudentia vitant,
Nec res antè vident, accepta clade queruntur,
Et ſerò tranſacta gemunt, &c.

Potuiſſem & longè plura de his fratribus afferre, quæ conſultò prætermiſi: nam & Phurnutus totam fabulam Promethei, & allegoriam eſt executus apud Græcos. Sed & Fulgentius in Mythologico, qui non ab aquila eius iecur corrodi, ſed à vulture, idq; perbellè interpretatus eſt. cui & Petronius Arbiter in his hendecaſyllabis congruit:

Cui vultur iecur vltimum pererrat,
Et pectus trahit, intimasq; fibras,
Non eſt, quem trepidi vocant Poetæ,
Sed cordis mala, liuor atq; luxus.

Quin & Seruius grammaticus in ſexta Ecloga totam hanc fabulam recitat, & interpretatur. Diximus præterea in Syntagmate de Sacrificijs, quo pacto Prometheus Iouem in parte ſacrificiorum eluſit. Oſſa enim pelle cõtecta, Ioui propoſuit: quod Lucianus, & Hyginus pluribus tradidere. Sed iam ſatis, ne te & me his nugis onerem.

CHARITES. GRATIAE.

Gratiæ, quas græci Charites vocant, tametſi à me pluribus ſunt deſcriptæ in libello, Quomodo ingrati crimen effugiamus, pro inſtituto tamẽ & hoc loco nonnulla referenda ſunt. Hę quidem ab aliquibus Iouis & Eurynomes filię dictæ ſunt, ab alijs Eurymeduſæ, vel Eurydomenes: ab alijs Euanthes. Sunt qui Iunonis filias dicant, quidam Liberi patris & Veneris tradidêre, nonnulli comites. Orpheus in hymnis ad ipſas, quem concinuit cum thymiamate ſtyracis, eas Iouis & Eunomies filias ait. Antimachus Aeglès & Solis filias exiſtimauit: quidam Eteoclis. & ideo in primis à Theocrito Eteocleæ vocantur in decimoſexto poemate, quod χάριτες inſcribitur. atq; omnia hæc ab ipſo Gratiarum effectu nomina conficta eſſe videmus, vt græca eorum nominum interpretatione liquet. Pindari tamen expoſitores Eteocleas Gratias dictas fabuloſè volunt, ab Eteocle Cephiſi filio: qui primus, teſte Heſiodo, Gratijs ſacra fecerit. Pauſan. in Bœot. Eteoclen ſcribit Andrei & Enippes ex Leuconoe genitæ filium, Cephiſi tamen creditum, primum Gratijs ſacrificaſſe. Strabo Eteoclen Orchomeniorum regem primum ſcribit Gratiarum templum extruxiſſe, eúmq; propterea celebrat, quòd in accipiendis & erogandis gratijs, fuerit ſuapte natura propenſus. Conſtantinus Cæſar libro Geoponicon vndecimo: Eteoclis, inquit, filiæ Charites ſaltantes ad æmulationem dearum, in puteum, extra choream euolutę, delapſæ ſunt. Sed Tellus earum cladem miſerata, plantas virides produxit, quæ hominibus iucundæ, & earum inducunt memoriam: & duplici nomine nuncupatæ, Cypariſſi ſcilicet, & Charites. & quidem Cypariſſi, quòd ſimiles & pariant ferántq; ramos & fructus: Charites verò & Gratiæ, propter delectatiõem, quòd ipſum etiam apud Heronem in libris de re Ruſtica Didymus ſcriptum reliquit. Ergo Charites, vt etiam Phurnutus ait, ἀπὸ τῆς χαρᾶς dictæ ſunt, hoc eſt à lætitia. Sed & notiſſimo Græcorum adagio ταῖς χάρισι σπένδειν, id eſt Gratijs ſacrificare, ij iubentur, qui triſtes & ſoliciti ſunt. Quinimmo & Charitam Venerem Plin. XXXV. cap. X. dixit, pro ea quæ picturis & imaginibus eſt venuſtatis gratia. Gratias aliqui duas, alij tres, quatuor alij eſſe dixerunt. Duæ Gratiæ feruntur, quoniam promereri hos decet, alios gratias referre conuenit: hoc eſt, dare & reddere beneficium, & vt prouerbium monet, χάρις χάριν τίκτει, Gratiam Gra-

tia parit. Quin & Lacedæmonios duas coluiſſe legimus, Clytam vel Clyto, & Phaennam, Taygetæ filias. Athenienſes eas Auxò & Hegemona vocitarunt: quarum vtrarumque nomina, ſi noſtro ſermone referre velimus, ex ijs planè elucere videas, qualis futura ſit gratia. Alij tres eſſe putauêre, quòd cum fœnore referenda ſit gratia. hinc illa auerſa fingitur, quæ promeretur: ne videlicet beneficium cùm exhibes, remunerationem ſpectes, ſed tantum ad promerendum. quę autem referunt, duæ ſunt, quæ ſe recto lumine intuentur, quòd diligens & accurata eſſe debet remuneratio, & duplicata. ſic exponit Fulgentius, quòd omnis gratia cùm exit, exilis, cùm redit, onerata eſſe debet. Extant harum ſigna complura vetuſta, quorum vnum fuit Romæ in ædibus Columnenſium, cum epigrammate non illepido, quod etiam habetur & legitur. Quòd quatuor eſſe ab aliquibus traditur, Horas reſpiciunt, & καιρὸς, qui dicuntur & à noſtris tempora & partes anni. Atque ea etiam ratione coronatas, vnam floribus fructibúſque terræ, alteram ſpicis & frumento, tertiam vuis pampiníſque & pomis, vltimam oliuis, cæteríſque ſimilibus. Hinc apud antiquos Apollo fingebatur manu dextera Gratias geſtare, quòd eæ anni partes è ſole proueniant. Macrobius putat, ideo Apollinem dextera Gratias geſtaſſe, ſiniſtra arcum & ſagittas, quòd ad noxam ſit pigrior deus, & promptior ad ſalutem. Libet hoc loco altius aliquanto repetere, quæ de Horis annotaui. Horas Homerus ait cœli portis præeſſe, curámque habere vt modò ſerenum, modò nubilum ſit. à quibus videri poſſunt quatuor anni tempora, Horæ appellata, non Græcis modò, ſed & Latinis. Hor. de Ioue:

Varijsque mundum
Temperat horis.

Ouidius Homerum imitatus, cum Iano foribus cœli aſcripſit, ita Iano loquente primò libro Faſtorum:

Præſidio foribus cœli, cum mitibus Horis.

Hinc, vt Scholiaſtes Heſiodi ſcribit, ἀπὸ τοῦ ὠρεύειν, quod eſt cuſtodire, dicuntur. Credebantur enim non modò Iouis aulæ cuſtodes eſſe, ſed & hominum acta obſeruare: vnde & οὖρος custos dicitur. Plato in Cratylo: Horæ, inquit, Attica & priſca voce dicendæ. Horæ nanque dicuntur διὰ τὸ ὁρίζειν, id eſt, propterea quòd terminent hyemem & æſtatem & flatus, & qui ſunt ex terra fructus. Macrobius verò Horas dictas ait, quòd Horus Apollo & Sol dicatur. Orpheus in hymno:

ὧραι θυγατέρες θέμιδος καὶ ζηνὸς ἄνακτος,
εὐνομίη τε, δίκη τε, καὶ εἰρήνη πολύολβε,
εἰαριναί. hoc eſt,
Sunt Horæ natæ Themidis, ſummique Tonantis,
Eunomieque, Diceque, Irene & valde beatis,
Vernantes.

Idem ait & Heſiodus. Sed quam Eunomien vocat Orpheus, ipſe Eurynomem, ab ampla ſcilicet diſtributione, Dice ab iuſtitia, Irene à pace dicta. quin & Horę pro deis cultæ, & eis templa à gentibus conſtructa, apud Pauſ. legimus. Olen verò vates antiquiſſimus à Xantho, ab Horis Iunonem enutritam, ſuis carminibus prodidit. P. Ouid. noſter lib. Met. II Horas Solis aſſeclas cum alijs temporis partibus facit. ita enim canit:

A dextra læuaque Dies, & Menſis, & Annus,
Seculaque, & poſitæ ſpacijs æqualibus Horæ.

Idem verò in Faſtorum libro quinto, Floræ Horas comites facit. ita enim Flora ipſa ait:

Conueniunt pictis incinctæ veſtibus Horæ,
Inque leues calathos munera noſtra legunt.

Sed enim de Horis, quibus nox & dies diſtinguuntur, in libro de Annis, menſibus, &c. plenius diximus. Nunc illud tantum, Horas pleróſque à Gratijs diuerſas

facere.

facere. in primiſq; Diodorus eſt Siculus, qui ita in Creteſium Theologia: Ex Ioue, inquit, Cretes natam volunt Venerem, Gratias, Lucinam, Dianam: & eas quas dicunt Horas, Eunomiam, Iuſticiam, Pacem, Pallada, Muſas. Idem paulo pôſt: Gratijs, inquit, Iupiter dedit, quæ ad oris ſpeciem, ac partium corporis formam, decorémq; ſpectent, inſuper & beneficij & gratiæ retributionem. tum etiam illud ſubiungit: Earum quas Horas appellant, datum eſt ſuum cuique munus, ad vitæ cultum, & mortalium commoditatem. nihil eſt enim ad vitæ hominum fœlicitatem comparandam vtilius, aptiúſq; quàm εὐνομία, δίκη, & εἰρήνη: id eſt lex, iuſtitia, & pax. has Horas in Apollinis hymno Homerus, cum Gratijs choreas ducere canit, coram Ioue. Athenienſes, cùm Horis ſacra facerent, carnes non aſſabant, ſed elixabant, vt Philochorus ſcribit: deas videlicet rogantes, vt æſtus ſiccitatéſq; auerterent: id quod & ſacrum ipſum indicabat. Ipſarum imagines Philoſtratus Lemnius exequitur in Imaginibus. Hoc tibi loco non eſt prætermittendum, quod de Horis ſcribit Hyginus in ſuis Fab. cap. CLXXXIII. Horarum, inquit, nomina hæc ſunt: Iouis, Saturni filij, & Themidis filiæ Titanaide; Auxo, Eunomia, Pherusa, Caria, Odice, Euporie, Irene, Orteſie, Thallo. Alij auctores tradunt decem, his nominibus: Auge, Anatole, Muſia, Gymnaſia, Nymphes, Meſembria, Elete, Acte, Hecypris, & Dyſis. Cætera quæ de Gratijs reſtãt, iam proferamus.

Eleos Gratias ita formaſſe legimus, vt vna roſam, altera talos, tertia myrti ramum manu præferret: quòd ſcilicet Gratia hilaris, amabilis, reciproca, hoc eſt vltro citróq; collata & virens eſſe debet. Gratiæ nudæ, id eſt γυμναὶ χάριτες, etiam prouerbio dicuntur: quia manifeſta & clara debet eſſe vel gratia, vel retributio. id quod Stoici pluribus contendebant, ipſiq; in libellis tum ad ingratum, tum in eo, Quomodo ingrati crimen ſit effugiendum, oſtendimus. Pauſ. in Bœoticis ſe ignorare fatetur, à quo Gratiæ primum nudæ fuerint effictæ. vbi plura de Gratijs perſcribit. Sanè & Iamblichus apud Stobæum: Gratias, inquit, principes ingenuè proferant non tantum ex dolio, id eſt, ἐκ πίθου effundentes, vt poetæ dicunt: nec eas ex eiuſmodi alijs inſtrumentis introcluſas: at nudas & reuelatas, atque ab externo aliquo velamine erga ſe inuicem habentes: & cætera. De capſulis, ſeu arculis Gratiarum, copioſe alibi ſcripſi. Quidam tamen Gratias perſpicuis veſtibus ac ſplendidis indutas ſcripſere, quòd talis eſſe debet remuneratio: quin eas ideo Horatius ſolutis zonis cecinit, velut eius veteres interpretes Acron & Porphyrion exponunt, ea videlicet ratione, quòd inter ſe amici animos ſolutos ac nudos habere debent. παρθένοι, id eſt virgines ac puellæ Gratiæ vocantur, & alacres ac ridentes, quòd gratiam nulla fraude, nullo dolo, ſed mundam ac puram eſſe conuenit.

Decentes Gratiæ ab Horatio cognominatæ ſunt, in illo:

Iunctæq; nymphis Gratiæ decentes.

Mercurium inſuper veteres Gratiarum ducem conſtituerunt, id profectò innuentes, quòd non temerè, ſed cũ delectu gratificari debemus: quod alibi docui ex varijs ſcriptorib. Quare aũt Prœtidas dixerit Heſych. Charites, & εὐδαλαγίνας, haud facilè dixerim. Veluti facilimum illud, τρίζυγοι χάριτες, hoc eſt, Triiuges Gratiæ.

Orchomeniæ ſorores appellantur, quòd apud Orchomenum Bœotiæ colerentur: atq; in eo lymphis ſe perfundere dictæ.

καλλιπάρηοι χάριτες, id eſt pulchrigenæ, ab Heſiodo in Theog. alijſq; nuncupatæ. Gratiarum verò nomina varia traduntur. Clytan, vel Clyto, & Phaenam Lacedæmoniorum diximus, Auxo & Hegemona Athenienſium. Heſiodus Euphroſynen, Aglaian, & Thalian. Homerus, Paſitheam vnam Gratiarum facit, quem ſecutus eſt Papinius lib. 2. Theb.

Non hoc Paſithee blandarum pῖma ſororum.

Quo loco Lactãtius Paſitheam vnam eſſe inquit Gratiarum. Sed poſtquam incidimus in Paſitheæ mentionem, de ea hoc loco nõnihil agamus. Mneſimachus

comicus poeta, Paſitheam putauit Charitis ſororem, vxoris Vulcani in Lemno, atque à Somno amatam: qui & ipſe ea cauſa fertur in Lemno habitaſſe. Paſitheæ quidem & Homerus in Iliad. meminit. Hanc quidem Euphroſynam eſſe exiſtimant. Heſiodus autem eam Nereidum vnam facit, dictam quòd omnibus eſſet admirabilis, vel quòd ad eam omnes properarent: hoc eſt,

ὅτι πρὰ πᾶσι θαυμάζεται, ἢ εἰς ἣν πάντες θέουσι.

Fuit & Paſithoa nymphæ nomen, Oceani & Tethyos filiæ. Sed & Paſitheam quidam Cybelen vocari autumant, quaſi πᾶσι θεοῖς μητέρα, id eſt omnibus Deis matrem: illud ex Galliambo Catulli allegantes, Trepidantem eam recepit dea Paſithea ſinu. Porrò & Suid. tres ſcribit ſorores, filias Leontis fuiſſe: Paſitheam, Theopen, & Eubulen. Leos Orphei filium habuit Cylanthum, & filias tres, quas cum Attica laboraret peſtilentia, vel potius fame, (λιμῷ, enim legitur, non λοιμῷ) in eius rei piaculum Leos, vel Leon (variant enim Græcorum exemplaria) filias proprias mactauit, & inde mox eſt ciuitas liberata: locus Leocorion, à patre & puellis, in Ceramico vocitatus eſt. Aelianus verò XII de Varia hiſtoria, rem hanc ita prodidit: Leocorium, inquit, Athenis vocabatur delubrum filiarum Lei, Praxitheæ, Theopæ, & Eubulæ, quas fama eſt pro ciuitatis ſalute occiſas eſſe, permittente patre Delphico oraculo. Dicebat enim, non poſſe vrbem ſeruari, niſi illæ iugularentur. Hiſtoriæ meminit Strabo, ſed puellarum nomina non attulit. Item in Attica Pauſanias. Sed & M. ipſe Cicero libro de Natura deorum tertio: Denique, ait, in Ceramico eſt delubrum Athenis, quod λεωκόρειον nominatur. & ita caſtigatè legendum. Locus eſt corruptus apud D. Hieronymum in Iouinianum, quem ipſe emendare non auſim. Sed vt ad rem redeam: ſcribunt nonnulli Paſitheam vnam Gratiarum, quæ tres ſunt: ἀγλαΐα vna, quæ nobis dici poteſt Maieſtas, ſeu venuſtas, honeſtasúe: Euphroſyna alia, quę hilaritas, iucunditas, lætitiáque: Thalia tertia, feſtiuitas, lepiditásue, ac concinnitas. Obſeruant quidam Græci, inter quos Proclus, quod θαλεία cum diphthongo ſcripta Muſæ nomen eſt, & conuiuij epitheton: θαλία verò per iota ſimplex, Gratiæ nomen, & nymphæ Nereidos. Sed hanc aliqui Paſitheam, quaſi dixeris vndique diuinam, quæ ſcilicet maieſtatem, hilaritatémque ac lepiditatem in ſeſe, & alias quoque complicet. Hermeſianax & Proclus, Pitho vnam ex Gratijs dixerunt. Sappho, vt legitur in Scholijs in Heſiodum, Pitho ait filiam Veneris: quo loco in ἔργοις, ſcribit Pandoram à Gratijs & Pitho ornari. Porrò quoniam ſtatim ab initio dixi, Eurynomē ab aliquibus matrem exiſtimatam Gratiarum, eam Phigalei Arcades non matrem, ſed Gratiarum vnam, immo Dianæ cognomen putant, vt in Arcadicis Pauſanias tradit, Oceani filiam, cuius & in Iliade ab Homero fit mentio, quòd vnà cum Thetide Vulcanum excepit abiectum. ipſum Homerum lege in ſexto Iliad. Scribit etiam Phurnutus, Gratiarum vnam Vulcano coniunctam: ea fortaſſe, inquit, de cauſa, quòd quæ arte fiunt, opera ἐν χάριτι dicuntur. Vnde apud Plinium, Venerem, quam Charita dicunt, legimus: quod alibi etiam dixi. Eurynomes meminit & Apollonius in Argonauticis. Demum omnem Gratiarum allegoriam ſi fortaſſis noſſe velis, noſtrum libellum legito, Quomodo quis ingrati crimen effugiat: in quo preterea de Gratijs multa, vt meus eſt mos, colligere ſtuduí.

Epigramma, cuius ſuprà memini, aſcripſi, ſi minus eius tibi prę ſtò ſit exemplum:

Sunt nudæ Charites, niueo de marmore: at illas
Diua Columna ſuis ædibus intus habet.
Par tribus eſt facies, qualem decet eſſe ſororum:
Par tribus eſt ætas, par quoq; forma tribus.
Grata Thalia tamen geminæ conuerſa ſorori,
Implicat alternè brachia blanda ſoror.

Euphroſynen

Euphroſynen dextra ſtupeo, Aglaianq́ ſiniſtra
Miror, & implicitis brachia nexa modis.
Iuppiter eſt genitor, peperit de ſemine cœli.
Eunomia, & Veneris turba miniſtra fuit.
Inde alitur nudus placida ſub matre Cupido,
Inde voluptates, inde alimenta Dei.

SYNTAGMA DECIMVMQVARTVM, DE CERERE ET TRIPTOLEMO, AD NVNCIVM TRADVTIVM SVVM.

CVm optimam ætatis meæ partem in vrbe Roma famulando gratis conſumpſerim, nullumq́ inde ſeruitij fructum retulerim, præter inanem qualiſcunq́ nominis vel dignitatis honorem, & articulorum totius corporis imbecillitatem, vt vides, qua ita affligor, vt non modò è cubiculo, ſed nec etiam è cubili exire, aut pedem efferre detur: quare hac aduerſa victus fortuna, tandem æger, & annis grauis, in patriam me contuli: qualiter verò hic fuerim acceptus, tibi non dixerim, qui & memor es diuini illius oraculi, οὐδεὶς προφήτης δεκτὸς, &c. quiq́ ob tuam erga me beneuolentiam, omnia mea probè noſti. Tu enim quod potes, ipſe manum tuam mihi ad qualeſcunq́ meas nugas deſcribendas præſtas: nam cùm tantis ac talibus moleſtijs afficiar, quomodocunque poſſum me ſuſtento: & non ceſſo, quin quotidie, cùm nonnihil remittunt dolores, aliquid mediter, & componam, vt in præſentia, qui ſub tuo nomine hoc ipſum Syntagma de Cerere edere conſtitui, vt in vulgus appareat. Tu, quæ tua eſt præcipua virtus, γραμματέως ὀξυγράφου, hoc ipſum cum cæteris exſcribas, vt ſtudioſis ſimul adoleſcentibus nonnihil opis afferamus. Vale.

CERES. TRIPTOLEMVS.

CEres dea à gerendis frugibus dicta, ait M. Cicero in ſecundo de Natur. deorum, tanquam Geres: caſuq; ſe prima litera itidem mutata, vt à Græcis. nam ab illis quoque δημήτηρ, quaſi γημήτηρ nominata, hoc eſt terra mater. Varro à creando deduxit, quem (vt videmus) Seruius ſequitur in primo Georg. Fulgentius noua quadam opinione nuncupari putat, quod Græcè gaudium dicatur: & ideo frumenti eſſe deam, quòd gaudij cauſam afferat. Ergo à χαρὰ ille deduxit, ſatis durè, ne incōditè dicam. Sed enim δημήτηρ à Platone in Cratylo dicitur, quaſi διδοῦσα μήτηρ, hoc eſt, dans mater, ab ipſa videlicet alimentorum exhibitione. eadem etiam Doricè δαμάτηρ, vt eſt in primis apud Theocritum, à δᾶ, quæ & δῆ dicitur, hoc eſt terra. Sanè Orpheus & poetæ plerique δηὼ nuncupant, vnde δηωὶς Proſerpina dicitur ab Ouidio, & Auſonio, vt in Proſerpina dicam. δηὼ verò dici videtur ἀπὸ τοῦ δήειν, id eſt ab inueniendo, vel quòd ipſa inuenerit, vel per ipſam nos pabula inuenerimus. dea enim frugum eſt. Addit & Pauſan. Cererem ficum pomum Phytalò dediſſe, qua de re ſic agit in Attica, cum Scironium campum deſcribit: In eodē, inquit, campo fama eſt Phytalum Cererem hoſpitio ſuſcepiſſe: deámq;, vt gratiam referret, plātam ficulnam dediſſe, cuius rei teſtem habeo inſcriptionem quæ in Phytali tumulo legitur:

Hic ſitus eſt Phytalus, Cererem qui in tecta recepit,
Heros, cui primùm quondam dea dulcia poma
Monſtrauit: ficos nomen dixere priores.
Aeternos Phytalus ſic eſt ſortitus honores.

Atq; hactenus Pauſanias. Græcos ſi mauis verſus, hi ſunt:

Ἐνθάδ᾽ ἄναξ ἥρως Φύταλος ποτὲ δέξατο σεμνὴν
Δήμητραν, ὅτι πρῶτον ὀπώρας καρπὸν ἔφηνεν.

ἣν ἱερὴν συχνῶ θνητῶν γένος ἐξονομάζει,
ἐξ ἧς δὴ λιμὰς φυτάλου γένος ἔσχον ἀγήρω.

Leguntur Scholia in Cratylum Platonis ex Proclo, in quibus de Cerere dupliciter agitur. nam ex Orpheo Rhea dicitur: ex Heſiodo verò Rheę filia, vt ex Ouidio etiam in ſexto Faſt. & Diodoro. Sed plura in ſcholijs habetur, quibus planè conſonant Theologi. Sanè & Arnobius vir eruditiſſ. in quinto aduerſus Gẽtes, Cererem matrem Iouis dicit, id eſt Rheam, his verbis: Quondam, inquit, Dieſpiter cum in Cererem matrem libidinibus improbis atque incõceſſis cupiditatibus æſtuaret (nam genetrix hæc Iouis regioni eius ab accolis traditur) nec tamen auderet id quod procaci appetitione conceperat, apertiſſ. vi petere, ingenioſas comminiſcitur captiones, quib. nihil tale metuentem caſtitate immiinueret genetricem, fit ex deo taurus, & ſub pecoris ſpecie ſubſeſſoris animum atque audaciam celans, in ſecuram & neſciam repentina immittitur vi fures, agit inceſtus res ſuas, & prodita per libidinem fraude, intellectus & cognitus, euolat. At verò Cererem cum Veſta deſcribit Phurnutus, terramque ſignificare diuerſimodè oſtendit. In huius quoque deæ honorem ieiunia antiqui inſtituerunt: quin in eius celebritate ieiuniũ indicebatur, vel ab ea inſtituta fuere: vel ea cauſa, vt ab eius inuentis abſtinerent: vel quod in penuria quadam, quo ſementem facere poſſent homines, abſtinuiſſe dicuntur, in ipſius deæ honorem: & propterea eo tempore eius quoque celebritas agebatur. alij propter filiæ deperditæ memoriam inſtituta ieiunia aſſerunt, atque ideò verno mox tempore cum luſu & lætitia virides herbas eidem offerebant, quaſi quod filiam mater inueniſſet. Nuptias Cereris antiqui, vt Seruius in 1. Georg. & Macrob. tradunt, celebrabant ſine vino, & Orci nuptiæ dicebantur. id etiam innuit Plautus in Aulul. Cererin' Strobile has facturi nuptias? Qui? ait Strobilus. Sta. reſpondet, Quia temeti nihil allatum intelligo. Ita quoque Græci ἑστία θύουσι, id eſt Veſtæ ſacrificabant. plura tamen de hoc Cereris ſacro in Sacrificijs agam. Varijs dein etiam modis Ceres fingebatur. nam modò ſpicea corona ornata erat, vt in quarto Faſtor. canit Ouidius:

Impoſuitque ſuæ ſpicea ſerta comæ:

Nunc mœſta cum lampade, ſeu face deſcribitur. Sed & papauer illi attribuitur, vnà cum ſpicis: quod & Euſebius. vnde eſt illud Vergilij, Cereale papauer. interdum etiam matronali habitu, cum ſpicarum & papauerum manipulo: qualẽ me veterem vidiſſe recordor, dum Romæ agerem. Riſum vix continui, cum apud neſcio quem legi, Cereris effigiem in boue ſedentem cum legione & feminum calatho, aſſiſtentibus agricolis, alijſque. Scribit verò Pauſanias in Arcad. in Elaio Arcadiæ monte ante ſpeluncam, aram Cereris fuiſſe, cui imponere conſueuerant ex domeſticis arboribus fructus, tum fauos & lanam ſuccidam, & huiuſmodi alia oleo conſperſa. ſimulachrum ligneum erat, lapidi inſidens, mulieri ſimile cætera, præter caput equinum, altera manu delphinum, altera columbam tenens. in capite illius & draconum & aliarum ferarum imagines additæ, veſtis ad pedes demiſſa. hoc verò ſimulachrum igni ferunt nõ obnoxium fuiſſe. Quin & eodem libro de alia Cerere ita propemodum ſcribit: Ceres ipſa facem dextera præfert, læuam Heræ, id eſt, Deſpinæ admouet. Hera ſceptrum & vas quæ Ciſta dicitur, genibus ſuſtinet. Idem ſcribit Pauſan. Aeſchylum Aegyptios imitatum ſcripſiſſe, Dianam natam ex Cerere, non ex Latona. Illud præterea traditur quòd Iaſius, vel Iaſion (vtroque enim modo legimus) amatus fuerit à Cerere, ex quorum concubitu Plutus natus, diuitiarum deus, de quo in Plutone agam. Iaſij, meminit Heſiodus in Theog. vbi interpres Zezes grammaticus fabulam & allegoriam explicat. Iaſiona enim agricolam, Cererem verò terram interpretatur, quę in Tripolo, id eſt fertili loco, cauſa ſit diuitiarum. & Hyginus in Aſtron. & Diodorus Siculus, item Iſaacius & Euſtathius. Ouid. in tertio Eleg.

Viderat Iaſium Cretæa diua ſub Ida,

Figentem certa terga ferina manu. Idem 9. Metamorph.

Queritur caneſcere mitis Iaſiona Ceres, &c.

Sed nos inſtitutum ne deſeramus, huiúſq; deæ cognomina explicemus.

Ennæa Ceres, quæ & Ennenſis dicitur, ab Enna Siciliæ vrbe nuncupata eſt, vbi ſummo honore colebatur. Cicero in Verrem cùm alibi, tum luculentiſſimè in ſexta Actione, & in ſeptima his verbis: Ennææ Cereris ſimulachrum tale fuit, vt homines cùm viderent, aut ipſam videre ſe Cererem, aut effigiem Cereris, nõ humana manu factam eſſe, ſed cœlo delapſam arbitrarentur. Meminit & Strab. Carmen eſt in Priapeis:

Ennææ Cererem nurus frequentant.

Tametſi Aetnææ plerîq; legunt, vt etiam Aetnæa Ceres appelletur. Ennææ Cereris & Lactant. Diuin. inſt. lib. 2. quoq; meminit. & item Claudian.

Ennææ Cereri proles optata virebat Vnica. Silius Italicus lib. 14.

Nec Cerere Ennæa, Phario nec victa colore.

Catinenſis etiam Ceres dicta, ab oppido Siciliæ Aetnæ propinquo, vt oſtẽdit Lactantius, ad cuius templum viris accedere non licebat. ſacra quoque illi per mulieres miniſtrabantur, & per virgines perfici ſolita erant: eiúſq; deæ ſimulachrũ non modò tangere, ſed ne videre quidem maribus licebat, vt Alexander ſcribit. At nos cætera de Ennenſi ſequamur. Val. Max. in primo tradit, cũ Gracchano interitu pollutum eſſet pulcherrimũ in vrbe templum, Romani moniti Sibyllinis libris, vt vetuſtiſſimã Cererem placarẽt, Aetnam, (quòd ſacra eius inde etiam orta credebant) XV viros ad eam propitiandã miſerunt. Idem & Lactãtius tradit: idem & Cicero de ſignis. Quidã tamen Ennam, non Aetnam potiùs ſcribunt, etſi Strabo oppidum Aetnam quoq; ad radices montis Aetnæ conſti[tuat]. Sacra quidem Cereris ex Græcia trãslata, ait Feſtus. Cic. pro Cornel. Sacra Cereris per Græcas ſemper curata ſunt ſacerdotes. & ibidem: Sacerdos illa quæ Græcum illud ſacrum monſtaret. Arnobius verò lib. II. aduerſus Gentes: Sacra inquit, Cereris matris nõ q; vobis incognita eſſent aſcita, paulò antè obtẽtum eſt vt Græca dicantur, nouitatem ipſam teſtificante cognomine, &c.

Flaua Ceres cognominata eſt ſæpè à Latinis, à maturæ ſegetis colore. Tibul.

Flaua Ceres tibi ſit noſtro de rure corona Spicea. Ouidius III. Eleg.

Flaua Ceres, tenues ſpicis redimita capillos. &c.

quam elegiam totam, ſi vacat, legas. Vergil. etiam primo Geor. eadem videtur ratione rubicundam appellaſſe.

At rubicunda Ceres, inquit, *medio ſucciditur æſtu.*

Quidam hanc Chloen Cererem Græcis appellatam putant. Pauſ. in Attica, huius cognominis cauſam à ſacerdotibus petendam ait. hanc Sophocles in Oedipo Epicolono appellaſſe videt̃ Euchloen, cuius & pagũ cõmemorat, ad quem Antigone & Iſmene Oedipi filiæ iuerant, ad accipiendas aquas pro patre expiando. τὰ δ' εὐχλόου δήμητρος εἰς ἐπόψιον πάγον μολοῦσαι. id eſt: Hæc verò Euchleæ Cereris in ſpectabilem pagum profectæ.

Hermionenſis Ceres cognominata ab Hermione ciuitate, ex qua etiam fuit Laſus antiquus poeta, qui (vt Athenæus in decimo ſcribit) hymnum ἄσιγμον, hoc eſt ſine litera σ, in Cererem Hermionenſem concinuit, cuius initium fuit hoc, vt Heraclides Ponticus in 3. de muſica prodidit: δήμητραν μέλπω, κόραντε κλυμένοιο ἄλοχον. hoc eſt, Cererem cano, Proſerpinámq; Plutonis coniugem.

πάμπανοις Ceres in vrbe Heraclea vocabat̃, vt ſcribit Heſych.

ἀνησιδώρα δημήτηρ, id eſt, vt Domitius interpretatur in Pauſ. Attica, Ceres frugifera: quo etiam epithetô poetæ noſtri eam appellant, vt Ouid. Eadem & ἀναξιδώρα, ſi Heſychio ſemper ſtandum. eadem & ζήδωρος, & βιόδωρος, vt eſt apud Artemidorum in ſecundo de interpretatione inſomniorum, quæ à vitæ muneribus

ſunt

ſunt deducta cognomina. Quidam tamen potius ζείδωρος cum diphthongo in prima ſyllaba notant, & à ζεία frumenti ſpecie deriuant, quam ex noſtris quidam & ſemen vocant, ex quo optima conficiatur alica. Hinc & fœcundam interpretantur. Eadem Ceres & φερέσβιος à ferenda vita cognominata, vt idem Artemidorus ſcribit. quanquam & prædicta nomina Telluri conuenire poſſunt, eodẽ auctore. quin & Homerus ita cecinit:

καὶ θνητοῖσι βροτοῖσιν ὕδει ζείδωρον ἄρουραν.
καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα.
Fructumq; ferat fœcundius aruum.

Quod & notat grammaticus Zezes, qui ἀπὸ τοῦ ζεῖσθαι, id eſt caleſcere à ſole, denominari eam potius putat.

πολυφόρβη Δημήτηρ ab Heſiodo in Theogonia vocatur, quo loco eam canit ex Ioue Perſephonem concepiſſe. πολυφόρβην verò exponit Scholiaſtes, quòd omnia nutriat, hoc eſt, πάντα τρέφουσαν

Proſtaſia Ceres nuncupata, colebatur in agro Sicyonio cum Proſerpina in Pyræo nemore. Hic per ſe viri feſta celebrabant, vt prodidit Pauſanias, veluti νυμφῶνα per ſe mulieres: quo in loco ſtatuæ erant Cereris, Proſerpinæ, & Bacchi.

Pelaſgis Ceres cognominata à Pelaſgo Dryopæ filio, qui (vt Pauſanias ait in Corinth.) ei deæ templum condidit, déq; ſuo nomine nuncupauit. Sed enim & Argiui ipſi tradunt, Pelaſgum Cererem Argo profectam hoſpitio ſuſcepiſſe, ibíq; à Chryſantide filia didiciſſe: quod in Attica idem prodit Pauſ.

Κυρία Δημήτηρ, Cyria Ceres à Cnidijs vocata, quaſi vitæ domina, id eſt, τοῦ ζῆν κυρία: Cœlius. ſed & Δέσποινα ab Arcadibus dicta, vt putat Pauſ. quæ vox dominam etiam ſignificat, & reginam. Sed hoc in Proſerpina melius conſiderandum.

ἐν ἕλει, quaſi dicas in palude, Cereris templum & lucus fuit in Arcadia, quinque tantum à Megapoli ſtadijs diſtans. quò ingredi ſolis fas erat mulieribus, vt ait Pauſan.

ποτηφόρος Δημήτηρ, id eſt poculifera Ceres, quæ in Achaia colebatur κατὰ τὴν αἰγιέων χώρας, vt in ſecundo Achaicon Autocrates prodidit, & repetit Athenæus. Sanè Nicander in Alexiph. Cererem canit poſt raptam Proſerpinam, potionem cyceonem ſibi ieiunæ paraſſe in oppido Hippothoontis, qua potione guttur madefecit ad Threſſæ Iambes cantus. quo loco multa Scholiaſtes Græcus in hunc fermè modum: Ceres, inquit, rapta filia, ieiuna illam perquirens, huc illuc vagabatur, donec hoſpitio ſuſcepta eſt à Metanira vxore Hippothoontis, Neptuni & Alopes Cercyonis filię. Metanira igitur deę menſam apparauit, vinũq;: quod aſpernata dea, ob amiſſam filiam, potionem ſibi cyceonem è farina iuſſit afferri, quam & hauſit. ſed Metaniræ ancilla Iambe deam mœrentem cernens, ridiculos quoſdam verſus meditata, vt exhilararet Cererem, cecinit, qui iambicis numeris conditi fuere: vnde volunt Iambi nomen fluxiſſe. hæc verò Iambe Echus filia fuit, & Panos, Thracia genere. Non ſum neſcius aliter ab alijs hanc fabulam recitari, & nomina etiam varia eſſe, quos ego in Poetis ſecutus ſum.

Caberiam Cererem cognominatam tradit Pauſ. in Bœot. quo loco de Cabiris agit. Apud Dircem fontem Cereris & Proſerpinę lucus fuit, quem ingredi nemo poterat, niſi eius myſterijs initiati ac inſtincti. Sed & nos ſeorſum de Cabiris, Telchinibus, Corybantib. ſuo loco tractauimus, vbi etiam de Cerere nonnihil. Alij à loco appellatam tradunt.

Styritis Ceres appellata fuit à Styris vrbe Phocidis, vt Pauſ. ſcribit, in qua celebre templum habuit.

Mileſia Ceres, de qua Lactant. in 2. Nam cùm, inquit, ab Alexandro Mileti ciuitas capta eſſet, ac milites ad Cererem Mileſiam ſpoliandam irrupiſſent, omnium oculos repentè abiectus fulgor ignis perſtrinxit.

Rharias Ceres nuncupata, teſte Stephano & Suida, à Rario campo Eleuſis Atticæ

Atticæ regionis. fuit enim Rharius pater Celei, qui genuit Triptolemum ex Meganira, vel Metanira: vtrunque enim legimus. à quo campus Rharius, in quo campo, vt Pauſan. ait, primum ſemina iacta fuerunt, ibique primum fruges prouenere, & perinde Rharia Ceres appellata: id quod planius in Triptolemo referendum eſt.

Pylagora Ceres cognominata, teſte Strabone libro nono, à Pylis, quæ & Thermopylæ dicuntur, vbi VII ciuitatum conuentus Amphyctionum bis in anno fiebat, primo vere & autumno, & à loco conuentus ipſe Pylea dicebatur: & legatus qui conuentum indicebat Pylagoras, quòd ſcilicet conuocaret ad Pylas, Cereri autem Pylagoræ immolabant. ſedenim & in eodem Thermopylarum loco anguſto quindecim ſtadiorum, vbi vicus nomine Anchela, templum fuiſſe ſcribit Herodotus libro ſeptimo, Cereris Amphictyonidis, & ſedilia Amphictyonum, & Amphyctionis delubrum.

Homoloia Ceres cognomine dicta, & à Thebanis culta, vt pluribus oſtendimus in Ioue Homoloio. Repete quæ illic ſcripſimus ex diuerſis auctoribus.

ἀλιτηεία δημήτηρ, Alteria Ceres, vt in Ioue Aliterio diximus, quòd in publica fame ſeruaret molitores, ne farina diriperetur. παρὰ τὸ ἀλέω, molo, & erro: tametſi & Aliterius etiam in malam partem legamus, hoc eſt, pro ſceleſto & impio. Sed Plut. plura, vt etiam in Ioue dictum.

Tedifera Ceres, quæ & Græcè δᾳδοῦχος appellata eſt, propterea quòd cùm filiam Proſerpinam raptam quæreret facibus accenſis ex Enna, vel ex Aetna orbem circuiſſe dicta eſt, vt fabula eſt notiſſima Græcis & Latinis ſcriptoribus, quam & alibi attigimus. Vnde eſt illud:

Et per tediferæ myſtica ſacra deæ.

De hac re & Fulgentius in Mythologico. Hanc etiam Proſerpinam mater Ceres cum lampadibus raptam quærere dicitur. vnde & lampadum dies Cereri dedicatus eſt, illa videlicet ratione, quòd hoc tempore cum lampadibus, id eſt cum Solis feruore ſeges ad metendum cum gaudio requiratur. Sed de his daduchis varia traduntur. Quidam in Promotheis celebritatibus, vt Hyginus, & Ariſtophanis interpres: alij in Vulcanalibus, vt Herodotus in octauo, & eiuſdem interpres. longe his plura traduntur à Beroaldo, & auctore prouerb. Eraſmo, & nos præterea in Sacrificiis.

Spicifera eſt Ceres cognominata. Manilius lib. ſecundo Aſtronomicôn:

Spiciferæ eſt virgo Cereris.

Sic etiam Germanicus Cæſ. in Arateo carmine. Sanè Ceres ſpicea corona ab antiquis ornabatur. Ouidius in Faſtis de Cerere:

Impoſuitque ſuæ ſpicea ſerta comæ. Tibullus:

Flaua Ceres tibi ſit noſtro de rure corona Spicea.

Euſeb. 3. Præparationis euang. Spicas ait & papauer Cereri aſcribi.

Achæa Ceres appellata eſt, vt Suidas ait, ab eo luctu & anxietate, id eſt ἄχους, quē habuit dum κόρην, id eſt Proſerpinam inquireret. Sed & Achæas ſolicitudines dictas, tradit Heſychius. Herodotus in Terpſichore, id eſt in v. Gephyræos ait Athenas commigraſſe, cùm Bœotijs ſuſpecti eſſent: Vbi, inquit, ſeorſum templa conſtruxerunt reliquis, cùm alia quædam, tum Cereris Achææ, & templum & orgia. Plut. quoque in Iſidis & Oſirid. lib. Et Bœotij, inquit Achææ Cereris μέγαρα, id eſt ædes mouent, eámque feſtiuitatem ἐπαχθῆ nominant, à quæſtu videlicet & gemitu deæ, ob raptum filiæ Proſerpinæ.

ἐπιπολλὰ Ceres ſic conſtituta in Lacedemone colitur, vt Heſychius annotauit. in Corintho verò ἐποικιδίη, hoc eſt, quæ rem domeſticam curet. Eadem & ἐνάνασσα dicitur, hoc eſt bona regina.

ἐπωπὶς Ceres dicta eſt à Sicyoniis, vt ait Heſychius. ſed & ἐπωπὶς, quòd ſcilicet proſpiceret, & præſideret.

Eualoſia Ceres, hoc eſt εὐαλωσία nuncupata, quòd magnas τὰς ἅλως, id eſt areas faciat, & repleat: Heſychius. cognominatur item ἀλωὶς, καὶ ἀλωὰς δημήτηρ, vt in cõment. Theocriti ſuper ea verba, παρὰ δάματρος ἀλωάδος. Ab hac dicta τὰ ἀλῶα agricolarum feſtiuitas, quæ Athenis teſte Philochoro ab agricolis celebrabatur, vt in Syntagmate de Sacrificiis dicetur.

Ompnia, id eſt ὀμπνία Ceres dicta eſt, vt Heſychius ſcribit, quoniam ὄμπνειος fructum ſignificat Cerealium ac frumẽtariorum. item λειμῶνα, id eſt campum, vel pratum. In ſcholijs in Alexiph. Nicandri, Ceres Ompnia vocatur, ἀπὸ τῆς ὄμπνης, id eſt à nutrimento. vnde etiam Omphalos dictus, id eſt vmbilicus, quòd inde embryo nutriatur.

Situs, id eſt σίτους Cereris ara fuit. σιτὼ enim vocabant, à cibariis videlicet. Vnde & ſitarchia iureconſultis, aliiſq́; vel vt Athenæus, quòd σίτου, id eſt frumenti et fertilitatis poteſtatem haberet. Hoc verò nomine Syracuſanis culta Ceres fuit. Meminit ſimulachri Cereris Situs, Aelian. in 1. de varia hiſt. quo loco de edacibus loquitur. iidem etiam Simalida. Porro & Megalarti & Megalomazi Cereris ſtatua fuit apud Bœotiæ ſcolium, quòd ibi præſtantes panes fierent.

Mallophorus, μαλλόφορος, vel μηλόφορος Ceres, id eſt lanifera, cognomen eſt in Megaride, quod ea cauſa videtur eſſe inditum, quòd apud eos primùm oues nutrire cœperint. lanam enim μαλλὸν Greci vocant. quidam λ ſcribunt, qui & rectius facere videntur. Pauſan. in Attica: Ad nauale verò, quod tempore etiam noſtro Niſæa appellatur, vbi deſcendis, fanum Cereris μαλαφόρου, de qua cognominatione cùm alia referunt, tum illud: Maiores rem pecuariam cùm exercerent, nominarunt Cererem μηλοφόρους, quaſi ouibus feracem. hæc Pauſan. Diximus verò, μῆλον Græcè & malũ & ouem in Hercule ſignificare. quare hic non repetendum.

Amæa Ceres eſt nuncupata à Trœzeniis, vt Didymus ſcribit: Proſerpina verò Azeſia. vnde prouerbium, Amæa Azeſiam acceſſit: cuius prouerbij Plut. & alij meminêre. fabula antem Proſerpinæ à Plutone raptæ, & à matre Cerere perquiſitæ. Illud mirum, quod ſcribit Heſychius, Cererem Aſiam vocatam, ἀπὸ τοῦ ἀζαίνειν τοὺς καρποὺς, hoc eſt, à deſiccandis fructibus. Sed & ἀμμας Ceres dicta, vt oſtendit Heſychius. ait enim, hoc nomine dici nutricem Dianæ, & matrem & Rheam & Cererem.

θεσμοφόρος καὶ θεσμοθέτης δημήτηρ, hoc eſt, legifera Ceres & vocata & culta fuit. Vergilius:

Mactant lectas de more bidentes Legiferæ Cereri.

quod & Seruius non inſcitè annotauit. nam ait: Leges enim dicitur Ceres ipſa inueniſſe. nam & ſacra ipſius Theſmophoria vocantur. Sed hoc ideo fingitur, quia ante inuentum frumentũ à Cerere, paſſim homines ſine lege vagabantur, quæ feritas interrupta eſt, inuento vſu frumentorum, poſtquam ex agrorum diuiſione nata ſunt iura. Hinc poeta:

Prima Ceres vnco terram dimouit aratro,
Prima dedit fruges, alimentáq; mitia terris,
Prima dedit leges, Cereris ſunt omnia munus.

Theſmophoræ verò Cereris cum primis mentio apud Herodotum, & Orpheum in Argon. Scribit in Bœot. Pauſ. huius deæ ædes fuiſſe Cadmi domicilium, & nepotum. Hac eadem Theſmophoræ nomenclatura Iſis vocata eſt, vt nec ſemel eſt Diodorus teſtatus, quæ leges Aegyptiis ſtatuiſſe fertur, quibus æquè omnibus iuſtitia ſeruaretur. nam eandem apud Aegyptios Iſin & Cererem, & Lunã apud Grecos pleriq; putãt, vt alibi pluribus oſtendemus. Theſmophoria verò feſta apud Athenienſes celebrabantur, vt eſt à Plutarcho traditũ, in quibus Aegyptiorum more mulieres à cibis abſtinebant, humiq; iacebant. meminêre horum ſacrorum cùm poetæ alij, tum Ouid. x. Metamorph.

Feſta piæ Cereris celebrabant annua matres,
Illa quibus niuea velatæ corpora veſte,
Primitias frugum dant ſpicea ſerta ſuarum,
Perq; nouem noctes Venerem tactusq; viriles
In vetitis numerant.

Plinius Natural. hiſtor. libro vigeſimoquarto. Non multum, ait, à ſalice vitilium vſu diſtat vitex, foliorum quoq; aſpectu, niſi odore gratior eſſet: ſed Græci λύγον vocant: alij ἄγνον, quoniam matronæ in Theſmophoriis Athenienſium caſtitatem cuſtodientes, iis foliis cubitus ſibi ſternũt. Aelianus auctor eſt, hagnon hãc ſerpentibus aduerſari, ita ſcribens: In Athenienſium Theſmophoriis Atticę mulieres hagni foliis cubilia ſubſternunt, quòd ſerpentibus ſit infeſta, & quòd exiſtimetur ab Veneris appetitione prohibere, vnde nomen hagnos traxiſſe videtur. Sed de iis ſacris alias. Nec illud tę lateat volo, Theſmophoron quoq; vocatum Dionyſium, ab Orpheo in hymnis. Sed & Stephanus ſcribit, etiam θεσμοφόρον Iouem cultũ fuiſſe. ait enim, apud Drymian vrbem templum vetuſtiſſimum fuiſſe διὸς θεσμοφόρȣ.

Thermeſia Ceres cognominata, cuius deæ ædes fuit in finibus Hermionidis, ad mare, vt ſcribit Pauſanias.

Chthonia Ceres appellata eſt ab Argiua puella Chthonia, quam ipſa dea Ceres ex Argolide ſecum Hermionem duxit, conflagrata domo, & Colonte, puellæ Chthoniæ patre, à quo dea ipſa ſpreta fuerat. Ab hac igit̃ Chthonia, ait Pauſ. in ciuitate Hermione Cereris Chthoniæ templum conditũ fuit, & ſacra Chthonia, quæ ſumma celebritate agebantur. Sanè & Auguſt. in 4. de Ciuit. dei, Cererem quoque terram à gentibus exiſtimatã ſcribit: hoc ideò, quia Chthonia terreſtrem ſignificat. Porrò non ignorandũ, deos deáſq; cognominari Chthonios, qui terreſtribus pręſunt, de quibus ſuo locò agemus. Sunt et dei Hypochthonij. Chthonia præterea ſacra ab Hermionenſibus celebrabantur æſtiuo tempore, in quibus coronabantur comoſandalo ſic nuncupato flore, quem facili coniectura ex colore & magnitudine Pauſ. ipſe hyacinthum florem eſſe putat. Apud hoc Chthoniæ Cereris templum fuit deæ Echus porticus, quæ mediocriter clamanti ter reſponſabat. Scribit Ariſtocles poeta in epigrammate, quòd in ſacrificio Chthoniæ Hermionenſis, à vetula imbecilli ad aram ex armento bos immolandus cornibus adducebatur, quem bouem decem alioqui viri robuſti ac fortes attrahere non poterant. Ex noſtris quidam aliter recitant, bouem in templũ tractum præferocem à multis, inter quos & vetula, & præcluſis foribus, nullo negocio à vetula confici: inde altera adducta ſimiliter confici, & tres & quatuor, omnéſq; pariter cadere.

Myſia Ceres cognominata, vnde & Myſeion templum Cereris dictũ, quod 59. ſtadiis à Pallene diſtabat, Achaiæ ciuitate. conditum aũt fuerat à Myſio quopiam Argiuo, vt eſt à Pauſ. proditũ. At Phurnutus: Myſia, inquit, Ceres ab aliquibus dicta eſt, propterea quòd μυσιᾶν ſignificat ſatiare. vnde etiã ait cõſentaneum eſſe, inde myſteria deduci, quæ in huius deæ celebritatibus inducebant̃. de quibus alibi planius agendum. Myſiæ Cereris ſacrum tale legimus. In eo ſeptẽ operabantur dies, tertia à templo exactis viris, canibus etiam maribus pulſis, ſolæ mulieres peragebant. Alexander de Myſorum quidem continentia ac religione plura. Strabo lib. 7, qui & eos ab eſu animalium abſtinere conſueuiſſe prodit, & à deis & ſacris θεοσεβεῖς, & καπνοβάτας ait appellatos, hoc eſt deorum cultores, & vt ſic dicam, funambulos, & quòd lacte veſcerentur γαλακτοφάγȣς.

Erinnyis eſt cognominata Ceres à Talphuſiis, vt Antimachus poeta in Thebaide cecinit, & Pauſ. oſtendit. nam cùm Ceres filiam quæreret, Neptunus eius amore incenſus, eam inſequebatur: dea vt effugeret, in equam conuerſa, inter Oncei equas verſabatur. quod aduertens Neptunus, & ipſe in equum ſe con-

uertit, eámq; iniit. dea in furias acta, Erinnyis ideo nomen ſortita eſt, quòd ſcilicet Arcades ἐριννύειν dicant furore agi, atq; indignari. Lycophron quoq; in Alexandra eodem nomine nuncupat, & Callimachus: quo tamen Lycophronis loco, Iſaacius interpres alias attulit deriuationes, παρὰ τὸ ἀρὰς ἀνύειν, id eſt, quòd diras vel imprecationes exequatur. vel παρὰ τὸ ἐν ἔρα καὶ ἐν τῇ γῇ ναίειν: hoc eſt, quòd in era id eſt in terra habitet. vel quòd in furiã mutata, à Neptuno compreſſa fuerit, Arionémq; equum pepererit. Fabulam in Georgicis Vergilij recitat Probus grammaticus. innuit Ouidius in Metam. lib. 6.

Et te flaua comas, frugum mitiſſima mater, Senſit equum.

Lactantius etiam grammat. 6. Theb. comment. Neptunus, inquit, pater quorũdam equorum fertur, Pegaſi ex Meduſa, Arionis ex Cerere, licèt in vulgaribus exemplaribus, ex aere legatur pro Cerere.

Luſia Ceres ab ijſdem Thalphuſiis nuncupata. nam ferunt in Ladone amne, poſt Neptuni congreſſum, ſe Cererem lauiſſe, ex qua re λȣσία cognomen factum eſt ei. vide Pauſ. in Arcad. Sed & Dianam Luſiam vocatam legimus. Polybius libro 4. Aetolos ait cùm exercitu verſus Luſas iuiſſe. vbi cùm templo Dianæ appropinquaſſent, quod eſt inter Clitorium & Cynetam, quod velut aſylum à Grecis habebatur, populari greges & armenta deæ, omnéſq; fani diuitias expilare voluiſſe: & reliqua, ne modum excedam.

Melæne Ceres, id eſt nigra cognominata; cuius antrum in monte Eluuio ferunt, in quo colebatur, quod non plus 30. ſtadiis à Phigalia diſtabat. ex hac ergo Cerere Melæna, & Neptuno, tradunt Phigalei non equum genitum, ſed quam Arcades dominam, id eſt δέσποιναν vocabãt. Sic autem Melænen vocatã aiunt, quòd nigra veſte fuerit induta, ob indignationem contra Iouem, de rapta Proſerpina. poſt eius enim raptum in antro ita delituit, vti ne deis quidem vbi lateret, eſſet compertum. Sed cùm Pan in alijs montibus venaretur, tum etiam in Eluuio, in huius antro Cererem atra veſte indutam conſpexit, eámque re[illegible] detulit. Iupiter porrò ad Cererem Parcas dimiſit, quarum oratione perſuaſa Ceres, cum veſte atra & mœrorem depoſuit. rem pluribus exponit Pauſan. hinc & Leucippos vocata, cùm ab aliis, tum à Pindaro, quòd poſt inuentam filiam albis equis ad Iouem aſcendit. hinc etiam εὑρεσις nuncupata eſt poſt filiæ inuentionem, vnde & nomẽ illi: cuius etiam delubrũ apud Hercynũ amnẽ fuiſſe tradunt. Huius Cereris Phigalenſes ſimulacrum ita effinxere, vt ſaxo inſideret, muliebri figura, pręter caput quod equinum atq; adeò cum iuba eſſet, ſerpentibus & aliis feris ad caput alludentibus: reliquo corpore ad imos pedes tunica velato. altera manu delphinem, columbam altera præferente. Plura ſubdit Pauſanias de ritu ſacrorum, & de oraculo Phigalenſibus dato, quæ breuitatis cauſa omitto.

Καρποφόρȣς, hoc eſt fructiferas, appellant Tegeatæ Cererem & Proſerpinam, quarum ædes & ſtatuas iidem habuere, vt eſt apud Pauſ. Sed & Ceres ἀγλαόκαρπος nuncupata eſt, vt eſt apud Orpheum. & ab eo alij vſurparunt, quod latos & pulchros ferat fructus.

Eleuſinia Ceres, dicimus & Eleuſinias deas numero plurali, vt eſt apud Macrobium in ſomnio Scipionis, vbi Numenij hiſtoriam recitat. Eleuſiniæ Cereris Phurnutus exponit interpretationem paucis, & ad eam Orpheus hymnũ concinuit. Eleuſis vt Suidas ait, Atticæ ciuitas fuit, ab Eleuſinio Mercurij filio & Daeræ, vel vt Pauſan. ait, Ogygis denominata. Stephanus verò populum Hippothoontis tribus exiſtimat, vnde eſt Cereris & Proſerpinæ Eleuſiniæ templũ & nomen deductum. quin & quòd ſimul eadem ara colerentur, ὁμοβώμȣς Græci nuncupabant, vt ſcribit Heſychius. Fuit & ſub Cithærone apud Nyſæos Cereris Eleuſiniæ templum antiquiſſimum, & Proſerpinæ, vt in Ariſtide Plutarch. oſtendit. Verùm & in Sicilia Diana Eleuſinia, & Iupiter colebatur, vt Heſychius tradit: & apud Iones quoque. Scribit Diod. Siculus in primo, Erechtheum Aegyptium in maxima annonæ penuria Athenienſibus frumenta attuliſſe: quo beneficio

neficio affecti, eum regem ſibi Athenienſes elegerunt. ille aſſumpto imperio, cæremonias & myſteria Eleuſiniæ Cereris ab Aegyptiis tranſlata Athenienſes docuit. Addit & alia idem ſcriptor, vt hoc manifeſtius oſtendat, veluti Eumolpidas ab Aegyptiis ſacerdotibus traductos eſſe, & à paſtophoris Ceryces, id eſt præcones. Tanti autem primis illis temporibus Eleuſinia ſacra exiſtimabantur, vt illis initiari Hercules præoptauerit. quam rem tamen minimè eſt aſſecutus, vt ait Pauſ. id enim Eumolpi legibus prohibebatur: nam initiari tantum indigenis licebat. atque ea de cauſa Eleuſinia minora inſtituta fuêre in Herculis gratiam, quo ſcilicet ille initiaretur. Eumolpus quidem, non ille Trax celebratiſſimus, vt ſcribit Hiſter, ſed alius, Herculem ſacris initiauit, qui à Lycophrone μόσυ vocatus eſt. Eleuſiniæ quidem Cereris templum, apud Eleuſin Atticam vrbem fuiſſe memoratur, vt Pauſ. Strabo, & cæteri teſtantur. Claudianus poeta:

Sanctaſq; faces extollit Eleuſis. Vergilius Eleuſinam matrẽ vocauit in illo:

Tardaq; Eleuſinæ matris voluentia plauſtra.

quo loco multa Seruius. In Eleuſi ſacra arcana & myſteria celebrabantur, quæ ſomno ſe monitum ne explicaret, Pauſ. aſſeruit. & Philoſophus Numenius in ſomnis eſt prohibitus, vt in Pythagoræ Symbolis docuimus. Adeò autem ſecreta atq; arcana fuêre, vt vulgò prouerbium iactaretur in ſecretos & tacitos, ἄσημοι τὰ ἐλευσίνια. Facibus verò & tedis myſteria agebantur accenſis, Cererem repræſentantes, quæ raptam filiam anxia quæſiſſet, impoſito calatho cum ſacris abditis, in curru Ciſtophoris virginibus vnà prodeuntibus. De quibus & Claudianus ita in raptu Proſerpinæ:

Iam mihi cernuntur trepidis delubra moueri
Sedibus, & claram diſpergere lumine lucem,
Aduentum teſtata deiam magnus ab imis
Auditur fremitus terris, templumq; remugit
Cecropidum, ſanctáſq; faces extollit Eleuſis.
Angues Triptolemi ſtrident, & ſquammea curuis
Colla leuant attrita iugis, lapſuq; ſereno
Erecti roſeas tendunt ad carmina criſtas.

In ſacris & agon celebris agebatur, cuius & Pindarus in Iſthm. nec ſemel commentatores eius meminêre, in quo victores hordeacea corona ornabãtur. hinc & Actæa Ceres, eadem ſacrorum cauſa interdum nuncupata eſt. ex quo illud eſt Papinij:

Tuq; Actæa Ceres, curſu cui ſemper anhelo
Votiuam taciti laſſamus lampada myſtæ.

Sanè Heſychius ait, quod myſticè etiam Ceres appellata ἀχθεία, niſi fortè ſatius legeretur ἀτθεία. Porrò etiam à multis quęri video, qualia eſſent ſacra Eleuſinia: quod minus mirum ſit cum arcana eſſent, & abdita, nec euulgari fas eſſet, vt Pauſaniæ & Numenij exemplo docui. Sed quæ notaui, tibi afferam. Verba hæc D. Gregor. Nazianzeni in ſermone ſolennitatis Epiphaniorum: Neque nobis, inquit, virgo aliqua rapitur, nec Ceres vagat̃, nec Celeos aliquos inducit, & Triptolemos, et dracones, et hęc quidẽ facit̃, & hæc patit̃, pudet enim me, per diem dare noctis ſacrificium, & pudorem facere myſteriorum. nouit hæc Eleuſis, & qui tacendas res & ſilentio dignas ſpectant. hæc ille. Sed his longè plura leges apud Arnobiũ in quinto, vbi & hoc legimus: In iſtius inquiſitionis errorẽ Eleuſinios etiam peruehitur fines. Pagi iſtud nomen eſt, regione in Attica conſtituti. qui illud temporis has partes incolebant, Terrigenæ, quibus nomina hęc fuerunt, Baubo mulier, Triptolemeus capellarum Diſaules cuſtos, Euboleus porcorum, gregis lanificij Eumolpus, à quo & gens fluit Eumolpidarum & ducitur clarum illud apud Cecropios nomen, & qui poſtea floruerunt caduceatores, hierophantæ; atque præcones. his ſubdit multa de Baubone deq; eius potione

cyceone, déq; corporis parte nudata, vt deam exhilararet. Addit & ſuper his carmina, & cætera Eleuſiniorum arcana, quæ inde ſumere in promptu eſt. Et perinde ad myſteria redeo, quæ maiora erant & minora, vt ſuprà meminimus, & Plut. oſtendit, diuerſo tempore acitata. Hæc ciſtis opertis deferebantur: vnde, quæ illa puellæ deferebant, dictæ ſunt Canephoræ, id eſt ciſtiferę. in altera ciſtarum flores inerant, in altera ſpicæ: per illos ver, per has æſtatem ſignificabant. Theodoritus, in his muliebrium naturam deferri ſolitam ſcribit: alij alia tradũt. Sanè & hæc myſteria, Orgia etiam interdum dicta ſunt: tametſi vocabulum hoc ad Bacchi ſacra magis conueniat, quę (vt Seruius, & gramatici plerią; obſeruãt) ad omnia ferè reliqua ſacra referuntur. Sed certè Catullus in hoc ſignificatu cepiſſe videtur, ſic enim canit:

Pars obſcura cauis celebrabant orgia ciſtis,
Orgia quæ fruſtra cupiunt audire profani.

Sed tamen etiam in his myſteriis Iacchus, id eſt Dionyſius vnà agebatur, vt palàm Plut. docet, & nos alibi pluribus. & id faſcino, id eſt virili membro, & vanno ſignificabatur. vnde eſt illud Vergilij:

Et myſtica vannus Iacchi. Iſtiuſmodi ſacris intereſſe profanis & peregrinis non licebat. in quibus illud præcinebãt, ἑκὰς ἑκὰς ὅστις ἀλιτρός: id eſt, Procul procul quiſq; profanus. Porrò ſi plura cupis de myſteriis & Orgiis, legas Clementis Alexandrei, viri admirandi προτρεπτικὸν πρὸς ἕλληνας, citatum etiam ab Euſebio in II. Præparationis Euang. in quo agit περὶ τῶν ἀπορρήτων τελετῶν, καὶ κρυφίων μυστηρίων τῆς πολυθέου πλάνης: hoc eſt, de arcanis ſacrorum & abditis myſteriis erroris cultus multorum deorum. Sed caue ne te fallat Latina Trapezuntij, vel Cretenſis potius interpretatio. Diſaules Celei frater myſtica ſacra Cereris apud Phliaſios inſtituit, de quo plura Pauſanias in Corinth. Homerus tamen nullam Diſaulis mentionẽ facit in his verſibus, quibus de Cereris myſteriis agit. ita enim canit:

Myſtica ſacrorum diua didicere magiſtra,
Triptolemus, Dioclésq;, ſimul frenator equorum
Eumolpus, Celeusq; duces, populiq; parentes.

Cidaria Ceres colebatur à Pheneatis, multa religione, vt pluribus Pauſanias docet in Arcadicis. ait enim: Prope fanum Eleuſinæ lapides eminent prægrandes duo, aptè alter alteri impoſitus: Petrona vocant. eos lapides vbi anniuerſarij ſacri, quæ Myſteria nominant, dies appropinquant, diſiungunt: atq; inde literas educunt, quibus pompæ ritus, & quæ fieri oportet, omnia conſignata ſunt. Eum commentarium cum ſacrificulis audientibus recitãdum curarint, ea ipſa quę ſequit̃ nocte in priſtinã ſedem reponunt. Ad eam lapidum compagem compertum habeo, Pheneatarum multitudinem de maximis quibuſque rebus iuſiurandum concipere ſolitam. Saxo ſuperiori operimentum imminet rotundo ambitu, in eo effigies Cereris Cidariæ ſeruatur: eam effigiem ſacerdos tanquam perſonam indutus, ſtatis, quæ myſteria maiora appellantur, diebus populares patrio quodam ritu virgis cædit. Veniſſe in hæc loca Pheneatæ Cererem dictitant, ante Naum, dum errabunda Proſerpinam quæritaret: & ijs quę ſe comiter ac liberaliter accepiſſent, legumina diuiſiſſe omnia præter fabã. qua enim maximè de cauſa impurum legumen faba ſit, arcanis commentariis mandatum eſt. Iam verò qui (vti Pheneatæ narrant) Cererem hoſpitio acceperunt, quiq; ei templum ad imam Cyllenem erexerunt, & initia Deæ inſtituêre, quæ nũc etiam in officio permanent: Triſaules iis, & Damithales, nomina. Abeſt, quod diximus, phanum ab vrbe ſtadia propè decem.

Chamyna, vel Chanyna Ceres cognominata fuit ab Eleis, cuius varia fertur hiſtoria. quidam enim antiquum nomen deducunt ἀπὸ τοῦ χανεῖν, vel potius χαίνειν, id eſt hiſcere & hiare, quòd hiaſſe terram eo loco, quo Plutonis currus exiit, & rurſus coiiſſe dicitur: ſunt qui Chamynum, virum Piſæum Pantaleonti

tyranno

tyranno aduerſarium, ab Eleis occiſum ferant, cuius ex opibus templum deæ conſtructum fuerit. Quidam, alioqui vtraque eruditi lingua, non Chamynam, vt ego apud Pauſ. & legunt & ſcribunt, ſed Chanynam: parum memores, huius deæ eodem libro ἠλιακοῖς ſecundo mentionem factam. deinde quo pacto à Chamyno Chanyna deduci poteſt? nimirum χανεῖν verbũ his erroris anſam dedit.

Patrenſis Ceres colebatur apud Patras vrbem Achaiæ, de qua Pauſ. in Achaicis ait, quòd in eius templo ex ſpeculo oracula dabantur. Fons enim pro templo fuit, ex quo ægrotantibus ſalutem, vel mortem, oraculum ſignificabat. Speculum funiculo alligatum, liberamẽto quodam in fontem immittebatur, ita vt vix aquam attingeret: mox ſacris quibuſdam confectis, in ſpeculo vel victurum, vel interiturum conſpici dicebant.

Africana Ceres ſummo cultu & continentia celebrata à viduis mulieribus, de qua ſic Tertullianus lib. II. ad vxorem: Cæterùm, inquit, Africanæ Cereri viduas aſſiſtere ſcimus, duriſſ. quidem obliuione matrimonij allectas, in æternum viris, non modò toro decedunt: ſed & alias eis vtrinq; ridentibus loco ſuo inſinuant, adempto omni contactu, vſq; ad oſculum filiorum. & tamen durante vſu perſeuerant in tali viduitatis diſciplina, quæ pietatis etiam ſanctæ ſolatia excludit. Item alibi: Fœminas verò Cereris Africanę, cui etiam & ſponte abdicato matrimonio adſeneſcunt. Exinde quo pacto maſculorum vſq; ad oſcula filiorũ inuenit diabolus poſt luxuriam caſtitatis perditricem.

Libyſſa Ceres. Libycus campus in agro Argeo appellatus, quòd in eo primum fruges Libya allatæ ſunt, quam ob cauſam etiam Ceres ab Argeis Libyſſa vocata eſt. hæc Feſtus.

Deſerta Ceres cognominata pro tempore & loco, vel quoniam deſerta à filia: vtrumq; oſtendit poeta. nam de primo, lib. II. Aeneid. ait:

Templúmq; vetuſtum Deſertæ Cereris. de altero verò primo Georg.

Nec repetita ſequi curet Proſerpina matrem.

alias Seruius etiam recitat opiniones.

Mycaleſſia Ceres appellata, quòd in Mycaleſſo Bœotiæ vrbe coleret, cuius templum Hercules noctu & aperiebat & claudebat, vt Pauſan. ſcribit, & nos in Herculis vita retulimus. Alij à mari Mycaleſſe denominatam putant. Fama fuit, facilè fructus legi, ſtatuto tempore, ſi ante hanc deam primitiæ deponerentur, & toto anni tempore durare. Pauſ.

Montana Ceres, id eſt ὀρεία δημήτηρ, in Phrygia colebatur, prope fluuium Sangarion: vt Hermogenes in his quæ de Phrygia ſcripſit, teſtatum reliquit, apud interpretes Apollonij libro ſecundo.

Ceres & Proſerpina magnæ deæ vocatæ fuerunt, vt docet Pauſ. qui & illas δεσποίνας ab Eleis ait appellari. Heſychius verò & ipſe Cererem alijs etiam nominibus nuncupat, vt εὐλυσκὶς, & γεφυρίς. De Eriſichthone verò Theſſalo, qui cùm Cereris lucũ ſuccidiſſet, in eam miſer famem deuenit, vt propriis membris non abſtinuerit, fabulam Ouid. in VIII. Metam. enarrat.

TRIPTOLEMVS.

Triptolemum Cereri ſubdidimus, veteres imitati, qui idem fecère, vt Phurnutus & Ouid. in Faſtis, & in Metam. De Triptolemo verò variè traditur. Siquidem Argiui, qui de vetuſtatę cum Athenienſibus certabant, vt cum Phrygibus Aegyptij, Pelaſgum apud ſe tradunt, Cererem Argos poſt raptam Proſerpinam profęctam, hoſpitio ſuſcepiſſe, vbi Chryſanthis de filia eam certiorem fecit. mox Trochilum Cereris ſacerdotę, ob Agenoris odiũ ex Argis in Atticam aufugiſſe, ibiq; vxorem duxiſſe Eleuſinen, ex qua Eubuleum Triptolemúmque liberos ſuſcepiſſe ferũt. & hęc quidem Argiui. Athenienſes verò Triptolemum, Celei filium, primum mitiores fructus coluiſſe contendunt. Muſæus poeta (ſi

hæc quoque Muſæi poemata credenda ſunt) Triptolemum Oceano Terráq; genitum cecinit. Sed Orphei verſibus proditum eſt, Eubuleum & Triptolemum patre Dyſaule fuiſſe ortos (ſed enim hi verſus Orphei nõ eſſe videntur) quibus duobus, quoniam filiæ raptum indicarunt, Ceres frugum ſationẽ dederit. Chœrilus Athenienſis poeta, fabulam Alopem docuit, in qua ait, Cercyonem ac Triptolemum fratres ex Amphictyonis filia genitos, quorum alterum Rharo: alterum, id eſt Cercyonẽ Neptuno peperit. & quidem adhuc ex Pauſ. Porrò & Suidas ita: Rharus, inquit, filium habuit Celeum, ex quo genitus Triptolemus. Sed cùm Rharus errantem Cererem ac Proſerpinam quærentem hoſpitio ſuſcepiſſet, in huius beneficij gratiam Ceres Rhari nepotem Triptolemum frumẽti culturam edocuit. hinc Rharius campus, in quo Pauſ. ſcribit primum ſemina iacta fuiſſe, ibiq; primum fruges proueniſſe. Rharium quidem campum in Eleuſine Stephanus reponit, vnde etiam ſit Ceres Rharia appellata. Pamphus quoq; poeta antiquiſſimus, cuius in Dialogis de Poetis meminimus, cecinit, Cererem defatigatam, dum filiam Proſerpinam perquireret, anili facie ſumpta, ſupra puteum ἀνθίοις nuncupatum, hoc eſt Latinè floridum, conſediſſe: atque inde illam Celei filiæ, quòd Argiuam eſſe anum putaſſent, ad matrem deduxere, eiq; Meganira filium Triptolemum educandũ tradidit, &c. Seruius lib. primo Georg. Eleuſin, ait, ciuitas eſt Atticæ prouinciæ, non longe ab Athenis, in qua cùm regnaret Celeus, & Cererem filiam querentem liberaliſſimè hoſpitio ſuſcepiſſet, illa pro munere oſtendit ei omne genus agriculturæ. filium etiam eius Triptolemum recens natum per noctem igne fouit, & per diem diuino lacte nutriuit, & eum alatis ſerpentibus ſuperpoſitum per totũ orbem miſit, ad vſum frumentorum hominibus indicandum:

Angues Triptolemi ſtrident, & ſquammea curuis
Colla leuant aſtricta iugis, lapſuq; ſereno
Erecti, roſeas tendunt ad carmina criſtas.

Idem & Io. Zezes grammaticus in comment. in Heſiodi opera & dies, qui & allegoriam fabulæ explicat. Phurnutus Triptolemum Eleuſiniũ ait à Cerere edoctum ſerendi rationem, per orbem terrarum monſtraſſe, vectum Cereris curru ab alatis ſerpentibus: Triptolemúmq; nuncupatum, quaſi qui tereret hordeum, ὁ τρίψας τὰς ὄλας. ὄλαι enim hordea ſignificant. Scribit præterea Hyginus quo tempore Carnabuta rex Getarum erat, Cererem ſua beneficiã largitam eſſe hominibus: Triptolemúmq;, cuius ipſa fuerat nutrix, in curru draconum collocatum (qui primus hominum vna rota dicitur vſus, ne curſu moraretur) iuſſiſſe omnium nationum agros circumeuntem ſemina partiri, quo facilius ipſi poſterìq; eorum à fero victu ſegregarentur. qui cùm perueniſſet ad eum Getarum regem, ab eo primum hoſpitaliter acceptus: deinde non vt beneficus aduena & innocens, ſed vt crudeliſſimus hoſtis inſidiis captus, aliorum dum paratus eſt producere, ſuam penè perdidit vitam. Carnabutæ enim iuſſu, cùm draco vnus eorum eſſet interfectus, ne cũ Triptolemus ſenſiſſet inſidias parari, currus præſidium ſibi conſtituere ſperaret, Cererem ferunt eò veniſſe, & erepto adoleſcenti curru, dracone altero ſubiecto, reddidiſſe, regémq; pro cœpto maleficio pœna non mediocri affeciſſe.

SYNTA-

SYNTAGMA DECIMVMQVINTVM,

DE DAEMONIBVS, GENIIS, LARIBVS, CAETERISQ́Ꝫ, ac de Pane, Themide, & Lamiis, &c. ad Socinum Bentium Medicum & Philoſophum.

Diſertiſsime mi Socine Benti,
Antiſtes ſapientiæ, & peritus
Artis Pergameæ, ſimúlq; Coæ:
Conſcripſi tibi, Dæmonas Pelaſgi
Quos dicunt, Genios vocant Latini,
Ipſos multiplici ſubinde voce,
Et Manes, Lemuréſq; nuncupantes,
Et Faunos, Inuos, Lares, Penates,
Et quæ nomina colligo hoc libello.
Quæ ſi non fuerint bene explicata,
Tu, qui me Stygio additum tyranno
Suſtentas medica frequenter arte,
Ignoſcas rogo, deinq; me tuere.
Sic ſint proſpera cuncta, liberiq;
Maiores referant, auum, patrémq;.

C*VM permulta me Socine Benti aliàs ſemper deterruerunt, quo minus vobis magnis Philoſophis mea ſcripta legenda mitterem: tum illud, quòd vos videam aliud dicendi genus amplecti, quàm ij faciant qui manſuetiores Muſas conſectantur. Nihil enim vos, niſi quod ratio ipſa & natura ſuis legibus præſcripſerit, complectimini: noſtrum verò totum ſcribendi genus in veriſimili perſuaſione conſiſtit, & veterum ac probatorum auctoritatibus innititur, plerunque hoc vel illud pro re & tempore probantes, Academicorum more, vt lector quam velit cunque partem, ſententiámque apprehendere poſsit. Quare cùm ſuperioribus diebus meum hoc inſtitutum ſecutus, de Dæmonibus, cæteris eiuſmodiq; à gentibus deis habitis Syntagma confeciſſem, viſum eſt mihi hanc omnem partem legendam tibi mittere, vt cùm tibi de his, in tuis ſubtilioribus lucubrationibus agendum contigerit, vno intuitu collecta poſſes cōſpicere, & decerpta melius ac enucleatius tractata conſcribere. Accipe igitur mi Socine, hoc noſtrū, qualecunq; eſt: vt vel hac ſaltem ratione & exiguo hoc munere intelligas, quòd præ me feram grati animi ſignificationem, ob tot, tantáq; in me ac meos collata beneficia, vtcunq; ſeruatam. Accipe inquam, ea lege, vt legas, & legendo ita caſtiges, vt mea tua eſſe videantur. Vale.*

DAEMONES, ET CAETERI.

DAemonis vocabulū apud veteres latè deſumptū eſſe videmus, nam & pro deis ipſis ſupremis, & pro cœleſtibus atq; aereis perſæpe obſeruauimus. Nos primū de nomine agemus: deinde appellationes, vt inſtitutū eſt noſtrū, exponemus. Mittā nunc illa philoſophis & theologis, qui ſint, non ſint, diſputant. Nos Chriſtianam pietatē ſectantes, nihil dubitamus. Dæmones igiť vocabulum putať in Cratylo Plato, ex Heſiodi ſententia, quaſi δαήμονας dici, hoc eſt prudentes ac ſcientes, iuxta antiquum Græcorum ſermonem: quo fit (ait Socrates) vt Heſiodus, cæteriq; poetæ permulti præclarè loquantur, quicunq; aiunt, quòd poſtquam bonus aliquis vita functus eſt, maximā dignitatē præmiúmq; ſortiť, fitq; Dæmon ſecundū ſapientiæ cognomentū. ita & ipſe aſſero, Dæmona, id eſt ſapientē, omnē eſſe hominem

quicunq;

quicunq; ſit bonus: eúmq; Dæmonicum eſſe, id eſt, ſapientem & felicem, viuentem atq; defunctum, recteq; Dęmonē nuncupari. hæc fermè Socrates, ſeu potius Plato. Poſſidonius in lib. de Heroibus & dæmonibus, quia ex ætherea ſubſtantia partita atq; diuiſa qualitas illis eſt, ἀπὸ τοῦ δαίειν, hoc eſt vrere, ſeu ἀπὸ τοῦ δαιομένου, hoc eſt, μεριζομένου, id eſt diuiſo & partito, eos denominatos tradit. quod & Macrob. repetit in Sat. Euſebius nec Platonis, nec Poſſidonij ſententiam ſuſcipit, & Dæmonas ait dici παρὰ τὸ δειμαίνω, quod exterreo & pauefacio ſignificat. Pluribus tamen exemplis Steuchus Eugubinas, amicus meus, aſtruere nititur, hoc vocabulum in linguam Græcam ex Hebræa migraſſe, à Shadaim: prioréq; ablata ſyllaba, Daimones fieri. De dæmonum verò natura nihil ego ſtatuo: ſed nec loquar quidem, niſi quæ pia decernit religio, & patrum ſententia, quæ malos omnes dæmones ſtatuit: nec mihi hoc loco dicendum, quæ cùm alij prodiderunt, tum Proclus in Cratylo, & alibi de formarum & figurarū varietate deorum & dæmonum, quæ hominibus ſæpiſſimè viſæ dicuntur. nam & noſtri, ſpectra et ſimulachra aerea eſſe docet. Plato in Philoſopho, ſeu Epinomide, cùm de ſupremis deis locutus eſſet, ita ſubiungit: Deinceps verò ſub his dæmones, genus aereum, in tertia mediáq; regione, qui interpretationis cauſa ſunt, collocatos fatendum, orationibus colere gratia laudabilis interceſſionis interpretationíſq; debemus: & reliqua. Idem in Sympoſio, dæmones inter deos & homines reponit. In Cratylo, vt dictum eſt, ex Heſiodi ſententia homines in deos relatos ſtatuit, & dæmonas vocat. Ita enim canit Heſiodus:

ἀέρα θ' ἑσσάμενοι πάντῃ φοιτῶσιν ἐπ' αἶαν. hoc eſt,

Aeráq; induti tota tellure vagantur.

Variè tamen in Timæo ſtatuere videtur: & Apuleius nonnihil interdum à Platone euariare videtur, vt pòſt docebimus: Hierocles item in aureo commentario aurei Pythagoræ carminis. angelos enim, & heroas, & genios ſtatuit, mox deorum filios Heroas appellat. at verò Orpheus in hymnis, dæmona inter cętera vocat ipſum ζῆνα μέγαν πολύπλαγκτον: id eſt, Iouem magnum multiſtrepum. In poemate verò ad Muſæum, dęmonas ita diſtinxit, in dęmonas cœleſtes, aereos, aqueos, terreſtres, infernos, id eſt ſubterraneos & circuitores, ſeu vagos. Hoc eſt, δαίμονας οὐρανίους, καὶ ἠερίους, καὶ εἰνύδριους, καὶ χθονίους, καὶ ὑποχθονίους, ἠδὲ πυριφοίτους, vel vt alij legunt, περιφοίτους. Sed & Chalcidius in Platonis Timæum, Dæmonas ait cùm ętherios eſſe, tum aerios, tum terreſtres: & cætera fermè Platonici reliqui. Alij dæmonas ita diſtinguere maluerūt, in fabuloſos, poeticos, & naturales: alij in angelos bonos & malos, vt Numenius & Proclus, Porphyriúſq;: ſaniùs hi quidem, ſed viderint tamen, ne in vanas gentium ſuperſtitiones prolabātur. Philon autem Hebręus in libro de Mundo, ab his diuerſa ſenſit: qua in re & illum nonnihil errare noſtris quibuſdam viſum eſt. libet hoc loco Iſidori verba ex VIII Etymol. aſcribere: Dæmonas, inquit, à Gręcis dictos aiunt, quaſi δαήμονας, id eſt peritos, ac rerum pręſcios. pręſciunt enim futurorum multa: vnde & ſolent reſponſa aliqua dare. Illis quidem ineſt rerum cognitio pluſquam infirmitatis eſt humanæ, partim ſubtilioris ſenſus acumine, partim experientia longiſſimæ vitæ, partim per dei iuſſum angelica reuelatione. Hi corporum aeriorum natura vigent. ante tranſgreſſionem quidem cœleſtia corpora gerebant: lapſi verò, in aeriam qualitatem conuerſi ſunt: nec aeris illius puriora ſpacia, ſed iſta caliginoſa tenere permiſſi ſunt, qui eis quaſi carcer eſt vſq; ad tempus iudicij. Hi ſunt præuaricatores angeli, quorum diabolus princeps eſt: & cætera, quæ idem Iſidorus exequitur. Sed enim commune eſt Græcis & Latinis vocabulum Angelorum, qui Malachim ab Hebręis dicuntur. Exiſtimauit Philon eoſdem angelos Hebręis eſſe, qui gentiū philoſophis ſunt dęmones. At nos plura mittamus, qui deos gentiū referre & ridere tantummodò volumus, ne & nos fortaſsis in abſonam aliquam gentilitatis opinionem incauti decidamus, à qua re maximè abhorremus, id tātum animo fixum ratúmq; habentes, quòd Dei optimi maximi &

mi & ſeruatoris noſtri religione permiſſum eſt, et placitum, nec ſecus quicquam vnquam, vt à principio profeſſi ſumus: etiam ſi quid ignoratione & imprudentia lingua peccaret, nec id animo ſentire, nec eloqui certum decretúmq; habemus. Dæmones igitur à Latinis Genij vocantur, de quibus hic agendum.

GENIVS.

Genius, vt D. Auguſtinus lib. ſeptimo ex Varronis ſententia ait, deus eſt, qui præpoſitus eſſe, ac vim habere omnium rerum gignendarum credebatur: quo modo videtur Cebes Thebanus philoſophus in tabula ſuum poſuiſſe ſenem dæmona, id eſt Genium, in primi circuitus porta. ſed & alio modo Genius dicitur, deus naturæ cuiuſque. Plutarchus Genium eſſe ſcribit, qui vnicuiq; mortalium inſit. Vide ipſius Problemata. Cenſorinus, Genium deum ait, cuius in tutela, vt quiſq; natus viuit: ſiue etiam, quòd vt generamur curat: ſiue, quòd vnà gignitur nobiſcum: ſiue etiam, quòd nos genitos ſuſcipiat ac tueatur. Certè à gignendo Genius appellatur. Feſtus, Genium eſſe ſcribit, qui vim obtinet rerum omnium gerendarum. Aufuſtius ait: Genius eſt deorum filius, & parens hominum, ex qua homines gignuntur: propterea Genius meus nominatur, quia me genuit. Alij Genium eſſe putauerunt vniuſcuiuſq; loci deum. Seruius ita tradit, Genium numen eſſe, quod nobis naſcentibus datur. Vergilius:

Incertus Geniúmne loci, famulúm ne parentis. Eſſe putem.

de ſerpente loquens. Hinc Perſius:

Pinge duos angues. Serpentis etenim imagine Genius interdum effingebatur, interdum puerili vel iuuenili forma: interdum etiam ſenis, vt apud Cebetem. Coronabatur verò platani foliis, vtpote arboris genialis. Albius Tibullus poeta ita ſuis verſibus exornat:

Ipſe ſuos adſit Genius viſurus honores,
Cui decorent ſanctas florea ſerta comas.
Illius è puro deſtillent tempora nardo,
Atq; ſatur libo ſit, madeatq; mero.

In vetuſtis nonnullis monetis Traiani, & Adriani, aliorúmq; principũ, Genius pateram dextra ſupra aram porricere, quæ ara eſſet ſertis ornata: læua verò manu propendulum flagellum, vel ſimile quiddam tenere videbatur. Sedenim & in aliis Adriani inſcriptionibus, talem epigraphen comperi: GEN. P. R. hoc eſt, Genio populi Romani. vbi imago cernebatur hominis militaris, cum veſte ad cruris medium circumuoluta: dextera pateram in morem ſacrificantis habebat, læua cornucopiæ. ſed pro Principis arbitrio. Vnde & nos antiquariis, & harum rerum ſtudioſis, nomiſmata mittamus. Genio res ſacra fiebat mero ac floribus. Perſius:

Funde merum Genio. Horat. in Epiſtolis:

Floribus & vino Genium memorem breuis horæ.

Genius in Aulular. Plauti ita inqt: Huic filia vna eſt, ea mihi quotidie thure, aut vino, aut aliquo ſemper ſupplicat. Quid verò cauſæ fuerit, vt merum Genio funderetur, nec hoſtia faciendum antiqui putarent, Varro cauſam explicat in eo libro cui titulus eſt Articulus, ſiue de numeris: & Cenſorinus. Id moris, inquiunt, inſtituiq; maiores noſtri tenuerunt, vt cum die natali munus annale Genio ſoluerent, manũ à cæde ac ſanguine abſtinerent, ne die qua ipſi lucem accepiſſent, aliis demerent. Deniq; Delij Apollinis γενήτορος aram, vt Timæus auctor eſt, et Cloacius, nemo hoſtiam cædit. hæc illi. Addit et Cenſorinus, quòd Genio facto neminem oportebat antè guſtare, quam eum qui feciſſet. Horatius tamẽ ad Aelium Lamiam libro tertio Carm. ita canit:

Cras Genium mero Curabis & porco bimeſtri.

quo loco victima adhibetur. Quidam præterea Genium omnium gignendarum rerum deum exiſtimarunt. Genius, ait Cenſorinus, ita nobis aſſiduus obſeruator appoſitus eſt, vt ne puncto quidem temporis longius abſcedat, ſed ab vtero matris acceptos, ad extremum vitæ diem comitetur. Arrianus de Epicteto: Vt cuſtodem, ait, adhibuit vnicuique proprium dæmona, & tradidit ei cuſtodiendum, cuſtodem peruigilem & incorruptũ, &c. Marcellinus lib. hiſt. XXI. Quod inter affuiſſe ſibi ſquallidus exiſtimabatur, & putabatur Genius eſſe quidam, tutelæ ſalutis appoſitus, eum reliquiſſe mundo citius digreſſum. Ferunt enim theologi, in lucem editis hominibus cunctis, ſalua firmitate fatali, eiuſmodi quędam velut actus rectura numina ſociari, admodum tamen pauciſſimis viſa, quos multiplices auxere virtutes: & cætera, quæ durus quidem ſcriptor, ſed doctus tamen, exequitur. Alij demum Genios elementa dixerunt: alij duodecim ſigna cœleſtia, cum Sole, & Luna. Quidam tres illos deos Capitolinos, Iouem, Iunonem, Mineruam putauêre. Sed hæc ſunt à curioſis perquiſita: nos ad reliqua deſcendamus. Euclides Socraticus philoſophus, duplicem omnibus Genium attributum putauit. Empedocles quoque & Menander, duos ſimiliter Genios protinus vt in lucem quis editus eſt, dari putarunt. Menandri hi ſunt ſenarij:

ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ τῷ γινομένῳ.
ἅπαντος ἐστὶ μυσταγωγὸς τοῦ βίου.

Idem apud Lucillium in libro Satyrarum nono licere cognoſci, ait Cenſorinus: bonum hunc, malum illum (vt reor) exiſtimans. Malum deum ſuum iratum vocat Terentius: bonum deum propitium ſuum Næuius vocauit, quo videlicet modo noſtri bonũ & malum angelum & cuſtodem appellare conſueuere. Græci ἀγαθὸν θεὸν, & ἀγαθοὺς δαίμονας. malum verò, ἀλάστορα, παλαμναίους, & κακοδαίμονα. Hinc Valer. Maximus libro primo de Caſſio Parmenſi, qui exiſtimauit ad ſe venire hominem ingentis magnitudinis, coloris nigri, ſquallida barba, & capillo demiſſo: interrogatúmq; quiſnam eſſet, reſpondiſſe, κακοδαίμονα. Ita & Plutarch. de Bruto, in eius vita, cum ei ſimiliter apparuiſſet, Tuus ſum (inquit) Brute Genius malus, id eſt δαίμων κακός. meminit & Appianus, & Flor. Hoc loco non prætereunda eſt hiſtoria (an verò potius fabulam dixerim) de Genio, id eſt dæmone, quam pluribus explicat Pauſ. in poſteriore Eliacôn libro. nam cũ de Euthymo athleta agit, qui apud ciuitatẽ Temeſſanam in Italiam rediiſſet, & puella eſſet expoſita ſacrificanda heroi vni ex Vlyſſis ſociis, Euthymus ſe in templũ duci iuſſit: ibi virginem conſpicatus, primò miſericordia commotus, deinde etiam amore incenſus: ac puellam quidem ſi ab eo ſeruata eſſet, ſe in eius manum conuenturam, fidem dediſſe. Armis igitur captis, cum Genio cõgreſſus, illũ victum mœnibus & agro exceſſiſſe: ſublatumq; prorſus ex hominum cœtu in mare ſe demerſiſſe. Fuiſſe memorãt, ciuitate vniuerſa fœdiſſima calamitate liberata, maximè illuſtres Euthymi nuptias. Subdit idem Pauſanias, ſe audiſſe, & ipſum Euthymum non diem obiſſe, ſed neſcio quo pacto ad ſuam vſque ætatem illum viuere: & dęmonem ab Euthymo depictum hac fuiſſe effigie, colore vehementer atro, cætera ſpecie maximè formidabilem: amictus, lupi pellis erat. Plutarchus in eo qui περὶ εὐθυμίας, id eſt de animi tranquillitate inſcribitur, idem de duobus Geniis affirmat. Scribit Cenſorinus, à nonnullis binos Genios in his duntaxat domibus, quæ maritæ eſſent, colendos creditum eſſe. Seruius grammaticus ſuper ea Vergilij verba: Quiſq; ſuos patimur manes: Cum (inquit) naſcimur, duos Genios ſortimur: vnus eſt qui hortatur ad bona, alter qui deprauat ad mala. nec incongruè dicuntur Genij, quia cum vnuſquiſq; genitus fuerit, ei ſtatim obſeruatores deputañt: quibus aſſiſtẽtibus poſt mortem, aut aſſerimur in meliorem vitam, aut condemnamur in deteriorem: per quos aut vacationem meremur, aut reditum in corpora. ergo Vergilius Manes, Genios dixit, quos cum vita ſortimur. Alij Iunonem & Genium ſingulis dederunt, quod pluribus ex di-

uerſis

uerſis auctoribus oſtēdit Politianus. Sed et cętera de Geniis proſequamur. Martianus lib. ſecundo de nuptiis Mercurij & Philologiæ ita ſcribit: Sed quoniā, inquit, vnicuiq; ſuperiorum deorum ſinguli quiq; deſeruiunt, & illorum arbitrio, iſtorúmq; comitatur (id eſt cœlitū & ſecundorū deorum) & generalis omnium præſul, & ſpecialis ſingulis mortalibus Genius admouetur, quem etiam præſtitem, quod præſit gerundis omnibus, vocauerunt. nam & populi Genio, cum generalis poſcitur, ſupplicant: & vnuſquiſq; gubernatori proprio dependit obſequium. Ideóq; Genius dicitur, quoniā cùm quis hominum genitus fuerit, mox eidem copulatur. hic tutelator, fidiſſimúſque germanus, animos omnium menteſq; cuſtodit. & quoniam cogitationū arcana ſapere annunciat poteſtati, etiam Angelus poterit nuncupari. hos omnes Græci Dæmonas dicunt, ἀπὸ τοῦ δαήμονας εἶν. Latini Medioximos vocitarunt, qui quidem omnes minus lucidæ ſplendidæq; naturę, quàm illi cœleſtes, ſunt: nec tamen ita ſunt corpulenti, vt hominum capiantur obtutu. hæc fermè Martianus. Hinc & Tertullianus, vt puto, & deū, & hos ſpiritus, corporeos, aliquo modo exiſtimauit. Sed nos præterea ſequamur. Apuleius in libro de Deo Socratis, Dæmonibus hanc definitionem attribuit, quem etiam ſecutus eſt D. Auguſtinus. Dæmones ſunt, inquit, genere animalia, ingenio rationabilia, animo paſſiua, corpore aerea, tēpore æterna. quam deſcriptionem cùm planius explicaſſet, monſtraſſetq; hominis animam adhuc in corpore poſitam dęmona nuncupari, ideóq; etiam dici εὐδαίμονας eos qui beati forent, & quibus bonus contigiſſet Genius: tum de Geniis quædam locutus ſubiungit, eos abiuratis corporibus ſuis Lemures, Laruas, Laréſque vocari, vt etiā in deis Manibus dicturi ſumus. Idem Apuleius præterea in lib. de dogmate Platonis: Dæmones, inquit, quos Genios & Lares poſſumus nuncupare, miniſtros deorum arbitrantur, cuſtodéſq; hominum & interpretes, ſi quid à deis velint. Sed de cuſtodibus paulo ſuprà actū eſt. Alij nonnulli extitere, qui Genios animas quorumcunq; rationales interpretati ſunt: quo modo & per Geniū alicuius iurare intelligunt, quòd maximum fuit apud veteres iuramentū, per principis Genium iurare, vt planè Iuriſconſulti & Tertullianus oſtendunt. Sueton. Tranquillus in Caligula ait, multos à Caligula ſupplicio affectos, qui per eius Genium peierauerant. Lactantius Firmianus libro 2. Diuin. inſtit. de dæmonibus agens: Geniorum, inquit, ſibi nomē aſſumunt, ſic enim Latino ſermone dęmones interpretantur. Hos vtiq; Hermes Triſmegiſtus ἀγγέλους πονηρούς, hoc eſt, angelos malignos vocauit. Aliquando tamen etiam ſimplici voce dicuntur πονηροί: vt CHRISTVS Dominus ad patrem in prece quotidiana appellat. Sunt etiam in genere angelorum, quos δυνάμεις, hoc eſt virtutes, vel poteſtates, Magi et ſapientes Chaldæorum appellant: inter quos, vt M. Pſellus tradit, κοσμαγοὶ repoſiti ſunt, quaſi tu dicas mundum agentes. Sunt item qui ἀμείλικτοι, hoc eſt, qui mulceri non permittunt animas illecebris & affectibus. Porrò Genius Genio alius alij præſtare creditus eſt, virtute, ſapientia, viribus. vnde eſt illud apud Plutarch. de Octauio Auguſti & M. Antonij Geniis, quorum alterius, id eſt, M. Antonij, reformidabat alterum, hoc eſt, Octauij Auguſti. Sed nec humiliora omittamus. Genius natalis deus nuncupari videtur à Tibullo poetà. nam cùm de Genio loqueretur, ita Elegiam ad Cherinthum claudit:

At tu Natalis, quoniam deus omnia ſentis,
Annue, quid reffert, clámne palám ve roget.

Demum à Genio Genialis dies vocatur, quoniam in die natali lætitiæ & hilaritati operam in primis dabant antiqui, & Genio indulgebant. vnde & cùm naturæ obſequimur, indulgere Genio: & è contrario, defraudare Genium dicere conſueuimus. vt illud, Genialis agatur iſte dies: quòd ſcilicet, vt Laberius mimigraphus dicit, Genius generis deus ſit, ventri qui pareat. Ad hæc, quoniam naturæ deus exiſtimabatur Genius, Genialis lectus maritalis eſt appellatus, in quo opera detur generandis liberis. Sext. Pompeius: Genialis, inquit,

N

lectus q̃ nuptiis ſternit̃,in honorẽ Genij. Catullus in Epithal.Pelei & Thetidis:

Puluinar verò Diuæ Geniale locatur,

Aedibus in medijs. Solemus quoq; dicere non modò homines natos bono vel malo Genio,ſed & vrbes,& res cæteras:quin etiam libros,& propter id Val.Martialis non inconcinnè cecinit:

Victurus Genium debet habere liber.

Quare iam ſatis de Geniis.deinceps Penates,& Lares, cæterámq; turbam eiuſmodi deorum interpretemur.

PENATES.

PEnates dei qui dicebantur à Latinis, quo nomine à Grçcis appellarent̃ non ſatis conſtat. Dionyſius Alicarn. in primo hiſt. à diuerſis eos ſcribit diuerſis nominibus in Grçcam linguam conuerſos eſſe. Alij, inquit, patrios appellant, id eſt, πατρῴους:alij γενεθλίους. Fuêre qui κτησίους, quiq; μυχίους. quidam & ἑρκείους,alij & ἐφεστίους: & horum vnuſquiſq; ſecundum quod aliquid eis contingeret, videtur nomen dediſſe.Sed enim Caſſius Hemina, Samothracas deos eoſdem exiſtimauit, qui & Penates, & Magni dei: quod & Macrobius refert.Sed de Samothracibus idem qui ſuprà Dionyſius Alicar. plura in eodem primo hiſt.ex Caliſtrato vetuſto ſcriptore, itemq; ex Satyro, & Arctino poeta prodidit, & nos in Cabiris nonnihil. Varro humanarum lib.2.Dardanum refert deos Penates ex Samothrace in Phrygiam, & Aeneam ex Phrygia in Italiam detuliſſe. Alij Tarquinium Demarathi Corinthij filium, Samothracis religionibus myſticè imbutum, vno templo: ac ſub eodem Samothracas deos coniunxiſſe volunt.Scribit Varro de Ling.Lat.quod terra & cœlum,vt Samothracũ initia docent, ſunt dei magni:& hi quos dixi,multis nominibus,nam neq; quas Samothracia ante portas ſtatuit,duas viriles ſpecies æneas,dei Magni:neq; vt vulgus putat,hi Samothraces dei, qui Caſtor & Pollux. Sic hi mas & fœmina, & hi quos augurum libri ſcriptos habent, ſic diuipotes ſunt pro illo,qui Samothraces θεοὶ δυνατοί, hæc duo Cœlum & Terra, quòd anima & corpus, humidum & frigidum. hæc verò de Samothracibus. Redeo ad Penates.Idem Varro, vt eſt apud Arnobiũ:Penates,ait, qui introrſus atq; in intimis penetralibus cœli deos eſſe cenſet, quos loquimur, nec eorum numerum nec nomina ſciri. hos Conſentes & Complices Hetruſci aiunt, & nominant: quòd vnà oriantur, & vnà occidant, ſex mares,& totidem fœminas, nominibus ignotis,& miſerationis parciſſimæ,ſed eos ſummi Iouis conſiliarios ac principes exiſtimari. Nec defuerunt qui ſcriberent, Iouem,Iunonem, ac Mineruã,deos Penates exiſtere,ſine quibus viuere ac ſapere nequeamus, ſed qui penitus nos regant, ratione,calore ac ſpiritu. Hyginus patrios deos Penates,id eſt,θεοὺς πατρῴους vocari tradidit:atq; ideò à Vergilio dictũ:

Dei patrij ſeruate domum. Item, *Patrijq; Penates.*

Nigidius libro decimonono de Deis requirit,num dei Penates eſſent Troianorum,Apollo & Neptunus, qui muros ei vrbi feciſſe dicuntur:& num eos in Italiam Aeneas adduxit. idem & Cor. Labeo in libro de Deis penatibus prodidit. Sunt tamen qui diuerſos faciunt. Sed & θεοὺς μεγάλους,id eſt magnos deos apud Vergilium, Penates deos Macrobius interpretatur:alij alia, quæ ab eodem Macrobio tradunt̃.Idem tamen Nigidius rurſus,vt refert Arnobius in tertio aduerſus Gentes,in libro ſexto exponit,& decimo,diſciplinas Hetruſcas ſequens,genera eſſe Penatium quatuor: & eſſe Iouis ex his alios,alios Neptuni, inferorum tertios,mortalium hominum quartos dixit. Cçſius & ipſe aſſequens,Fortunam arbitratur,& Cererẽ,Genium Iouialem,ac Palem:ſed non illam fœminã, quam vulgaritas accipit,ſed maſculini neſcio quẽ generis miniſtrũ Iouis ac villicum. De figura verò eorũ & forma,Timçus quidem hiſtoricus ſcribit, eos lituos ferreos & æreos,& Troianum vas quoddam fictile fuiſſe,eáq; in occultis & recon-

ditis

ditis Lauini iacuiſſe ſacra. Audiuiſſe verò ſe dicit ab incolis. hinc Varro de lingua Latina: Oppidum quod primum conditum in Latio, ſtirpis Romanæ Lauinium: nam ibi dei Penates noſtri. Subdit Dionyſius, immo Lapus in eius interpretatione (ea enim verba adeò mihi confuſa videntur, vt per defectũ Græci codicis coactus ſim ea interpolata hic afferre.) agit igitur, in templo obſcuro & humili, quod erat non procul à foro Romano, duas duorum Troianorum imagines ſe vidiſſe, duorum iuuenum ſedentium, habentiúmq; pila in manibus, vetera eius artis opera, quibus eſſet inſcriptio, D. PENATES. Similéſq; vetuſtis in templis pleriſq; conſpici iuuenes militari habitu, cultuq;. addo ego, etiam in nomiſmatibus quibuſdam antiquis adhuc huiuſmodi imagines conſpici. Porrò Macrobius, ædem deorum Penatium in ea parte Palatini montis fuiſſe ait, quæ Boream ſpectans, Velia dicebatur. Liuius item in quinto Decad. ſcribit: Aedes deorum Penatium in Velia de cœlo tacta eſt. Penates autem dicti ſunt, vt M. Cicero dicit, à penu, ſiue ab eo quòd penitus inſident, ex quo etiam penetrales dicebantur. hinc & Feſtus ait, Penetralia eſſe Penatium deorum ſacraria. Vergilius:

Aeternúmq; adytis effert penetralibus ignem.

Hinc & dei Penetrales dicti, Catullus:

Pubes Græca Penetrales deſeruiſſe deos.

Macrobius Penates ſic vocatos arbitratus eſt, quòd per eos penitus ſpiremus, per quos & corpus habeamus, & per quos rationem animi poſſideamus. Seruius grammaticus in eos Vergilij verſus:

Aedibus in medijs, nudóq; ſub ætheris axe, Ingens ara fuit. &c.

Penates ait omnes deos, qui domi coluntur. vnde & pro domibus ipſis ſæpe ponuntur. Sanè legimus & publicorum & priuatorum penatium mentionẽ à ſcriptoribus habitam, vt à Liuio in tertio: quin & cœli, terræ, vrbium & ædium penates dictos annotauimus. Penatis etiam ſingulari numero Labeo Antiſtius dici putauit, quia pluraliter Penates dicantur: cùm & proportio etiam patiatur Penas dici, vt Optimas, Primas, Antias. Sed hæc nihil, vel parum, ad inſtitutum: vt hoc ad curioſitatem pertinet, Hirundinum genus deis penatibus et Veneri, quę ipſa quoque è numero Penatium putabatur, charum exiſtimatum eſſe ab antiquis, vt eſt apud Aelianum.

LARES.

LAres ſunt dei domeſtici: vnde & Lares pro ædibus ipſis, vt etiam Penates dicti. hinc & Lar familiaris, qui ab antiquis, teſte Plauto, in canis figura efformabatur. Plutarchus in Problemat. Cur, inquit, Laribus, quos proprie Præſtites vocant, canis aſſiſtit, ipſi autem Lares canum veſtibus veſtiuntur. idẽ & Macrobius ſcribit. Cauſam exponit Plut. atq; ideo valde conſiderandũ puto, quid tandem ſibi Cornutus ſeu Probus grammaticus in Perſij Satyris voluerit, cùm ſcribit: Succinctis Laribus, inquit, quia Gabino habitu cynomia, id eſt canina pelle dei Penates formabantur, obuoluti toga ſupra humerum ſiniſtrum, & ſub dextro. Larium mater Mania putata eſt, vt Varro et Macrobius ſcribunt. Ouidius in Faſtis, Lares Mercurij & Laræ Nymphæ, quæ & Muta dicta eſt, filios ait: Lactantius & Auſonius, Larundæ. De Lara verò, ſiue Larunda, hæc fabula narratur, quòd nympha hæc Tiberiona fuerit, cui ab Ioue lingua ſit abſciſſa, quòd Iuturnæ cum Ioue coitũ Iunoni indicaſſet. hanc Mercurio iuſſit, vt ad inferos deferret. inter eundum, forma puellæ illectus Mercurius, rem cum ea habuit: vnde nati ſunt gemini Lares. Scribit Arnobius, Lares vicorum atq; itinerum deos eſſe, ex eo quòd Græci vicos cognominant Lauras. Nigidius modò tectorum domuúmq; cuſtodes, modò Curetas illos qui occultaſſe perhibentur Iouis æribus aliquando vagitum, indigetes Samothracios, vt eſt apud Arnobium. Varro

nunc Manes ait, vnde & eorum mater Mania: nunc aerios ait deos, & heroas: nunc laruas Lares dicit, quaſi quoſdam genios defunctorum. quin & quòd Lares vicos & compita ſeruarent, in quorum honorem ludi compitalicij celebrabantur. Pilæ, ait Feſtus, effigies viriles & muliebres ex lana, Cõpitalibus ſuſpendebantur in compitis. & hunc diem feſtum eſſe deorum inferorum, quos vocãt Lares, putarunt: quibus tot pilæ, quot capita ſeruorum: tot effigies, quot eſſent liberi, ponebantur, vt viuis parcerent, & eſſent iis pilis & ſimulachris contenti. hæc Feſtus. Macrobius verò primo Satur. planius de his agit, de compitalibus agẽs: Reſtituti ludi, inquit, à Tarquinio Superbo Laribus ac Maniæ, ex reſponſo Apollinis: quo præceptum eſt, vt capitibus pro capitibus ſupplicaretur. idq; aliquandiu obſeruatum pro familiarum ſoſpitate, vt pueri mactarentur Maniæ deæ, matri Larium, quod ſacrificij genus Iun. Brutus Cos. pulſo Tarquinio aliter conſtituit celebrandum. nam capitibus allij & papaueris ſupplicari iuſſit, vt reſponſo Apollinis ſatisfieret de nomine capitum, remoto ſcilicet ſcelere infauſtæ ſacrificationis. factúmq; eſt, vt effigies Maniæ ſuſpenſæ pro ſingulorum foribus, periculum ſi quando immineret familiis, expiarent: ludóſq; ex viis compitorum, in quibus agitabantur, Compitalia appellauerunt. Hactenus Macrobius. Fuit Larium ædes Romæ via ſacra, teſte Solino. quidam & in campo Martio ab Aemilio Rugillo prætore dicatam alterã ſtatuunt. P. verò Victor vicum etiam Romæ Larium fuiſſe ruralium prodit. Sed & Lares familiares fuerunt, vt ex Plauti Aulul. palàm fit, qui & domeſtici dicebantur. Inuenio & hoſtiles Lares appellatos, quòd ab his hoſtes arcerentur, vt Alexan. ait. Solebant verò pueri, cùm bullas deponerent, Laribus eas ſuſpendere, vnde eſt illud Perſij.

Bullaq; ſuccinctis Laribus donata pependit.

Meminit & Porphyrion, & Cornutus ſeu Probus, grammatici. Propertius libro quarto:

Mox vbi bulla rudi demiſſa eſt aurea collo
Matris & ante deos libera ſumpto toga.

Inde verò Lares domi coli cœptos ait Seruius, quòd apud antiquos mortui domi ſepeliebantur, quos vt deos domeſticos venerabantur, vt in Sepulchralibus oſtendimus. Fuerunt & Lares præſtites nuncupati, Ouidio & Plutarcho teſtibus: licet in Latino codice Plutarchi perperam Præſides pro Præſtites legatur. nam in Græco rectè habet. Lares etiam coronari ſolitos legimus. Plin. Et iam tunc coronæ deorum honos erant, & Larium publicorum priuatorúmq;, & ſepulchrorum, & manium. Quin Plautus in Aulul. Larem familiarem loquentem facit, thure, vino, coronis ſibi quotidie ſacrificari. Ouidius etiam in Faſtis:

Lucifero ſubeunte Lares delubra tulerunt,
Hic vbi ſit clara multa corona manu.

Iuuenalis in XII:

Laribusq; paternis
Thura dabo, atq; omnes violæ iactabo colores.

Afferebantur & illis frugum primitiæ, quod Horatius aliiq; poetæ ſignificant, ſed ante alios Tibullus iſtis carminibus in primo, cùm his inquit:

Vos quoq; fœlices quondam, nunc pauperis agri
Cuſtodes, fertis munera veſtra Lares:

tum illa maximè,

Sed patrij ſeruate Lares, aluiſtis & iidem,
Curſarem veſtros cum tener ante pedes.
Heu pudeat priſco vos eſſe è ſtipite factos:
Sic veteres ſedes incoluiſtis aui.
Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde deus:
Hic placatus erat, ſeu quis libauerat vuam,
Seu dederat ſanctæ ſpicea ſerta comæ.

Atq;

Atq; aliquis voti compos liba ipſa ferebat,
Poſtq; comes purum filia parua fauum,
At nobis ærata Lares depellite tela,
Hoſtiáq; è plena myſtica porcus hara.
Hunc pura cum veſte ſequar, myrtóq; caniſtra
Vincta geram, myrto vinctus et ipſe caput. Hæc Tibullus. Propertius lib. 4.
Parua ſaginati luſtrabant compita porci.

Nam compitalia in Larium honorem inſtituta & celebrata eſſe, etiam alibi dicetur. Fuerunt & Lares nuncupati Permarini, quorum eſt mentio apud Tit. Liuium x. lib. quartæ Dec. quibus Laribus ædem vouerat L. Aemilius Regillus, in bello contra Antiochũ regem, prælio nauali, quæ XL. pòſt annis dicata fuerit. Qui verò eſſent Lares Permarini, à doctis ambigi video, nec de his certi quicpiam comperi. tantum ariolor, quòd vt in domibus publicis priuatiſq; ac compitis Lares antiqui, ita etiam nauibus ſuos Lares attribuiſſent, vnde ſint Permarini Lares. Sedenim & à Laribus Lararia vocata ſunt, ædiculæ, vbi Lares & dei priuatim colerentur, quorum mentio ab Helio Lampridio in Alexandro. Lararium tamen non videtur ſatis antiquum: in ædium enim deſcriptione à Victruuio non reponitur. Scribit Lampridius, Alexãdrum Mammææ Seuerum in Larario ſuo habuiſſe CHRISTVM & Abramum, Orpheum & Apollonium. Fuere inter literatos, qui Lararia hæc exiſtimarint ſalutatoria cubicula appellari à Plinio. atque duo habuiſſe veteres Lararia, in quorum altero deos immortales, deis immortalibus progenitos: in altero diuos, qui ex hominibus in deorum numerum relati fuiſſent, venerarentur: quos vtroſque deos, pro vt ferebat occaſio, & ſalutabant, & floribus thureq; & cætero thymiamate, & interdũ quoq; victimis, aliiſq; rebus ſibi ſuiſq; propitios faciebant. Sunt demum qui ſcribant, huiuſmodi deos Lares apud Aegyptios quatuor fuiſſe, quorũ hæc nomina, Dymon, Tychis, Heros, & Anachis. Exiſtimo hęc nomina corruptè legi, pro Dynamis, Tychôs, Eros, Anance: id eſt, Vis, Fortuna, Amor, Neceſſitas. Porrò à Larib. laruæ dicuntur, vt nonnulli volunt, noxiæ inferorum vmbræ. Plaut. in Amphitru. Nam hæc quidem ædipol laruarum plena ſunt. & alibi, Laruæ ſenem agitant. vnde laruatus, furens. Sed & larua perſona eſt, vt notiſſimũ eſt. Sed de laruis plenius agendum in deis Manibus.

Sed iam omnem hanc dæmonum ſcenam patefaciamus, eóſq; è latebris ſuis eruamus, atq; è terra in primis: hoc eſt, quos dicũt Gręci χθονίους, ἐπιχθονίους, ὑποχθονίους, & καταχθονίους: noſtri verò tum terreſtres, tũ ſubterraneos, & inferos. Epichthonios tamen Heſiodus cœleſtes intellexiſſe videt̃, id eſt ὑπουρανίους, ſi Proclo interpreti ſtandũ: quanquã varius eſt. alibi hos & Animales deos, & mortales vocatos aliquãdo videmus. De animalibus deis Ariſtoteles in primis ſcripſiſſe traditur, vt Seruius grãmaticus obſeruauit. Labeo & ipſe libros ſcripſit de deis animalibus, in quibus ait eſſe quædam ſacra, quibus animæ humanæ vertantur in deos, qui appellantur animales, quòd de animalibus fiant. Hi autem ſunt dei Penates & Vitales. ſic quidem Labeo. Sed Chthonios deos Artemidorus in libris Onirocriticon memorat, eorúmq; diuiſionẽ & nomina oſtendit. Quin & Hippocrates medicinæ princeps, in ſuis quibuſdam opuſculis Chthoniis & Hypochthoniis deis vota & ſacra ad expiationẽ facienda pręcipit. Auctores item qui de re ruſt. ſcripſerunt, vt magicos & ſuperſtitioſos cęteros mittam. Prolixior enim ſim, ſi omnes hic complecti velim: cùm nonnulla tamen ſparſim hoc ipſo libro dicenda ſint, cùm ſe obtulerint. Tales verò fuere Satyri, Satyriſci, Panes, Paniſci, Syluani, Sileni, Fatui, Fatuelli, Fatuæ, Fatuellæ. Connumerantur & inter hos Ephialtæ, & Hyphialtæ: id eſt Incubi, & Succubi. Ephialtę, qui & Epialtæ: publica hos perſuaſio, vt Macrobius ait, opinatur quieſcentes inuadere, & pondere ſuo preſſos ac ſentientes grauare. Medici verò morbum eſſe aiunt, qui quieſcentes inuadit. Ephialtes autem dictus ἀπὸ τοῦ ἐφάλλεσθαι, quòd homines in-

uadat & premat. Alij ab Ephialte quodam dictum volunt, de quo Homerus libro Odyſſ. vndecimo. Themiſon verò in ſecundo Epiſtolarũ, πνιγαλιῶνα & πνίγμωνα, dicit, ἀπὸ τοῦ πνίγειν, id eſt à ſuffocando. Fit autem hic morbus, cùm redundans caput infeſtat euaporatio, ex voracitate & cruditate: plura leges apud Cœlium Aurelianum Siccenſem, qui Latinè Incubonem vocari ait. Idem & Scribonius. Sed nos cætera ſequamur. Fuit item Pales, fuit & Faula, quam Verrius ſcortum Herculis fuiſſe ſcribit, vt eſt apud Lactantium, & Auguſtinum in ſexto de ciuitate Dei, & Macrobium in Saturn. Hanc Plutarchus Phabolam, ſeu Flauuiam nuncupat, vt in noſtro Hercule ſcripſimus. Sedenim hos deos, deáſque, ſic colligit Martianus in Nuptiis: Panes, Fauni, Fines, Satyri, Syluani, Nymphæ, Fatui, Fatuæq́ue, vel Fantuæ, vel etiam Fanæ, à quibus fana dicta, quòd ſoleant diuinare. Hi & hæ omnes poſt prolixum tempus moriebantur, vt homines: ſed tamen vt præſciendi & incurſandi & nocendi haberent præſentiſſimam poteſtatẽ. vnde ſunt qui eiuſmodi terriculamentis agerentur, à Græcis νυμφόληπτοι, & à Latinis lymphati nuncupati, hinc & Panici terrores, de quibus paulo pòſt, hoc eſt in Pane agemus.

Satyri dicti ſunt, vt Macrobius docet, veluti Sathuni, quòd ſint in libidinem proni, παρὰ τὴν σάθην, quod membrum virile declarat. hos petulcos in libidinem fuiſſe, etiam D. Hieronymus in Pauli Thebæi vita teſtatur, & Euſebius in III. Pręparationis euang. eos omnem veneream virtutem oſtendere ait. Satyros, ait Phurnutus, ſymbolum eſſe ἐκστάσεως, id eſt mentis exceſſus. dictos verò ἀπὸ τοῦ σεσηρέναι, id eſt quòd ora aperiant. hoc & Scirtos, id eſt σκιρτοὺς, ἀπὸ τοῦ σκαίρειν, hoc eſt à ſaliendo nominauit. idem & σκινίδας, ἀπὸ τοῦ σκύζειν, quod eſt furere & ſæuire, appellauit: vnde & ſæuus apud nos deduci poteſt. Satyri, quos nonnulli (vt Aelianus in Varia hiſtoria lib. III ſcribit) Tityros vocãt: vna cum Dionyſio Chorum agebant. id autẽ nomen ſumpſerunt à teretiſmatis, hoc eſt laſciuis cantibus, quibus Satyri oblectabant. Satyri verò à ſimulato & ficto riſu, & Sileni à dicacitate. σίλλους enim infamiam appellant, cum acerbo & moleſto ioco. Veſtis erat Silenis ex vtraq; parte villoſa: habitus verò totus plantationem, cuius author fuit Bacchus, vitium & palmitum denſitatem ſignificat, vt ait Aelianus. Porrò Seruius grammaticus Tityrum ait lingua Laconica arietem maiorem ſignificare. Sedenim Satyros ſcribit Pauſ. in Attica, ſe ab Euphemo Care accepiſſe, inſulas eſſe quaſdam, quæ Satyrides vocentur, quas Satyri incolunt. & eos eſſe hac forma: Pyrrhos, id eſt, ruffos eſſe, & caudas haud multo equinis minores intra clunes habere eos, cum illuc nautæ appuliſſent, ad nauim concurſu facto, nulla emiſſa voce in mulieres, quæ in naui erant, manus inieciſſe. Nautas verò pauefactos, barbaram fœminam expoſuiſſe. in eam Satyros irruentes, non eam tãtum quæ à natura viris expoſita eſt partem, ſed aliam quamlibet petulantiſſimè appetiuiſſe. At verò Mela Pomponius, & Plinius in V. Nat. hiſt. hos animalia eſſe dixerunt quadrupedia, in ſubſolanis Indorum montibus, perniciſſima, humana effigie. Solinus in ſimiarum genere reponit. A Satyris, poematis genus varium & maledicum, & petulans denominatum eſt, archææ Comediæ charactere compoſitum. Olim hæc ex variis poematibus cõſtabat: quo genere apud Latinos ſcripſerunt, Pacuuius, Ennius, et Varro Menippeas. Nonnunquam interpoſita ſoluta oratione, vt ſunt fragmenta quæ extãt Petronij Arbitri. Lucilius verò verſu hexametro aliud genus induxit, & eum ſecuti Horatius, Perſius & Iuuenalis, & Turnus, & noſtro tempore Philelphus: & vernacula Muſa Lud. noſter Arioſtus, & Hercules Bentiuolus, alij. Satyra non à Satyris, ſed à ſatyra lance, quæ referta variis multíſq; primitiis, deis inferebatur: cuius lancis Vergilius meminerit. ſiue dicta à quodam genere farciminis: vt ait Varro, & Diomedes. alij à lege Satyra, cuius legis Lucilius meminit:

Per ſatyram ædilem factum qui legibus ſoluat.

Sed hæc non huius inſtituti ſunt. Plura Diomedes & Feſtus grammatici, & demum

mum per ſatyram Eraſmus, & ipſe in VI de Poetarum hiſtoria dialogo tradidi. De Pane & eius cognominibus, ſeorſum agam.

Fauni à fando dicti. Fauni, inquit Varro, dei Latinorum, ita vt Faunus & Fauna ſint in his verſibus, quos vocant Saturnios. in ſylueſtribus locis traditum eſt ſolitos fari, quo fando Faunos dictos. Hinc illud:

Verſus quos olim Fauni vateſq; canebant.

Vel Fauni, à Fauno Pici filio dicti: de quo Vergilius in ſeptimo:

Hunc Fauno, & nympha genitum Laurente Marica,
Accipimus. ——

Quo loco hæc propemodum Seruius: Quidam deus eſt Fatuellus, huius vxor eſt Fatua: iidem ſunt Faunus & Fauna. dicti autem ſunt à vaticinando, id eſt fando. vnde & Fatuos dicimus, inconſideratè loquentes. Ergo poeta Faunæ & Fatuæ nomen quaſi aſperum fugit, & Maricam dixit. Idem tamen Seruius paulo pòſt, ἀπὸ τῆς φωνῆς dictum Faunum ſcribit, quòd voce, nõ ſignis futura oſtenderet. Extat carmen Horatii libro III. Carminum, ad Faunum:

Faune Nympharum fugientum amator, &c.

Vbi inter cætera Porphyrion ait, Faunum exiſtimatum inferum ac peſtilentem deum fuiſſe. De Fauno verò Lactãtius ita ſcribit in primo: Sic, inquit, ante Pompilium Faunus in Latio, qui & Saturno auo nefaria ſacro conſtituit, & Picum patrem inter deos honorauit, & ſororem ſuam Faunam, eandémq; coniugem ſacrauit: quam C. Baſſus Fatuam nominatam tradit, quòd mulieribus fata canere conſueuiſſet, vt Faunus viris. Eandem Varro putauit Bonam deam, vt alio loco oſtendi. Scribit Iſidorus Hiſpalenſis præſul: Fatuos, id eſt mente captos, origine quidam dici putant à miratoribus Fatuæ Fauni vxoris fatidicæ: eóſq; primum Fatuos appellatos, quòd præter modum obſtupefacti, vaticinium illius ad amentiam vſq; admiraretur. Sanè Romæ in inſula Tiberina Fauni ædes fuit, cuius Ouid. meminit in Faſt.

Idibus agreſtis fumant altaria Fauni,
Hic vbi diſcretas inſula rumpit aquas.

Idem & Victruuius tradit. Probus Faunum tradit ædificia lucóſque numinibus conſecraſſe, & ab eo Fana dicta. Liuius auctor eſt, Cn. Domitium Aenobarbum, & C. Scribonium ædiles, ex mulctatitia pecunia in inſula ædem Fauno feciſſe. Libet his noſtris addere, quæ Pomponius Lætus ſcribit: Faunus, inquit, antiquiſſimus omnium regum in Latio fuit, qui Aboriginibus imperauit, homines more ferarum viuentes in mitiorem vitam redegit, lucos ſacrauit, locis & vrbibus nomina dedit, ædificia erexit, templa ædificauit: quæ ideo à Fauno fana dicuntur, quòd pontifices ſacrificando illic fantur. Faunus in Latio cultus deorum inſtituiſſe fertur. Quidam ſcribunt, ante Faunum Ianum imperaſſe, & cultum deorum demonſtraſſe. Fauni ſoror Fatua, vacinatrix: ab ea vates, fatuarii dicuntur. Hæc traditur mulierum caſtiſſima, ideo eam Romani Boam deam appellauêre: cuius templum fuit in ſaxo Auentini montis, vnde ingreſſus maribus prohibebatur, & ei fœminæ tantum ſacrificabant. Et hactenus Pomponius Lætus.

Syluanus: Syluani à ſyluis vbi verſabantur denominati ſunt, & Monticolæ & Sylueſtres cognominati. Syluanus deus, qui Cypariſſum puerũ amaſſe perhibetur. Puer hic Cypariſſus manſuetiſſimam ceruam habebat, quam cùm Syluanus ignarus occidiſſet, puer eſt dolore extinctus, quem deus amator in cupreſſum arborem eius nominis vertit, & eam pro ſolatio portaſſe dicitur. Vnde poeta in Georg.

Et teneram ab radice ferens Syluane cupreſſum.

Et Gratius in lib. Cynegeticôn:

Et inculto Syluanus termite gaudens.

Hanc ita fabulam Seruius in Georgicis. In Aeneid. verò ſuper hos verſus:

Syluano fama eſt veteres ſacraſſe Pelaſgos,
Aruorum pecorisq́; deo, lucumq́;, diemq́;.

ſic ſcribit: Publica cæremoniarum opinio hoc habet, pecorum & agrorũ deum eſſe Syluanum: prudentiores tamen dicunt, eſſe ὑλικὸν θεὸν, hoc eſt deum τῆς ὕλης. Hyle autem eſt fex omnium elementorum, id eſt ignis ſordidior & aer, itẽ aqua & terra ſordidior, vnde cuncta procreantur: quam Græci ὕλην, Latini materiam appellarunt, vnde Syluani nomen factum eſt. Eſt apud Aelianum de hiſtor. animalium, Crathin Sybaritam concubuiſſe cum capra, et inde natum puerum, qui caprina haberet crura, & humanam faciem, qui fuerit in deorum numerum relatus, & Syluanus deus appellatus. fabulã Aelianus pluribus eſt executus. Viſum eſt ex re, aſcribere quæ ex Varrone deſumpſit D. Auguſtinus libro ſexto de Ciuitate Dei: Mulieri, inquit, fœtæ poſt partum tres deos cuſtodes Varro commemorat adhiberi, ne Syluanus deus per noctem ingrediatur, & vexet. Eorúmque cuſtodum ſignificandorum cauſa tres homines nocte circumire limina domus: & primò limen ferire ſecuri, poſtea pilo, tertiò deuerrere ſcopis, vt his datis culturæ ſignis, deus Syluanus prohibeatur intrare: quia neque arbores cædũtur ac putantur ſine ferro, neq; far conficitur ſine pilo, neque fruges coaceruantur ſine ſcopis. Ab his autem tribus rebus tres nuncupatos deos: Intercidonem, à ſecuris interciſione: Pilunũ, à pilo: Deuerram, à ſcopis. quibus deis cuſtodibus, contra vim dei Syluani fœta conſeruantur. Hæc D. Auguſtinus. qui & in XV de horum dæmonum laſciuia ſic propemodum ſcribit: Et quoniam, inquit, creberrima fama eſt, multiq; ſe eſſe expertos, vel ab eis qui experti eſſent, de quorum fide dubitandum non eſt, audiſſe confirmant, Syluanos & Inuos, quos vulgò Incubos vocant, improbos ſæpe extitiſſe mulieribus, & earum appetiſſe & peregiſſe concubitum: & quoſdam dæmones, quos Duſios Galli nuncupant, hanc aſſiduè immunditiam & tentare & efficere, plures, taléſq; aſſeuerant, vt hoc negare impudentiæ videatur. Hęc quidem Aurelius Auguſtinus, quæ & ab Iſidoro in VIII, ſunt repetita. Cæterùm ne plura ego eiuſmodi inculcem, vnius Pici libros lege vel de Rerum prænotione, vel de Strigibus. in quibus plurima exempla collegit. Porrò Fauni, Satyri & Panes cognominati ſunt ſemicapri & capripedes, à forma, de qua pluribus in Pane agam. Vocati etiã ſunt à fiſtula Cicuticines. Geſtare etiam dicebantur ferulas, vnde Narthecophori & Feruliferi dicti. Quin & liliis coronabãtur, item ex harundine & ferula, vt Lutatius notat. Eoſdem ex acheruntia, populo & marathro ſerta geſtaſſe legimus. Nec illud te fugiat, prouectioris ętatis Satyros, Pauſania teſte, Silenos nuncupatos fuiſſe: dictos, vt Phurnutus ait, ἀπὸ τοῦ σιλλαίνειν, id eſt ab irridẽdo, et oculis præcipuè. Euſebius III Pręparationis euangelicę. Silenũ ait ſpiritalis motus ſymbolum fuiſſe, qui nõ parum vniuerſo conducit, cuius caput propter canitiem candore fulgẽs cœleſtis motus: Cęſaries verò, quæ inferioribus imaginis partibus apponit, craſſitudinem terreſtris aeris ſignificat. & paulo pòſt irridens ſubiũgit: Cur ſi motus ſpiritalis Silenus eſt, & motiuam virtutẽ ſignificat, tum cœleſtem candorem capitis, tum aetiam & craſſiorem prolixitate ac denſitate barbæ, & cætera. Illud te hoc loco latere nolim, quod eſt à Tertulliano nec ſemel proditum, & in primis aduerſus Hermogenẽ, vbi ſic ait: Niſi ſi Heleno illi apud Midam regem adſeueranti de alio orbe, credendum eſt, auctore Theopompo. Idem in libro de Pallio: Vt, inquit, Silenus penes aures Midæ, aptas ſanè grãdioribus fabulis, & cætera. Quam fabulam Tertulliano copioſius Aelianus in III de Varia hiſtoria refert, quam breuitatis cauſa hoc loco prætermitto. Sed & Maximus Tyrius in ſermone XXX ita ait, Silenum ebrium laqueis & vinculis conſtrictum, Midæ prędixiſſe varia & diuerſa. vnde facile videre poſſumus, poetam Vergilium argumentum ſuæ Eclogæ Sileni deſumpſiſſe. Plut. in conſolatione Apollonij: Ferunt, inquit, Silenum iam captũ poſt venationẽ, percontanti, quidnam eſſet hominibus

optimum, quidq́ omnium maximè optabile? primùm quidem nihil voluiſſe dicere, ſed ſilentium tenuiſſe. mox ita locutum: Naſci hominibus non omnium omnino optimum, nec optimæ eſt particeps naturæ. optimũ eſt enim omnibus, non naſci. ſed poſt hoc eſt ſcilicet, genitos quàm celerrimè interire: quod & Plutarchus refert, & Ariſtotelem ait in Eudemo tradidiſſe, ipſius etiam verba apponens. Sed mehercle Plinius in ſeptimi lib. Nat. hiſtor. præfatione, paucioribus hanc ipſam ſententiam explicat. Multi, inquit, extitêre, qui non naſci optimum cenſerent, aut quàm ocyſſimè aboleri. id quod & Lactãtius Firmianus teſtatur. Hyginus quoq́ de Sileno & Mida fabulam explicat cap. 191. Sed de hoc iam ſatis. Reliqua de Silenis, & aliis quæ propoſui, ſubiungam. Mirabile illud in Pariorum lapidicinis proditum eſt, gleba lapidis vnius cuneis diuidentium ſoluta, imaginem Sileni intus extitiſſe, vt Plinius ſcribit. Sileni à Catullo Nyſigeni cognominati ſunt, cùm ait:

Cùm thyaſo Satyrorum & Nyſigenis Silenis.

Cuſtos & famulus Bacchi ab Horatio dicitur, in Poet.

An cuſtos famulusq́ dei Silenus alumni.

Silenus Alcibiadis prouerbium fuit, de quo habes in Prouerbiis.

σαυᾶδαι, & σαῦδαι Sileni à Macedonibus appellabantur, vt Amerias apud Heſychium & Phauorinum teſtatur. Sunt & qui πάρεδροι, id eſt aſſiſtentes dęmones dicti, qualis qui Socrati aſſiſtebat, de quo Plutarchus & Apuleius peculiari libro ſcripſerunt, aliiq́. & item qualis Simoni Samaritæ mago, vt Euſebius notat. Ophioneum verò dęmonem Pherecydes prodidit, principem eorum fuiſſe, qui de cœlo lapſi ſunt: quod & Platonicus Ficinus repetit in commentario Apologiæ Platonis pro Socrate. Sunt & Onoſceli, qui dicuntur aſininis cruribus, vnde & illis nomen: qui & ſeſe mares exhibere, interdúmq́ & leonis, vel canis, vel alterius animalis ſpecie apparere feruntur. Hos eruditi quidam dęmones aiunt, in aquoſa & arida, corporibus areſcentibus frequentes apparere. Porrò ὀνόχηλον, Onochelon illudentes gentes Chriſtum D. N. vocabant, & pingebant: vt Tertullianus, Suidas, alii tradunt. Sanè & in hoc genere dęmonũ Iſodætes fuit, cuius Hyperides orator in Phrynis oratione meminit, & Arpocration, & Suidas: ſed & ab his Phauorinus. Erat autem hoſpitalis dæmon Iſodætes, cui popularia ſacra quædam muliebria peragi ſolebant. Fuêre & qui κόβαλοι dicebant, qui circa Dionyſium eſſe credebantur, eodem Arpocratione teſte, cum cęteris: Heſychio præterea, & Philochoro. Quin & Ariſtoteles in libro de Animalibus, Otum hoc nomine, hoc eſt κόβαλους, nominauit.

Fuit & Chryſios dæmon, quem quidam & Plutum nuncuparunt, & barbara Chaldæorum voce Mammona, vt in Pluto dicam. Eurynomus etiam dęmonis nomen, de quo ex Delphicis interpretibus Pauſanias ſcribit, ipſum infernum fuiſſe dęmonem, qui mortuorum carnes abſumeret, ſic vt oſſa ſolummodo relinquerentur. Effingebatur verò horrida ac terrifica ſpecie, exertis dentibus, in vulturii pelle ſedens, colore inter cæruleum nigrúmq́, qualis eſt muſculorũ color. μορμόνας à Græcis vocari ſcribit Heſychius, errantes & vagantes dæmones. Conſiderandum vtique, an Mormolycias potius legendum ſit. nam Philoſtratus in Apollonii Tyanei vita tradit, Empuſas & Lamias Mormolycias etiam nuncupari. Sed enim & μορμολύκιους, vel μορμολύκκους (vtrunq́ enim legimus) pro larua & perſona ſumit. Quinetiam μορμὼ, pro deformi & monſtroſa muliere à Theocrito vſurpatur: pro larua verò, apud Ariſtophanem grammatici interpretantur. In Zoroaſtris oraculis ſeu Symbolis, illud notandum eſt, dæmones vocari terreſtres canes, hoc eſt, κῦνας χθονίους, vt M. Pſellus interpretatur. Ex terræ, inquit, gremiis proſiliunt κύνες χθόνιοι, nunquam verum corpus homini demonſtrantes. Idem Zoroaſter & θῆρας χθονὸς, id eſt terræ feras appellauit. & alibi manifeſtè dęmonẽ Terræum vocauit, vt cum dixit: Cùm videris venientem δαίμονα πρόσγειον, ſacrifica lapidẽ μνίζουριν incantãs. quibus in locis ipſe mihi Pſellus plęraq́ videtur

videtur non à ſuperſtitione aliena afferre. Eſt verò apud Perſas Mnuzirin lapis, vt idem Pſellus ſignificat, vim habens euocandi maiorem dæmona alterū. Soradij apud Indos dæmones crediti fuere, qui οἰνοποιοὶ Græcè dici poſſunt, à noſtris vini fictores. Libantes nomen dæmonis, vrbem Temeſen infeſtantis: qui ab Euthymo victus, niger & lupina pelle amictus apparuit, vt ſcribit Pauſan. Sed vereor ne nimius ſim, ſi hic plures colligere velim, cùm toto hoc opere, vt res ferret, de his dęmonibus agendum ſit. Id tantum in præſentia non prętermittam, quod idem M. Pſellus in peculiari de Dæmonibus libro, ex ſententia magi cuiuſdam Marci, ſex eorum eſſe genera prodidit: quorum primū vocatum ait barbara voce Leliureon, in ſublimiori parte aeris agentem: alterū, in proxima eiuſdem aeris parte nobis propinqua: tertium, terreum genus eſſe: quartū, aqueum & marinum, quod in aquis maximè verſetur: quintum, ſubterraneum, quod in viſceribus terræ degat: ſextum tenebroſum, quod omnino lucem refugit. Scribit prętera de his alia multa, quæ hoc loco referre non precium ſit magnū operæ. Martius verò Narnienſis lib. promiſcuæ doctrinæ, & ipſe ex magorū ſententia hāc dæmonū diſtinctionē eſſe tradit. Magorum, inquit, doctrina aliter quàm Chriſtianitas dæmones taxat. dicit enim, orientales, occidentaléſq; ſpiritus optimos eſſe de ſui natura: nec niſi vi ad operationem mali coguntur, apparéntq; in pulcherrima forma, ita vt eos putemus, quos fides Dei miniſtros narrat. Sed ſeptentrionales meridionaléſq; in turpiſſima forma apparent, vt eos criminatores dicere poſſimus: id eſt, διαβόλους, de natura ſui peſſimi. namq; niſi coacti bonum operantur: & vt illi pulchritudine ſui nos oblectant, ita hi & nigredine, & capitibus & hominum & brutorum & mortuorum plerunque terrificant. Dæmonium autem meridianum (cum ab incurſu & dæmonio meridiano Dauid pſalmographus ſibi pręcauendum petat) quale ſit, facile intelligitur. Hactenus Martius. Sed nos de Dæmonio meridiano alibi in Empuſa ſcripſimus. Quale porrò ſit in vniuerſum hoc omne dæmonum genus, docet in primis Euſebius de Præparatione Euang. & Aur. Auguſtinus, cùm in Dei ciuit. tum in eo maximè qui eſt de Poteſtate dæmonum.

Lamiæ quoq; in hoc dęmonū genere cenſentur, quas & Mormolycias & Empuſas aliquando dictas iam docui, & Striges à noſtris. Lamiæ ſint, nec ne, à me ne petas: tantum lecta recitabo, fides ſit (vt ait Plinius) penes ſcriptores. Duris Libycorum lib. ſecundo, & Suidas & Phauorinus, Lamiam mulierē formoſam fuiſſe tradūt, Beli & Libyes filiam, quā Iupiter adamauit, & ex ea filium ſuſcepit: ſed Iuno præ zelotypia filiū perdidit: & Lamia præ mœrore deformata, alienos infantes rapere ac perdere dicitur. plura Phauorinus, & Ariſtophanis interpres meminit, & Alciatus in Parergis libro octauo. Dion quoq;, qui Libycā ſcripſit hiſtoriam, de Lamiis in hunc propè modum prodidit: Haud longè à littore maris curuum eſſe locū, arenoſum, mari perſimilem, in quo littora magna exiſtunt, & arenoſi aggeres in mari, circumuicina verò omnia deſerta ferè manent. At ſi ibi fortè naufragi eiecti fuerint, feræ apparentes eos omnes qui vel peragrāt, vel aberrant, rapiunt: quarum natura & corporis figura talis habetur. Facies eſt mulieris, & formoſæ quidem, vbera & pectora longè pulcherrima, quę neq; melius pictor poſſit effingere: color ſplendidiſſimus, gratia quædā & venuſtas ab oculis, et manſuetudo in animum incidit, quoties aliquis eam ſpectarit, reliqua pars corporis dura, & infrangibilis, ob ſquammas confertas. inferiora ſunt ſerpentis, vt ima pars in caput deſinat ſerpentis, & quidem valde horrentis. hæ feræ alas non habent, quemadmodum Sphinges. neq; enim loquuntur, vt illæ: neq; aliam vocem emittunt, ſed ſolum ſibila acutiſſima, quemadmodum dracones. terreſtrium omniū hæ velociſſimę, vt nullum poſſit eas animal effugere. Cętera quidem animalia viribus expugnāt homines, hæ ſolū fraude ac deceptione. pectora aperiunt, & vbera oſtentāt: eū verò qui aſpexerit, veneficiis quibuſdā cogunt ad confabulationis deſideriū. & hi quidem veluti ad mulieres accedunt, illæ in-

trepidæ manent, deorſum in humum ſępe reſpicientes, ornatum ac pudorē mulieris imitantes, atq; ita eum qui propius acceſſerit, rapiunt: namq; manus ſunt ferarum, quas aliquantiſper occultant: cæterum ſerpens mordens veneno interficit, cadauer ipſum comedunt ſerpens, & quod reliquum eſt feræ. atq; hactenus Dion fermè de Lamiis feris. quibus videmus eos & falli, & fallere, qui equinos Lamiis pedes attribuunt. Has & propheta Hieremias videtur agnoſcere, cum ait: Sed & Lamiæ nudauerat mammas, &c. quanquam locus hic ab Hebręis aliter effertur. D. Hieronymus quædam ibi ſubinnuit. Porrò & Eſaias Lamiæ cubile dixit. Hebræorum nonnulli Lamias, furias interpretantur. Scribit Picus, quoſdam dæmonas incubos eſſe interpretatos, exiſtimaſſeq; ſuperiores partes habere humana ſpecie, inferiores belluinas. Lamias inceptè à laniando dictas putauit Iſidorus. Hebræi Lamiam Lilith vocant, de qua monſtra confingunt. Lamiæ præterea piſcis genus, cuius Nicander in Gloſſis meminit, qui etiam Carcharia appelletur. piſcis huius, Ariſtoteles, Plinius & Athenæus meminêre. Audio & hodie vocari à Maſſilienſibus Lamiam, et ingentis interdum magnitudinis inueniri, integróſq; homines ab ea voratos aliquando repertos. Sed hęc non noſtri inſtituti ſunt. Cęterùm Philoſtratus & ipſe multa in Apollonij vita de Lamia prodidit, quæ Menapum formoſum iuuenē amare ſe ſimulabat, & quo modo larua ea eſſe in conuiuio ab Apollonio ſit deprehenſa. Lamias præterea puerorum eſſe terriculamenta, vel ex Apuleio ſatis conſtat. Sunt qui Striges putēt, quæ infantium in cunis ſanguinem ſugunt. quin & Horat. in Poetica ideo dixit:

Neu pranſæ Lamiæ viuum puerum extrahat aluo.

De Lamiis & Plato meminit in Politicis. Lamia etiam proprium nomen: vt Lamia Sibyllæ mater, quod in ſecundo de Hiſtoria poetarum oſtendimus. de qua præterea Plutarchus in eo, Quod oracula defecerunt, ita ſcribit: Poſtquam, inquit, ſedimus in petra, quæ in foro eſt, in qua fertur prima Sibylla ſediſſe, ab Helicone deſcendens, quæ à Muſis fuerat educata. Quidam verò tradunt, illam ad Meleona veniſſe, filiam Lamiæ, Neptuni filiæ. & hæc quidem Plutarchus: qui alibi Lamiam quoq; mulierem ſcribit amatā à Demetrio rege, ciuitatis perniciem à Comicis poetis dictam. eam & Athenæus cōmemorat in Dipnoſoph. Fuêre & ciuitates aliquot Lamiæ nomine, de quibus præter cæteros Stephanus in libro de Vrbibus, vnde & Lamiacus ſinus. Fuit & Romæ Lamiarum nobilis familia, à M. Cicerone & Horat. in primis celebrata: ſed quæ nihil ad Lamias iſtas faciat. Poſtremò & in hiſtoriis legimus, à Probo Cæſare multas Lamias in ſpectaculo inductas ac exhibitas fuiſſe. Hactenus de Lamiis.

THEMIS.

THemis dea, quæ Latinè fas dici poteſt, Cœli filia fuit. hinc ab Orpheo οὐρανόπαις cognominata eſt. Hanc Gręci fabulanť, Iouis nuptias fugientē, in Macedonia ab eo apud Ichnas, vt mox dicā, compreſſam fuiſſe. eandem alteram Iouis coniugem, ait Heſiodus in Theogonia. Ex hac natæ ſunt in primis Iuſtitia, Lex, & Pax: hoc eſt, δίκη, εὐνομία, καὶ εἰρήνη. id quod etiam Pindarus in Olymp. in eo hymno qui Xenophonti Corinthio ſtadij curſori inſcribitur. Themin deam, teſte Feſto, antiqui putabant eam eſſe, quæ hominibus præciperet id petere, quod fas eſſet: illámq; id eſſe exiſtimabant, quod fas ſit. nam θέμις apud Græcos fas ſignificat. Ammiani certè verba leguntur lib. XXI, cognitione digna, quę ideo hic aſcripſi: Elementorum omnium ſpiritus, vtpote perennium corporum, pręſentienti motu ſemper & vbiq; vigens ex his quæ per diſciplinas varias affectamus, participat nobiſcum munera diuinandi: & ſubſtantiales poteſtates ritu diuerſo placatæ, velut ex perpetuis fontium venis vaticina mortalitati ſuppeditant verba, quibus numē præeſſe dicitur Themidis. quam ex eo quod fixa fatali lege decreta pręſcire fas ſit in poſterū, quæ tethimena ſermo Gręcus appellat: ita

cognominatam, in cubili, ſolióque Iouis vigoris viuifici, Theologi veteres collocarunt. Themis hoc modo deſcribitur à Phurnuto, dea, quæ efficit vt pacta & conuentiones inter nos fiant, & ſeruentur. hoc concinnius Græcè dicitur, θέμις δὲ, ἡ τὸ συντίθεσθαί τι μεταξὺ ἡμῶν, καὶ φυλάττεσθαι. Alij verò, Themin dicunt deorum eſſe: iuſtitiam, hoc eſt δίκην, hominum: qua de re plura Phauorinus. nam δίκη iudicat homines: Themis verò qua dei iudicant, et ipſa hominũ fora ſoluit. Quidam & Themidis ſimulachrum his afferri conſueuiſſe, qui antiquitus concionabantur, apud quod ſederent, & verba facerent: id innuentes, iuſta atque æqua ea eſſe debere, quæ dicerentur ab iis qui publicè ius dicerent. Certè & Ariſtides in oratione pro concordia Rhodienſibus: conciones, inquit, ſenatúmque deorum antiquiſſima Themis cogit, &c. Deam hanc templũ habuiſſe, innuit in Metam. Ouid. in Bœot. iuxta Cephiſum, inibíque & oraculum habuiſſe, ad quod Deucalion & Pyrrha poſt diluuium pro reparatione humani generis ſcitatũ adiuere. Orpheus in hymno, eam hominibus primũ oracula edidiſſe ait apud Delphos, & Pytho regnaſſe. Themis igitur ante Apollinem in Delphis oracula reddidit. Quin illud obſeruatũ eſt, Neptunum, ac Terram antè etiam reſponſa dediſſe: & per ſe quidẽ Terram, Neptunũ verò Pyrconem habuiſſe, qui ſubſeruiebat: tum poſt hos Themidi datum oraculum, demũ Apollini. Euripides in fabula Iphigeniæ in Tauris, chorum inducit laudantem Apollinem his verbis propemodum: Apollo, inquit, Themin terræ filiam repulit à ſacratis oraculis, nocturna ipſa Tellus edebat oracula, quæ pleriſque mortalibus & priora & futura, & quæcunque euentura erant, ſomni per obſcura terræ cubitus dicebant, & cætera. Hanc verò deam peculiari hymno celebrat Orpheus, cum thuris ſuffimento. Homerus autem in Apollinis hymno, Themidem ait Apollini nectar & Ambroſiam propinaſſe. Qui in Pindarum ſcholia ſcripſerunt, inter multa quæ in Pythiis tradunt, & hoc aiũt: Pana oracula dediſſe Arcadibus, mox in id oraculum veniſſe, in quo primum Nox oracula dabat, dein Themis. & demum regnante Pythone, Dionyſius primus in tripode reſponſa reddidit: mox Pythone occiſo, Apollo dedit Pythius, & vocatum Pythium oraculum, & Pythia vates, & Pythium certamen, vt in Apolline pluribus oſtendi. De Themide crebra mentio apud auctores, Pindarum, Strabonem, Hyginum, & Arati expoſitorem. Catullus:

Huc, inquit, *addunt diui quàm plurima, quæ Themis olim*
Antiquis ſolita eſt munera ferre piis,

Ab hac & nymphas quaſdam legimus denominatas, Themiſtiadas. Sanè eruditorũ quidam Themides duas ſtatuerunt, vetuſtiorem quidem alterã, alteram verò Euandri matrẽ, quæ & Nicoſtrata & Carmentis dicta eſt, de qua Euſebius in III. Præparationis Euang. Themis, inquit, quæ Latinè Carmenta vocata eſt, vaticiniandi virtus, eo quòd ſtatuta vnicuique prẹcinat. priorem Themin αἰδοίην vocat Heſiodus in Theogonia, id eſt pudore dignam, vel pudibundam, in illo:

καὶ θέμιν αἰδοίην, ἑλικοβλέφαρόν τ᾽ ἀφροδίτην. hoc eſt:
Et pudibunda Themis, curuiciliſque Aphrodite.

Carmentis, quẹ & Carmẽta, & Nicoſtrata, & Themis dicta fuit, & in primis à Romanis culta, & Euãdri mater credita. de hac Dionyſius Alicarn. in primo hiſtor. ait, Euandro & Carmenti quotannis ſacra facta fuiſſe, Carmenti quidẽ ſub Capitolio ad Carmentalem portam, Euandro verò in Auentino, à porta Trigemina nõ procul. Romani ad hẹc Carmentis vel ſorores, vel comites, Porrimã & Poſtuertã, vt deas coluerunt, & illis rẽ diuinã faciebant, vt Ouid. in primis oſtendit in Faſtis. Sed Gellius lib. & cap. XVI. ſic ſcribit: Difficilis partus auertendi gratia aras ſtatutas fuiſſe Romæ duabus Carmentibus, quarum altera Poſtuerta nominata eſt, Proſa altera, à recti peruerſique partus & poteſtate & nomine. Ex quibus conſiderandũ, an rectius Proſa, ãn Porrima legatur. Nec minus etiã illud notandum, Carmentas numero plurium efferri, vt modò dicebam ex Gellio.

Auguſti-

Auguſtinus quoq; in quarto de Ciuit. dei lib. Ac ſit alius, inquit, ſed ipſe ſcilicet Iupiter in deabus illis, quę fata naſcentibus canunt, & vocantur Carmẽtes. Plut. verò in Quæſtionibus, de ęde Carmentę, vbi & Carmentalia menſe Ianuario cẽlebrabantur. Martianus verò: Alij, inquit, huius generis homines in diuinandi vſum & pręſcientiam procreati, vt Carmentis in Arcadia. hæc ab oraculis θεσπιῳδός Gręcè dicta, teſte Dionyſio, Latinè Carmentis. hinc & Ouidius in Faſtis:

Ipſa mone, quæ nomen habes de carmine ductum.

εὔβουλος, hoc eſt conſiliatrix: vel bene conſulens, Themis à Pindaro cognominata eſt. Orpheus verò ad Muſęum, ſacram inſpectricem hominum id eſt Hieroſcopon nuncupauit: hoc eſt, θέμις τ' ἱεροσκόπον ἀνδρῶν. Idem ad Naturam canens hymnum, eodem vocauit nomine.

ἰχναία θέμις cognominata eſt, teſte Strabone, ab Ichnis gręca vrbe, non longè à Phyllo, vbi & Phyllęus Apollo appellatus. Stephanus vrbem ait Macedoniæ Ichnæ, quę ab Eratoſthene ἄχναι vocetur. Philetas aliam dicit, quę per a ſcribit. Themis autem cùm ab Ioue perſequeretur, deprehenſa fuit in locis, vbi impreſſa fuerant eius pedum veſtigia. vnde locus ab inſequẽdo κατ' ἴχνας, id eſt per veſtigia dictus, quòd Themis ipſa Ichnęa. Huius nominis Ichnęæ meminit & Lycophron in Alexandra, & illius interpres Iſaacius.

Themiſtys, vel Themiſtis dea videtur poni à M. Tullio in ea oratione, quæ eſt in L. Piſonem, pro dea iuſtitię: quo loco Piſonem irridet Cicero, qui Cn. Cottam, L. Piſonem, Craſſum, triumphi auidos vituperabat, & reprehendere ſolitus erat: Tu tantis, inquit, nationibus ſubactis, tantis rebus geſtis, minime fructum laborum tuorum, premia periculorum, virtutis inſignia contemnere debuiſti: neque verò contemſiſti, licet Themiſte ſapientior, &c. Quidam hoc loco libentius Themite, vel Themide legunt. Themitos enim aliquando apud Gręcos, pro Themidos ſcriptum legimus. In commentarijs à Phauorino collectis, obſeruamus iuxta Doricos, Themis Themidos dici, & Themitos, vnde eſt θέμιτος, & ἀθέμιτον, id eſt fas & nefas, adiecto σ, θέμισος, à quo formatur proprium nomen Themiſtius, & ἀθεμίσια, iniuſtitia, apud Homerum in Odyſſ. At verò Strabo libro ſeptimo, vbi de Tomaris agit, ita ferme ſcribit: Apud Homerum ait, melius eſſe τομάρους, quàm Themiſtas ſcribendum. nullo enim modo à poeta dici Themiſtas oracula, ſed conſilia & decreta ciuilia, & legum ſanctiones, hoc eſt, vt gręcè ait, πολιτεύματα καὶ νομοθετήματα. & paulo pòſt ſubdit: Simplicius apud Homerum capere oportet Themiſtas abuſiuè conſilia, & ipſa diuinationis imperia & conſultationes, ipſaq; vaticinia, quemadmodum & decreta, quod ita gręcè rectius: ὁμήρῳ δ' ἁπλούστερον δεῖ δέχεσθαι θέμιστας καταχρηστικῶς, καὶ βουλὰς, τὰ προστάγματα, καὶ τὰ βουλήματα τὰ μαντικὰ, καθάπερ καὶ τὰ νόμιμα. Alij apud M. Ciceronem Themiſta legendum putant, pro Themi. nam Themis, aiunt, Themin facit, & Themiſta, in caſu quarto, à quo rectus formatur Themiſta Themiſtę, & ius ac iuſtitiam ſignificare contendunt, eandémq; conſiliorum oraculorúmq; pręſidẽ eſſe: & propterea Homerum θεμιστεύειν dicere, quod vaticinari & oracula dare ſignificat, pro eo quod eſt leges ferre, & iura reddere, quod & Budæus obſeruauit. Fuit & Themiſto, pręter nympham, altera Athamantis vxor, de qua Hyginus in Fabulis, fabulam recitat, vt Gręcos nunc auctores mittam.

PAN.

PAn Deus paſtoralis, Inuus à Latinis dictus, teſte Liuio & Macrobio. Hunc deum Arcades colebant, appellantes τὸν τῆς ὕλης κύριον, non ſyluarum dominum, ſed vniuerſę ſubſtantię materialis dominatorem ſignificantes, vt ait Macrobius: cuius materię vis vniuerſorum corporum, ſeu illa diuina, ſiue terrena ſit, componit eſſentiam. Scribit Probus in commentar. Georgic. Vergilij, in eo verſu, Pan ouium cuſtos: Pana, inquit, Inuũ latini interpretantur, cuius ex Arca-

dia religionem Italiæ fertur intuliſſe Euander. Sed creditur: propter duo argumenta, ſub eius nomine & vocabulo Iupiter coli, id eſt, mundus: quorum vnum eſt, quod ϖᾶν græcè ſignificat omne, id eſt, vniuerſam naturam: alterū, quòd hinuli pellis qua tegitur varietas maculis imitatur ſtellas. Pan, Phurnutus ait, ideo dictus, quòd vniuerſi Deus ipſe putaretur. nam pars eius inferior hirſuta ac piloſa, hircináq;, quod terræ aſperitati conuenit: ſuperior verò pars hominis eſt, quòd in æthere ſit ἡγεμονικὸν mundi, quod vtique rationale eſt: & cætera, quæ ille exponit. Verſari etiam Pana tradidere in deſertis, ſolitarijsq; locis, per id maximè eius ſolitudinem ſignificabant. Vnus enim, & vnigenitus mundus eſt. Quin etiam ἐπισκοπὸν, id eſt, ſpeculatorem pecudum & armentorum dixêre, eáque fortaſſe cauſa cornua etiam illi & fiſſas vngulas addidere. & fortè ob geminas auriculas, quidam & hunc Priapum putauerunt. Huius dei ſimulachrum caprina facie effingebant, rubro colore, hirtis cornibus, pectore ſideribus radiante, infima ſui parte hiſpida, & caprino pede: altera manu fiſtulam tenebat, altera pedum incuruum. Pan quoq;, Seruius inquit, etiam Faunus appellatus eſt. Vergilius in ſexto: Caſtrum Inui. Inui inquit, id eſt Panos, qui illic colebatur. Inuus autem latinè, appellatur græcè ϖᾶν. Item ἐφιάλτης græcè, latinè Incubus, item Faunus, id eſt Fatuus, & Fatuellus. Dicitur verò ab ineundo paſſim cum omnibus animalibus. In Bucolicis tamen idem ita ſcribit: Pan deus ruſticus, in naturæ ſimilitudinem formatus: vnde & ϖᾶν dictus eſt, id eſt omne. habet enim cornua in radiorum Solis & Lunæ cornuum ſimilitudinem. Rubet eius facies, ad ætheris imitationem. in pectore verò nebridem habet ſtellatam, ad ſtellarum imaginem. Pars eius inferior hiſpida eſt, propter arbores, virgulta, feras. Caprinos pedes habet, vt oſtendat terræ ſoliditatem. Fiſtulam ſeptem calamorum habet, propter harmoniam cœli, in qua ſeptem ſoni ſunt, ſeptem & diſcrimina vocum. Rhabdon habet, ſeu virgam, id eſt pedum recuruum: hoc eſt, baculum, ꝓpter annum, qui in ſe recurrit, quia hic totius naturæ deus eſt. A poetis fingitur, cum Amore deo luctatus, & ab eo victus: quia, vt legimus, omnia vincit amor. Laſciuum etiam, & libidinoſum hunc ipſum deum induxerunt, propter copiam ſpermaticarum rationum, & quæ commixtione ipſarum fiunt. Hinc & ipſum nymphas inſequi dicunt. Sed & formoſos pueros, vt eſt apud Theocritum. Deſcribitur quoque his verſibus à poeta Silio lib. Punic. 13.

Pan Ioue miſſus erat, ſeruari tecta volente
Troia: pendenti ſimilis Pan ſemper, & vno
Vix vlla inſcribens terræ veſtigia cornu.
Dextera laſciuit cæſa Tegeatide capra,
Verbera lenta mouens feſta per compita cauda,
Cingit acuta comas, & opacat tempora pinus.
Ac parua erumpunt rubicunda cornua fronte.
Stant aures, ſummoq; cadit barba hiſpida mento.
Paſtorale deo baculum, pelliſq; ſiniſtrum
Velat grata latus, teneræ de corpore damæ.
Nulla in præruptum tam prona & inhoſpita cautes
In qua non librans corpus, ſimiliſq; volanti,
Cornipedem tulerit præciſa per auia plantam.
Interdum inflexus medio naſcentia tergo
Reſpicit, arridens hirta ludibria caudæ.
Obtendenſq; manum, ſolem inferueſcere fronti
Arcet, & vmbrato perluſtrat paſcua viſu.
Hic poſtquam mandata Dei perfecta malamq;
Sedauit rabiem, & permulſit corda furentum,
Arcadiæ volucris ſaltus, & amata reuiſit

Mænala

Mænala, vbi argutis longè de uertice ſacro
Dulce ſonat calamis, ducit ſtabula omnia cantu.

hactenus conſul & poeta Silius. Pan ergo, vt cætera expediam, ſecundum fabulas amaſſe Syringam nympha dicitur: quam cum ſequeretur, illa, implorato Terræ auxilio, in calamum conuerſa eſt: quem Pan ad ſolatium amoris incîdit, & ſibi fiſtulam fecit. Extat apud Theocritum Panos fiſtula, miro carminum artificio confecta: quæ obſcuriſſima cùm ſit, & ænigmati penè par, expoſita eſt ab Io. Pediaſimo Chartophylace, quam etiam in latinum conuertit non infœliciter amicus meus A. Thileſius. Sed & huius dei amor & deliciæ Echo creditur, quæ nullius oculis eſt obnoxia, quod ſignificare ait Macrobius harmoniam cœli, quam & deam poetę dixêre, de qua non ſolum veteres Greci & Latini pleriq; luſerũt, ſed noſtri etiam temporis poetæ. Vnum tantum Auſonij epigramma de Echus imagine, quod illius naturam exprimit, hoc loco afferam, quod eſt:

Vane quid affectas, faciem mihi ponere pictor,
Ignotamq; oculis ſollicitare deam?
Aeris & linguæ ſum filia, mater inanis
Indicij, vocem quæ ſine mente gero.
Extremos pereunte modos à fine reducens,
Ludificata ſequor verba aliena meis.
Auribus in veſtris habito penetrabilis Echo:
At ſi vis ſimilem pingere, pinge ſonum

De Echo & in Symbolis nonnihil dictum eſt. Pinum quoq; arborem Pani attribuit Conſtantinus in libro vndecimo Geoponicôn, vbi & fabulam exequitur Pitys puellæ, in hanc arborem mutatæ: aliter licet Phurnutus tradat. Sed enim Euſebius quoque in tertio Præparationis euangel. Pana vniuerſi ſymbolum eſſe affirmari ait, cornua ei data propter ſolem & lunam: variam pantheræ pellem propter varietatem cœleſtium, quod & Phurnutus repetit. Quidam porrò tradiderunt Pana Iouis & ὕβρεως, id eſt Contumeliæ filium. alij Mercurij & Penelopes. alij Penelopes quidem, & omnium procorum, & inde illi nomen Pan: vt Duris Samius prodidit. Epimenides verò, Iouis & Calliſtus Pana & Arcada filios geminos ait. Ariſtippus in Arcadico, vel quia fortè mũdus à ventis omnib. perflatur, vel fortè etiam ob Emmelecam agreſtem, & auſteram, quæ minus demoniteri poſſit.

ἀγρεῖος θεὸς Pan deus appellatus fuit, id eſt agreſtis deus, propterea quòd puerorum amator fuerit exiſtimatus. eáq; ratione illum pudendis arrectis effingebant, & cornutum, & à pudendis infra hircinum hiſpidúmq;. qua de re in ſecundo de Poetis, in Thamiridis vita ſcripſimus. idem & ἀγρεὺς ab Athenienſibus vocatus, vt ſcribit Apollodorus apud Heſychium.

Βιαρκεὺς, Biarceus Panos cognomen eſt, teſte Suida, quaſi vitæ neceſſaria curans. Vtitur Archias in epigram.

ἐφιάλτης, Ephialtes, qui & Epialtes, id eſt incubus, dictus eſt Pan, teſte Artemidoro in ſecundo Onirocriticon. licet Aegineta Paulus, & alij, pro morbo capiant, quo ingrauari neſcio quo pacto videmur ſemiſomnes: qua de re plenius ſuprà ſum locutus.

λυτήριος, Literius Pan dictus fuit, cuius ſacellum apud Trœzenios celebre fuit. ſic verò appellatus, quòd per quietem Trœzeniorum principibus famis, qua vrgebantur, Pan liberationem ſolutionemqúe docuerit. auctor Pauſan. in Corinth.

Mendes nomen Panos apud Aegyptios, qui ſub hirci effigie colebatur. lege Herodotum, Suidam & Diodorum. vnde etiam populi Mendeſij, & Panopolitani. Legimus & hunc deum vnum ex VIII deis fuiſſe apud Aegyptios, qui XII. priores fuerant apud Herodotum. Legimus & mulieres cũ hircis coijſſe.

Lycęus Pan cognominatus. Vergil.

Panos de more Lycæi.

In Lycęo, inquit Placidus Cęlius grammaticus, templum fuit Panos, in quo natus aſſeritur. Pauſan. verò in Arcad. in monte Lycæo & templum & lucum, & hippodromum ac ſtadium fuiſſe eius numini dicatum, vnde illi nomen. Iuſtinus verò ex Trogo libro 43. Lycęum quidem ait dici Pana, à Romanis verò Lupercum. ita enim ſcribit: In Palatini radicibus templum Lycæo, quem Gręci Pana, Romani Lupercum appellant, conſtituit, ipſum dei ſimulachrum nudum, caprina pelle amictum eſt: quo habitu nunc Romæ Lupercalibus decurritur. Hęc Iuſtinus.

κεροβάτης, Cerobates cognominatus, teſte Heſychio, ſiue quod cornua habebat, quaſi κερατιβάτης: vel quòd baſin haberet corneam, id eſt pedes.

Arcadius deus Pan vocatus eſt. Propertius:

Arcadio pinus amata deo.

nam Pinea corona vtebatur. Ouid. in Faſtis:

Pan tibi, qui pinu tempora nexa geris.

Thileſ. tamen harundine, id eſt ſyringa, Pana coronari putauit. Vergil:

Pan deus Arcadiæ. Ouid.

Faunus in Arcadia templa Lycæus habet.

nam, vt ſuprà dictum eſt, Pan etiam Faunus dictus eſt. Idem Ouid.

Pana deum veteres pecudis coluiſſe feruntur
Arcades, Arcadijs plurimus ille iugis.

Capripes Pan cognominatus à poetis, à Græcis αἰγομιλής, & αἰγίπαν, & numero plurium Aegipanes. Propert. in 3.

Capripedes calamo Panes hiante canent.

Hyginus de Capricorno: Huius, inquit, effigies ſimilis eſt Aegipani. Sed hæc notiora, tantum innuiſſe ſufficiat. Dicitur & ſemicaper deus, ab Ouid. in Faſtis & Metamorph. vt eſt in illo:

Sunt oculis nymphæ, ſemicaperúe deus.

Mænalius etiam cognominatus, à monte Arcadiæ notiſſimo, in quo, vt Pauſan. ſcribit, auditus eſt ſæpe ſibilans.

Tegeęus quoque dictus, à Tegea Arcadiæ. Vergil.

Adſis ô Tegeæe fauens. Propert.

Et calami Pan Tegeæe tui.

Lampeus Pan in Arcadia vocatus à Lampo monte, vel potius parte montis Erymanthi, vt Pauſ. ſcribit, Pani dicato.

ἁλιπλαγκτὸς etiam cognominatum legimus, quaſi dicas Saliuagum Pana, quod coleretur in promontorijs, quæ mari alluuntur, quod notant grammatici.

σινόεις, id eſt Sinois Pan nuncupatus, à Synoe nympha, à qua Pan educatus fuit, vt Pauſ. docet in Arcad. Colebatur autem iuxta Megalopolin.

Scoletas Pan, à Scoleta Arcadiæ colle denominatus, eodem auctore Pauſ.

Nomius præterea Pan ſeorſum ab Apolline cognominatus, à montibus Nomijs, de quibus idem Pauſanias. In his montibus ad dextram Lycoſuræ Panis Nomij templum ſpectabatur, locúmque ipſum Melpæa à cantus ſuauitate fiſtulæ vocabant.

συρικτὴς porrò Pan, id eſt fiſtulator nuncupatus, vt ex Phurnuto didicimus: etſi vulgati codices συρὼης habeant, id quod viam fecit doctis quibuſdam hallucinandi, vt locum Phurnuti malè reponerent. A fiſtula igitur Syrictes cognominatus eſt. Iouis & Oeneidos nymphæ filium idem facit. alij Vlyſſis & Penelopes, alij Aetheris & Oeneidos, vel Nereidos, quidam Cœli & Terræ. Sed quòd retulimus, eum natum ex Mercurio & Penelope, fabulæ ferunt, Mercurium in hircum mutatum, & amatum fuiſſe à Penelope, quæ cum eo concumbens Pana pepe-

na pepererit, & ipſe Pan ꝓpterea hircipes fuit. Plato Pana ſermonem interpretatur, ideóq; Mercurij filius fingitur, quod & ſermo biformis ſit, verus ſcilicet, & falſus. Mox & ſubdit: Pan Aepolus biformis, Mercurij filius dictus, in ſuperioribus partibus læuis ac delicatus, ex inferioribus aſper & hircinus. Alij demum Pana vocatum tradunt, quòd τῆς ὥρας, id eſt Horę ſit ſignum, hoc eſt vniuerſi, & ideo propriè Pan nuncupatus eſt. Sunt & alia quędam de Pane in commentarijs in Theocritum, pręcipuè in primo Idyllio, & item alia à Phurnuto in lib. de Natur. deor. Adhæc Pindari interpretes in Pyth. exordio, Pana tradunt oracula primum dediſſe Arcadibus. Idem & Pauſanias prodit. Sed id ait factum ex ſacello quopiam, in quod per gradus aliquot aſcendebatur: nymphámq; Erato ea oracula edere ſolitam, quę Erato non Muſa fuerit, ſed nympha, quę Arcados Calliſtus filij conſuetudine vteretur. In Parthenio Arcadię monte Panos templum fuit, in quo locus dictus Aula, quod velut aſylum animalibus fuit. eò enim adire non audebant nec leones, nec lupi, dum ea conſectarentur, ſed protinus ſubſiſtebant, ipſáq; animalia relinquebant: id quod & in Dianę Aetoliæ luco factum fuiſſe fabulantur. Illud quoq; de Pane Aegyptij ſacerdotes & poetę quidam ꝓdidêre, ipſum deum ſe in flumen deieciſſe, in piſcem mutatum poſteriore parte corporis, altera verò hirci: quo tempore dei quidam in Aegypto propter ſubitũ aduentum Typhonis ſe in varias figuras transformarunt, Mercurius in Ibin: Apollo in auem threijciam, id eſt gruem: Diana in catum, id eſt felem. idem ſcribit Manilius, & Hyginus in Aſtronomico poetico: qui & hoc refert, Cùm Iupiter (inquit) Titanas oppugnaret, primùm obieciſſe hoſtibus timorem, qui Panicus appellatur, vt ait Eratoſthenes. Panicus quidem terror à Pane deo dictus eſt, qui & numero plurium aliquando πανικὰ dicuntur, quorum & M. Cicero meminit in Epiſtolis cùm familiaribus, tum ad Atticum. Nam cùm Gigantes contra Iouem & deos pugnarent, hic terror eis obiectus eſt. ad quam rem alludit Orpheus in hymno Panos, quem illi deo cum variarum rerum ſuffimento concinuit, hoc verſu:

πανικοὺς ἐκπέμπων οἴστρους ἐπὶ τέρματα γαίης, hoc eſt:

Terrarum in fines immittens panicon œſtrum.

Panicos etiam terrores Phurnutus dici ſcribit, de repentinis, & ſine ratione factis. Ita enim nonnunquam greges ac armenta pauere videntur, cùm ſonitus aliquisúe ſtrepitus ſurgit in ſyluis, aut è ſpeluncis, aut ex terrę cauernis. de his & Pauſ. in Phocaic. Hic terror, inquit, panicus Gallos inuaſit, qui Brẽno duce Delphos prędaturi acceſſerant. Terrores quippe nullà certa cauſa exiſtentes, à Pane oriri produntur. hinc & poeta Silius lib. XIII. Punicorum, deſcribit Hannibalem deterritum hoc Panos terrore, cùm ad vrbis mœnia acceſſiſſet, eam expugnaturus: vt paulo antè allatis poetę carminibus oſtendi. Plutarchus quoq; in libro de Iſide & Oſiride: Poſt, inquit, Oſiridem à Typhone cęteriſq; coniuratis occiſum, Panes ac Satyri, qui Chemin inhabitabant, id ſenſerunt, déq; eo quod geſtum fuerat, turbas & tumultus facere cœperunt. quare factum eſt, vt repentini terrores, Panici deinceps appellarentur. ipſum lege Plutarchum. Porrò & Politianus totum XXXVIII Miſcellaneorum caput hac de re confecit. Sed & Theon in Arati comment. ἦχον, id eſt ſonitum hunc cochlea factum ſcribit. Plutarchus etiam in eo quod oracula defecerunt, prodit de Panis interitu, qui Tiberij Cęſ. tempore accidit: exiſtimatúmq; fuiſſe ab eius temporis philoſophis, cum Pana interijſſe, qui ex Mercurio & Penelope natus eſſet. id quod & Euſebius de Pręparatione euang. repetit. Legimus porrò Numam Pompilium, dum Inuo, id eſt Pani ſacrificaret, fagineum ramum geſtaſſe, intonſis crinibus obuolutum.

O 3 SYNTA-

SYNTAGMA DECIMVMSEXTVM, DE FORTVNA MVLTIPLICIQVE EIVS IMAGINE ET COGNOMINE, AD V. C. ALEXANDRUM Guarinum.

Ingens Herculei decus ſenatus,
Idemq; Aoniæ pater catervæ,
Vnus nam pote ſuſtinere curas
Magni principis, & præeſſe rebus.
Idem & Rhetoricos doces colores,
Et priſcos ſimul explicas poetas.
Quare, quem tibi dedico libellum,
Quo Fortuna dea eſt relata paucis,
A tot ſi liceat vacare curis,
Hunc lima expolias ſeueriore,
Tenteſq; indice lydio rogamus,
Ne fallax dea ludat hinc & inde.

ECcum tibi de Fortuna libellum, Alexander Guarine, vir doctiſſime, quem cõtractioribus his brumæ diebus confeci. & ea de cauſa potiſſimum tibi à me dono datur, vt teſtis ſit noſtræ inter nos beneuolentiæ, à primis vſq; adoleſcentiæ noſtræ annis initæ, cùm ſub ſanctiſſimo viro ac doctiſſimo parente tuo, Bap. Guarino, bonis literis & moribus operam vterq; daremus. Cuius ego viri memoria, hac infirma valetudine & ætate adhuc recreor. & licet ego longo tẽpore peregrè profectus, à patria procul, varijs Italiæ vrbibus abfuerim, nihilominus cùm ſeſe occaſio offerebat, noſtrum vterq; mutuam inter nos operam dabat. Sed hæc omnibus notiora. In hoc certè libello videbis, quantas Fortuna vires ſibi vendicet, in primis cùm de nobis vtranq; paginam faciat. Tute certè virtute tua fultum, ac prudentia cognoſces, trophæum tibi de Fortuna & quidẽ illuſtre erexiſſe. Me verò varijs ac miris exemplis à Fortuna exagitatum, demum manicis cõpedibuſq; vinctum, in triumpho ductum, omnibus amiſſis cùm Fortunæ bonis, tum amicis, ita vt penè deſtitutus videar: nec niſi vnus aut alter amplius mihi ſupereſt amicus. Sed querelas mittamus. Tu interea ſumas hoc qualecunq; eſt libelli, & boni æquiq; conſulas. Nam ſi paria meritis referre non poſſum, grati tamen animi ſignificationem hoc libello teſtatam relinquam. Vale.

FORTVNA.

FOrtunam, Alexander Guarine vir doctiſſime (vt probe tenes) deam gentes credidêre. hinc illud Iuuenalis:

Sed te Nos facimus Fortuna deam, cœloq; locamus.

Plaut. in Pſeud. Centum doctûm hominum conſilia hæc deuincit dea Fortuna, atq; hoc verum eſt: perinde vt quiſq; Fortuna vtitur, ita præcellit, atq; exinde ſapere eum omnes dicimus. Speuſippus Philoſophus Fortunam definiuit, motũ ab occulto in occultũ eſſe. Anaxagoras & Democritus, Stoicorũq; nonnulli, Fortunam exiſtimarunt eſſe cauſam humanæ rationi minimè manifeſtã: at Plato ipſe σύμπτωμα φύσεως, ἢ προαιρέσεως eſſe ſtatuit: hoc eſt, Symptoma vel accidens naturæ, vel electionis, & cauſam eorum quæ ſecundũ aliquod accidens fiunt. cui nõ diſſentit Ariſtoteles. Proclus in Platonis Timęo, dæmonis poteſtatem putat, cauſas inter ſe diuulſas congregantem. M. Cicer. de Diuin. Quid eſt enim, ait, aliud ſors, quid fortuna, quid caſus, quid euentus, niſi cùm ſic aliquid cecidit, ſic euenit, vt vel non cadere atq; euenire, vel aliter cadere atq; euenire potuerit? Vnde & alij ita definiêre: Fortuna eſt accidẽtium rerũ ſubitus ac inopinatus euẽtus. Pauſanias in Achaicis, ex Pindari authoritate for

tunam ſcribit vnam eſſe Parcarum, & eam quidem ſororibus poteſtate antecellere. Græcè verò Fortuna τύχη dicitur. Pauſanias in Meſſeniac. Fortunę, id eſt, τύχης mentionē apud Græcos primùm ait carmine feciſſe Homerum, qui in hymno ad Cererem, quem in præſenti non habemus, alias Oceani filias enumerans, cum puella Proſerpina ludentes, & Tychen quoq; ipſam, vt vnam ex Oceani filiabus, his verſibus cecinit:

λευκίππη, φαινώ τε, καὶ ἠλέκτρη, καὶ ἰάνθη,
μηλόβασίς τε, τύχη τε, καὶ ὠκυρόη καλυκῶπις. id eſt:

Leucippe, Phænóq;, & Electra, & Ianthe,
Melobaſisq;, Tychéq;, & Ocyroe pulchriocula.

Et nihil ille de Tyche, id eſt Fortuna amplius. At verò Bupalus, qui templa conſtruere, & animalia optimè effingere nouerat, omniū primus Fortunę ſtatuam Smyrnæis effecit, polum capite ſuſtinentis, manúq; Amaltheæ cornu. Poſt hæc & Pindarus deā ipſam celebrauit, eámq; Pherepolō nominauit. hæc fermè ex Pauſan. quē quis mirari poſſit ita dixiſſe, cùm ante Homerū eius Orpheus meminerit in hymno, quē Fortunę cū thuris, id eſt Libani thymiamate concinuit. Fuit adhæc & Aegeræ, quæ vrbs prius Hypereſia vocabatur, Fortunæ ſimulachrū ferētis ſimiliter cornucopię: iuxta quā Cupido erat alatus. Qua ex re ſignificari putat Pauſan. q̄ ea etiā quæ ad amorē pertinent fortunā magis quàm pulchritudine & forma rectè ſoleant mortalib. ſuccedere. Effingebat quidē Fortuna, teſte Lactant. lib. 3. cū Cornucopiæ & gubernaculo, tāquā opes tribuere putaret, & humanarum rerū regimen obtinere. Hinc & philoſophi, eodē auctore, eius ſexum mutantes, deū vocabant: & eandē modò fortunā, modò naturā nominabāt: quo loco & alia multa de Fortuna diſſerit. Eandē, vt Euſebius ſcribit, in pila ſedentē veteres effingebant, & alas addebant. Ideo Horatius de Fortuna ita cecinit: Nūc tibi, nūc mihi benigna, laudo manentē, ſi celeres quatit pennas. Thebanus Cebes in Tabula ita effinxit: Sed mulier, inqt, illa quænam eſt? quæ velut cæca atq; inſana, ſuper lapide quodā rotundo cōſiſtere videtur? Fortuna, inquit, vocatur. ea aūt non ſolū cæca, ſed inſana etiā, & ſurda eſt. Quænam huius ſunt partes? Obambulat, inquit, quocunq; gentium, & alijs quidē facultates eripit, alijs tradit: ab eiſq; rurſus aufert quæ tradiderat, atq; alijs temerè tribuit. vnde hoc argumento facile declaratur, cur in rotundo lapide conſiſtat: & cętera, quæ non illepidè ſubdit ille. Pittacus verò Fortunæ varietatē ita expreſſit, vt eſt apud Aelianū in Varia hiſtoria. Apud Mytilenæos, inquit, ſcalā in templis extruxit, ad vſum quidē nullum idoneam, tantum vt donarij loco eſſet, latēter Fortunæ viciſſitudinem ſignificans, vt neſcio quo pacto fęlices aſcenderēt, infœlices autem deſcenderēt. Artemidorus Daldianus in lib. Onirocriticōn, Fortunā ſedentem ſupra cylindrum aliquando, aliquando comptam ornatámq;, aliquando incomptā ſordidámq; deſcribit: & cū gubernaculo, vt iā diximus. talémq; ſępe nos in vetuſtis nomiſmatib. ſigniſq; marmoreis vidimus. Iuuenē alibi idem Artemidorus mulierē Fortunam deſcribit: cuius verba, quoniam & ad alios deos faciunt, hic ſubdidi: Mercurius, inquit, iuuenis & adoleſcens, Hercules iuuenculus, Iupiter vir, ſenex Saturnus, Dioſcuri Gemini adoleſcentes: Spes virgo, Diana & Minerua. Spes quidē ridens, Diana caſta facie, Minerua Gorgon intuens: Fortuna mulier iuuenis, vetus Veſta: Parcæ tres mulieres veſtitæ, nudæ Horæ, lauantes Nymphæ. Hoc totum ille. Alij inter maris vndas velificantē finxēre Fortunam: alij in ſaxi vertice, montiſue cacumine, ventis omnibus expoſitā. Pleriq; rotæ inſiſtentem effinxēre. Certè Apelles cùm Fortunam ipſe ſedentem pinxiſſet, interrogatus cur id feciſſet? Quia nunquam ſtetit, reſpondit. Apud verò Scythas ſine pedib. fingebatur, vt manus tantum & pennas haberet. Fuēre & qui vitream, propter fragilitatem, vocauēre. Hebræorū verò prophetes Eſaias, Fortunæ menſam poni ſolitam cecinit, vt eſt interpretatus D. Hieronymus: Qui ponitis, inquit, mēſam Fortunæ, & libatis ſuper eam. vel vt LXX exponūt:

Qui paratis Fortunæ menſam, & impletis dæmoni poculum, vel mixtam potionem. quo loco Hieronymus: In vrbibus, ait, omnibus, & maximè in Aegypto, veterem fuiſſe conſuetudinem, vt vltimo die anni & menſis, eorum qui extremus eſt, ponant menſam refertam varij generis epulis, & poculum mulſo mixtum, præteriti anni & futuri fertilitatem auſpicantes. Pauſanias in Achaicis, ait Pindaro ſe fidem habere canenti, Fortunam Parcarum vnam eſſe, præſtantiſſimámq; ſororum. Idem in Bœot. Fortunæ ſacellum fuiſſe, in quo ipſius deæ ſimulachrum eſſet, Plutum diuitiarum deum puerum tenentis. id quod innuere videtur, fortunam ipſam diuitiarum eſſe matrem atq; nutricem. huius quidem ſimulachri manus & faciem Xenophon Athenienſis, reliqua Calliſtonicus indigena effinxerat. CL. Galenus in ſuaſoria (ſi legitimus liber eſt) Fortunæ, inquit, indicare nequitiam cum antiqui vellent, illam vel pingentes, vel fingentes, fœminæ ſpecie formabant: non contenti gubernaculum illi attribuebant: tametſi fœminea leuitas ſatis erat. orbem pedibus ſuppoſuerũt, tum etiam & cæcam, vt eius inconſtantiam indicarent. Hæc ille fermè, & cætera quę ſequuntur. Non defuêre & qui noſtro tempore non inſulſe Fortunam in equo velociſſimo conſtituêre, & currentem eam Fatum arcu intento inſequi: Fortunæ inſtabilitatem pernicitatémq; ſignificantes, eámq; fati vi ſemper agi. Sedenim de equeſtri Fortuna in hoc, ſuo loco agam. Fuere & qui eandem duplici facie formauere, nigra altera, altera alba, bonam malámq; ſignificantes. alij eandem cum Occaſione effinxere, hoc eſt capillatam fronte, occipitio caluam, alatam pedibus, pilæq; inſiſtentem, manu nouaculam tenentem, vt eam effinximus primo Syntagmate. Sed & Sophocles in Antigon.

φρόνει βεβηκὼς αὖ νῦν ἐπὶ ξυροῦ τύχης: hoc eſt:

Sæpe denuò nunc poſitus in nouacula fortunæ.

Sed nimius ſim, ſi velim quæ legi, ſimul nunc cuncta complecti. Sed D. Auguſtinum par ſit audire, ita in ſeptimo de Ciuitate Dei ſcribentem: Fortunam certe deam, inquit, antiqui dixere, non rationabili diſpoſitione, ſed vt temerè acciderit, ſua cuiq; dona conferre. De hac Saluſtius: Sed profectò fortuna in omni re dominatur, ea res cunctas ex libidine magis quàm ex verò celebrat, obſcuratq;. Seneca tamen, vt Stoicus, in Epiſtolis inquit: Nihil neq; boni, neq; mali dare poteſt Fortuna. valentior enim omni Fortuna eſt animus, qui in vtranque partem res ſuas ducit, beatæq; ac miſeræ vitæ ſibi cauſa eſt. atque ideo illud ab Iuuenale ſcribi putarim:

Nullum numen abeſt, ſi ſit Prudentia: ſed te
Nos facimus Fortuna deam, cœloq; locamus.

Et vt inquit Pauſan. Nihil ſine fortuna fit: hoc eſt, μηδὲν ἄνευ τύχης. Certè Plinius de Fortuna ita argutè exclamat: Toto, inquit, mundo, & locis omnibus, omnibúsq; horis, omnium vocibus Fortuna ſola inuocatur, & vna nominatur, vna accuſatur, vna agitur rea, vna cogitatur, ſola laudatur, ſola arguitur, & cũ conuicijs colitur, volubiliſq;, à pleriſq; verò & cæca exiſtimata, vaga, inconſtans, incerta, varia, indignorúmq; fautrix: huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium ſola vtranq; paginam facit: adeòque obnoxiæ ſumus ſortis, vt Sors ipſa pro deo ſit, qua deus ꝓbatur incertus. hæc Plinius. At cur nõ & Pacuuianos verſus hoc loco aſcribimus, præſertim Fortunam commentantes, quos & ad Herennium Gallio, vel quiſquis ille fuit qui ad eum Rhetorica ſcripſit, attulit: hi verò ſunt:

Fortunam inſanam eſſe & cæcam, & brutam perhibent philoſophi,
Saxoq; inſtare globoſo prædicant volubili.
Ideo quò ſaxum impulerit ſors, eò cadere fortunam autumant.
Cæcam ob eam rem iterant, quia nihil cernat, quò ſeſe applicet.
Inſanam autem aiunt, quia atrox, incerta, inſtabiliſq; ſit.
Brutam, quia dignum atq; indignum nequeat internoſcere.

Sunt

Sunt autem alij philoſophi,qui contra Fortunam negant
Miſeriam eſſe vllam,ſed temeritate omnia regi,id magis
Veriſimile aiunt,quod vſus reapſe experiundo edocet,
Velut Oreſtes modò fuit rex,modò mendicus factus eſt.
Naufragio res contigit,nempe ergo haud fortuna obtigit.

& hæc Pacuuius.Hinc,opinor,illud inter adagia connumeratur,Fortuna Euripus:de inconſtantia,& varietate rerum.Extat quoq; vel Vergilij,vel alterius de Fortuna Aſclepiadeum,item & alterum Annæi Senecæ,quibus dea hæc pręclarè deſcribitur.Nihil præterea vetat,quæ de eadem argutè quidem & doctè, vt ſolet,durè licet atque incomptè,ſcribit Martianus,afferre:Tunc etiam,inquit,omniũ garrula puellarum,& cõtrario ſemper fluibunda luxu,leuitate pernix deſultoria geſtiebat,quam alij Fortem aſſerunt,Nemeſimque nonnulli, Tycheáq; quamplures,aut Nortiam.Hæc autem quoniam gremio largiore totius orbis ornamenta portabat,& alijs impertiens,repentinis motibus conferebat,rapiẽs his comas pueriliter,caput illis virga comminuens,eiſdémque quibus fuerat eblandita ictibus crebris verticem,complicatis in condylos digitis vulnerabat. dein & paulo pòſt ſubdit:Hæc mox vt facta conſpexit omnia quæ gerebantur, in Iouis cõſiſtorio ſubnotari,ad eorum libros & pugillarem paginam cucurrit, & licentiore quadam fiducia,quæ conſpexerat inopinata deſcriptione corrupit,vt quædam repentè prorumpentia,velut rerum ſeriem perturbaret:alia verò, quæ cauſarum ratio proſpecta vulgauerat,quoniam facere improuiſa non poterat,ſuis tamen operibus arrogabat.atq; hactenus Martianus,de nomine, vi & poteſtate Fortunæ,eiúsq; natura,eruditè,ſi minus eleganter,perſcripſit. Quare iam ſatis de hac.nam de Fortuna multorum verſus afferre poſſem, vt Beroaldi, & Baptiſtæ Carmelitæ.Sed & ego paſtorali ac bucolico quodam meo poemate adoleſcens ſatis multa luſi:quibus omnibus miſſis,noſtrum proſequamur inſtitutum.Multis eſt Fortuna cognominibus nuncupata.nam Bona Fortuna Romæ in Capitolio culta fuit,Mala in Exquilijs.de hac Cicero, de illa Plinius meminere.hæc Græcè κακὴ τύχη,vel φαύλη τύχη.illa εὐτυχὴ,vel quod magis eſt in vſu,ἀγαθὴ τύχη vocata eſt,vt vel in Cebetis tabula videtur. Hæc & proſpera dicta, & ſecunda,& læta:vt illa,triſtis,ſiniſtra,& læua.Agathes quidem Tyches ſtatua Athenis fuit apud Prytaneum,quam miro exemplo adoleſcẽs deperibat adeò, vt eò demum væſaniæ peruenerit,vt ſibi ipſi manum conſciuerit. Vidi antiquã Bonę Fortunæ imaginem cum hac inſcriptione,ΑΓΑΘΗΙ, ΤΥΧΗΙ.Erat autem in ſolio ſedens mulier ſtolata,ſubtriſtis, cuius dextræ dextram iungere videbatur adoleſcentula egregia forma ac liberali,quæ ante illam ſtabat.Poſt verò matronam ſedentem,puellula quædã manũ ſupra ſcabellum tenere,& inniti videbatur. Huius picturæ interpretationem eſſe arbitror,vt anus illa in ſcabello ſedens præteritã Fortunã ſignificet,atq; ideo ſubtriſtis:formoſa verò adoleſcentula,quæ dextrã dextrę iungit,pręſentẽ Fortunã denotat.at puellula,quę pòſt matronę ſcabellum attingere videtur,futuri temporis Fortunam pręfefert, vtpote quæ ad maturam ætatem nondum peruenit:ſed eiuſmodi inſcriptio in Græcis vetuſtis marmoribus frequens reperitur.Memini quoq; me videre pulchrã mulierẽ cum Cornucopiæ.quin etiam caduceũ vidi,in cuius vertice alatus pileus erat,& vtrinq; duo cornucopiæ,caduceum ipſum complectebantur,idq; ſignificare,eloquentiæ & doctrinæ comitem eſſe bonam fortunam,credebatur.

Aurea Fortuna in primis etiam nuncupata.hanc in cubiculis Imperatorum haberi ſolitam legimus.hæc & morituro ipſo præſente,transferebatur ad ſucceſſorem:vnde factum eſt,vt auream alicui Fortunam dicamus.Hanc verò & Regiam Spartianus in Seuero nuncupauit.

Præneſtina Fortuna appellata,& Præneſtinæ ſortes,de quibus hic agendum ex M.Cicer.verbis:Numerium Suffuſtium, vel Suffuſium, vt Pręneſtinorum monumenta declarãt,virum admodum clarum fuiſſe accepimus.hic cũ aſſiduis

inſomnijs,

inſomnijs,etiámq; minacibus,iuberetur certo in loco ſilicem excidere,perterritus dicitur ſic,vt agere id incœperit ridentibus ciuibus.Sed præfracto ſaxo, erupiſſe ſortes,quæ in robore forent inſculptæ,priſcarum literarum notis. Quin eodem quoq; tempore mel ex olea fluxiſſe tradunt.& haruſpicum monitionibus factum,vti ex eadem olea fieret arcula,& in ea reconditas ſortes:ad quas præmonente Fortuna Romani Pont.accedebant,& pueri manu commixtas educere ſolebant.ac talis quidem Præneſtinarum ſortium origo traditur.Fani Pulchritudo & vetuſtas harum ſortium,etiamnum tempore Ciceronis nomen retinebat. Carneadem Clitomachus ſcribit dicere ſolitum,nuſquã ſe fortunatiorem,quàm Præneſtæ,vidiſſe Fortunam.Idem Cicero lib.2.de Diuin. prodidit. Legitur & hodie antiquum epigramma de Fortuna,quæ Præneſtæ dicata fuerit, cuius hi primi verſus:

Tu quæ Tarpeio coleris vicina tonanti,
Votorum vindex ſemper Fortuna meorum,
Accipe quæ pietas ponit tibi dura merenti,&c. Lucan.in 2.
Vidit Fortuna colonos Præneſtina ſuos. Ouidius:
Et Præneſtinæ mœnia ſacra deæ. Silius:
Sacriſq; dicatum Fortunæ Præneſte iugis. Statius in Syluis:
Et Præneſtinæ poterant migrare ſorores.

Ideo verò ſorores à Statio dictæ,quòd Præneſtæ colerentur, ſub duarum ſororum effigie:hoc eſt,bonæ malæq; Fortunæ.Suet.Tranquillus in Domit.Satis lętam,inquit,fœlicémq; ſortem,Præneſtina Fortuna per nouennium dedit,inſequẽti anno triſtiſſimam reddidit. Habet,inquit Strabo lib. V. Præneſte Fortunæ tẽplum illuſtre,vnde certa eduntur oracula.

Nortiam etiam Fortunam vocatam legimus,vt ex citatis Martiani verbis patet.Porrò & Sutrinorum deam Nortiam,ex Tertulliano,in deis Topicis iam dictum eſt. Eſt verò Sutrium,notiſſima vrbs Hetruſca.Sed & T. Liuius lib. VII ab V.C. Volſcinijs,inquit,clauos indices numeri annorũ fixos in templo Nortiæ Hetruſcæ deæ comparere,diligens talium monumentorum auctor Cincius affirmat.Quare cùm ita ſit,neſcio,vnde in mentem venerit literatis quibuſdam, vt deam hanc Horchiam potius quàm Nortiam appellandam ſcripſerint. Fuit & Nurſia dea Volſcinenſium,niſi nos fallant Tertulliani codices in Apologetico.Nortiæ meminit & Iuuenalis in X.Nortia Thuſco fauiſſet.licet codices & interpretes euariare videantur.quidam enim non Nortiam,ſed Nurſiam,alij & Murciam legendum putant.

Equeſtris Fortuna cognominata & culta in vrbe fuit, cuius ædes à Fuluio Flacco poſita fuit,vt Valerius Maximus & Lactantius ſcribunt. Liuius IIII. Dec.lib.10.hiſtoriã eſt executus:Cùm enim Fuluius Flaccus Celtiberos in Hiſpania fudit,ædem Fortunæ equeſtri,Iouiq; Opt. Max. ludoſq; vouit.hinc detractis frenis equis,vt maiore vi atq; impetu in hoſtes incurrerent equites Romani:quare victoriam obtinuit.Idem Liuius lib.2.quintæ Decad.Q.inquit,Fuluius Flaccus Cenſor ædem Fortunæ equeſtri,quam proconſul in Hiſpania dimicans cum Celtiberorum legionibus vouerat, annos ſex poſtquam vouerat dedicauit:& ſcenicos ludos per quatriduum,vnum diem in circo fecit. eo verò ſtudio faciebat,ne vllum Romæ amplius, aut magnificentius templum eſſet: magnum ornamentum ſe templo ratus adiecturum,ſi tegulæ marmoreæ eſſent. profectus in Brutios,Iunonis Laciniæ ad partem dimidiam detexit:id ſatis fore ratus ad tegendum,quod ædificaretur,&c. Fortunæ equeſtris ædem Syſtylon ad theatrum lapideum,Vitruuius in 3.fuiſſe ſcribit.Quare id mihi mirũ videt̃, quod ait Corn.Tacit.in 3.Romæ Fortunam equeſtrem non fuiſſe. Cùm enim, inquit,equites Romani pro valetudine Auguſtæ donum vouiſſent equeſtri Fortunæ,& eius cognominis nullum tum Romæ eſſet,illud Antium miſerunt, vbi eo cognomine colebatur.Tantum hoc monere volui,cùm Tacitus aliàs diligẽtiſſimus antiquitatis fuerit.

Breuis Fortuna,quæ & Parua dicebatur. Huius ædes fuit Romæ à Seruio Tullio rege extructa,vt Plutarchus in Quæſtionibus Romanis exponit. In hac æde ſignum ſua prætexta ornatum dicaſſe ferunt, & longo tempore incorruptum manſiſſe.

Dubia etiã Fortuna cognominata,cuius vicus in Auentino,hoc eſt, in XIII vrbis regione,vt P. Victor tradit.

Propria,vel priuata Fortuna,hoc eſt,ἰδία, cognominata à Romanis fuit, de qua ſic Plutarchus:Idiæ,hoc eſt,priuatæ Fortunæ delubrum in Palatio fuit.

Virgo Fortuna,hoc eſt παρθένος appellata fuit,eodem Plut.auctore,cuius ad fontem muſcoſum fanum fuit.de hac intelligit Arnobius lib.2. aduerſus Gẽtes, cùm ait,Puellarum togulas ad virginalem defertis Fortunam.

εὐέλπιδος τύχης,id eſt Bonæ ſpei Fortunæ in magno angiportu ædem fuiſſe, idẽ qui ſuprà Plutarchus meminit,& in Quæſtionibus,vbi interpres Bene ſperans expoſuit.

Maſculæ quoq; Fortunæ,id eſt ἄῤῥενος τύχης ædiculam Romę fuiſſe, idem prodit Plut.prope Veneris templum.qui & hoc ibidem ait:Ad hæc,inquit, & ſexcenta alia honorifica Fortunę cognomina,quorum Seruius rex bonam partem dicauit.Fuit & Fortunæ thalamus,cuius loci idem Plut.meminit:Quid eſt, inquit,quòd portam vnam θυρίδα,id eſt feneſtram appellant,apud quam Fortunę thalamus qui dicitur,poſitus eſt.Problema eſt XXXV.

Cæca Fortuna cognominata fuit,vt ex Pacuuiano verſu recitauimus.Cicerò in Philip.Deinde obſecro vos P.C.quis hæc veſtrûm non videt,quod Fortuna ipſa,quæ dicitur cæca,vidit? Idem in libro de Amicitia: Non enim ſolum ipſa Fortuna cæca eſt,ſed eos etiam plerunq; efficit cæcos,quos complexa eſt. Sed non modo à Latinis cæca dicta eſt Fortuna,verùm etiam à Græcis. Hinc Cebes:τύχη,inquit,non ſolum τυφλὴ,id eſt cæca,ſed & inſana & ſurda,hoc eſt, ἀλλὰ καὶ μαινομένη καὶ κωφή.Sed & Martialis cęcam nuncupat,& Plinius. D. verò Auguſtinus:Vt quid,inquit,colitur,quę ita cęca eſt? Quo eodem capite, hoc eſt XVIII. quarti libri de Ciuit.Dei,multa deam ipſam irridens attulit.Porrò & eadem cauſa Apuleius exoculatam Fortunam vocauit.Nũc quis nos vetet, multa de Fortuna breuibus concludere?Libanius rhetor Chriſtianorum hoſtis,Fortunæ occultas inſidias ſignificare volẽs,ὕφαλον Fortunæ dixit.Eſt verò Hyphalus,ſaxum ſub ſalo occultum & cęcum,quę Vergilius cęca ſaxa & latentia appellauit.εὔριπος τύχη,id eſt Fortuna Euripus,ęſtuans. Fuerunt plures Fortunæ ędes Romę, vt malę & deteſtatę in Exquilijs,Fortunæ Fortis in ripa Tiberina, Equeſtris iuxta theatrum. Fuit & templum Fortunę breuis,hoc eſt paruæ, quę & Puſilla ab aliquibus dicta eſt. Fuit & παρθένου,hoc eſt virginis Fortunæ. Aliud Primigenię,aliud Obſequentis ad Capenam portam. Fuit & Priuatæ,& Viſcatæ,& Publicę,& Virilis,& Bene ſperantis,id eſt εὐέλπιδος:& ἀποτροπαίου,id eſt auertentis:& blandæ,hoc eſt μειλιχίας,licet μαλίας in Gręco Plutarchi codice legatur:item Fortunę dubię in Auentino,& Mammoſæ in duodecima regione, & Barbatæ,& Muliebris,quibus ferè omnibus Seruius Tullius rex principiũ dedit,quod à Fortuna ipſe ex ſeruo in regnum eſſet euectus:idem pręterea rex perſpiciens Fortunam ipſam in rerum occaſionibus plurimum momenti habere in vtranque partem,quod Plutarchus & Plinius ſcribunt. de quibus omnibus, & de alijs nonnullis,pro vt vel rei vel memorię ratio ſuppeditarit,agemus. Ad hęc legimus,ædem Fortunæ in aurea domo ſtruxiſſe principem Neronem, ex puro candido ac lucido lapide,adeò vt etiam nullis adopertis foribus intus eſſe lux incluſa videretur,vt pluribus paulo pòſt.

Occaſionem poſſemus & hoc loco aſcribere,ſed eam primo Syntagmate deſcripſimus:qua occaſione & quidam Caluam fortunam dixêre.

αὐτοματία τύχη,id eſt Spontanea,vel vltronea Fortuna appellata,& culta à Siculis.nam cùm Timoleon ex Sicilia tyrannos eieciſſet,ideòque ipſi multi inuiderent.

derent, quòd ſcilicet ab omnibus laudaretur, ipſe, vt inuidiam declinaret, Fortunæ, quam αὐτοματίαν vocant, templum erexit: faſſus, neq; vi, neque prudentia ſua, ſed Fortunæ auxilio illa ſe perfeciſſe. Auctores, Plutarchus & Aemil. Probus. αὐτόματα enim ea Græcè dicuntur, quæ ſponte ſua mouentur & fiunt, vt machinæ quædam.

Seiæ Fortunæ ædem ſcribit libro trigeſimo Plinius, fuiſſe à Nerone conſtructam, quam Seiam appellatione dicebat. An verò hæc Seia eſſet, quam Auguſtinus ex Varrone ait præpoſitam, quàm diu ſegetes ſub terra eſſent, cuius & Macrobius in Ferijs meminit, & Plinius idem XVIII libro, vt antè docuimus, id eſt in primo Syntagmate, non planè conuenit: etſi quidam, qui ſe bene Romanas antiquitates docuiſſe arbitrantur, eandem faciant. nam locus Plinij, vnde illi ſunt decepti, ita legendus eſt capite vigeſimoſecundo libri trigeſimiſexti: Nerone principe, in Cappadocia repertus eſt lapis duricia marmoris, candidus, atque translucens, etiam qua parte fuluę inciderant venæ, ex argumento Phengites appellatus: hoc conſtruxerat ædem Fortunæ, quam Seiam appellatione dicebat, à Seruio rege ſacratam, aurea domo complexus. quare etiam foribus opertis interdiu claritas ibi diurna erat, haud alio quàm ſpecularium modo, tanquam incluſa luce, non tranſmiſſa. hæc Plinius. Sanè locum hunc Hermolaus ita caſtigat: Aedem Fortunæ, quam Sellam appellant: Vetuſti, inquit, codices ædem Fortunæ, quam Seiani appellatione dicebat, hoc eſt: Nero princeps. Porrò mihi hoc loco magis ſatisfacit, quod idem ſcribit Plinius lib. 8. cap. 48. Seruij Tullij, inquit, pretextę, quibus ſignum fortunæ ab eo dicatæ coopertum erat, durauère ad Seiani exitum: mirùmq; fuit, nec defluxiſſe eas, nec teredinum iniurias ſenſiſſe annis DLX. De Seiana Fortuna & equo, Gellius & Suetonius. Oſtenditur & nunc Seiani antrum in ora Campaniæ, haud procul Pauſilipo. Cęterum de equo Seiani plura in prouerbijs leguntur.

Publica Fortuna Romæ culta in valle Quirini, quæ inter Exquilias fuit, & Quirinalem collem. meminit Ouid. Faſtor. 4.

Qui dicit, quondam ſacrata eſt Valle Quirini
Hac Fortuna die publica, Verus erit.

P. Victor videtur In colle legere, non In valle.

Viſcata, hoc eſt, ἰξευτηρία Fortuna, ab antiquis nominata fuit, cuius Romæ ædem fuiſſe accepimus: vti ab ea nos capiamur. hinc & à Seneca dictum, Viſcata eſſe beneficia. Huius verò Hixeuteriæ Fortunæ meminit Plutarchus in Quęſtionibus Romanorum, cuius hęc ſunt verba à me expreſſa: Tum Fortunę ἰξευτηρίας templum eſt, quam Viſcatam nominant. Vnde mirum mihi videtur, quòd in libro de Fortuna Romanorum, Budæus potius viſcatricem, quàm viſcatã tranſtulerit: quòd nomen etſi ridiculum videt, vt ait Plut. non ab re tamen, ſi per trãſlationem dicas, tenaciter attrahentis quicquid illi hæſerit.

Virilis fortuna, hoc eſt ἀνδρείας τύχη, culta & cognominata fuit, vt Plutarchus ſcribit de Fortuna Romanorum, Ancum Martium Romanorum regem virilis Fortunæ tẽplum erexiſſe: quòd ad victoriam plurimùm Fortuna conferat. Dionyſius verò Alicarnaſſeus lib. Hiſtor. IIII. ait Seruium Tullium ſuperatis Hetruſcis, cum quibus XX annis continenter pugnauerat, rebus compoſitis duo templa Fortunæ conſtruxiſſe, quã per omne vitę tempus viſus erat vti proſpera: alterum in foro boario, alterum ad ripas Tiberis, ei quam virilem appellauit. De ſacro autem Virilis Fortunę Ouid. quarto Faſt.

Diſcite nunc quare Fortunæ thura Virili
Detis eò, gelida qui locus humet aqua.

In hoc verò templum ventitare ſolitas mulieres legimus, quę nuptui dabant: & corpore nudato, ne quo vitio aut labe eſſent affectę, explorabãtur. Scribit Plut. Seruium regem Fortunæ regnum acceptum retuliſſe. quin vulgò etiam prædicabat, conſuetudinem ſibi eſſe cum Fortuna, eámq; per feneſtram quandam ad

ſe dela-

ſe delabi in cubiculum ſolitam. & ſubdit: ab ipſo rege in Capitolio fanũ conſtructum Fortunæ Primigeniæ, quam πρωτογένειαν Græci vocant. de qua illud eſſe, quod modò recitabam, crediderim:

Tu quæ Tarpeio coleris vicina Tonanti.

Fuit & in colle Quirinali, de qua T. Liuius lib. 4. de bello Maced. Aedes, inquit, Fortunæ Primigeniæ in colle Quirinali dedicauit Q. Martius Hala Duumuir ad ipſum creatus, vouerat eam x annis ante Punico bello P. Sempronius Sophus, locauerat idem Cenſor. Meminit & in 5. Decad. lib. 3. in æde Primigeniæ Fortunæ, quæ in colle eſt, duo diuerſa prodigia: palmam in area enatam, & ſanguinem interdiu pluiſſe. Plutarchus Primigeniam ait Fortunam Romani coluerunt. cauſam hanc affert: An, inquit, Seruio ex ſerua nato Romæ ſumma cum laude & ſplendore imperare contigit, vt pleriq; ex Romanis exiſtimant? An illud magis, quòd Fortuna vrbi & imperium & originem præſtitit. An altior quędam (inquit) ratio, & magis à natura, ex media deprompta philoſophia: Fortunam ſcilicet rerum omnium principium eſſe: Naturam verò κατὰ τύχην. i. ſecũdum Fortunam conſiſtere.

Malam etiam Fortunam quidam vocauere, cuius ædem in Exquilijs Romæ fuiſſe, apud mihi ſuſpectum ſcriptorem legi.

Fortem Fortunam, quam φορτικὴν τύχην Græci vocant, Romani coluere, & à Tullio rege primum dedicatam fuiſſe legimus: tum & ab alijs poſtea. Fuit verò iuxta fluuium in hortis à Cæſare populo relictis, vt Plutarchus ſcribit. Sed longè ante hanc eius cellam, T. Liuius 7. lib. 3. Decad. Romæ, inquit, intra cellam ædis Fortis Fortunæ de capite ſignum, quod in corona erat, in manu ſponte ſua prolapſum. Idem T. Liuius lib. x ab v. c. Papyrium, ait, poſt triumphum de reliquo ære, quod in ærarium intulerat, ædem Fortis Fortunæ de manubijs faciendam locaſſe, prope ædem eidem deę ab rege Seruio Tullio dedicatam, qua de re & Varro de Ling. Lat. Dies, inquit, Fortis Fortunæ ſecundum Tiberim extra vrbem Romam dedicauit. Donatus in Phormione Terentij: Fortuna, inquit, dicta eſt res incerta: Fors Fortuna, euentus Fortunę bonus. Idem & paulo pòſt: Aliud Fortuna eſt, aliud Fors Fortuna. nam Fors Fortuna eſt, cuius diem feſtum colunt, qui in arte aliqua viuunt. huius ædes trans Tiberim eſt. dies autem Fortis Fortunæ feſtus 8. Calend. Quintilis agebatur, vt in antiquis Faſtis, & apud Ouid. notauimus, cuius hi verſus in 6. Faſtorum leguntur:

Quàm citò venerunt Fortunæ Fortis honores,
Poſt ſeptem luces Iunius actus erit.
Ite deam læti Fortem celebrate Quirites,
In Tyberis ripa munera regis habet.

Apud Non. Marcellum Actius poeta in Actyanacte, Fortunam à Forte diſtinguit. ita enim dicit, Quo captus modo Fortunáne an Forte reperiatur. Catullus ſeorſum enunciat:

Agnoſcam, cùm te reducem Fors proſpera ſiſtet.

M. Tullius in L. Piſonem: Sed omitto vt ſit factus vterq; noſtrum. Sit ſanè Fors domina campi. magnificentius eſt dicere, quemadmodum geſſerimus conſulatum. Tibullus, Fors iuuat audentes. Sed enim hic Tibullus ad prouerbiũ reſpicit quod eſt, Fortes Fortuna: de quo Cicero 2. Tuſc. Fortes enim non modò Fortuna adiuuat, vt eſt in veteri prouerbio, ſed multo magis ratio. Ouidius ſecundo Faſtorum:

Audentes Forsq; Deusq; iuuat.

T. Liuius: Fortes Fortunam adiuuare aiebant. Eſt & in Vergilij carminibus.

Redux etiam à Romanis cognominata, & à Domitiano Cæſ. in primis: vnde Martialis in octauo:

Hic vbi Fortunæ Reduci fulgentia latè

Templa nitent.

Claudianus item:

Aurea Fortunæ reduci ſi templa priores
Ob reditum vouere ducum, non dignius vnquam
Hæc dea pro meritis amplus ſibi poſceret ædes, &c.

Multa præterea extant nomiſmata, illa quidem vetuſta, diuerſorum Cæſarum, in quibus & imago eſt, & inſcriptio REDVCIS Fortunæ.

Fortunam etiam cognominatam eſſe Huius diei, Cicero oſtendit libr. de Legibus 2. & P. Victor in regione Palatij. Plin. libr. 34. c. 14. tametſi inibi mendum inſit. nam cum inquit Plin. ad ædem Fortunæ huiuſce deæ: reponendum eſt pro Deæ, Diei: quod & agnoſcit ex cardinalis Maffei codice manuſcripto, vbi Diei legitur, vt illud ex Georg.

Libra diei ſomniq́ pares vbi fecerit horas.

Monuit me huiuſce rei ſuo ſcripto B. Aegius.

NEMESIS Rhamnuſia & Adraſtia, eadē diuerſis de cauſis ſic appellata, ideo & nos ſimul deſcribemus. Plato in quarto de Legib. Dialogo, pulcherrime deā Nemeſin, quę quid quemq́ facere deceat, oſtendit, ita deſcribit: Omnibus, inqt, præpoſita eſt Nemeſis, iudici angelus, omniū huiuſmodi conſideratrix, quo loco Platonici interpretes multa ſubtiliter de hac dea. Sed & Ammianus Marcellinus his verbis: Dea eſt vltrix facinorum impiorum, honorumq́ præmiatrix, arbitra rerum, regina cauſarum, quam theologi veteres fingentes Iuſtitiæ filiam, ex abdita quadam æternitate tradebant, omnia deſpectare terrena. Quæ verba ex Orphei ad Nemeſin hymno deſumpta videntur. Proclus verò in Heſiodum, Iuſtitiæ nunciam, non filiam ſcribit. quod & Plato, vt modò relatum, teſtatur: licet Ficinus, Iudicium pro Iuſtitia repoſuerit. Pennas ideo huic deæ fabuloſa vetuſtas aptauit, vt adeſſe velocitate volucri cunctis exiſtimaretur. Eidem gubernaculum dedit, & rotam ſubdidit, vt vniuerſitatem regere per elementa diſcurrens omnia non ignoraretur. Macrobius verò, Nemeſin contra ſuperbiam coli, eſſeq́ Solis poteſtatem arbitratus eſt, cuius hæc natura ſit, vt fulgentia obſcuret, & quæ ſunt in obſcuro illuminet: ſic etiam Nemeſis, nunc erectas mentium humanarum ceruices opprimere, & eneruare videtur: nunc bonos ab imo ſuſcitās, ad bene viuendū extollit. Nemeſis verò dicit̃ ἀπὸ τ͂ ἑκάςῳ διανεμήσεως, id eſt à diſtributione quæ vnicuique fit. hoc Ariſtoteles, qui & in tertio ad Eudemum alia plura. Orpheus etiam deæ hymnum compoſuit. Heſychius Bonam Fortunā, hoc eſt ἀγαθὴν τύχην, Nemeſin interpretatur: & Themin. i. fas. Plin. in 11. poſt aurem dextram, ait locum eſſe Nemeſeos, quæ dea latinum nomen ne in Capitolio quidem inuenit. Idem lib. 28. Alij, inquit, Gręcam Nemeſin inuocantes, cuius ob id Romæ ſimulachrum in Capitolio eſt, quamuis latinum nomen non ſit. Hinc noſtrum illud eſt ad Cœlium:

Quæ nec adhuc Latium nomen ſortita, rependat
Diua mihi pœnas, &c.

Nemeſeos ſimulachrum Pompon. Mela, aliiq́, in Rhamnunte Atticæ pago fuiſſe tradunt, opus Agoracriti, vel Phidiæ. Heſychius: In Rhamnunte, inquit, Atticæ pago Nemeſeos erecta fuit ſtatua δεκάπηχυν, id eſt decem cubitorum, vnius lapidis, id eſt ὁλόλιθον, opus Phidiæ, in manu habens mali ramum. de hac eadem ſic Strabo lib. nono. Rhamnus Nemeſeos ſtatuam habet, quod Diodori opus plerique dicunt: aliqui verò Agoracriti Parij, quę ex magnitudine pulchritudineq́ perfecta magis ac magis eſt, & cum Phidiæ operibus æmulatione contendit. Plinius verò de Agoracrito Pario & Alcamene Athenienſe agens: Certauere, inquit, inter ſe ambo Phidiæ diſcipuli, in Venere facienda: vicitque Alcamenes non opere, ſed ciuitatis ſuffragijs, contra peregrinum ſuo fauentis. quare Agoracritus ea lege ſignum ſuum vendidiſſe, ne Athenis eſſet, & appellaſſe Nemeſin. Id po-

Id poſitum eſt in Rhamnunte pago Atticæ, quod M. Varro omnib: ſignis prætulit. Auſonius in Moſella:

Et Latiæ Nemeſis non cognita linguæ.

Sed ſcribentem præſtat audire Pauſaniam hac de re in Attica: A Marathone, inquit, ſtadijs XL, Littorali via ad Oropum euntibus, Rhamnus decurrit. domicilia incolarum ad mare poſita ſunt. paulo inter continentem Nemeſeos fanũ eſt, quæ dea ſuper cæteros deos aduerſus ſuperbos inexorabilis eſt: vt Barbaris quoque, qui in Marathona venerant, huius deæ ira multum obſtitiſſe videatur, nam Athenarum opes aduerſus ſe contẽnentes, iam tum Parium marmor acceperant, quod ad trophęum erigendum vehebant. id marmor Phidias excidit in deæ huius ſtatuam. corona capiti appoſita eſt, qua & cerui & Fortunæ (ſi Domitium interpretem ſequamur: ſi verò gręcum codicem, Victorię) parua ſigna cõtinebantur. in manu altera erat ramus μηλέας, id eſt ex malo arbore: vel μελίας, id eſt ex fraxino. variant enim exemplaria: & perinde qui interpretati ſunt, ancipites fuere. Sed tamẽ & Eudemus huic imagini in Veneris ſpecie formatæ, in dextra mali ramum dedit. ſic & Suidas. in lęua verò phiala, in qua Aethiopes effecti erant. cuius rei cauſam neq; ego (ait Pauſanias) cõiectura per me aſſequi potui: neq; eorum opinio, qui ſe id ſcire putant, mihi probabilis viſa eſt. Gręcum extat tetraſtichon inter græca Epigrammata, de hac ipſa Nemeſi, quod ab Auſonio Gallo eſt ita traductum:

Me lapidem quondam Perſæ aduexere, trophæum
Vt fierem bello, nunc ego ſum Nemeſis.
At ſicut Græcis victoribus aſto trophæum,
Punio ſic Perſas vaniloquos Nemeſis.

Quod ſi græcè mauis, ita habe:

καὶ με λίθους πέρσαι δεῦρ' ἤγαγον, ὄφρα τρόπαιον
στήσωνται νίκας, εἰμὶ δὲ νῦν νέμεσις.
ἀμφοτέροις δ' ἕστηκα, καὶ ἕλλησι τρόπαιον
νίκας, καὶ πέρσαις, τοῦ πολέμου νέμεσις.

Legitur pręterea & finis epigrammatis Theęteti:

—— Sum victoria certè
Nunc ego Erechthidis, Aſſyrijs Nemeſis.

Extat & diſtichon, quo Nemeſis effingitur cum freno & menſura cubiti: quo ſignificatur, nihil ſine menſura & freno agi oportere. Ipſum tale eſt:

ἡ νέμεσις προλέγω τῷ πήχει τῷ τε χαλινῷ,
μήτ' ἄμετρόν τι ποιεῖν, μήτ' ἀχάλινα λέγειν. hoc eſt,

Prædico hac Nemeſis norma ſimul, hiſq; lupatis,
Non effrena loqui, & nil fieri abſq; modo.

Scio ab alijs aliter expreſſum. Ego non elegantiam, ſed fidem ſum ſecutus. Sed redeo ad Pauſaniam, qui & hoc ſubdit: Neq; hoc Nemeſis ſimulachrum, neq; aliquod aliud antiquum alas habebat, ſed poſtea apud Smyrnęos ſimulachra alata fuerunt: & niſi Nemeſi alę additę, veluti & Cupidini: quia huius deę numen in his potiſſimum apparere autumant, qui amore capti ſunt, vt in Aegereę Fortunæ imagine ſuprà diximus. hinc Catulli illud:

Ne pœnas Nemeſis repoſcat à te,
Eſt vehemens dea, lædere hanc caueto.

Et in Narciſſi fabula etiam oſtendit Ouidius. Sunt qui Nemeſin Fortunam faciant, vt ex Marcellino ſuprà dictum eſt. Sic & Claudianus contra Alaricum, Ramnuſiam:

Sed deã quæ nimijs obſtat Rhamnuſia votis,
Ingemuit, flexitq; rotam.

Non deſunt qui apud Heſiodum iuſtitiam interpretentur, cùm cecinit αἰδὼς καὶ νέμεσις.i.Et Pudor & Nemeſis homines reliquerunt,& ad immortalium cœtus aſcenderunt.ad quæ verba illa Iuuenalis in ſexta referuntur:

Paulatim deinde ad ſuperos Aſtræa receſſit,

Hac comite. id eſt pudicitia,qui verus pudor eſt:

——*Atq; duæ pariter fugere ſorores.*

Sed cur & Pomponij Læti de Nemeſi dea,verba ex Capitolino& Ammiano interpolata,non recitem?Is igitur lib.2.Romani,inquit,profecturi ad bellum,Nemeſi ſacrificabant & munus gladiatorium edebant:quod non ſine ratione factũ arbitramur. Virgo & Victrix Nemeſis numen fuit,quo qui malefactis delinquebant, puniebantur: vnde victores Nemeſin non fruſtra inuocabant. Romani enim ſemper iuſta mouere arma:cæteræ nationes odio & maleuoleutia, liuoréq;,quòd imperium tantæ vrbis iuſtitia ageretur,tela in populum Romanum capiebant.

Nemeſis quam plerięq; exiſtimauere eſſe vim Fortunæ,alij filiam Iuſtitiæ, alij vim quandam eſſe inter cœleſtes diſcurrentem,prima rerum ſemina,quæ fatorũ & ſortium vires temperat atq; emendat,rebus humanis trutinam adhibẽs,è cœlóq; terrena deſpectans,nocentes punit,bonis præmia largitur:& cum ſit velociſſima,quia diu non permittit impios præeſſe atq; graſſari,alata fingitur à veteribus:& eius pedibus ſupponitur rota, cùm citiſſimè diſcurrat.Sed tandem multitudine ſcelerum indignata,oculos iam diu ab rebus humanis auertit,& cũ genitrice in remotiore parte cœli vltra terrarum regiones non reditura, renaſcentem orbem expectat.eadem Adraſtia & Rhamnuſia appellata, vt mox dicem⁹. Nunc & aliquid de Nemeſis fabula afferamus. Nemeſin Oceani filiam & Noctis,canit in Theogonia Heſiodus.Nemeſin verò Iouem amaſſe perhibẽt.Cùm ea auerſaretur,dolis illam aggreſſus eſt, vt tradidimus in Caſtorib. non opus eſt vt repetã.Demetrius Sceptius exiſtimauit Nemeſin Dianã eſſe, vt Suidas teſtis eſt.Legi poſtremò qui Nemeſia.i.νεμέσια apud Demoſthenem interpretent̃, parentationum ſacra.Ego verò non Nemeſia,ſed νεκύσια legerem libẽtius, de quib. in noſtris Sepulchralibus egi pridem.Scribit Phurnutus,quod Nemeſis ὄπις etiam dicitur ἀπὸ τοῦ λανθάνειν ὄπισθεν,quòd ſcilicet occũltet retro, & conſeruet quæ nobis facta ſunt punitione digna.

Adraſtea verò nuncupata,vel ἀπὸ τοῦ α στερητικοῦ μορίου καὶ δρασμοῦ.vel vt ait Phurnutus,παρὰ τὸ ἀεὶ δρχῶ,quaſi ἀεὶ δρασεία,ꝙ nihil eam impediat, nihil fruſtret̃, nihil ea infectum relinquat.vel vt Pauſanias ait ἀπὸ διδράσκειν,quòd ſcilicet nemo nocẽs meritam pænam vnquam effugerit,etiamſi aliquando ſerius aſſequit̃. Antimachus poeta ab Adraſto denominatam his verſibus ait:

Eſt dea quam Nemeſin dicunt,dea magna,potẽſq;,
Quæ bona cœleſtum conſenſu cuncta deorum
Poſſidet, huic primus ſacratam condidit aram
Fluminis Aeſapi gelidas Adraſtus ad vndas.
Hic vbi nunc coliturq;,atq; Adraſtea vocatur.

Quam ſententiam Strabo ſecutus eſt lib.13.Alij ab Adraſto Myſo, vt Pauſanias docet,dictam exiſtimãt.Meminit & huius Adraſteæ Zenobius in Prouerb. ſeu Zenodorus,& Verg.in Ciri,vbi Charme nutrix loquitur:

Vt ſcelere infando,quod nec ſinat Adraſtea,
Lædere vtrunq; vno ſtudeas errore parentem.

Sunt qui tradant ab eo loco,vbi Aegialeus Adraſti filius occiſus fuit, Adraſteæ ædem cõditam.Diogenes apud Stephanum ait, Adraſteam dictam eſſe ab eius nominis nympha,quæ ex Oreſtiadum numero vna fuit.Fuit & in Troiæ regione locus Adraſtia nũcupatus,ab Adraſtia filia Meliſſi,quæ ibi regnauit,vt Charax prodit lib.2.Hellanicorum.Fuere,vt in Græcis Pauſaniæ commentarijs cõperi,qui

peri,qui diuerſam Adraſteā facerent à Nemeſi:vt Euripides in Rheſo tragœdia, qui eam Iouis filiā:O Adraſtea,inquit,Iouis filia,amoue dictorū inuidiā.Menander tamen & Nicoſtratus, & Antimachus, alij́q; eandem putarūt.Martianus de Adraſtia ita quidē ſcribit:In ſenatu Iouis quædam fœmina Adraſtia dicebatur, vrnam cœlitem ſuperámq; fortē irreuocabili raptus celeritate torquebat, excipiebatq; ex volubili orbe decidentes ſphæras,peplo inflexi pectoris, ἑιμαρμένη. A Platone de Adraſtia nonnihil Plotinus euariat,in lib.de Prouidentia.

Rhamnuſia etiam,vt docuimus, à pago Atticæ regionis nuncupata eſt Nemeſis:vt illud:

Aßenſit precibus Rhamnuſia iuſtis. Lucanus:
Et tumidis infecta colit qua numina Rhamnes. Claudianus:
Sed dea quæ nimijs obſtat Rhamnuſia votis
Ingemuit,flexitq; rotam.

Repete quæ in Nemeſi ſcripſimus.Dicitur & Rhamnuſis,forma patronymica. Ouid.in decimoquarto:

Memoremq; time Rhamnuſidis iram.

Rhamnus autem,vt Stephanus ſcribit,populus eſt Atticę in Aeantide tribu:dictus,quòd ibi rhamnus plurima proueniat.eſt enim rhamnus inter ruborum genera,vt notiſſimum eſt.Ferunt enim,teſte Suida,primùm Veneris habitu erectā fuiſſe ab Erechtheo,qui Nemeſin matrem habuiſſe fertur:atq; ideo,quôd Veneris ſpecie poſita fuiſſet,ramum ex malo arbore manu tenebat.

Muliebris Fortuna etiā cognominata apud Romanos.i.γυναικεία τύχη,vt Plut. ſcribit:cuius ſimulachrū,vt in 4.de Ciuit.dei Auguſtinus ſcribit, à matronis dedicatum fuit,& eo nomine appellatum:quòd etiā locutum eſſe,memorię eſt cōmendatum,atq; dixiſſe non ſemel,ſed iterū,propter quod eam ritè matronæ dicauerunt.Id verò hiſtorici in Volumnię & Veturię honorem ac memoriam dedicatum prodidere,quæ anno poſt adeptam libertatem XVIII, cùm Coriolanus exul bellum patriæ intuliſſet,nec armis reſiſti poſſet,nec precibus,mulierum tamen lachrymis placatus eſt.ideoq; templū extructum Fortunæ muliebri, via Latina,quarto ab vrbe lapide:quod cùm dicaret,bis locutū eſſe ſimulachrū ferunt: auctores,Liuius,Val.Alicarnaſſ.Plin.de viris illuſt.Plutarchus quoq; de Fortuna Romanorum,ait, in huius templi dedicatione ſimulachrum ita locutum: Piè me vrbis lege mulieres vrbanæ erexere. hoc eſt, vt ille græcè, ὁσίως με πόλεως νόμῳ γυναῖκες ἀσταὶ καθιδρύσασθε.Dionyſius verò Alicarn.in octauo ita ſcribit,ὁσίῳ πόλεως νόμῳ γυναῖκες γαμεταὶ δεδώκατέ με:hoc eſt,Sancta ciuitatis lege fœminæ nuptæ me dicaſtis.quo loco hiſtoriam hanc omnem,& quo die ei ſacram rem facerent matronę Romanæ,plenè exequitur. Sanè ex Latinis quidam ſic afferunt hanc deæ vocem,Ritè me matronæ vidiſtis,riteq; dedicaſtis. Sed & Lactantius in ſecūdo affirmat,non ſemel hoc Fortunæ ſimulachrum locutum fuiſſe.Addit & Feſtus, huius Fortunæ ſignum nefas eſſe attingi,niſi ab ea quæ ſemel nupſit.

Obſequens Fortuna,eodem Plutarcho auctore, cognominata,quaſi dicas indulgens:vel vt alij interpretantur,Clemens.In inſcriptionibus antiquis legi hāc epigraphen,& adhuc legi Comi:Fortunæ Obſequenti Ord.Comenſ.Voto Pro Salute Ciuium Suſcepto.Obſequentis Fortunæ vicum P.Victor collocat in prima regione vrbis,in ſecunda verò vicum commemorat Fortunæ Reſpicientis: adeò mihi ſapientes inſaniſſe interdum videntur antiqui, qui Fortunam cæcam fingerent aliquando præteritos reſpicere,& non potius Dei prouidentiam.Sed & ædem huius Reſpicientis Fortunæ in colle legimus fuiſſe Palatino: ni fortè antiquarij decepti,pro vico ædem ſcripſerint.Idem quidem P.Victor ædem etiam Rhamnuſiæ in Palatio conſtituit.

Mammoſa à Romanis etiam nuncupata eſt Fortuna,ob vbertatem, vt puto, & fœcunditatem.Nam & eius ædem non longe à capite Viæ nouę reponit P.

Victor, qui & vicum Mammoſæ Fortunæ conſtituit in duodecima regione vrbis, quam Piſcinam publicam vocat.

Antiatem deam Fortunam vocamus: Horatius:

O diua gratum quæ regis Antium.

Quo loco Porphyrio ait, Antij templum Fortunę donis fuiſſe opulentiſſimum. hinc noſtro Hendecaſyllabo & nos ad Saluiatum:

Et virtute tua dea Antiatis
Conatus ſuperare & hinc & inde. Item ad Eremitam:
Sed nunc diua agitatus Antiate.

Suetonius Antianam dicere videtur, vel potius Antiatenam. Codices enim variare videmus in Caligula: Monuerũt, inquit, & Antiatinæ Fortunæ, vt à Caſſio caueret. Scribit Macrobius, ſe apud Antium vidiſſe promoueri ſimulachra Fortunarum, ad danda reſponſa. Id verò quod in Rudente Plautus ait, Vtinam nũc Fortuna anatina vterer: ab anate aue deſumptum eſt, quæ exit ex aqua non madefacta. quod idem poeta declarat. nam ſubdit: Vt cùm exiſſem ex aqua, arerem tamen. Sed hic Plautinus iocus eſt, non deæ cognomen. Atq; hactenus de Fortuna à ſene parum firmo tibi habe, Guarine doctiſſime: nec munus, ſed voluntatem, rogo, metire.

Fortuna conſeruatrix è cippo vtrinq; inculpto, & inſcripto, cùm imagine mulieris Cornu copiæ in ſiniſtra tenentis, dextra verò temonem habentis, Romæ, ſic, NVM. DOM. AVG. in domo Marcelli Capiſuci: SACRVM. FORTVNAE CONSER-VATRICI HORREOR-GALBIANORVM -M. LORINVS FORTVNATVS MAGISTER -S. P. B. D. Ex altero latere imago eſt mulieris, dextera è patera vinum in ardentem aram iacientis, ac ſiniſtra ſimpuuium ferentis, hiſce cum verbis: NVM. DOM. AVG. - SACRVM - GENIO CONSERVATO-RI HORREORVM GALBIANORVM -M. LORINVS FORTVNATVS MAGISTER S. P. D. D.

Fortuna ſtata etiam nuncupata eſt, vt planè cognoſcimus ex hac inſcriptione, quæ Romæ legitur:

GERMANICO CAESARE C. FONTEIO. CAPITONE COS. K. IAN. STATAE FORTVNAE. AVG. SACR. SEX. FONTEIVS Ɔ. L. TROPHIMVS. CN. POMPEIVS. CNI F. NICEPHOR. MAG. VICISANDALIARI REG. IIII. ANNI XVIII. DD.

SYNTAGMA DECIMVMSEPTIMVM, DE SACRIFICIIS. AMPLISSIMO PATRI AC illuſtriſs. Principi, Epiſcopo Portuenſi, Car. Saluiato, L. Greg. Gyraldus, obſequentiſs. ſeruulus, S. P. D.

EGO equidem ſemper cum probatis doctrina & vitæ integritate viris ita ſenſi, & credidi, Deum Optimum Maximum publicè coli debere, & expedire, publicis patrum cæremonijs & inſtitutis: priuatim verò pura tantum mente, ac incontaminata: nec plus ſapere quenquam ſibi arrogare, quàm decreta & maiorum inſtituta per tot iam ſecula per manus ſubinde tradita permittunt. Quod cum plerią; aliàs, tum hac in primis noſtrorum temporum fece ſeruare contempſerunt, in varias ſectas, falſaq; & impia dogmata inciderunt, turbasq; plurimas & diſsidia in populis concitauerunt. qua ex re præter diſſenſiones paſsim & vulgò diſſeminatas, pacis quoq; tranquillitatem & bonorum ciuium ocium ac quietem interturbant, ſic vt indies magis magisq; ſeditiones & ſchiſmata fieri videamus: vt nunc bella plusquàm ciuilia, & cognatas acies mittam. Sed iſta, quæ magis deflere & deplorare, quàm corrigere & emendare poſſumus, ipſi his moderanda & emendanda in præſentia mittamus, quibus hoc munus incumbit. Quin illud nos potius videamus (ſi vacat) exortas nunc quoque nouas eſſe in re literaria hæreſes, quæ non minus adoleſcen-

tum animos & ingenia exagitant, & quidem præclara & liberalia. Inter hos verò quidam ſunt, qui ſic palàm dictitant: Nihil omnino Latinè ſcribendum eſſe, cùm ſatis ſuperq; ab antiquis omnia & ſcripta & pertractata ſint: & deſperandum eſſe, his demum diebus quenquam contingere poſſe ad eam dicendi & ſcribendi fœlicitatem, in qua antiqui excelluere. Alij ſunt qui hoc nõ omnino probant, & ſcribendum quidem aiunt, ſed eo duntaxat ſermone, qui vernaculus Hetruſcorum eſt, quemque alij ex regulis & arte conſtare, alij natiuum tantùm & genuinum ſibi & ſuæ nationi affirmant. atque ideo non modo hiſtorias, ſed & diſciplinas, & ſi Deis placet, philoſophiam & res ſacras, ac religionis myſteria in vulgarem & vernaculam linguam & conſuetudinem conuertunt. Quibus vtriſque, ſi corporis mihi vires, vel manus ſaltem ſuppeterent (ita enim mihi hac de re inſtructa & parata eſt ſupellex.) ſperarem me ſolidis & indiſſolubilibus argumentis validíſque ſententijs reſpondere poſſe, eorúmque ita diluere ac infirmare commenta, & planè cauillos, vt vel pleroſque ſententiam mutare compellerem, vel ſaltem iuuentutem non deterrerent à linguæ latinæ & græcæ vſu, quo minus earum perennibus, conſuetíſque ſtudijs operam nauarent. Sed non diffido alios, & me longe doctiores, & magis firma corporis valetudine futuros, qui peruerſis ac præpoſteris opinionibus ſint reſponſuri, & in bonam viam reuocaturi: vt nonnihil certè iam præſtitit Barthol. Ricius, in ſuis de Imitatione libris. Quare nunc ego his miſsis, ad te, de varijs & multiplicibus ſacrificiorum gentium cæremonijs (quæ aliàs magis animi gratia, quàm ingenij viribus à me collecta ſunt) mittere conſtitui, ea in primis ratione, vt noſtri adoleſcentes his nugis potius oblectentur, & erudiantur, quàm tanto cum periculo velint vel de religione & ſacris rebus loqui, vel vulgari ſermone pluſquam expediat ſtudia ſua prouehere. Accipe verò Saluiate maxime: maior future, reddita ſi ſint merenti præmia: accipe inquam hæc noſtra qualiacunque, & licet ſint te minimè digna, at certè tibi ſunt à me debita, cui quotidiana tua ſunt, nec vulgaria beneficia: id quod expreſsius his hendecaſyllabis ſum teſtatus:

Debebam tibi Saluiate præſul,
Vitæ quod ſupereſt mihi imbecillis,
Quòd victu & lare me foues benignus:
Sed cùm muneribus nouis ſubinde,
Nunquam deſinis optimè mereri,
Me ingratum video interire coges,
Et tu munificentior fereris.

Vale; & quod facis, cadentem ſubleua.

DISTICHON, PRO ARGVMENTO.

Monſtrat vbi, per quos, quæ, quomodo, quando, Libellus,
Sacra ſuis Gentes exhibuere deis.

QVoniam deorum nomina & cognomina eorumq; imagines, quantum imbecillæ vires corporis & ingenij tulere, ſuperioribus tractatibus ſum complexus, in hoc de Sacrificijs in vniuerſum & per partes acturus, multa mihi præfandum duco, vt rem tibi totam maiore luce expediam: atq; adeò in primis de templis, & ſacris ædibus, de aris & ſimulachris, de ſacerdotibus & celebritatib. eiuſmodiq; cæteris breuiter collecta exponam. Sic verò exordiar.

Quis eſt qui neget, templa eſſe, vt ſic loquar, deorũ diuerſoria? ad quæ dei ipſi precibus ac mortalium votis exorati diuertere quodãmodo ſoliti putentur? Nã ſiquidẽ regib. & principibus, magniſq; viris alijs apud nos fortè hoſpitaturis, in eorum gratiam domos noſtras exornare ſolemus, vt maiore illos ac ſplendidiore quàm poſſumus adparatu ſuſcipiamus: quid deis tãdem immortalib. facere debemus, quos ad ſacrificia & preces noſtras inuocamus, & præſentes adeſſe cupimus? Et quanquam Zenonis dogma fuiſſe legamus, ἱερὰ θεῶν οἰκοδομεῖν,

hoc eſt templa deorum non ædificanda: & barbaros quoſdam dicere ſolitos accepimus, eos impiè facere, qui deos ædium & parietum ſeptis includerent, cùm deis ipſis omnia ſint patentia, mundúſq; ipſe, & omne hoc totum illis pro tẽplo ſit (id quod Perſæ credebant, vt in hoc planius oſtendam: Carmeli quoq; incolæ nullum dei ſui templum habuere, nec Germani illi antiquiores, ſed illi in monte tantummodo aras habuere, hi lucos & nemora deorum ſuorum nominibus appellata) nihilominus Romanos videmus, & Græcos cæteráſq; minus barbaras ac feras nationes maximam circa deorum ſuorum templa & fana curam diligentiámq; ſemper adhibuiſſe. Quare qui primi deis apud hos templa ſtruxerint, variè proditum inuenimus. Cùm enim primum homines (vt ait Tranquillus, & repetit Iſidorus) exuta feritate rationem vitæ habere cœpiſſent, ſeq; ac deos ſuos noſſe, cultum modicum ac ſermonem neceſſarium cõmenti ſibi, vtriuſq; magnificentiam ad religionem deorum ſuorum excogitauerunt. Igitur vt templa illi domibus pulchriora, & ſimulachra corporibus ampliora faciebant: ita eloquio etiam quaſi auguſtiore honorandos deos putauere, laudéſq; eorum & verbis illuſtriorib. & iucundioribus numeris extulerunt. atq; hactenus ex Tranquillo Iſidorus. Sunt tamen qui in Italia Ianum patrem primum templa ſtruxiſſe tradiderunt, ideoq; veteri inſtituto in ſacrificijs Ianum Latini perpetuò præfari ſolebant, vt in Iano dictum eſt. Alij Faunum, & ab eo fana appellata, vt Probus ſcribit. Martianus à Fana, quę & Fatuella diceretur. quidam Iouem apud Cretenſes primùm templa dicaſſe ferunt, atq; ob id inter deos primum ipſum locum fuiſſe ſortitum. Lactantius Cretenſium antiquiſſimum regem Meliſſeum tradit: quin & Seruius ex Saluſtio, Cretenſibus religionem attribuit. Phœnices Vſonem quempiam, primum ſimulachra igni & vento ſtatuiſſe, & templa poſuiſſe prædicant. Phoroneum alij, aut Meropem, vel Aeacum Iouis filium tradunt, vt Varro in Admirandis ait: quod & Arnobius in ſexto. Sunt qui Dionyſium, cùm Indos debellaſſet, templa ſtruxiſſe, religionúmq; cultus inceptaſſe prodant. alij Cecropem primùm in Attica, Opi deæ ſtatuiſſe putant. Iſidorus verò hunc ipſum Cecropem ait Iouem primùm appellaſſe apud Gręcos, & ſimulachra reperiſſe, aras ſtatuiſſe, victimas immolaſſe, vt alibi dixi. Alij nonnulli, vt aduerſus Iulianũ Cæſarem ſcribit Gregorius Nazianzenus, Thraces volunt cæremonias inueniſſe: immolare verò, Chaldæos, vel vt alij dicunt, Cyprios. Nonnulli Arcadas Ioui tẽpla conſtruxiſſe affirmant. Aegyptij Iſin ferunt, quæ ſit legifera vocata, Ioui & Iunoni parentibus templa & ſacerdotes inſtituiſſe. Sunt qui Phryges dicant, qui deæ Phrygiæ Cybeli ſacra & templa dicarint. Porrò plerique ex ſepulchris initium templa ſumpſiſſe arbitrati ſunt, vt in Sepulchralibus his verbis oſtendimus: Fuit inquam vſqueadeò ſepulchrorum antiquis cura, vt non aliunde templorum & ſacrarum ædium originem deductam, diligentiſſimi ſcriptores tradant, Euſebius & Lactantius. qua de re & Clemens Alexandreus in Protreptico ſic ſcriptum reliquit: Superſtitio, inquit, templa condere perſuaſit. quæ enim prius hominum ſepulchra fuerunt, magnificentius condita, templorum appellatione vocata ſunt. nam apud Lariſſeam ciuitatem, in arce, in templo Palladis, Acriſij ſepulchrum fuit, quod nunc ſacri loco celebratur: in arce quoque Athenienſi, vt eſt ab Antiocho in nono Hiſtoriarum ſcriptum, Cecropis ſepulchrum fuit: in templo verò Palladis quam Poliadæ Græci appellant, iacet Erichthonius. Iſmarus autem Eumolpi atque Dairæ filius, in Eleuſine vnà cum Celei natabus ſepultus: & reliqua, quæ multa Clemens colligit, & poſt eum Euſebius in Præparatione Euangelica, quæ in Latinis codicibus non habentur, atque ideò ex Gręcis repetenda. eadem & in ſexto Arnobius. Cæterum ex Hetruſcorum diſciplina veteres, vt puto, moniti, non deis omnibus, omni loco, templa ponenda cenſuere. Nam qui pacis, qui pudicitiæ, qui bonis artib. præeſſent dei, eos intra mœnia collocãdos putauerũt, qui verò voluptatibus, rixis, incẽdijs, vt Venus, Mars, Vulcanꝰ, eos excludere ex vrbibus ſolebãt. tametſi hoc

non

non ita ratum fuiſſe ſemper, ex hiſtorijs videmus. Veſtam autem, Iouem & Mineruam, quos deos tutores vrbium ait Plato, in ipſarum medio, & arcium locabant. Victruuius: Aedibus, inquit, ſacris, quorum deorum maximè in tutela videtur ciuitas eſſe, vt Ioui & Iunoni & Mineruæ, in excelſiſſimo loco, vnde mœnium maxima pars conſpiciatur, areæ diſtribuantur. Neptunum ad maris littus ſtatuebant, Ianum in excelſis montibus, quãquam & in foro. Aeſculapium, Romani in inſula Tiberina repoſuerunt, quòd ægroti maximè aqua indigeant. alibi tamen extra vrbem templa habuit, vt ait Plutarchus, quòd ibi aer ſit ſalubrior. Gratiarum verò templum ἐμποδῶν, hoc eſt, vt interpretantur pleriq; in medio foro, & publico conſtrui ſolitum, tradit Ariſtotel. in Ethicis, & eius interpres: id quod clarius in meo Libello qui inſcribitur, Quomodo quis effugere poſſit crimen ingrati. Video præterea varias etiam templorum formas ab antiquis deſcriptas. nam Solis quidem ædem, Liberique patris, rotundam veteres probarunt: Iouis verò templa, quòd omnium rerum ſemina is deus patefacere credebatur, tecto eſſe oportere aiebat Varro perforato. Aedem Veſtæ, quam cum terra eandem putabant, rotundam, ad pilæ ſimilitudinem formabant. Cœlitib. & ſuperis alijs, à terra templa extare volebant: inferis deis ſub terra, Chthonijs & terreſtribus medias ponebant ſæpius. Sed de templorum & ſacrarum ædium ſitu, ſi plura cupis, Victruuium legito libro primo, & item tertio & quarto, cuius inter cætera hæc ſunt verba: Ioui Fulguri, & Cœlo, & Soli & Lunæ, ædificia ſub diuo, hypæthráq; conſtruuntur: horum enim deorum & ſpecies & effectus in aperto mundo atque lucenti præſentes videmus. Mineruæ & Marti & Herculi ædes Doricæ fient. his enim deis propter virtutem ſine delicijs ædificia conſtitui decet: Veneri, Floræ, Proſerpinę, Fontium nymphis, Corinthio genere conſtitutæ aptas videbuntur habere proprietates, quòd his deis propter teneritatẽ graciliora & florida, folijsq; & volutis ornata opera facta, augere videbuntur iuſtum decorem. Iunoni, Dianæ, Libero patri, cæteriſque deis, qui eadem ſunt ſimilitudine, ſi ædes Ionicæ conſtituentur, habita erit ratio mediocritatis, quod ab ſeuero more Doricorum, & è teneritate Corinthiorum temperabitur earum proprietatis inſtitutio. Mercurio verò in foro, aut etiam vt Iſidi & Serapidi, in emporio: Apollini, patrique Libero, ſecundum theatrum: Herculi, in quibus ciuitatibus non ſunt gymnaſia, neque amphitheatra, ad circum: Marti extra vrbem, ſeu ad campum: itémque Veneri, ad portum. Id autem etiam Hetruſcis aruſpicibus diſciplinarum ſcriptis ita eſt dedicatum, extra murũ Veneris, Vulcani, Martis fana ideo collocari, vti non inſueſcat in vrbe adoleſcentibus, ſeu matribus familiarum Venerea libido, Vulcanique vi è mœnibus, religionibus & ſacrificijs euocata, ab timore incendiorum ædificia videantur liberari. Martis verò diuinitas cum eſſet extra mœnia dedicata, non erat inter ciues armigera diſſenſio. Sed ab hoſtibus ea defenſa, à belli periculo conſeruabat. Eadem ratione & Bellonæ ædes extra vrbem fuit, vbi Senatus dabatur fortibus ducibus, & qui ſtrenuam operam nauaſſent. Cereri item extra vrbem, loco quo non ſemper homines, niſi per ſacrificium neceſſe haberent adire, cùm religione caſtè ſanctiſque moribus is locus tueri deberet. Porrò vt plurimum templa ad orientem ſolem conſtituere ſolitos veteres, ſcribit Lucianus. Sed quam in partem precantes obuerti ſolerent, & alibi retuli, & in hoc infrà repetã. Templa verò à contemplatu dicta ſunt. Sed Varro templum dictum ait, à tuendo. Templum tribus modis dicitur, à natura, ab auſpicio, à ſimilitudine. à natura, in cœlo: ab auſpicijs, in terra: à ſimilitudine, ſub terra. in cœlo, vt:

Contremuit templum magni Iouis altitonantis:

Item, *Magna templa cœlitum.* in terra, vt, Scrupea ſaxa Bacchi templa. ſub terra, vt, Acheruſia templa alta Orci ſaluete. quanquam etiam Victruuio, nec vno in loco, templum pro tecti parte & trabe quapiam ſumatur. Dicũtur & ædes tẽpla, & in plurali ſacræ ædes, tametſi etiam contra ſuperſtitioſas grammaticorum

maticorum obſeruationes, & ſacra ædes in ſingulari apud idon eos auctores inuenimus, & ſimpliciter ædes pro domo: id quod & antea alij notarũt. Ab æde æditus, ille qui ædes ſacras curat, & tuetur: non æditumus, vt ait Varro, quamuis æditimum aliqui dixerint.

Templi partes quatuor dicebantur, ſiniſtra ab oriẽte, dextra ab occidente, antica ad meridiem, poſtica ad ſeptentrionem. Varia verò de mundi dextera & ſiniſtra à philoſophis traduntur, & ab auguribus, quæ haud noſtro inſtituto conueniunt. Teſca etiam, loca quædam agreſtia alicuius dei. Actius: Lemnia quiſquis es tu mortalis, qui in deſerta & Teſca te apportes loca. dicta, quod myſteria ibi fiant, aut tuentur: vnde prius Tueſca, pòſt teſca facta, ait Varro. Teſqua nunc fermè dicuntur. Teſqua tamen Feſtus ait, loca eſſe augurio deſignata. Cicero aſpera ait eſſe, & difficilia. Sed & templa fana dicta ſunt, quòd (vt inquit Varro) Pontifices in ſacrãdo fati ſint, fanum. hinc profanum eſt, quod ante fanum, id eſt, coniunctum fano. hinc profanatum, quod in ſacrario pollutum. Liuius libro decimo primę Dec. Inque ea pugna Iouis Statoris ædem votam, vt Romulus antè vouerat: ſed fanum tantum, id eſt locus templo effatus, iam ſacratus fuerat. & Feſtus à fando fana deducit, quòd Fando conſecrãtur. vel à fauno dicuntur, qui primus (vt Probus ait) Fana condidit. Martianus tamen fana dicta ait à Fatuis, quæ & Fantuæ, & Fanæ dicuntur, deis ſylueſtribus, à quibus (inquit) fana dicta. Sanè Græci & ipſi templum ἱερὸν & νέως dicunt, ſed & ναός: de quo Clinias ait, quod aliquando ἔναιον diceretur, διὰ τὸ ἐνναίειν ἐν αὐτῷ τοὺς θεούς: hoc eſt, quòd in ipſo dei habitarent. Notat & Pollux templum à Græcis dici σηκός, & τέμενος, aliiſque nominibus. Sed enim & plerunque templa ab ipſis deorum nominibus appellata inuenimus, vt ab Iunone ἡραῖοις, à Diana ἀρτεμίσιοις, à Venere ἀφροδίσιοις, à Marte ἀρέιοις, ab heroibus ἡρῷον, & eiuſmodi alia. Obſeruamus verò & lucos apud deorum templa conſecrari ſolitos. Quin & lucos quidam dictos putauere, quòd ibi lumina fierent religionis cauſa, à lucendo videlicet. Alij per contrarium dictum arbitrantur, quòd minimè luceãt, propter arborum vmbras opacas. Sed quòd luci numinibus ſacrati eſſent, non modo gentium hiſtoria, verũm & ſacra declarat. Scribit Tacitus, Germanos veteres alia nulla deorum tẽpla habuiſſe, quàm lucos nemoráq; deorum ſuorum nominibus appellata. Notat & Seruius. Manes & heroum animas, qui Lares vitales dicerentur, lucos tenere. hinc & Verg. in ſexto dicit:

Nulli certa domus, lucis habitamus opacis.

Nec aliter lucos vnquã poſuit Poeta, ſine conſecratione. Lucos quoq; collucare Romano more oportere, docet M. Cato de Re ruſtica, formulámq; aſcribit: Porco, inquit, piaculo facito, ſic verba concipito. Si Deus, ſi Dea. & reliqua: &c.

Aſylum etiam templi quoddam genus fuit, ex quo nullus poſſet extrahi. Dictum Aſylum, ait Seruius, quaſi Aſyrtum. Hoc autem non fuit in omnib. tẽplis, niſi quib. conſecrationis lege conceſſum eſſet. Liuius etiam templum Apollinis Delij Aſylum fuiſſe ſcribit. Primò verò apud Athenienſes ſtatutum eſt ab Herculis filijs, quos inſequebantur hi qui fuerant à patre oppreſſi, ſicut docet in 7. Theb. Statius:

Fama eſt defenſos acie poſt buſta paterni
Numinis, Herculeos ſedem fundaſſe nepotes.

Hoc Aſylum etiam Romulus imitatus eſt. Verg. 8. Aeneid.

Hinc lucum, quem Romulus acer Aſylum, &c. Item:
Et iam porticibus vacuis Iunonis Aſylo, &c.

Sed de Aſylo hoc, & qua vrbis Romæ parte, alibi plura notaui. Nunc cætera ſubdam. Quoniam verò, vt dictum eſt, inde extrahi non poterant confugientes, propterea etiam Græci ἀσύλους homines dicebant, à violentia tutos, & ſacroſanctos: quales tribunos plebis, & pontifices. hinc & ἀσυλία ἀνδριάς, ſtatua ad quam confugientes tuti fuerant: vt Cæſarum, quod vel ex Iureconſultis liquet, ne hi-

ſtoricos,alióſq; ſcriptores nunc cõmemorem.Dicunt & Græci ἀσυλεὶ vice adverbij,hoc eſt tutò,vel vnde quis auferri nefas ſit,vt in Aſylo poſitus.Sic & Aſylia, hoc eſt immunitas dicta,quæ ex ſacris ędibus & aris,ſtatuíſq; principũ habetur. Quin & delubrum etiam aliquando pro templo ſumptum eſt. Verg.

Principio delubra adeunt: Idem:
Nos delubra deûm, miſeri quibus vltimus eßet
Ille dies,feſta velamus fronde per vrbem.

Scribit Varro lib.8.Diuinarũ:Delubrum alios exiſtimare,in quo præter ædem ſit area aſſumpta deûm cauſa, vt fuit in circo Flaminio Iouis Statoris:alios,in quo loco dei ſimulachrum dedicatum ſit.& adiecit:Sicut locum in quo figerent candelam, candelabrum appellatum: ita in quo deum ponerent,nominatum delubrum.hæc ex Varrone Macrobius. Seruius tamen,à diluendo delubrum dictum putat,lib.2.Aeneid. ait enim: Delubrum dicitur,quod vno tecto plura amplectitur numina,quia vno tecto diluitur:vt eſt Capitolium,in quo eſt Iupiter, Iuno, Minerua.alij dicũt delubrum eſſe locum ante templum,vbi aqua currit,à diluendo.licet alio loco idem dicat, delubrum ligneum ſimulachrum à libro,hoc eſt,raſo ligno,quod ξόανον Græcè dicitur.Dicuntur & templa ſacraria. Vergilius:

Et diri ſacraria Ditis.

Seruius tamen ait,Sacrarium propriè locum eſſe in templo, in quo ſacra reponantur:ſicuti Donarium,vbi oblata imponuntur. Vocantur & Sacella, diminutiua forma,vt notum eſt. Verg.

Faciles nymphæ riſere ſacello.

Bidental dicebant antiqui quoddam templum,quòd in eo bidentibus hoſtijs ſacrificaretur,vt ait Feſtus,meminit Horat.in poetica:

Minxerit in patrios cineres,an triſte bidental
Mouerit inceſtus. Perſius: *Euitandumq́; Bidental.*

Ita verò inſtitutum bidental traditur.Locum fulmine tactum acri ſtudio procurabant maiores,ſacerdotémq; adhibebant,& fulminis veſtigia diſperſa colligebant:ſacriſq; ibi peractis ara conſtruebatur,in qua de bidente rem diuinam faciebant,& locus Bidental vocabatur,quod violaſſe piaculum fuit. Fauiſſæ etiam, vt Feſtus ait, locus appellabatur,in quo erat aqua circa templa.Sunt qui putãt, Fauiſſas fuiſſe in Capitolio cellis ciſterníſq; ſimiles,vbi reponi erãt ſolita ea quæ in templo vetuſtate erant facta inutilia.idem fermè tradit Gellius lib.2.cap.10.ex Varronis ſententia. Solebant porrò veteres ſua templa inaugurare, id eſt ſuis augurijs ſanctiora reddere:& ſimiliter profana facere,id eſt exaugurare. vtrumque clare oſtendit T. Liuius libro primo ab Vrbe condita. Et vt libera, ait, à cæteris religionibus area eſſet tota Iouis templique eius, quod inædificaretur, exaugurare fana ſacelláque ſtatuit,quæ aliquot ibi à Tatio rege primùm in ipſo diſcrimine aduerſus Romulum pugnæ vota,conſecrata, inaugurataque poſtea fuerant,inter principia condendi huius operis mouiſſe numina ad indicandam tanti imperij molem traditur deos. Nam cùm omnium ſacellorum exaugurationes admitterent aues,in Termini fano non addixere.& reliqua. Nunc & illud addendum,quod Seruius ſcribit: Nouimus, inquit, deis ſuperis & inferis aras conſecratas. Altaria verò eſſe ſuperorum tantum deorum, quæ ab altitudine conſtat eſſe denominata. Ara,inquit Varro de Lingua Latina,quòd areæ in vrbe puræ ſint:à quo poteſt etiam ara deûm eſſe,quòd pura, niſi potius,ait,ab ardore,ad quem vt ſit,ſit ara.Idem tamẽ Varro libro quinto Diuinarum dicit, aras primùm anſas dictas,quod eſſet neceſſarium à ſacrificantibus teneri: hanc opinionem Macrobius eſt ſecutus, Vergilíjq; etiam auctoritate comprobat. At verò Iſidorus:Aram ait, à quibuſdam vocatam,quòd ibi incenſæ victimæ ardeant. Alij ab imprecationib.quas Gręci ἀρὰς dicũt.Lactantius grammaticus lib.Thebaid.7.tria fuiſſe in ſacrificijs loca ait,per quæ expiationem facerent, ſcrobiculo

facto inferis, aris terreſtribus, cœleſtib. extructis focis. vnde denominata etiam ſunt altaria, ad quæ cùm ſacrificabant, manus in altum porrigebant. At verò philoſophus Porphyrius: Aras, inquit, & templa ſtatuebant cœleſtibus, terreſtrib. (hoc eſt Chthoniįs) eſcharas .i. focos: ſic & heroibus. Subterraneis autem .i. ὑποχθονίοις deis foſſas, ſcrobéſve, & quæ à Græcis dicuntur μέγαρα. Mundo & nymphis, cęteriſq; huiuſmodi antra dicarunt. Vnde eſt Homeri in 13. Odyſſ. antrum Nympharũ, quod præclarè ipſe eſt Porphyrius interpretatus. Ergo ſuperis deis, vt etiam Feſtus tradit, à terra exaltatis aris: terreſtrib⁹, in terra: inferis, ſub effoſſa terra, ſacra facere conſueuerunt veteres. Id quod apud Indos diu fuiſſe ſeruatum legimus, vt terreſtribus deis in cauernis & ſpecubus, Soli in ſublimi ſacrum facerent. Sanè quoniam βωμὸς Græcè ara dicitur, bomologi inde dicti primùm quidam, qui è ſacrificio epulas petebant. & quia nugaces iį fuerant, vocabulum deflexum eſt ad ſcurras, & paraſitos. Porrò nonnunquam ſine ara in nudo ſolo & pauimento ſacra peregiſſe Græcos compertum eſt. Eumæus apud Homerum, ſuper eſcharam victimam fecit. Arabes arulam ſuper aram conſtituebant, Soliq; in illa immolare & thura adolere ſolebant. has enim ad normam quadratas fuiſſe accepimus: ſed & rotundas ipſi vidimus. Super aras verò ſacra facturi, ceſpitē ex gramine, ſiue verbenas apponere ſoliti fuerant. Verbenę enim in omnib. ferè ſacris fauſtæ habitæ: has ex ſacro loco decerpere oportebat. Ipſas etiā aras, quoniam & hæ peculiares deis fuere, vt etiam victimę, ſuorum numinum frondibus ornare par fuit: vt Ioui æſculo, Apollini lauro, Mineruæ olea, Veneri myrto, Herculi populo, Baccho hedera: ſed et pāpinis interdum, quin & ramis ficulneis plerunque. his enim deus ipſe, deuictis hoſtibus triumphaſſe fabulatur: Pani pino, cupreſſo Syluano & Diti, vel ſi quæ aliæ aliįs deis conueniebant. tametſi ad aram maximā Herculi ſacra qui faciebant, ſola lauro coronari ſoliti à quibuſdam traduntur. qui tamen Verg. auctoritate conuincuntur, qui ita in octauo cecinit:

—Herculea bicolor cum populus vmbra
Velauitq; comas, folijſq; innexa pependit. & paulo pòſt:
Populeis adſunt euincti tempora ramis,

Thraces & Iudæi pro lege habebant, in omnib. ſacris hedera coronari: Capadoces, Ambroſia. Apud Aegyptios vitibus hedera præferebatur. Druidę Gallorum nullum ſacrum ſine roboris vel quercus fronde, & viſco conficiebant. Thraces non ſolum coronati, ſed ſcuta & gladios hedera ornati, in ſolemnibus libabant. Abrotonum Iſidi ſacris dicatum, Iſiaci tamen abſinthiį marini ramum virgultis cæteri præferebant. Euripidis Scholiaſtes in Hippolyto ſcribit: Simulachrum Dianæ coronabatur tum dictamno, tum ſchino .i. lentiſco, tum loto. Ferunt enim, in Creta tantum dictamnum naſci. nam hoc citò partum educere exiſtimatur: & propterea difficulter parientibus dictamnum datur, vt citò pariāt. Aegyptiį in Iouis pompa & magi myrica, Hermionenſes hiacyntho in ſacris coronabantur: Parthi ex diuerſo gramine coronata agna, odores incendebant. Ferũt Aegyptios agreſti herba .i. gramine manib. decerpto, adoraſſe, & papyri flore deos coronaſſe: eorũ tamen rex Ptolemæ⁹ Heliochryſo deos ipſe coronabat. Veſpaſianus coronas ex cynnamomo interraſili auro ſæpe tēplis dicauit: apud alios autē fagi cortex religioſus fuit: nō ſic Thebis & Athenis. Namq; in Palladis templo haud facilè quiſquā hederam inuenit: ea verò hedera quæ fert racemos labruſcę modo, quā & ſmilacē nominant, & arbores quæ nec ſeruntur, nec fructũ ferunt, infauſtę, omnib. habebantur ſacris, & dānatę religionis. Apud Perſas nō modò qui ſacrificabat, ſed & hoſtia, & qui ſacris intererant, feſta ornabantur frōde. Indis contra: namq; ex his coronatus ſacrificabat nemo.

Sed poſtquā de ſacris ædibus & templis, ariſq;, & cæteris ſcripſimus, nũc congruè ſimulachra & ſtatuas ſubiungemus, & qui eas primi in templis ſtatuerint, diuiſve dicauerint, diſquiremus: hoc licet variè tradatur. Quidam enim Telchines apud

nes apud Rhodum deorum ſtatuas primùm feciſſe volunt: quidam Hetruſcos, ſeu Tyrrhenos prædicant. alij Cadmum Agenoris filium apud Græcos tradidere. Sunt qui Armodij & Ariſtogitonis primas ſtatuas poſitas produnt, qui tyrannidem ex Athenarum vrbe ſuſtuliſſent. Alij Aegyptios tradunt, quod eorũ reges id primi moliti ſint, Seſoſtris, Amaſis, Rhapſinates, Simandius. Diophantes Lacedæmonius, qui antiquitatum libros quatuordecim ſcripſit, Syrophanẽ ait Aegyptium, hominem locupletiſſimum, filio ſuperſtitem, eius deſiderio ſimulachrum domi conſtituiſſe, ad quod familiares confugerent, cùm domini iracundiam furorémq; vitarent: quo modo veniam ab hero conſecuti, herilis filij ſimulachrum defuncti floribus & coronis ac ſertis, aliiſq; rebus ornabant. Sed quid multa hac de re colligimus? Veſanam ac ſtultam Semiramidis ambitionem apud ſcriptores notaui, quæ ad montem Mediæ, qui Bagiſthenes diceretur, ſuam in petra effigiem decem & ſeptem ſtadiorum inſculpi iuſſerit, quam cẽtum viri donis ac muneribus venerarentur aſſiduè, vt ſacerdotes. Cætera hoc loco quæ de ſimulachris apud Euſebium, Athanaſium, Porphyrium, Plinium, & alios legimus, miſſa facio, vt ſacrificia exequamur, quod noſtrum eſt inſtitutum: tantummodo vnum hoc breuiſſimè addam, ſimulachra, ſeu ſigna illa & ſtatuas appellemus, antiqui ex varia materia factitauere, cæra, ſale, vitro, omnis generis marmore, creta, argilla, auro, argento, ære, ferro, chalybe, plumbo, ſtanno, gemmis, lapillis: item & ex varij generis ligno, vt ex Plinio, Solino, Plutarcho, Pauſania, Euſebio, aliiſq; obſeruamus.

Sed non ex omni quidem ligno ſimulachra veteres factitaſſe, obſeruauimus: vt & Pauſanias obſeruat, qui ſe ait animaduertiſſe, has tantum arbores ſumi ſolitas, ebenum, cupreſſum, cedrum, quercum, ſmilacem, loton, buxum. his radicẽ oliuæ in minoribus ſimulachris addit Theophraſtus: Plinius vitem, qui in Populonia, ait, ex ea Iouis ſimulachrum vetuſtiſſimum tot æuis incorruptum ſe vidiſſe. Sed cùm non ex omni ligno Mercurius, vt etiam in prouerbio dicitur, fieret, precipuè tamen ex thyia, quam Trogetem vocauit Homerus, fieri ſolebat. Atq; hactenus de ſimulachris.

Nunc, vt rem totam complectar, ſacerdotum & ſacricolarum nomina breuiſſimè tibi commemorabo, quæ cùm apud Romanos, tum apud Grecos varia diuerſáq; fuere. Verùm audiendus prius eſt Plato, qui in eo qui Ciuilis, vel de regno Dialogus inſcribitur, ita ſtatuit: Sacerdotum, inquit, genus eſſe, vt intelligat doceátq; quo pacto donaria deis & ſacra ſint offerenda: item qua ratione vouendum ſit, quidve boni ſit à deis petendum, non enim omnia à deis temerè petenda: qua de re & gentes & noſtri plura diſſeruere, quę huius non ſunt inſtituti. Sacerdotum igitur nomina multa apud Grecos fuere, de quib. iam ſparſim toto opere meminimus, & Iulius Pollux in Onomaſtico lib. 1. & 8. hęc fermè collegit: ἱερεῖς, νεωκόροι, ζακόροι, θύται, τελεσταί, ἱερουργοί, καθάρται, θεουργοί: & quib. nominib. vſi ſunt poetæ, θυηπόλοι. Sunt item qui in vaticinijs, & deorum oraculis reddendis fuere, προφῆται, ὑποφῆται, μάντεις, θεομάντεις, χρησμῳδοί, χρησμολόγοι, παναγεῖς, πυρφόροι Sũt præterea ὑπηρέται, ὀργεῶνες, τριττύαρχοι, χαλαζοφύλακες, θυσκόοι, aliiq;.

Nunc quoq; de Latinis noſtro more breuiter ſcribamus, Chriſtianorũ & Hebræorum nomina miſſa facientes, vt profeſſi ſumus, ne miſceamus ſacra profanis, primúmq; de pontificibus agamus. Pontifices qui à Plutarcho in Numa γεφυροποιοὶ græcè dicuntur, creduntur apud Romanos primùm è patricijs, à Numa Pompilio ſecundo rege conſtituti, & quatuor ab initio creati: & pòſt cùm plebis poteſtas creuiſſet, quatuor alij ex plebe creari cœperunt, M. Valerio & Q. Apuleio Coſs. Inter hos qui minores appellabantur, vnus erat maximus & re & nomine. hic ſacra omnia exſcripta habebat, & obſignata: hiſtorias, dies, ad quæ templa res diuina eſſet facienda, cætera deniq; ſacra tum publica tum priuata. Pontificum verò Max. electio ipſis Pontificibus pertinebat. Erat quidem Pont. Max. iudex ac vindex contumaciæ priuatoruum magiſtratum: minorum verò

Pontificum maximus is dicebatur, qui primus in id collegium veniſſet: & minimus vocabatur, qui nouiſſimus. Pontifex verò vnde ſit dictus, variè tradit. plurimi à ponte faciendo, in primiſq; ſublicio: quibus & græca vox conſentit, γεφυροποιός. hoc Varro, Alicarn. Plutarch. alij. Scæuola verò, quem plerique ſequuntur, à poſſe & faciendo deduxit. Rex ſacrorum, qui & Rex ſacrificulus dictus eſt, à Romanis inſtitutus, Iunio Bruto & M. Valerio primis Coſs. cùm Roma reges exacti fuiſſent, vt Plutarch. in Quęſtionibus tradit, propter ſacra quędam, quæ per regem tantummodo celebrari decebat. Rex tamen iſte Pont. Maximo ſubiectus erat. Huius vxor Regina ſacrorum appellabatur, quę quoties ſacra faceret, ex malo punico virgam, quā Inarculum vocabant, infulæ loco deferebat. Hæc eadem Calend. omnibus Iunoni porcum, vel agnum in regia mactabat. Cætera quæ regi pertinerent, haud ſatis mihi adhuc comperta habentur. Athenienſes certè & ipſi βασιλέα i. Regem ſacrorum habebant, hac eadem religione ac poteſtate, qui ſacris pręerant Eleuſinijs, Lenæis, & quę ad Lampada fiebant, & alia quædam.

Flamines quidam à Romulo primùm, quidam à Numa tres inſtitutos dixerunt: potior tamen eorum videtur eſſe ſententia, qui à Romulo primùm Dialem & Martialem flamines inſtitutos tradidere: mox, vt Varro aſſerit, Numa ſingulis deis flamines fecit, à quibus etiam deis nominauit, vt Dialis, Martialis, Quirinalis. & deinde aucta vrbe, Viminalis, Vulcanalis, Carmentalis, Falacer, ſeu Falacris, Palatualis, Furinalis, Pomonalis, & cæteri vſque ad XV numerum. Inter hos maximę dignationis fuit Flamen Dialis, cùm cęteri diſcrimina ſuæ maieſtatis haberent. minimę verò dignationis Pomonalis flamen fuit, quod Pomona leuiſſimo fructui agrorum præſideret, id eſt pomis, vt ait Feſtus. Dicti autem flamines, à geſtatione pileorum, quaſi pileamines. quidam ab infulis, quas flammas appellabant: vel à flammeis, notiſs. velaminis genere, quod parum conſtat. Alij à filo lanæ, quo caput præcinctum habebant. Alij à filo quidem dictum: nam per æſtatem, cùm propter æſtum galerum geſtare non poſſent, lini filis caput amiciebant. Nudo quippe capite ſub dio eſſe, flamini fuit religio. Hoc autem geſtaminis genus etiam Apex dicebatur. Lucanus in primo:

Et tollens apicem generoſo vertice flamen.

Meminit & Verg. VIII & Seruius & Feſtus, & Auguſtinus II de Ciuit. Dei: Nam etiam, inquit, flamines inſtituerunt, quod ſacerdotum genus adeò in Romanis ſacris, teſtāte apice, excelluit, vt tres ſolùm flamines haberent. Val. Max. Sulpitio inter ſacrificandum apex prolapſus eſt. Flamen Dialis inſigni veſte, & Curuli ſella vtebatur, & albo galero. Flamini Diali iurare non licebat, iniurato credi oportebat: cui enim ſacra credita eſſent, ei fidem non habere, nefas exiſtimabant. hinc ex edito prætoris verba illa quæ leguntur: Sacerdotem Veſtalem & flaminem Dialem in omni mea iuriſdictione iurare non cogam. Iidem ſingulis idibus Ioui bouem mactabant. ſub diuo vngi, vel ſine interula eſſe, equo vehi, noctem ab vrbe abeſſe non licebat. Dialem coniuge defuncta Flaminio abire, bis connubio iungi nefas. Frumentum, farinam, carnem crudam, caprā, equum tangere non licebat. Fabam nec tangere, aut nominare fas fuit. Tibias funebres audire, hederam attingere, aut annulum cum gemma, vel nodum habere, piaculum fuit. alia ſunt multa apud auctores, Plutarchum, Gellium, & Feſtum, quæ Flaminibus religioſa erant, ſed mihi ſuperuacanea viſa ſunt, vt hoc loco recitē. Fuerunt præterea qui Curiales Flamines dicerentur. Sed Imp. & Cæſarum temporibus, qui in diuorum numerum redacti fuiſſent, noui Flamines creati fuerūt: vt C. Cæſari dictatori, lege Antoniana, à M. Ant. lata, quòd M. Ciceronē ſecunda Philip. indignè tuliſſe videmus, & pòſt alij, vt Auguſt. Antonianus, Marcianus, Aelianus, quod in hiſtorijs obſeruam⁹. fuit quoq; apud Romanos lex, ſi Flamen ſacrū ritè non peregiſſet, aut aliquo modo inſigniter deliquiſſet, vt Flaminio

nio

nio deijceretur: quo modo multos deiectos hiſtoria docet. Sed enim & ſi maximę auctoritatis fuere Flamines, Pont. tamē Maximo dicto audientes fuere, vt cùm L. Metellus Pont. Max. non eſt paſſus Poſth. Flaminē Martialem Cos. à ſacris diſcedere. & P. Licinius, & ipſe pont. Max. Q. Fabium Pictorē, Prӕt. Flaminem Quirinalem non permiſit ire in Sardiniam. Aliӕ ſunt hiſtoriӕ. Porrò Flaminum miniſtri Flaminij dicti ſunt, & miniſtrӕ Flaminulӕ. Flaminum verò vxores, Flaminicӕ dicebant. hęc ita vnius viri vxores, vti Flamines vnius vxoris viri. i. monogami fuerunt. Omnium porrò rerum ſacrarum adminiſtri, Camilli antiquo Hetruſcorum vocabulo dicebantur, vt plenius in Mercurio dictum eſt.

DE POTITIIS ET PINARIIS.

Pinarius & Potitius duo ſenes fuerunt, quib. Hercules apud regem Euandrū oſtēdit, qualiter ſe coli vellet, ſcilicet vt manè & veſperi ei ſacrificaretur. Ab his factum eſt, vt Romę Pinarij & potitij Herculis ſacerdotes appellarentur. Perfęcto itaq; primo matutino ſacrificio, cùm circa ſolis occaſum eſſent ſacra repetēda, Potitius prior aduenit, qui à potando, id eſt ποτίζειν, vel à πότος, ſeu πότιμος dictus fuit. Pinarius poſtea, extis iam redditis aduenit, quare iratus Hercules ſtatuit, vt Pinariorum familia tantum miniſtra eſſet epulātibus Potitijs, & complentibus ſacra. vnde etiam Pinarij dicti ſunt ἀπὸ τῆς πείνης. i. à fame: nam ſenem illum Pinarium conſtat alio nomine fuiſſe nuncupatum. hinc eſt, quod Verg. tantum Potitij commemorationem facit:

Primusq; Potitius ibat.

Hiſtoriam T. Liuius in primo exequitur. Hoc modo hӕ duӕ familiӕ, longo tēpore Herculi rem ſacram fecere, donec auctore Appio Claudio gens Potitia, ſacra Herculis in mancipia tranſtuliſſet, quā tempeſtate 12. familiӕ eius fuerant, puberes omnes ad 30, intra annum cum ſtirpe extincti ſunt. Poſtea empti de publico ſerui, officium exercuerunt. hiſtoriam hanc aliquanto ſecus Feſtus recitat. ait enim, Appium Claudium 50. millia ӕris grauis his dediſſe, ſi ſeruos publicos edocerent ritum ſacrificandi: quo facto, Potitij cùm eſſent ex familia numero 12, omnes interierunt intra diem 30.

ARVALES Fratres. Acca Laurentia Romuli nutrix, conſueuerat pro agris ſemel in anno ſacrificare, 12 eius filijs ſacrificium prӕcedentib. vndè cùm vnus mortuus eſſet, propter nutricis gratiam Romulus in vicem defuncti ſe ſuccedere pollicitus eſt. vnde & ritus proceſſit, cū 12 deinceps ſacrificare & Aruales dici fratres: ſicut Rutilium Geminum in lib. Pontificalib. memoraſſe, ait Fulgentius ad Chalcidium. Varro, Aruales fratres propterea dictos ſcribit, vt fruges ferant arua. Romulo verò in eo ſacro Accam Laurentiam dediſſe ferunt ſpiceam coronam, quӕ vitta alba colligata fuit: id quod & Plin. teſtatur.

Augures, & eorum collegium, ſummo in honorę habitos legimus, nō modò apud Romanos, ſed & apud Grӕcos, & Barbaros pleroſq;. nam Chaldęos primùm, & Piſidas, ac Cilices, dein Hetruſcos & Grӕcos, mox Latinos & Romanos augurandi diſciplina excelluiſſe accepimus. & Augures quidem tres prius Romę fuere, propter tres ipſius tribus, Luceres, Rhamnenſes, Tacienſes: mox vno addito quatuor extiterunt. Sed cùm poſt plebs admiſſa eſſet in partem honorum vrbis, quinq; plebei Augures creati, & patricij quatuor, atq; ita nouē numero fuere, idq; M. Val. & Q. Apuleio Coſs. Romani igitur nihil niſi augurato inchoabant. Locum verò augurij ita fuiſſe legimus: Templum augur conſtituebat, verſus orientem ſedebat, capite velato erat: lituū. i. incuruum baculū dextra manu tenebat, quo in cœlo regiones diuidebat, & quӕ auguria veniebant prӕdicebat. Si lӕua fuiſſent, qua parte eſt ſeptentrio, felicia pronunciabat: illa pars propter altitudinem proſpera putabatur. A dextera parte meridies, parum fauſta & infelix credebatur, quia locus eſt depreſſus. plura Liuius libr. 1. Dionyſius

Alicarn.lib.2.Plut.in Probl.& in Vitis.Val.Maximꝰ,M.Tullius de Diuinatione, Varro, & alij.Illud non ignorandũ,quod Plut.notat in Cauſis:ꝙ vbi ſacerdotes in iudicium acti,aut damnati forent,alter ſubſtituebat: Augures verò nõ ita. nam quamdiu viuerent,eodem ordine perſiſtebant.cauſam ibidem aſcribit.

Salios XII Marti Gradiuo,vt ait Liuius in primo,legit Numa Pompilius.dicti verò,vel à Salio viro quopiam Samothrace vel Mãtineo: vel potius à ſaliendo.i.ſaltando,id quod in comitijs facere quotannis Salij ſolebant.Sanè non Romani ſolum in ſacris quibuſdam ſaltationibus & hyporchematibus vtebantur, ſed aliæ omnes fermè nationes.nam vt ſcribit Athenæus,& Lucianus,deis peculiares ſuæ fuerunt ſaltationes.quin nulla ſacra in Delo fiebant,quibus non eſſet adhibita ſaltatio:nec ab Orpheo ac Muſæo vlla inſtituta ſacra fuiſſe conſtat,ſine ſaltatione.Indi manè & veſperi cum ſaltatione Solem ſalutabant.Longus ſim,ſi velim omnes recenſere.

Salij igitur,vt ad Romanos redeam,verſiculoribus tunicis ornati,per vrbem tripudiantes,carmina Saliaria appellata canẽtes pergebant,ſuccincti æneis baltheis, togis nexis fibulis, quas trabeas vocabant,in capite pileos geſtabant dictos apices,accincti gladijs,dextera lanceam aut virgam ferebant,læua peltam Thraciam, quod Ancyle dicebatur: hoc eſt, circum anciſum, id cœlo lapſum in Numæ regiam exiſtimatum, ad cuius formam 12 numero ſumma arte confecit Mamurius artifex,nulla alia mercede ex opere contentus,niſi quòd in finè ſacri, Mamurij nomen accineretur. Lege cautũ erat,vt Salij liberi eſſent,& indigenę, & quorum vterque parens viueret,& cuiuſcunque Fortunæ pauperes,aut diuites.Proditum hiſtoria eſt,Tullium Hoſtilium regem numerum duplicaſſe, & eorum perinde collegium adauctum.hæc ex T.Liuio in primo ab v.c. Plutar.in Numa, Val.Maximo in primo,Dionyſ.Alicarn.in ſecundo, item & grammaticis Seruio & Acrone,alijſq́.

Fœciales,& Patres Patratos ideò ſimul conſcribimus, quòd Pater patratus ex Fœcialibus vnus,id muneris obire ſolebat.aliqui tamen ſeorſum deſcribunt. Plut.quidem in Cauſis Ro.Patrẽ patratum maximum haberi Fœcialiũ ſacerdotum ait,qui fœderibus faciendis præerant:& ille pater,& hi filij dicebantur. hos quoq; Plut.ſuo tẽpore apud imperatores in precio fuiſſe ait. Fœciales autem dicti,quòd fidei publicæ inter populos præeſſent:vel à fœdere faciendo,ſeu feriẽdo.Pater verò patratus,à patrando dictus,id eſt à ſanciendo fœdere in quo tantum præeſſe putabatur.Per hos ergo fiebat,vt iuſtum conciperetur bellum,& vt fœdere fides pacis conſtitueretur. hoc inſtituiſſe dicitur Numa,cùm indicendũ eſſet bellum Fidenatibus,quod ſcribit Pomp.cùm tamen eorum vſum apud Liuium non videamus ante Hoſtilij tempora fuiſſe.Plinius tamen,ſeu quicunq; alius fuit qui de Viris illuſt.ſcripſit,Ancũ Martium ait ius fœciale, quo legati ad res repetendas vterentur,ab Equicolis tranſtuliſſe,quod prius(vt ferũt) Heſſus excogitauit.Mittebantur autẽ Fœciales,priuſquam bellum cõciperetur, ad res repetendas:et ſi non impetrabant,bellum poſtea indicebatur.Nam vnus fœcialium,qui patrem patratũ faciebat,ex ipſis fœcialibus electum, ſacris veſtib.ornatus ad auctores iniuriarum procedebat:& priuſquam vrbem intraret, ianitorem,vel alium quẽpiam obuium alloquebatur imprecationib. quibuſdam.inde in forum pergebat,& cur veniſſet edifferebat: tẽpus ad conſultandum dies aliquot,vt alibi dicã,dabat.ſi per hos dies res infecta eſſet,deis cœleſtib.manibúſq; inuocatis abibat,ad ſenatúmq; omnia referebat:ſenatus,quod iuſtum piúmq; foret,ſtatuebat,Fœcialemq́ vt bellum indiceret,dimittebat.Quibus vteretur verbis,& qua ceremonia,à me alibi relatum eſt.Fœcialium ſacra violare nefas erat. Fabius cùm violaſſet,vrbs ideo à Gallis capta credita.Nonius Marcellus:Fœciales,inquit,apud veteres Ro.erant,qui ſancto legatorum officio ab his qui aduerſum Po.Ro,aut rapinis aut iniurijs hoſtili mente commouerant, pignora facto fœdere iurè repetebant:nec bella indicebantur.quæ pia vocabant, priuſquam

fuiſſet

fuiſſet quid Fœcialibus denunciatum. Varro de vita Po.Ro.lib.2. Itaq; bella & tardè & nulla licentia ſuſcipiebant, quòd bellum nullum niſi pium putabant geri oportere. priuſquam indicerent bellum, iis à quibus iniurias factas ſciebant, Fœciales legatos repetitum mittebant quatuor, quos oratores vocabant. alia præterea Nonius & Feſtus tradunt. nos hæc pro re ſatis.

De Gallis Magnæ matris Ideæ, cùm ſatis ſupérque in ipſius deæ deſcriptione, déque omni eius ferè cæremoniarum ritu dixerim, non eſt cur hoc loco plura repetam.

Duumuiri ſacrorum à Tarquinio Superbo inſtituti fuerunt, qui ſoli ſacros libros inſpicerent, & Carmina Sibyllina: deinde cùm plebs creandos eſſe ex ſuis inſtaret, ex patriciis & plebeis X creati ſunt, & inde XV, qui eos libros inſpicerent: atq; ita ad XV viros ſacrum deuenit, quibus & aliquando data cura corrigendorum faſtorum. Sed ſi de his plura cupis, poſt cæteros noſtrum ſecundum de Hiſt. poetarum dialogum, ſi vacabit, legito, quo loco de Sybillis abundè ſcripſimus.

De ſeptemuiris Epulonum ſic à Pomponio ſcriptum inuenimus: Veteres (inquit) Pontifices, vt ait Cic. in 3. de Orat. propter multitudinē ſacrificiorū tres epulones eſſe voluerūt, vt ludorum epulare ſacrificium facerent. Id ſacerdotium antiquum fuiſſe conſtat: ſed de ætate nondum mihi planè compertum. Epulonum numerus auctus fuit, duóq; tribus additi, adeò vt quinq; fierent epulones aliquo tempore: ſed poſtea theatralium ludorum atq; Circenſium ambitione ad VII vſq; producti. Excuſabatur ſeptemuir Epulonum filia à Veſtali vocatione. Eſt Romæ pyramis Ceſtii, in qua ita inſcriptum: Opus abſolutum dieb. CXXX. ex Teſtam. C. Ceſtii Corn. Tri. pl. Septem viri Epulonū. Epolonos, ait Feſtus, dicebant antiqui, quos nunc epulones dicimus. Datum eſt autem his nomen, quòd epulas indicendi Ioui cæteríſq; deis poteſtatem haberent. vnde etiam ſacræ menſæ dicebantur, de quibus Arnob. in 2: Sacras, inquit, facitis menſas ſalinorum appoſitu, & ſimulachris deorum.

Titii ſodales ſacerdotes extra vrbem habitabant, & in tuguriis certa auguria ſeruabant, quoniam ad id deputati à Pont. erant. nomen inditum eſt ab auibus, vt Varro ait, quas in auguriis certis obſeruare ſolebant. horum meminit & Lucanus:

Et doctus volucres augur ſeruare ſiniſtras,
Septemuirq; epulis Feſtus, Titiiq; ſodales.

De Lupercis, copioſè paulo poſt in Lupercalibus agemus: item de Popis, aliiſq;.

Tutulos, ait Varro in Pontificalibus, ſacerdotes dici breuium deorum. Numa verò Pompilius, & ipſe de pontificalibus ſcribēs, Tutulum dici ait pallium, quo ſacerdotes caput tectabant, cùm ad ſacrificium acceſſiſſent. ſicut & Vergilius ait:

Et capita ante aras Phrygio velatus amictu.

Lege ad Chalcidium Plac. Fulgentium.

Curionem etiam Romani interdum pro ſacerdote poſuêre. Curiones, inquit Varro, dicti ſunt à curiis, qui faciunt vt in his ſacra fiant. Feſtus: Curionum æs, ait, dicebatur, quod Curioni dabatur ob ſacerdotium curionatus. Arnob. lib. 1. aduerſus Gentes: Iupiter ille Capitolinus huiuſmodi poteſtatem dedit, Curionem autem Pontificem maximum, quinimo Dialem, quod eius eſt, flamine iſto iure donauit. & Ouid. in Faſtis:

Curio legitimis tunc Fornacalia verbis
Maximus indixit.

Curia etiam aliquando pro templo ſumitur. id oſtendit Ouid. qui locum vbi Cęſar occiſus eſt, nunc templum, nunc curiam appellauit. Sed certè curia ſacrata fuit. Videtur Dion. Alicarn. in 2. hos deſignare, cùm ait: Duces curiarum factos eſ-

ſe ſacrificulos à Romulo imitato Græcorum conſuetudinem,apud quos inſtituta fuere prytanea,in quibus ſacra fiebant ab ijs qui prytanes dicebantur.

Cupetus porrò lingua Sabinorum ſacerdos vocabatur,quod notat Seruius. hinc Vergil.lib.Aeneid.12.videtur nomen deduxiſſe,cùm cecinit:

Nec Dij texère Cupentum.

Poſtremò quoniã Orgeones,& Chalazophylaces, & Pyrphoros ſuprà memorauimus,& Latinis parum noti videntur,hoc loco exponam. Orgeones ergo dicebantur ſacerdotes,qui deorum honori, aut heroum conueniebant: ab Orgijs,vt putatur,dicti:id eſt,ſacris myſterijs.vel à verbo ὀργιάζω,id eſt ſacrifico, & ſacra inſtituo:vel quia inter ſacrificandum ὀρέγουσι τὼ χεῖρε, id eſt porrigant & extendant ambas manus.Putant alij,quod in Orgadibus,id eſt terris alicui deo ſacris,vel lucis rem diuinam facerent.hi & Orgiaſtæ dicuntur.

χαλαζοφύλακες verò ſacerdotes à Græcis dicebantur,qui grandines cum inſtarent,ſpecularentur.hi enim agni vel pulli ſacrificio auertere credebantur.Sed ſi agnus vel pullus abfuiſſet,digitum graphio ſtilóue feriebant,atq; inde fuſo ſanguine litabant.hos autem à Cleone inſtitutos legimus.

πυρφόροι,id eſt igniferi,ſacerdotes fuère,qui ante alios ignem in ſacrificijs inferebant.hi etiam in prima acie prodire cum face & corona ſolebant, nec à quoquam violari fas erat,vt fœciales apud Latinos.horum meminit & Pollux.

Paſtophori etiam apud Aegyptios & Græcos ſacerdotes leguntur, dicti vel à παςῷ,id eſt thalamo:vel à veſte,ſeu velo.Apuleius ſic Iſidis ſacerdotes vocat. Sed & Venus Paſtophoros vocata eſt,vt ſuo loco à nobis proditum eſt.

His ita de templis,aris,& ſacerdotibus,præmiſſis,eam tibi ſententiã primùm ſubſignabo,quam de deorum hominúmue honore ac cultu protulit apud Alexandrum Calliſthenes Olynthius,auditor & propinquus Ariſtotelis. Cùm enim Anaxarchum,ſuadente Alexandro audiuiſſet,vt diuinos honores oblatos ſuſciperet:tum mox ille,pulcherrimã diſtinctionem diuinorum humanorúmq; honorum fecit,itáq; definijt:Ad deos(inquit)Alexander,pertinent templa,ſtatuæ,luci,ſacrificia,libationes,diuini item hymni:laudes verò hominum ſunt: & quidem ſalutari homines à ſalutantibus,& oſculari mos eſt:diuinitas aũt, quoniam in cœleſtibus ſedem habet,neq; fas eſt vt à mortalibus contingatur, propterea adorationib.ſacrificijsq; colitur. Deis præterea,ait,chori & pæanes,cæteráq; id genus concinuntur:neq; enim mirum videatur,quod alij alijs honores & cultus ſuperis inſtituti ſint,cùm & heroum quoq; honores à deorum cultu diſferant.non itaq; decet hæc confundi,& mortalem quempiam per honorum excellentiam humanum ſupra modum extolli. peſſimè enim id fieri videmus, ſi deis & hominibus par honor afferatur.Atq; hæc quidem apud Arrianum philoſophus Calliſthenes diſſeruit.Erant ergo,vt vides, apud gentes diſtincti honores & cultus:alij quidem deis,alij heroibus,& item alij hominibus. nam heroibus mos fuit rem ſacram ad occidentem verſus fieri, deis verò ad orientem: vt Pindari Græcus interpres notat,& ipſe in hoc alibi pluribus oſtendi.

Nunc verò attende,quæ varia obſeruauerim de ſacrificiorum vocabulis. ne de re inſtituta,aliqua tibi (pro vt facultas tulerit) prætermiſiſſe videri poſſim. Neq; enim ego nunc rem ad Platonis legem redigo, qui in Legum lib.8. ſingulos deos ſingulis anni diebus,totidémq; ſacra fieri mãdauit, vt vnus aliquis ſemper ex magiſtratibus deorum alicui,aut dæmonum pro ciuitate,pro ſeipſis, pro rebus ſuis ſacrificaret. Sed ad inſtituta vt plurimum Romanorum & Græcorũ deduco. Erat ergo ſacrificium,quodcunq; erga deos officium,quod ritè rei diuinæ faciendæ cauſa impẽdebatur.vnde & Sacrificare verbũ,quod(vt inquit Socrates in Euthyphrone)eſt munera deis offerrę:vt vouere,à deis petere. Heraclitus verò ſacrificia medicamẽta nuncupabat,quod à morbis animum expurgare poſſent.Sacrificium,inquit Iſidorus,eſt victima,& quæcunq; in ara cremãtur,ſeu ponuntur.omne aũt quod deo datur,aut dedicatur,aut conſecratur: qđ

dedica-

dedicatur,dicendo datur,vnde & appellatur.Hinc errant,qui conſecrationem, dedicationẽ putant ſignificare.Immolatio ab antiquis dicta à mola,de qua ſuo loco agemus:vel,vt putat Iſidorus,ꝙ in mole altaris poſita victima cæderet̃. vñde & mactatio poſt immolationem erat,vt paulo pòſt oſtendã.Sedenim appellamus & ſacrificiũ,ſacrũ:vt ſacra facere:vt & illud quod dicit̃,Inter ſacrũ & ſaxũ, & rem ſacrã,& rem diuinã,& alia,de quib.ſparſim ſuis locis agemus.Sunt & ſacrificia alia publica,quæ pro populò fiebãt:quæ & popularia ſacra dicta ſunt,vt ait Labeo,quæ omnes ciues faciebant.hæc & certis familijs attributa fuerãt, vt Fornacalia,Palilia,Laralia,vt ait Feſtus. Alia erant priuata,quæ pro ſingulis hominibus & familijs agebant̃,vt Varro & Feſtus docent.Fuerunt item ſacra quę Peregrina dicebant̃,de quibus Sex.Pomp.Peregrina,inquit,ſacra appellabantur,quæ aut euocatis deis in oppugnandis vrbib.Romã fuerant delata,aut quæ ob quaſdã religiones per pacẽ erãt petita,vt ex Phrygia Matris Magnæ,ex Græcia Cereris,Epidauro Aeſculapij,quæ colebant̃ eorũ more à quibus ſunt accepta.Item alia ſtata erant ſacrificia,quæ certis dieb.fiebant,quæ & Stata ſacra dicebantur,vt in primis apud poetas videmus.Cato in ea quam ſcripſit de Lucio Vecturio,de ſacrilegio cõmiſſo,cum ei equũ ademit:Quod,inquit,tu quantum in te fuit,ſacra ſtata,ſolennia,ſancta deſeruiſti. Feſtus, Macrob. & Lactantius grammaticus.Alia erant Solennia,quæ omnib.annis præſtari ſolerent,vt ijdem tradũt.Hęc eadẽ & Anniuerſaria dicebant̃,quę annua ſacra à Vergilio in VIII Aen.dicta ſunt.quo loco ſic Seruius:Annua,inquit,quæ differre nefas: Anniuerſaria ideo non differuntur,quia nec iterari poſſunt.nã Calendaria,ſi qua fuerint ratiõe dilata,poſſunt repeti,nec piaculum eorum intermiſſione committitur. Cæremoniæ verò ſunt ritus ſacrificiorũ,à populis Italiæ dictæ:vel à carẽdo, vt alij putant. Vnde Val.Max.immò M.Tullius,in ea oratione quæ de Aruſpicum reſpõſis inſcribitur,nam ex ea ſunt verba deſumpta:Maiores ſtatas ſolemnésq; cæremonias,pontificum ſcientia:bene gerendarum rerum auctoritatem, augurũ obſeruatione:Apollinis prædictiones,vatũ libris: portentorũ depulſa, Hetruſca diſciplina explicari voluerunt.priſco etiam inſtituto rebus diuinis opera datur,cùm aliquid commendandũ eſt,precatione:cùm expoſcendum,voto:cùm exoluendum,gratulatione:cùm inquirendũ,extis,vel ſortib. impertito cum ſolemni ritu peragendum ſacrificio,quo etiam oſtentorum ac fulgurũ denunciationes procurantur.Quæ verba ſi quis rectè perpendat,totam fermè rationem votorum & ſacrificiorum cõprehendunt,atq; ideò à me hic tibi ſunt recitata.Illud etiam ſanè ſignificandum duco,quòd denariæ quædam dicebantur cęremoniæ,& tricenariæ,quibus ſacra adituris decem continuis diebus vel triginta,certis quibuſdam rebus carendũ erat,vt Feſtus notat.Græci quoque,vt ex Polluce,alijſq; colligimus,varijs vocabulis rem diuinam vocitabant: inter quæ hæc ſunt.θυσία,quam Porphyrius,& grãmatici quidam dictã exiſtimant,ꝙ mortaliũ primi ex combuſtis arboribus thymiaſin,id eſt euaporationem & ſuffitum deis impendere ſolerent,& à thymiaſi thyſiam deriuatam volunt:hinc & Orpheus hymnos deis cum thymiamate & ſuffitu cecinit.Quidã à θύω, hoc eſt ſacrifico deducunt,vnde etiam thus.Sanè quidam thure primùm ſacrificari cœptum prodiderunt.Libanum quippe puerum legimus ſacrificijs deditum, inuidia interemptum,in cognominem plantã deûm miſeratione mutatum,qui Græcè λίβανος,id eſt thus dicitur.hinc & δενδρολίβανος, ipſa thuris planta.Hiſtoriam latius explicat in Geoponico Heron,ſeu Conſtantinus.Arnobius tamen negat,apud vetuſtiſſ.thus in ſacris fuiſſe,quod alibi dicam. A Thyſia, Buthyſia deducitur, quam vocem & latini vſurpant,vt Tranquillus in Nerone.Eſt & verbum βουθυτεῖν,id eſt bouem immolare,vel maiore vti ſacrificio.quo verbo Ariſtophanes in Pluto vſus eſt.Grammatici à βου particula intentiua deriuant, vt βούλιμος, βούσυκος,βούπεινας,cùm magnam famem,ficum & ſitim ſignificare volunt. Athyſia etiam Acapnariſia Luciano dicitur,& Athenæo,quæ ſine fumo ſunt ſacrificia,&

perinde exigua: qualia ſunt inopum, quibus non eſſet victimarum copia. Dicuntur & ſacrificia Orgia, quæ (vt Seruius ſcribit) omnia apud Græcos ſacra ſignificant, vt cæremoniæ apud Latinos. ſed abuſiuè, inquit, ſacra Liberi Orgia dicebantur, dicta ἀπὸ τῆς ὀργῆς, id eſt à furore: vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν, id eſt à montibus: nã præcipuè in montibus celebrabantur. Vergil.

—Qualis commotis excita ſacris
Thyas, vbi audito ſtimulant Trieterica Baccho
Orgia, nocturnusq; vocat clamore Cithæron.

Græci quidam Orgia dicta tradunt ἀπὸ τοῦ εἴργειν, id eſt ab arcendo, quòd à ſacris profani arceri debeant. hinc ὀργιάζω, & ὀργιάζομαι, rem diuinam facio: & ἐξοργιάζω, expio, & ad ſacra ſuſcipienda præparo. Sacrificium præterea ἱερουργία dicitur, τέλος & τελετὴ, & numero plurali τὰ τέλη. vnde & τέλεια ἱερὰ, ſacra eximia, & quæ ampliora ſunt, & ſanctiora appellabantur. τελετὴ quoq;, pro myſtica & ſacra celebritate. quidam vtrunq; ἀπὸ τοῦ τελεῖν deriuant, quod perficere ac impendere ſignificat, quòd in ſacris multa impenduntur ac profunduntur. hinc & τελετάρχης is dicitur, qui religionis alicuius eſt conditor, quo nomine CHRISTVS à Dionyſio vocatur. hinc & τελεστήριον, locus vbi myſteria & ſacra peraguntur. hinc Polyteles, qui multa: & Euteles, qui bene & frugaliter expendunt. Vocatur item ſacrificium θῦμα, θυηλὴ, ἱερουργίαις, alijsq́ue multis nominibus vt quæ deis propria & peculiaria, vt παμύλια Oſiridis, θεσμοφόρια & Demetria Cereris, & Aphrodiſia Veneris, Dionyſia Bacchi, Panathenæa Mineruæ, cæteráq; quæ his Syntagmatibus commemoraui. Atq; hæc quidem de Græcis. Illud verò à Latinis quibuſdam traditum inuenimus, victimam ab hoſtia differre: idq; volunt ab Ouid. in Faſtis ſignificatum his duobus verſibus:

Victima, quæ cecidit dextra victrice, vocatur:
Hoſtibus à victis, (vel vt in alijs legitur, domitis)
Hoſtia nomen habet.

Quod diſcrimen cùm alij, tum in primis Iſidorus & Seruius videntur agnoſcere, ſed ab auctoribus certè confunduntur. Feſtus alicubi hoſtiã ab antiquo verbo hoſtio deriuat, quod eſt ferio. licet idem alibi ita ſcribat: Hoſtia ſacrificium, quod Laribus immolabant, quòd ab illis Hoſtes arceri putabant. Cæſar de bello Gallico: Hoſtiæ omnibus locis immolabantur. Hoſtiæ, ait Iſidorus, apud Veteres dicebantur ſacrificia, quæ fiebant antequam ad hoſtem pergerent: Victimæ verò ſacrificia, quæ poſt victoriam deuictis hoſtibus immolabantur. & erãt victimę maiora ſacrificia, quàm hoſtiæ. Alij victimam dictam putauerunt, quòd vi ictus percuſſa cadebat: vel quod vincta ad aras ducebatur. hæc Iſidorus. Athenęus porrò lib. Dipnoſoph. VIII. plura ex plurib. auctoribus exequitur, cur & quomodo ſacrificia inſtituta ſint. Qui verò primus animal occiderit, Hyperbius dicit, Martis filius: q boues, Prometheus. Sed certè de Prometheo hæc apud Hyginum in Aſtronomico poetico leguntur: Antiqui, inquit, cùm maxima cæremonia deorũ immortalium ſacrificia adminiſtrarent, ſoliti erant totas hoſtias in ſacrificiorum conſumere flamma. itaq; cùm propter ſumptus magnitudinem ſacrificia pauperibus non contingerent, Prometheus, qui propter excellentiam ingenij miram, homines finxiſſe exiſtimatur, recuſatione dicitur ab Ioue impetraſſe, vt partẽ hoſtiæ in ignem conijcerent, partem in ſuo conſumerent vſu: idq; poſtea conſuetudo firmauit. quod cum facile à deo, non vt ab homine auaro impetraſſet, ipſe Prometheus immolauit tauros duos: quorum primùm iocinora cum in ara poſuiſſet, reliquam carnem ex vtroq; tauro in vnũ compoſitã, corio bubulo texit: oſſa aũt, quæ circum fuerunt, reliqua pelle contecta, in medio collocauit, & Ioui fecit poteſtatẽ, vt quam vellet eorũ conſumeret partẽ. Iupiter aũt etſi non pro diuina fecit cogitatione, nec vt deum decebat, omnia qui debuit antè ꝓuidere, ſed quoniã credere inſtituimus hiſtorijs, deceptus à Prometheo, vtrũq; putãs eſſe taurũ, delegit oſſa pro ſua dimidia parte. itaq; poſtea in ſolẽnib.

& reli-

& religioſis ſacrificijs carne hoſtiarum conſumpta, reliquam, quæ pars fuit deorum, eodem igne comburunt. hæc Hyginus in Aſtronomico poetico, & multo ante Hyginum Heſiodus in Theogonia. ex quorum verbis facile intelligas, quod ſcribit Lucianus in dialogo Iouis & Promethei, cùm ait: Nam quibus me ipſum decepiſti in diſtributione carnium, oſſa pinguedine obducta modò apponens, & meliorem partem tibi ipſi reſeruans? & cætera. Legimus tamen primos Athenienſes bobus in cibis non abſtinuiſſe, vt Theon prodit. id etiam Pauſ. tradit in Eliacis, veteres ſolitos fuiſſe hoſtiam, per quā aliquis iuraſſet, non amplius inter edulia & cibaria homini apponere. vnde Homerus præconem inducit, aprum in mare proieciſſe, per quem Agamenon iurauerat, Bryſeida ſui eſſe lecti expertem. Sanè notandum eſt, antiquos totam victimam prius incendiſſe, vt ſuprà oſtenſum eſt. vnde illa ſunt adhuc vocabula, Holocautoma, & Holocauſtoma, & Holocauſtō. de quib. ſic etiam Iſidorus: Holocauſtum, inquit, ſacrificium illud, quod totum igne conſumitur, dum offertur. Antiqui enim, dum maxima ſacrificia adminiſtrare ſolebant, hoſtias totas in ſacrorum conſumere flamma ſolebant. Sed reliqua proſequamur de Hoſtijs.

Præcidaneæ hoſtiæ dicebantur, quæ ante ſolēnia ſacrificia pridie mactabantur. Feſtus: Præcidaneam porcam dicebant, quam immolare antè erant ſoliti, quàm nouam frugem inciderent. Idem, Præcidanea agna vocabatur, quæ ante alias cædebatur. Item porca, quæ Cereri mactabatur, ab eo qui mortuo iuſta nō feciſſet: id eſt, glebam non inieciſſet. Cato quoque de Re ruſtica: Thure, vino, Iano, Ioui, Iunoni prȩfato: priuſquam porcam fœminam præcidaneam immolari præcipit. quo facto, ſubdit poſtea, Porcam præcidaneam immolato, &c. Sed hac de re audiendus eſt Gellius: Prȩcidaneæ, inquit, hoſtiæ dicuntur, quȩ ante ſacrificia ſolemnia pridie cædebantur. Porca etiam præcidanea appellata, quam piaculi gratia ante fruges nouas fieri cœptas immolari Cereri mos fuit, ſi qui familiam funeſtam aut non purgauerant: aut aliter eam rem, quàm oportuerat, procurauerant. Sed porcam & hoſtias quaſdam appellari vulgò, notum eſt. Ferias præcidaneas dici, id opinor à vulgo remotum eſt, propter ea verba Attei Capitonis ex libro quinto, quos de pontificio iure compoſuit: Coruncanio Pont. Max. feriæ præcidaneæ in atrum diem inauguratæ ſunt. Collegium decreuit, nō habendum religioni, quin eo die ferię prȩcidaneæ eſſent. hæc Gellius. Videndū an rectè apud Feſtum Prȩſa porca dicatur, pro prȩcidanea. Sed B. Aegius fortè prȩcioſam legendum exiſtimat. Feſti hæc ſunt verba: Præſa porca dicitur, vt ait Veranius, quæ familiæ purgandæ gratia Cereri immolabatur, quòd pars quædam eius ſacrificij fit in conſpectu mortui, eius cuius funus inſtituebatur. Dicebatur etiam hoc genere ſacri Piaculus Porcus, vt docui alibi ex Catone de Re Ruſt.

Succidaneȩ hoſtiæ dicebantur, e litera per morem compoſiti vocabuli in i literam commutata, vt idem Gellius ſcribit: id quod & in Præcidaneis accidiſſe videmus. nam quaſi ſuccedaneæ & præcedaneæ appellatæ ſunt. Et ſuccedaneæ quidem dictæ, ſi primis hoſtijs litatum non erat, aliȩ poſt eaſdem ductæ hoſtiæ cædebantur, quæ quaſi prioribus iam cæſis, luendi piaculi gratia ſubdebantur & ſuccedebant, ob id ſuccidaneæ nominatæ, litera i tractim, hoc eſt productè pronunciata. Audio, inquit Gellius, quoſdam eam literam in hac voce barbarè corripere. Idem Gellius S. C. affert, quod factum fuit M. Ant. A. Poſthumio Coss. tale, quod C. Iulius L. F. pont. nunciauit in ſacrario in regia haſtas Martias mouiſſe. De ea re ita cenſuerunt, vt M. Ant. Cos. hoſtijs maioribus Ioui & Marti procuraret, quod cæteris deis, quibus videretur, placandis, vti procuraſſet, ſatis habendum cenſuerunt: ſi quid ſuccidaneis opus eſſet, Robigus accederet. Hactenus S. C. Plautus in comœdia Epidicus inſcripta, Men' piacularem oportet fieri ob ſtultitiam tuam, vt meum tergū ſtultitiæ tuȩ ſubdas ſuccidaneū. Illud de ſuccidaneis ſcribit Seruius in 8. Aeneid. cōment. In omnib. inquit, ſacris

fœminini

fœminini generis plus valere victimas: deniq; ſi per marem litare non poterat, ſuccidanea dabatur fœmina: ſi autem per fœminam non litaſſent, ſuccidanea adhiberi non poterat. Apud Aegyptios ſecus, quibus fœminam hoſtiam immolare fuit nefas. Barbaris quoq; circa montem Caucaſum, & apud Derbices Perſicam gentem, Fœmineum animal victimam dare, aut eius carnib. veſci, ſub graui documento vetabatur. Videtur Vergilius in III. Aeneid. ſuccidaneum ſacrificium innuere, cùm ait:

Rurſum in ſeceſſu longo ſub rupe cauata,
Arboribus clauſi circum atq; horrentibus vmbris,
Inſtruimus menſas, ariſq; reponimus ignem.

quo loco Seruius: Sanè ſciendum, inquit, iterationem hanc fieri ſecundum ritum ſacrorum. nam diſplicuiſſe prima, ex prodigijs indicatur. quidam etiam has auctas hoſtias dixerunt: quoniam cùm primis hoſtijs non litatum eſſet, tunc & aliæ addebantur, quoad litatum eſſet. Suetonius circa Peruſiam ſacrificio non litante, augeri hoſtias imperauit Legimus quoque, Paulum Aemilium ſacrificantem non litaſſe, vſque ad XX hoſtiam. in XX verò prima apparuiſſe ſigna, quæ victoriam pollicebantur. hinc & apud Græcos prouerbium factum, δευτέρων ἀμεινόνων, quòd in ſacrificijs ſecunda meliora ſint. nam vt dictum eſt, ſi priora non bona apparuiſſent, ad ſecunda conuertebantur meliora. Meminere & Plato & Heſychius.

Eximiæ hoſtiæ. Eximij, ait Macrobius, in ſacrificijs vocabulum, non poeticũ epitheton, vt aliqui putant, ſed ſacerdotale nomen eſt. Veratius, vel Veranius, vt aliqui legunt, in pontificalib. quæſtionib. docet, Eximias dictas hoſtias, quæ ad ſacrificium deſtinatæ eximebantur è grege: vel quòd eximia ſpecie, quaſi offerendę numinibus eligerentur. hinc Vergilius ait:

Quatuor eximios præſtanti corpore tauros. quo in loco ait Macrobius, Eximios, quòd eximuntur: quòd verò lecti, præſtantes corpore dictum eſt. Donat⁹ quoq;: Eximia pecora dicuntur, quę à grege excepta ſunt ad vſus dominorũ ſuorum, vt vberius paſcantur. Sed propriè eximij ſunt porci maiores qui ad ſacrificandum excepti, liberius paſcuntur. Etenim boues qui ad hoc electi ſunt, egregij, vel eximij dicuntur: & oues lectæ. vt Vergilius:

Mactant lectas de more bidentes. Idem:
Quatuor eximios præſtanti corpore tauros. hæc Donatus.

Ambiguæ oues in ſacris quæ dicerentur, Bebius Macer, qui Faſtos dierum ſcripſit, oſtendit. ait enim, Iunoni eas quæ geminas parerent, oues ſacrificari cum duobus agnis, altrinſecus alligatis: & has ambiguas vocatas, quaſi ex vtraque partę agnos habentes. quam ſententiam eſt ſecutus Placiades Fulgentius ad Chalcidium. Varro tamen de Lingua Latina: Abigenam bouem dictam ait apud Augures, quam circum aliæ hoſtiæ conſtituebantur. Videtur innuere, quòd circumagerentur: vt Ambuſtum, inquit, quod circum vſtum eſt: & Abagium, quod adagium dicitur, litera mutata. Idem Varro alibi, Aruigem in hoſtijs ſcribit, quæ cornua habeant, & quorum exta veru coquantur, quod aliàs planius dixi.

Haruga, vel vt alij, Aruga, ſine afflatu, ab ara, hoſtia eſt, auctore Donato. alij ab hara, in qua includebatur. apud Feſtum tamen legimus: Hariunga dicebatur hoſtia cuius adhærentia inſpiciebantur exta.

Cauiares hoſtiæ dicebantur, ait Feſtus, quod Cauiariæ, id eſt, pars hoſtię cauda tenus duceretur, & ponebatur in ſacrificio pro collegio pontificum quinto quoque anno.

Prodigiæ hoſtiæ dicebantur, quę conſumebantur, vt Veranius & Feſtus ſcribunt. vnde & prodigi dicti. Prodigialis verò Iupiter etiã legitur, cui Plautus mola ſalſa & thure comprecari ait.

Bidentes hoſtiæ quæ dicerentur, variè proditũ eſt. quidam oues tantum, alij & verres,alij alia.de quib.ſic Seruius apud Macr.lib. VI. Sat. de bidentium, inquit,numero dentium,quem grãmaticus ille opinatus eſt, reprehẽdendus à me non eſt,cùm ipſe iã riſeris:verũ procurandũ mihi eſt, ne illud obrepat, ꝙ bidentes epitheton ſit ouiũ,cum Põponius egregius Attellanarũ poeta in Gallis trãſalpinis hoc ſcripſerit:Mars tibi voueo facturum,ſi vnquã rediero, bidẽte verre. P.verò Nigidius in lib.quẽ de extis compoſuit,Bidentes appellari ait,non oues ſolas,ſed omnes beſtias bimas:neq; tamen dixit,cur ita appellarent. Sed in commentarijs ad ius põtificum pertinentibus legi Bidenes primò dictas, d litera ex ſuperfluo,vt ſæpe aſſolet,interiecta:ſicut pro reire redire,& cætera. hinc idẽ, vt putatur,Seruius lib.4.Aen.ſuper eos verſus:

Principio delubra adeunt,pacemq; per aras
Exquirunt,mactant lectas de more bidentes.

Bidentes autẽ, inquit, dictæ ſunt hoſtię,quaſi biennes,quia neq; minores aut maiores licebat hoſtias dare.ſunt enim in beſtijs,vel vt alij legunt,ouib.duo eminẽtiores dentes inter octo, qui nõ niſi circa bimatũ apparent,nec in omnib,ſed in his quæ aptæ ſacrificijs inueniũtur.Proſequit' Seruius apud Macr.Ergo bidennes primũ dictæ ſunt,quaſi biennes:& longo vſu loquẽdi corrupta eſt vox,& ex bidennib. bidentes dictæ. Hyginus tamen,qui ius pontificũ non ignorauit,in lib.4.quos de Verg.fecit,Bidẽtes appellari ſcripſit hoſtias,quę per ętatem duos dentes altiores haberent, per quos ex minore in maiorẽ tranſcendiſſe conſtaret ætatem. hoc idẽ quod Macr. Gellius antè dixerat li.Noct.Attic. XVI. vbi etiã fatui atq; arrogantis grãmatici ridet inſolentiam,putantis de ouibus tantum dici bidentes,propter eos Vergilij verſus in VII.vt puto Aen.Centum lanigeras mactabat ritè bidentes hoc idem quod Gellius & Macr.Non.Marcellus tradit de proprietatibus rerum.

Fuerunt & Ambaruales hoſtiæ,de quibus paulo pòſt in Ambaruali ſacro, & Amburbio agemus.

Sed reliqua de hoſtijs breuiter afferamus. Trebatius libro primò de religionib.Hoſtiarum inprimis genera duo fuiſſe docuit: alterũ,in quo voluntas Dei per exta diſquirebatur: alterum,quo ſola anima deo ſacrabatur. vnde & animales hoſtias vocabant, id quod retrò copioſius oſtendam. In his ipſis hoſtijs,vel animalibus vel conſultatorijs, vt ait Macrobius, quædam fuere, quæ Iniuges hoſtiæ vocabantur,id eſt,quæ nunquam domitæ ac iugo ſubditæ fuerunt. Harum & Vergilius meminit:

Nunc grege de intacto ſeptem mactare iuuencos
Præſtiterit,totidem lectas de more bidentes.

Et vt iniuges euidentius exprimeret,adiecit:

—Et intacta totidem ceruice iuuencas.

Manilius Chreſtus in libro quem de Deorum hymnis ſcripſit, ait Mineruæ iniuges boues ſacrificari ſolitas, id eſt, iugum quæ nunquam tulerunt: illa videlicet cauſa, quòd & virginitas iugum neſciat maritale, & virtus nunquam ſit iugo prementi ſubiecta.Idem quod & Placiades Fulgentius repetit,in eo quem ſcripſit lib. ad Chalcidium.Cætera quæ de hoſtijs dici poſſent,ſuis locis in Deis aſcripſimus.Quare iam par eſt,vt tranſeamus ad ſacrificiorum & celebritatum pleraque nomina, quorum apud auctores frequens eſt mentio, vt noſtro ſtudio harum rerum ſtudioſis inquirendi laborem in tui gratiam adimamus, atque ab Amburbio exordiemur.

Igitur Amburbium,quod & Amburbale ſacrum dicebatur, ſacrificium fuit, quoties vrbs luſtrabatur.id verò fuit mos fieri,cum prodigium aliquod vrbi minari videretur,& tædis aut victimis expiari conueniret,nõnunquam & ſulphure & aqua. Sed & ouis combuſtis vrbem vel totam,vel partem luſtrabant: vnde etiam Nouendiale ſacrum inſtitutum fuit,quod dupliciter actum apud Ro-

manos

manos obſeruauimus. vno modò, cùm defunctis parentabant, ſeq; luſtrabant, vt in Sepulchralibus docui: altero, cũ prodigium aliquod accidiſſet, quod nouendiali ſacro expiare ſolebant, vt eſt frequẽter cùm apud alios, tum maximè apud Liuium obſeruatum. ita verò perficiebãt, vt video doctis placere. Nouem dies aſſiduè deis ſacrum faciebant, quod ſacrũ indici ſolebat vel à Pon. Maximo, vel à Prætore vrbano, ex ſenatus decreto. Fuerunt & Nonalia ſacra, quæ nonis celebrarentur: vnde & appellata, vt M. Varro meminit.

Solitaurilia ſacra fuere, quę ſingulo perfecto luſtro per Cẽſores celebrari mos fuit, ad luſtrandã vrbem, ſue, oue, & tauro: aut verre, ariete & tauro: qui circũ vrbem ducebantur, cúmq; multa religione luſtrum condebatur. vt ferè ſint, qualia διάκτηρα à Græcis fieri conſueuere. M. Cato de Re. ruſt. Agrum luſtrare ſic oportet, Imperans ſolitaurilia circum agi cum diuis volentib. quodq; bene eueniat, mando tibi Mani, vt illa ſolitaurilia, fundum, agrum, terrámq; meam quota ex parte, ſiue circumagi, ſiue circũferenda cenſeas, vti cures luſtrare: & cætera. Feſtus: Solitaurilia hoſtiarum trium diuerſi generis immolationem ſignant, tauri, arietis, verris, quod omnes integri ſolidíq; corporis ſint: ſolũ enim lingua Oſcorum ſignificat totum, & ſolidũ. hæc Feſtus. ſed & Græci ὅλον dicunt totum: & integrũ. Porrò de ſolitaurilib. meminit Liuius, Aſconius, Quintilianus, alíiq;.

Ambaruale ſacrũ, ad arua & ſegetes luſtrandas, multa prece & cęremonia celebrabatur. Pomp. Feſtus apud Macrobium: Ambarualis hoſtia, ait, quæ rei diuinę cauſam circum arua ducitur, ab his qui pro frugib. faciũt. quod volunt Verg. in apotheoſi Daphnidis ſignificaſſe, cùm ait:

Et cum luſtrabimus agros. & in primo Georg.

Terq; nouas circum fœlix eat hoſtia fruges.

Ambaruale, ait Seruius, ſacrificium, quod arua ambiat victima: ſicut Amburbale, vel Amburbium ſacrificium, quòd vrbem circuit & ambit victima. Dictum verò ab am, antiqua particula, quæ circum ſignificat: vt Amburbia etiam, b litera interpoſita ad conſonantiam, vt etiam Ambio & Ambitus. Porrò Ambaruale ſacrum, niſi de porca fœcunda & grauida, aut vitula fieri conſueuerat. Fuit autem Ambaruale ſacrum, vt modò dicebam, cùm arua & ſegetes ſolemni victima luſtrabantur. eam victimam maturis frugibus ter circum arua ducere conueniebat, vt in Cereris ſacris infrà dicam, omnéſque pòſt clamantes ſequebantur: ex quibus vnus querna corona ornatus cum ſolemni ſaltatione, cõpoſito carmine Cereri decantabat laudes. ac poſtquam vino & lacte libaſſet, antequam fruges meterent, porcam Cereri immolabant: quæ, vt dictum eſt, præcidanea dicebatur. Agri præterea ita quoque plerunque luſtrabantur. Iunoni & Iano vina prius libabant, mox Martem patrem aduocabant, vt ſciens volénſque propitius adeſſet ſibi & familiæ: mox peracto ſacro, agrum luſtrabant: id quod M. Cato de re Ruſt. plenius eſt executus. Græcos quoq; vrbes luſtraſſe accepimus, edoctos ab Epimenide Cretenſi. binis ouib. nigri & candidi velleris, dimiſſis ex vrbe pagóve quo ire vellent, libere ſequentib. eas cuſtodibus: qui vbicunque procubuiſſent, illas propitio deo immolabant. At verò Galli hominem ſaginatũ per annum, feſto die extra vrbis pomœrium lapidibus obruebant: itaq; luſtrari vrbem putabant. Hinc etiam annotamus, anathemata à Græcis dici ſacros eiuſmodi homines, qui ad vrbium luſtrationem expiationémve deis manibus & inferis deuoti mactabantur, ſi qua lues aut calamitas ingrueret, quam tali hominum internecione Deis placatis ſedatum iri putabant. ad quæ ſacra Diuus Paulus alludens, ad Romanos ſcribit: Optarem ego ipſe anathema eſſe: id eſt, quod Græci dicunt ἀναθεματίζεσθαι, hoc eſt execrari & exterminari à Chriſto, modo ſic illis proſim. Certe & D. Hieronymus notat vocem hanc anathema propriam eſſe Iudæorum, & pro corporali occidione & deteſtatione, ſeu execratione deſumi. Vtitur hac voce & alibi D. Paulus, hoc eſt ad Corinthios & Galatas: item & in libris Moſis. Non me præterit & quæ ab alijs ſcribũtur, qui modò pro ſeiũctione

quadam

quadam & deuotione ſumunt, modò pro oblatione, & ijs donarijs quę deis tholis & templis offeruntur, ἀπὸ τοῦ ἀνατίθεσθαι dicta, hoc eſt à ſeponendo, vel ſuſpendendo. Hinc Prudentius contra Marcionem:

Organa, & externi laudant anathemata regni.

Sed illud Gręci per ι à verbo ἀνατίθεμαι, id eſt execror, hoc per η ſcribunt. Certè & LXXII interpretes in Deuteronomio, & alibi hac voce vſi ſunt. Eſt & vulgata Pythagoræ ſententia apud Stobæum, θυηπολίαι μὲν ἀφρόνων πυρὸς τροφὴ, τὰ δ' ἀναθήματα ἱεροσύλων χορηγία: hoc eſt, Sacrificia imprudentum, ignis alimentum: anathemata verò, id eſt oblationes ſacrilegorum, impenſa & chori inductio. Sed ad noſtra redeamus. Si oues luſtrarentur, alia à ſupradictis ratio fuit. nam paſtor ſummo diluculo aqua oues inſpergebat, & ſulphure, herbáq; ſabina, & lauro, igne ſuccenſis, circumcirca ouilia ſuffibat, cúmq; ſacro carmine milio & libo cum lacte & ſapa Pali deæ ſacra faciebat. Hoc ſuffimento pecora piari, & morbos depelli, & tabem putabant. Scribit in Hippia maiore Plato, quòd qui expiabant antiqui, Macariæ Herculis filiæ ſacram rem faciebant, atq; in primis pro re profana. Si verò exercitus luſtrandus eſſet apud Romanos, in campo Martio exercitus inſtruebatur, & ſue, aut hirco, oue & tauro luſtrabatur. Milites ipſi lauro coronati, rem diuinam faciebant, ſub diuo: & hunc luſtrandi morem Seruium regem primum inſtituiſſe ferunt, & Armiluſtrum nuncupaſſe: in hoc illud maximè obſeruare conſueuiſſe accepimus, vt ij qui hoſtias ducerent, bonis & fauſtis nominibus appellati eligerentur. ex hac enim re certa omina proſperi vel ſiniſtri euentus veteres captabant: quæ ſuperſtitio & noſtros pleroſq; hodie quoq; inquinat. Alij hanc exercitus luſtrationem ita peragebant, ſuem, ouem, taurum, qui puri eſſent, ter circum acies inſtructas præcedente pompa ducebant, Martiq; deo immolabant. Aliæ porrò luſtrationes non Romani modò, & Græci, ſed & Hebræi, Aegyptij, & Perſæ, aliǽque nationes: quæ tamen omnes ad eaſdem referri queunt, niſi pro regionis & loci vel inſtituto & conſuetudine, vel rerum copia.

Luſtralia ſacra appellabantur, quæ quinto quoq; anno, id eſt luſtro peragebantur. aliquando tamen luſtralia, pinguia ſignificat, quo modo interpretatur Lactant. grammaticus lib. 2. Thebaid. in Noctis hymno:

——Luſtraliáq; exta
Lacte nouo perfuſus edet Vulcanius ignis.

Luſtralia, inquit, pinguia: nec poſſumus quinquennalia accipere, cùm conſtet anniuerſarium ſacrum dicatum fuiſſe. Luſtralia ergo pecora ſunt, quæ per quinquennale tempus deuota ſacrificijs nutriuntur, & ideo pinguia. Seruius quoq; 8. Aeneid. ſuper ea verba:

Veſcitur Aeneas ſimul, & Troiana iuuentus
Perpetui tergo bouis, & luſtralibus extis.

Luſtralibus, inquit, aut pinguibus: moris enim fuerat completo luſtro pingues victimas offerre cenſores: aut certe de quinquennali boue, id eſt perfectæ ætatis. nã & Homerus βοῦς πενταέτηρον dixit. Sanè luſtratio quę fiebat poſt funus, præclarè tribus verſibus à poeta in 6. Aeneid. exprimitur, poſt iuſta Miſeno peracta. Idem inquit:

——Ter ſocios pura circumluit vnda,
Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ,
Luſtrauitq; viros, dixitq; nouiſſima verba.

in quibus verſib. nihil eſt otioſum, ſed omnia ex priſca religione deſumpta. nam cùm omnis expiatio, ſeu expurgatio ad ſuperos pertinere crederetur, ternarium numerum ſuperis ſacrum adhibuit. Quin & verbo apto luſtrationi vſus eſt, qđ eſt Circũfero. vnde & Plaut. Pro laruato te circumferã: id eſt, purgabo. codices vulgati nõ pro laruato habẽt, ſed ꝓ Cerito. Imò ipſa luſtratio, vt Seruius docet, à circumlatione dicta, vel tędæ, vel victimæ, in quibuſdam vel ſulphuris. Iuuenal.

——Cuperent luſtrari, ſi qua darentur
Sulphura cum tædis, aut ſi foret humida laurus.

Tum & aquam ſpargit poeta, quæ ſordes abluat, ramo felicis & feſtæ oliuę: licet lauro potius id fieri ſoleret, vt dicit Donatus, & conſentit Seruius, ſed Verg. mutauit propter Auguſtum: nam quo die natus erat Auguſtus, nata in palatio laurus erat, ex qua triumphantes coronabantur. & ideò ne luſtratione lugubri videretur adhibere, mutauit in felicem oliuam Sanè & aqua marina purgationes factas apud antiq̃s, & hodie fieri à Mauris, alijsque multis audiui. De mari Proclus, vt alio loco dictum, & M. Cicero de parricidis agens, in culeo inſutis: Non ſic in flumen abijcere, ne cum delati eſſent in mare, ipſum polluerent, qun cætera quę violata ſunt, expiari putantur. Meminit & Ariſtophanis interpres. Nam, inquit, moris fuit expurgare profanatos, ſi ad mare deferantur, & abluantur. At res hæc notior eſt. hinc etiam illud Catulli ad Gellium.

Suſcipit ó Gelli, quantum non vltima Tethys,
Nec genitor Nympharum abluit Oceanus.

Inſani quoque homines expiantur porco in primis. Id etiam Plautus in Menech. oſtendit. Nunc ipſo naturæ deo mihi reſponde adoleſcens, quibus hic precijs Porci ueniunt, ſacres, ſinceri? numum à me accipe: iube te piari De mea pecunia: nam equidem inſanum eſſe te certò ſcio. & paulo pòſt: Hercle certò nō ſanus ſatis. & mox: Iube, ſi ſapis, porculum afferri tibi. Ad hoc facit illud Horatij in Sermonibus:

Immolet æquis
Hic porcum Laribus.

idem & Varro cōfirmat lib. 2. de rè Ruſt. Illud etiam fuit purgationis genus per Oſcilla, cuius meminit Vergil. in 2. Georg.

Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia pinu.

de quibus copioſe in primis Hyginus & Seruius. Oſcilla verò ab ore cillendo, id eſt mouendo dicta, ſi Seruio ſtamus. alij ab oſculo diminutiuum volunt oſcillum, vt à baculo bacillum. Santra tamen vetus ſcriptor: Oſcilla, ait, quòd oſcillant, id eſt, inclinant, præcipitéſq; in os ferantur. at verò Cornificius: Oſcellantes, inquit, ab eo quòd os celare ſint ſoliti perſonis, propter verecundiam, qui eo genere luſus vtebantur. Cauſa autem eius iactationis proditur, vt Feſtus ſcribit, quòd Latinus rex prælio, quod ei fuit aduerſus Mezentium Ceritum regem, nuſquam apparuerit, iudicatúſq; eſt Iupiter factus Latiaris: itaq; per ſex eos dies feriatos liberos, ſeruóſq; requirere eum non ſolum in terris, ſed etiam qua videretur cœlum poſſe adiri per oſcillationem, velut imaginem quandam vitæ humanæ, in qua altiſſima interdum ad infimum, infima ad ſummum efferuntur. Hyginus autem in Fabulis, vbi de Icaro agit, oſcillationem ait celebritatem fuiſſe apud Athenienſes, qui cùm peſtilentia laborarent, conſulto oraculo reſponſum eſt, vt diem feſtum celebrarent Oſcillationis, ad expiationem Icari & Erigones. Nec deſunt, qui exemplum Græcorum Italicos ſecutos putent. quod illi quoq;, vt interfecto Icaro Erigone filia eius dolore impulſa ſuſpēdio perierit: quas neces vt expiarent Attici, oraculo moniti, Oſcillorum celebritatem inſtituerunt. vt Seruius & Hyginus, & in Aratum Grammatici pluribus retulerunt. Prudentioribus tamen placuiſſe legimus, ſacra Liberi patris ad animæ purgationē pertinere. hinc & ei deo Myſtica vannus Iacchi: nam vanno & cribro fit granorum purgatio. Omnis autem purgatio, aut per aquas, aut per ignem fit, aut per aerē, ſicut & in ſexto canit poeta:

——Aliæ panduntur inanes
Suſpenſæ ad ventos, alij ſub gurgite vaſto,
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

Qua de re alibi nonnihil retuli, & ibi plura Seruius. In purgationibus præterea notamus oua adhiberi ſolita, & ſulphura, tædas, lauros, & ſimilia, vt ex Plinio, Iuuenale,

uenale, Ouidio, Apuleio, poetis cæteris colligimus. Fuit & expiationis apud Græcos alia ratio in peſtilentia, aut fame, aliaue calamitate, maioriue aliquo diſcrimine, qua hominem abiectum perquirebant; quem caricis, placentis, caſeoque alliciebant, eum ſepties virgis quibuſdam ad pudenda verberabãt, tum demum fouea confoſſa cremabant, cineres in mare proijciebant: eo ſacro arbitrati vrbem expurgari, Catharmon id appellãtes. Meminit Iſaacius apud Lycophronem, item Hipponax in Iambis. Quidam & Anathema vocant, vt paulo antè oſtendi. Apollonius verò Tyaneus, vt eſt apud Philoſtratum & Euſebium; non minus tetra expiatione vſus in Epheſi peſtilentia eſt. nam mendicum ſenem lapidibus obrui præcepit, vt eam auerteret. Hiſtoria eſt nota. hanc fermè expiationem, ſeu deuotionem potius, feciſſe Abderitanos certis diebus, innuit Ouidius in Ibin:

Aut te deuoueat certis Abdera diebus,
Saxaq; deuotum grandine plura petat.

Morem inſuper fuiſſe legimus expiandi purgãdiq; claſſem, id quod & in lib. de Nauigijs ſcripſimus. in littore maris altaria poſita marinis vndis alluebant, omniſq; circumſtabat multitudo linguis fauens. tũ ſacerdotes in mari ſtantes, ſacrum faciebant, terq; per claſſem ſcaphis circumuecti, ſacra piamina ferebant; ducibus & nauarchis vnà annauigantibus, ipſaq; piamina attollentibus; vt ab exercitu totaq; claſſe infelicia cuncta auerterentur, ac depellerentur. Alium puerorum expiandi morem antiquis fuiſſe, demonſtrat Perſius Satyra 2.

Ecce auia, aut metuens matertera cunis;
Exemit puerum, frontemq; atq; vda labella
Infami digito & luſtralibus antè ſaliuis
Expiat, arentes oculos inhibere perita.

Sed & Græci ſolebant pro infantibus ſacrificare, quinta à partu die, quam rẽ in Truculento Plaut. argutiſſimè his Dinarchi verbis oſtendit: Quin deis, inqt, hodie ſacrificare pro puero volo aſcititio. Addit Phroneſium meretrix; Immo hercle verò quinto die, quod fieri oportet, cenſeo. Hunc autem morem expiandi Plato in Theæteto dilucidè declarat, quo loco ſic Socrates loquitur: Hanc prolem, vt videtur, qualiſcunq; ſit, vix demum genuimus: poſt partum verò, vt moris eſt, quinta die ab eius natali, ſolennia celebrantes, circulo curſim circumferre debemus, præcauentes ne nos fallat, ſi fortaſſe educatione digna non ſit; ſed inanis ac falſa: num cenſes natum tuum omninò alẽdum, nec vllo modo abijciendum? an fortè reprobatũ videns primogenitum tuum, non moleſtè feres de medio tolli? hactenus apud Plat. Socrates. Quib. verbis planum videmus, quod obſcurum apud Plautum videbatur. Sed & fuit noſtris, hoc eſt Latinis luſtricus dies, quo luſtrare infantes ſolebant antiqui, & nomina imponere fœminis quidem VIII, maribus IX die, vt Macrob. Feſtus & Plut. oſtẽdunt: vnde etiam dea Nundina à nono die dicta, vt alibi docui. Sed & Hebræi peritomen, id eſt circũciſionem ſuam, VIII die vt plurimum, vt nos ſanctam abſolutionem, quod græcè baptiſma appellamus, facere conſueuerunt. Porrò expiatio, ſeu purgatio de nece hominis quæ fiebat priſcis, ſcribitur à Pauſan. in Attica: Cùm, inquit, Theſeus Pallãtis filios interfeciſſet, Trœzena profectus eſt purgationis cauſa: hoc eſt τούτους κτείνας, ἐς Τροιζῆνα ἔρχεται καθαρσίων ἕνεκα. ne fortè te decipiat Domitij interpretatio. Meminit item alterius eiuſdem Theſei purgationis, ob cædem quã de latronibus fecerat, à Phytali nepotibus. Item in Corinth. narrat Apollinis & Dianæ expiationem, de Pythonis morte. de his etiã ſæpe apud auctores leges: vt apud Herodot. in 1. de Adraſto, qui ea cauſa ad Crœſum regem iuerat, vt expiaretur, & incautè regis filium interemit. Nota eſt hiſtoria. nihil omnino notius apud auctores, ſi quis nece aliqua pollutus eſſet, bis ſepties ſe inundationibus veſtéſq; aqua abluere ſolebat: vnde etiã ſæpe legimus, huiuſmodi expiationes apud flumina factas. Fuit & in hoc genere expiaminum, vt Varro de Ling. lat.

docet,piacularis hoſtia,cùm quid cum piaculo factum eſſet. Varronis verba: Prætor,inquit,qui tum factus eſt,ſi imprudens fecit,piaculari hoſtia facta piat. Dicimus & piaculare ſacrum,& piaculare ſacrificium:vtrumq; apud Liuium legimus.hinc & Piacularis Romæ porta appellata fuit, propter piacula quæ ibi fiebant:vel vt Cloacius ait,quòd piaculum ibi ſolueretur piandi,vel propiciandi cauſa.Lege Feſtum,à quo & illud proditum eſt: Piatrix dicebatur ſacerdos, quæ expiare erat ſolita:quam quidem alij vocabant ſimulatricem,alij ſagam, alij expiatricem.& Piamenta etiam dicebantur,quibus in expiando vtebantur, ſiue purgamenta.Demùm Epimenides Phæſto vrbe Cretenſi oriundus, expiationum carmina compoſuit,& de his librum verſibus edidit,vt in decimo Strabo,alijq; prodidêre.Sed iam nonnihil de celebritatibus & feſtis tum Romanorum,tum Græcorum afferamus.

DE CELEBRITATIBVS, ET FESTIS.

Sed & nonnihil iam de Romanorum & Græcorum celebritatibus & feſtis afferamus,vt intactum tibi nihil mittamus.incipiámq; à Latinis ferijs,de quib. ita Plin.Ferijs Latinis,ait,in Capitolio quadrigas certaſſe,victorem abſinthium bibiſſe,quod eo maiores arbitrarentur ſanitatem honorificè dari. Latinas verò ferias,inquit Varro,à Latinis populis dici,quibus ex Albano monte carnem petere cum Romanis ius erat.Plura de his in Ioue ſcripſi. Arnob.lib.2.vbi de Ceremoniarum mutatione agit:In Albano,inquit,antiquitus monte nullos alios licebat, quàm niuei tauros cãdoris immolare, nónne iſtum morem religionémq; mutaſtis,atq; vt rufulos liceret dari,ſenatus conſtitutum ſanctione? De hoc ſacro & Alicarn.plura.hoc autem Latinarum ſacrificium, Latiar vocabatur, vt Macrob.ait in Sat.M.Cicero ad Q. Fratrem: De noſtra,ait,Tullia ſpero cum Craſſipede nos confeciſſe:dies erant duo,qui poſt Latinas erant religioſi,cæterum confectum erat,Latiar erât,exiturus ad VIII idus Aprilis,ſponſalia Craſſipedi præbui.Sicut verò Latiar dicebatur,ita & Palatiar,ſacrificium quod in Palatio fiebat:Feſtus. Alij Palatuar legunt,vnde & Palatualis flamen,qui ei deo conſtitutus erat,in cuius tutela Palatium eſſe credebatur.

Palilia,vel Parilia,Palis deæ ſolemnitas,dies vrbis Romæ natalis fuit, XII Kalend.Maij,vt planius infra oſtendam,& in primo quoque libro vbi de Pale actum eſt.

Matralia,Matris Matutæ,Iunio menſe,peragebantur.de his in noſtris Faſtis ſum locutus.in his liba ruſticana ſumebantur,nec ad ea ſacra ancillis accedere licebat.Matronalia verò Kalend.Mart.agebantur,vt Horat.Ouidius, & Acron oſtendunt,& Plut.& Feſtus.Fuerũt & Meditrinalia,à dea Meditrina:de qua ſuo loco ex Varrone & Feſto actum eſt.

Megaleſia,Magnæ matri Non.Aprilis agebantur:Ouid.Varro ait,quod ipſa accerſita ex libris Sibyllinis ab Attalo rege Pergami propè murum Megaleſion,in templum eius deæ,vnde aduecta Romam: quod copioſius traditum eſt in ipſa dea.

Opalia,deæ Opi menſe Decembri fiebant:Varro,Macrob. Cætera in Opis deſcriptione repete.

Angeronalia quæ eſſent,in ipſa dea Angerona explicui,vbi & de Cõſentijs.

Quinquatria,quæ & Quinquatrus,Mineruæ dies,XV Kal. April.

Minuſculæ verò idus Iul.Feſtus.Sunt qui Munuſculæ legant,à muneribus.

Cerealia:vide retrò,vbi de Cerere agemus.

Populifugia menſe Iunio à Romanis celebrabãtur,vt docet Macrobius. Varro:Iunio,inquit,menſe dies Populifugia videtur denominatus,quòd eo die repentè tumultu fugerit populus.non multo enim pòſt hic dies, quàm deceſſus Gallorum

Gallorum ex vrbe & qui tum ſub vrbe populi, vt Ficuliates, ac Fidenates, & finitimi alij contra nos coniurauerunt. aliquot huius diei veſtigia fugæ in ſacris apparent, de quibus rebus antiquitatum libri plura referunt, ait Varro. Menſe Iulio, ex calendario Maffeiano, vbi Poplifugia, ſine v ante l: vti etiam Poblicola, pro Publicola. B. Aegius.

Fornacalia XII. Kal. Mar. à Fornace dea, de qua in primo actum eſt.

Hilaria lætitiæ celebritas, VIII Kal. April. Vide noſtros Faſtos. horum meminit Macrobius, & Vopiſcus in Aureliano.

Lemuria ſacra, ſedandis Lemuribus Remi, menſe Maio celebrata, vt Ouid. & Porphyrion tradunt, & ego alibi plura.

Quirinalia, XII Kal. Maij, quæ & feriæ Quirini dictæ. Ouidius & Varro.

Regifugium, VI Kal. Aprilis. ſacrum verò VI Kalend. Iulij: Ouid.

Terminalia, menſe Februario: de quibus alibi, hoc eſt in termino, plura.

Feralia dicta, cùm ferebant epulas ad ſepulchra: Varro. & plura infrà, cùm de inferorum ſacris agemus, vbi etiam de Februis, & alijs.

Liberalia, quæ & Bacchanalia & Dionyſia, Feſt. Macrob. hæc & Orgia dicta fuêre. Sanè Liberalia & Bacchanalia non eodem tempore fiebant. nam Liberalibus togæ pueris dabantur, XVI Kal. April. vt Ouid. in III Faſtorum, & ipſe in meo Calendario notaui. Horum M. Cicero nec ſemel meminit ad Atticum, & alibi: Liberalia, inquit Varro, dicta, quòd per totum oppidum eo die ſederent ſacerdotes liberi, & anus hædera coronatæ, cum libis & foculo pro emptore ſacrificarent. Bacchanalia verò ſingulis menſibus agebantur, quæ ſublata fuerũt à Poſthumio Cos. propter dedecus. Porrò in Græcis inuenio, Dionyſia tripliciter Athenis celebrata fuiſſe: prima quidem per agros, menſe Poſideone: altera Lenæa, eo menſe qui ideò Lenæon dictus eſt, de quo in noſtro de Annis & temporibus, &c. tertia Dionyſia, menſe Elaphebolione celebrabantur.

Equiria, ab equorum curſu dicta, ait Varro: hæc Ouid. duplicia commemorat, in Martio ſcilicet, & Aprili.

Compitalia, vt Feſtus ait, feſta quæ in cõpitis agebãt. Varro, Laribus compitalia diem attributum ait, vbi viæ competunt, compita: & tum ibi ſacrificabatur, quotannisque is dies concipiebatur, ideóque inter conceptiuos dies relatus. hinc & ludi compitalitij nuncupati, de quibus in Laribus actum eſt abundè.

Conſualia, Conſo deo celebrata, dicta quòd cùm feriæ publicę ei deo in circo ad aram eius ab ſacerdotibus fierent, & ludi illi, virgines Sabinæ raptæ fuêre, XVII. Kal. Septem. In Conſo plura dicta ſunt.

Furinalia, ſeu Furnalia, deæ Furinæ feſta, vt in primo dictum, VI. Cal. Septẽbris. Quidam Deam Furinam duplici R enunciant.

Vulcanalia menſe Sextili agebantur. vide Vulcanum.

Vortumnalia, à Vortumno dicta, cuius feriæ, ait Varro, mẽſe Octobri. & hoc lege in Vertumno.

Apollinares ludi prius incerto tempore celebrati, pôſt à Licinio Varro Prę. lege lata, IIII. Non. Quintilis celebrati, boue aurato, capris duabus albis auratis: Macrob. & Seruius in VI. Aen. Hos ludos Laureatum populũ ſpectaſſe, Feſtus ſcribit, ſtipe data pro cuiuſque copia.

Caprotinæ Non. Quintil. dictæ, quòd eo die in Latio Iunoni Caprotinæ mulieres ſacrificabant, & ſub caprifico faciebant, ipſius arboris lac offerentes. quin & è caprifico virgam adhibebant, vt ait Varro. Plura ſunt à me in Iunone relata. Ancillarum hic dies feſtus fuit, Caprificia nuncupata, ab arbore caprifico, ſub qua ſacrum fiebat. plura Macrobius: Plutarchus tum in Romulo, tum in Camillo, & item in Parallelis. Plinius verò initium Caprificiorum Vulcano ſacrum fuiſſe ait, ita ſcribens: Vindemiæ mellis Attici ſignum dedere Caprificiorum diẽ, Vulcano ſacrum. Pleriq; putant, Caniculares dies Caprifici dies eſſe. Notius verò eſt, hunc diem ab Ouid. in Arte notatum eſſe, in illo:

Porrige & ancillæ, quæ pœnas luce pependit
Luſa maritali Gallica veſte manus.

Laurentinalia, x. Kal. Ian. celebrabantur, vt docui in Faſtis. M. Cicero ad Brutum: In eóq; ſum maiorum exemplum ſecutus, qui hunc honorem mulieri Laurentiæ tribuerunt, cuius vos pontifices ad aram in Velabro ſacrificium facere ſoletis. alij Laurentalia libentius legunt, de quibus & Feſtus. Varro: Feriæ publicæ Laurentinæ, is dies, quem diem quidam in ſcribendo Laurentalia appellant, ab Acca Laurentia nominatus, cui ſacerdotes noſtri publicè parentãt ſexto die qui Acca dicitur, &c. Porrò & quidam Larentalia abſq; u in prima ſyllaba enunciant. alij duas faciunt, quod planius in Flora notauimus.

Faunalia, in quibus Fauni ſacrum Non. Decemb. celebrabant. Horat. in Odis, & eius interpretes: plura ipſe in Dæmonibus.

Mercatorum dies feſtus idus Mart. vt Feſtus ſcribit. Idem & ſeruorum dies feſtus, idus Sextilis.

Agonalia inferius à me cõmemorãda, ariete agebant, v. Idib. Ian. Numa Põpilio auctore. de his & Ouid. Hæc & Agonia dicuntur, & duplicia erant: altera quidem Ian. altera XII. Kal. Maias celebrata, vt planius in Calendario oſtendi.

Carmentalia à Carmenti dicta, vt ſuo loco oſtenſum eſt. hęc verò annis ſingulis à matribusfamiliãs XVIII. Kal. Feb. fiebant: in quibus aliquid ſcorteum, aut ſua morte peremptum attuliſſe, piaculum fuit.

Robigalia VII. Kalend. Maias, vt in Faſtis notauimus, celebrabantur. alij licet VI. Kal. ſcribant. De Robigo deo in primo abundè dictum eſt, atq; ideò hic repetere ſuperuacaneum eſt. Oue & cane Robigo deo ſacrum agebatur, vt infrà oſtendam. Floralia quo pacto, quáue cæremonia celebrarentur, in deæ Floræ deſcriptione copioſè diſſerui. hæc verò IIII. Kalend. Maij agebantur, quidã tamen VI. Non. Maij. ſcribunt.

Fordicidia, inquit Varro, à fordis bobus dicta ſunt. Bos forda, quæ fert in vẽtre, quòd ea die publicè immolabantur boues prægnantes in curijs. Complures à fordis cædendis, Fordicidia dicta autumant. hæc & Fordicalia dicta fuere, & XVII. Kalend. Maias celebrabantur. Feſt. & Ouidius.

Lupercalia Romanorum celebritas, XV. Kalend. Mart. (licet aliter alij ſcribant) celebrabantur. in his capræ candidæ immolabantur, vel vt alij tradunt, canes. Februatus is dies, teſte Varrone & Cenſorino, dicebatur. Februalia ſacra ad expiandos manes fiebant, græcè Λυκαῖα dicta, à Pane Lycæo, deo Arcadico, quà de re in eius deſcriptione plura dixi. nunc illud tantum: Hæc ſacra à Lupercis celebrabantur, quorum varia fertur inſtitutio, vt à Plut. in Romulo pluribus traditur. Magis illa recepta eſt, quæ de Euandro Arcade rege proditur, qui ex Arcadia profugus, in Latio Palatium tenuerit, nudóſq; ibi iuuenes hoc ſacrum per ludum & laſciuiam primùm agere inſtituerit, quam & Iuſtinus commemorat ex Trogo. Quidam fabuloſè in Herculem & Faunum referunt, vt in Faſtis Ouid. Alij in Romulum & Remum, qui cum Quintilijs & Fabijs in lucta cùm eſſent, abactores pecorum, vt erant nudi, inſectati ſunt: & recuperata præda, id ſacrum inſtituerunt. quod idẽ recitat Ouid. Sunt qui tradant, quòd Romulus Remúſq; Amulio cæſo fœdati cruore vultus, nudatis gladijs & ſuccinctis veſtibus, ab Alba ad Ruminalem ficum vſq; cucurrerint. Varia quoq; de nomine tradũtur. Plerique enim à lupis, qui λύκοι græcè dicuntur, nomen deducunt, quòd ſcilicet lupi arceantur à ſtabulis. alij à lupa non miti, quæ abiectis infantib. pepercerit: vnde & Luperca dea eſt auctore appellata Varrone, vt ſcribit Arnob. Iuſtinus verò ex Trogo lib. XLIII. Lycæũ, ait, quem Græci Pana, Romani Lupercum appellãt, qua de re plenius in Pane dixi. Alij tradũt, quod ludicrũ ipſum, ſeu templum Lupercal diceretur in ſpecu ſub monte Palatino, quod & poeta innuit, cùm ait:

Et gelida monſtrat ſub rupe Lupercal. Ouidius de Romuli lupa nutrice:

Illa loco nomen fecit, locus ille Lupercal,

Magna

Magna dati nutrix præmia nomen habet.

Lupercal,ait Liuius,ludicrum in monte Palatino.Quare & ego ad Riccium in Hendec.cum me ludis & ſpectaculis intereſſe ob infirmam valetudinem non poſſe dixiſſem:

Hinc qua me ratione cogitare
Putas,perpetuò eſſe me grabato
Damnatum,atq; triennium iacere. & paulo pòſt:
Nec quos ferre ſolet iocos Lupercal.

Nec deſunt,qui auctore Fabio,Lupercal dicãt vocatũ eſſe,quaſi luere,id eſt purgare per caprã.nam vt iam dictũ,de capra in primis ſacrum fiebat. ſedenim ea Lupercis fuit præcipua veneratio,vt quæ minus fœcundæ mulieres haberent, minúſq; fœtus ederent,ad lupercos confugere ſolerent,qui capris direptis tergoribus,eiſq; ſuccincti,circum antiquum oppidum,hoc eſt Palatium diſcurſabant,loris corijsúe occurrentes,verbera incutientes.His fœminæ vltro obuiam prodibant,facilem eo verbere partum ſibi ſperantes.Hinc Ouid.in Faſtis:

Excipe fœcundæ patienter verbera dextræ,
Iam ſocer optati nomen habebat aui. Et Propertius
Verbera pellitus ſetoſa mouebat arator
Vnde licens Fabius ſacra lupercus habet.

Plura Plut.in cauſis Romanis. Iuuenalis in molles & pathicos:

Nec prodeſt agili palmas præbere Luperco.

Diu verò Lupercorum ſuperſtitio Romæ durauit.Nam & Iul. Cæſaris temporibus fuit,cùm M.Anton.in his voluit regiũ diadema illi imponere. hiſtoria eſt nota.plura Plut.in M.Anton.& Cæſaris vita. Id moris in Lupercalibus ſeruabant,vt nobiles adoleſcentes ſibi faciem ſanguine inficerent, & alij occurrerẽt cum lana,lacte madida,id tabum abſtergentes, Romulum ſcilicet & Remum imitantes.nonnunquam & laruis perſoniſq; obtecti id ſacrum peragebãt, quo pacto & nos eo anni tempore perſonis induti curſitantes inſanire ſolemus. Scribit Feſtus,Fabiani & Quintiliani appellabantur Luperci,à Fabio & Quintilio,eorum præpoſitis.Ouid.tamen in ſecundo Faſt.Fabios Remi ait ſocios,& Quintilios Romuli:qui dum ſacrificarent Fauno,cæſa capella, & à paſtoribus nunciatum eſſet,pecora parte diuerſa abacta,in hoſtes exiuerunt. & prior Remus recepta præda cum Fabijs rediens, exta & viſcera capellæ immolatæ abſumpſit,& oſſa tantummodo Romulo ſeruauit. Quare cõmotus Romulus indoluit,quòd Quintilij ſui neglecti fuiſſent,& tantum Fabijs licuiſſet:à qua,aiũt, licentia Licentes Fabij poſthac appelati fuere,& in Lupercalibus principes habiti.hinc illud Propertij paulo antè citatum:

Vnde licens Fabius ſacra lupercus habet. & Ouid. de Romulo:
Riſit & indoluit Fabios potuiſſe,Remumq;
Vincere,Quinctilios non potuiſſe ſuos.

Sed tamen ſi quis Licens pro licentioſo interpretabitur,me iudice, nòn inſulſè expoſuerit.Sunt quoq; qui Licens illud Propertianũ, Lyceus legant.& certè ego vetuſta vidi exemplaria,quæ eam lectionem adhuc conſeruent.

Lucaria feſta dicebantur,quæ in luco à Romanis celebrabantur, qui lucus permagnus erat inter viam Salariam & Tiberim,pro eo quòd victi à Gallis fugientes è prælio,ibi ſeſe occultauerunt:Feſtus. Lucar verò æs dicebatur, quod ex lucis captabatur,alij erogationem quæ in lucis fiebat:& lucaris pecunia,quę in luco erat data.Plut.tamen in Probl. Lucar, præmium fuiſſe ſcribit,quod in ſpectaculis impendebatur.Lucaris meminit Cor.Tacit.lib.1.

Fontanalia,quo anni tempore fierent,vt mihi incompertum eſt,ita Varrone & Feſto teſtibus deſcribuntur.quorum hic:Fontanalia,ait,fontiũ ſacra,vnde & Romæ Fontanalis porta.ille verò,à Fonte dici tradit,quòd eo die feriæ, ab eo,

cum in fontes coronas iaciebant, & puteos coronabant. Hæc verò, vt in Calendario Maffeianorum, fiebant IIII idus octob. vt me monuit B. Aegius.

Tubiluſtria, quæ & Luſtria dicta fuêre, celebritas fuit apud Romanos, quâ tubæ ſacrorum in atrio Saturio expiabantur, menſe Martio. Varro auctor. id ſacrum agna fiebat, teſte Feſto. Tubiluſtria, vt Ouid. oſtendit XIII. Kal. Iunij peragebantur:

Proxima Vulcani lux eſt, quam luſtria dicunt:
Luſtrantur puræ, quas facit ille, tubæ.

Armiluſtrum, & Armiluſtria vocata, vt Varro & Feſtus tradunt: in quib. Ancylia per vrbem deferebantur. Armiluſtrum alibi ſcripſi à Seruio Tullio inſtitutum. alij tamen à Numa tradunt. Aquilicia quoq; ſacra à Romanis fieri ſolita legimus. Cùm in magna ſiccitate aqua eſſet euocanda, quod cùm alibi, tum præcipuè apud Tertullianum eſt videre, qui ait ea Ioui immolari, in Apologetico. Hinc & ſacerdotes, qui à Ioue aquam eliciebant, Aquilices dicebantur, eodem aduerſus Martionem autore. De Nudipedalibus verò ſacris, cùm & per vota fiebant, vel populo denunciarentur, alibi memini me ſcripſiſſe.

Vinalia duplicia fuêre, vt Varro, Plin. Feſtúſq; oſtendunt: altera vinis deguſtandis, IX. Kal. Mart. vel Maias, vt in Calendario Maffeiano, cùm vina pura eſſe putabantur, quo die Ioui nouum vinum libare mos fuit, quod ex dolio hauriebatur in vaſe: altera vinalia fuêre, in quibus Flamen Dialis vindemiam auſpicabatur: maturis vuis, vinum legere, & vindemiam fieri iubebat: quibus diebus agnam immolabat, interq; cæſa & porrecta vinum legebat: quo tempore & ex fano Veneris vinum affatim effundebant. fuit etiam veteri lege ſancitum, vt Flamen Martialis diceret diem veteri vino libando medicaminis cauſa. inde vſurpatum verbum, Nouum vetus vinum bibo, nouo veteri morbo medeor. Vnde Meditrinæ nomen deæ, cuius ſacra Meditrinalia, & dies Meditrinalis, vt alibi diximus. In primitijs etiam pomorum noua vetera eſſe dicebāt, & alia exoptabāt noua ominis cauſa. Fuerunt & Ruſtica vinalia XII. Kal. Sept. vt Varro ait: vel XIIII, vt ex Feſto & veterib. Faſtis in noſtro de Annis & menſibus cæteriſque docuimus: quo die Veneri ædes dicata fuit, & horti eius tutelæ aſſignati, & tum fuêre olitores feriati. de his Varro in I. de re Ruſt. ita tradit: Mineruam & Venerē venerari oportere, quarum vnius procuratio oleri, alterius hortorum: quo nomine ruſtica vinalia inſtituta. Sed quòd hortis præeſſe Venus putaretur, plura in Hortenſi Venere dixi. hæ quidem vinaliorum feriæ, ſedandis & leniēdis tempeſtatibus ſolennes habebantur. His etiam nouum vinum in vrbem ferre, & in vinarijs cellis condere moris fuit. Sed & apud Tuſculanos cautum lege fuit, ne quis nouum vinum antequam vinalia calarentur, in vrbem inueheret. quin & hodie in cōſuetudine eſt in Latio, in oppidiſq; vrbē proximis, ne quis vindemiā inchoet, niſi publico edicto promulgato, quo vindemia indicitur. Porrò & Romanis vino & nouis frugibus veſci non licebat, priuſquam ſacerdos primitias libaſſet: Græcis ante vernum æquinoctium vitem incidere, ante autumnale vuā guſtare nefas habebatur, ſed & προτρύγια celebritas Dionyſio peragebatur, & Neptuno, vt ſcribit Heſychius. Nos interpretari poſſumus, Antevindemia. hinc & ſtella Protrygitis, de qua alibi ex Critolao actum eſt.

Septimontium feſtum Romanorum inueni nuncupatum, cum ſeptimus collis vrbi eſſet additus: in cuius celebritate in locis ſeptem ſacrum factum fuiſſe, teſtis eſt Varro, Palatio, Suburra, Velia, Fagitali, Cœlio, Oppio, & Ceſpio. quo die per vrbem vehiculis vehi, criminoſum habitum fuit. Plura affert Plut. in cauſis Rom. Et Feſtus, & Suetonius in Domitiano: qui Septimontialem diem nominat, in quo Domitianus epulum ſenatui, equitiq; panarijs, plebei ſportellis cum obſonio diſtributis dedit.

Fuit & Maiuma celebritas apud antiquos, quæ (vt vox ipſa declarat) menſe Maio peragebatur. Quidam recentiorum iurecoſſ. eam celebritatem eſſe tradit,

qua etiam

qua etiam nonnulli hodie vtuntur, dum in principio menſis Maij, qui ſine fronde aliqua virente incedunt, madefiunt, vel poſtibus affigunt frondes & ramos. De qua imperatores Arcad. & Honor. ita in Codice Iuſtiniani ſtatuerũt, his verbis: Clementiæ noſtræ placuit, vt Maiumæ prouincialibus reddantur: ita tamen vt ſeruetur honeſtas, & verecundia caſtis moribus perſeueret. Suidas verò Maiumas, non Maiuma vocat: aitq́; celebritatem Romæ fuiſſe, qua apud Hoſtiam ſeſe aqua marina inuicem permadefaciebant. Verùm pòſt Anaſtaſius Imperator Conſtantinopoli ſublatam eſſe voluit, & in aliud tempus, hoc eſt in Auguſti menſe fieri permiſit, ob Gallorum victoriam. De Maiuma etiam diximus in primo Syntagmate.

Chariſtia Rom. Græca voce feſtum vocauere, quo cognati & conſanguinei conuenire ſolebant, & inuicem mutua dona dare. Ouid. in Faſtis:

Proxima cognati dixere Chariſtia patres,
Et venit ad ſocios turba propinqua deos.

Hæc autem fiebant XI. Kal. Mart. Val. Max. lib. 2. Conuiuium, inquit, ſolenne maiores noſtri inſtituerunt, idq́; Chariſtia appellauerunt (etſi aliqui Euchariſtia legunt, qua voce noſtri altaris ſacrificium & corporis Domini nuncuparũt) Subdit Val. Præter cognatos & affines nemo interponebatur, vt ſi qua inter neceſſarias perſonas querela eſſet orta, apud ſacra menſæ & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis tolleretur. Sed iam & Græca ſacra, & celebritates, quantum pro tempore ſuccurrerint, tibi commemorabo, in primiſq́ue ab Hecatombe exordiar.

Hecatombe celebre Græcorum ſacrificium fuit, qua voce & Latinos interdum vſos videmus. Iul. Capitolinus: Tantum, inquit, ſanè lætitiæ in Balbino, qui plus timebat, vt Hecatomben faceret, quod tale ſacrificium eſt. Centũ aræ vno loco cõſtruunt̃ ceſpititiæ, ad eas centũ ſues, centũ oues mactabant̃: inde ſi Imperatoris ſacrificiũ fieret, centũ leones (vel vt aliqui legunt, oues, quod parum mihi placet) centũ aquilæ, & cætera huiuſmodi animalia centena feriebãtur: quod quidem etiam Græci quondã feciſſe dicuntur, cùm peſtilentia laborarent, & à multis Imperatorib. id celebratũ conſtat. hæc fermè Capitolinus. Igitur fuit hoc ſacrum interdum centum boum: ſed & ouium interdũ, & caprarũ, & ſuum. Fuerunt & qui ex omni genere hoc ſacrũ peragerent, qui etiam σύσκιον, id eſt opacũ & vmbroſum nuncuparunt. Sunt qui centumpedum victimarũ dixerint. ab hoc & Hecatombæus menſis à Lacedæmonijs, in quo & feſta Hiacynthia fiebant. quo de menſe certiora attulimus ex varijs auctoribus in noſtro de Annis menſibus & cæteris. Hinc & Iupiter & Apollo Hecatombæus dicti, & Hecatõbæa celebritas. Sunt qui Hecatomben ita deſcribant, ſacrificium non ſimplex, nec vulgare, ſed ſumptuoſum & ſplendidũ, vtpote quod ex centum victimis cõſtaret: vt etiam χιλιόμβη, ex mille bobus, ſeu victimis. Alij abuſiuè dictũ putãt, vt finitũ pro infinito numero ponant, vt cùm dicimus ἑκατόζυγα ναῦν, hoc eſt multorum iugorũ nauem. Inuenimus & ἑκατόμβοιον ſacrificiũ quoddã, ex centum ouibus & boue vno. Alij & βουάρχιας dicunt, vt notat Heſychius. Sanè quidam nõ à victimarũ numero, ſed quod centũ Peloponneſi vrbes id ſacrũ facerent: vt Hecatombe à ſacrificantiũ numero dicatur, nõ hoſtiarũ. Hac quoq́; ratione qua Hecatõbe dicitur, & εἰκοσάβοια, & poeticè ἐεικοσάβοια ſacrificia, ex XX bobus dicunt̃.

βουφόνια feſtiuitas quædam fuit apud Athenienſes, quæ in Dijpoleis, id eſt Iouis Polei honore agebatur. in his bos mactabatur ab eo qui ex re βουφόνος, id eſt bouicida dicebatur: qua de re in Ioue Polieo ſatis multa attuli. Sacrum iſtud ob vetuſtatẽ deſitum, nomen tantummodo retinuit. Siquidem cũ prius bos cæderet̃, mox popanon pro boue offerebant: popanon ipſum, id eſt placentã nuncupantes bouẽ, vt ex Heſychio didicimus. De Buphonijs verò meminit in Nebulis Ariſtoph. καὶ κηκείδου, καὶ βουφονίων. & Cecidæ, inquit, & Buphoniorum. de Cecida in Poetis egimus, qui Dithyramborum poeta fuit. de Buphono verò plura in

ra in Attica Pauſ. Sed ſi rem copioſius ſcire cupis, Aelianum legito, qui in octauo Variæ hiſtoriæ hãc rem planè deſcribit, & Buphonia & Dipolia vocari ait.

διιπόλια peruetuſta Athenis celebritas fuit: ſic vocata, quòd Ioui Polieo perageretur, vt alibi ſcripſi. Sed quoniam, vt dixi, peruetuſta fuit: hinc Ariſtophan. pro priſco & obſoleto διιπολιώδη poſuit, vt obſeruant grammatici.

Fuerunt & Pandia feſta Ioui conſecrata, de quibus cùm alij, tum & Theodoritus in oratione de Martyribus & ſacrificijs.

μηλοσφαγίαι ſacrificia apud Græcos fuere, quæ ab ouibus iugulandis nuncupata fuere. μῆλα quippe, vt notum eſt, pecora dicuntur. Heſychius auctor.

Hyſteria ſacra, quæ de ſue fiebant, vt in Veneris ſacrificijs planius tradetur.

Anthiſteria celebritas, quæ in Anthiſterione menſe agebantur: in qua, vt à Latinis in Saturnalibus, ſerui conuiuijs liberalib. excipiebantur, quibus peractis prouerbium emanauit, Ite foras Cares (id eſt θύραζε Κᾶρες) quaſi dicat, ſerui, non amplius Anthiſteria, vt etiam in Annis & menſibus noſtris dictum. Fuit & prouerbium alterum, ὁ κισσὸς μετ᾽ ἀνθεστήρια, hoc eſt, hedera poſt Anthiſteria: cum ſerius quippiam fit, & poſt tempus. Exiſtimant enim plerique, Dionyſio Anthiſteria dicata fuiſſe: in quibus & κιττοφόροι, id eſt hederigeri introducebantur. hæc & Pythœgia, & alijs nominibus appellata fuerunt. Ambroſia quoque Dionyſij feſtum, apud Iones in primis, quæ Lenæa & Choæ dicebantur.

Antheſphoria feſtiuitas fuiſſe traditur, quæ in Proſerpinæ honore fiebat: ſic verò appellata à legendis floribus. nam cum à Dite eſt rapta, floribus legendis intenta erat: vt ex Ouid. & Claudiani carminibus liquet in primis. quinimmo etiam θεογαμία eidẽ, hoc eſt nuptiarum celebritas, cùm Diti nupſit, celebrabatur.

Gamelia ſolennitas nuptialis, & menſis Gamelion, in quo Iuno Gamelia culta. Gamelia verò menſe Ianuario celebrabantur, quòd planè oſtenſum eſt in noſtro de Annis & menſibus, &c.

Anacalypteria, ἀνακαλυπτήρια dies feſtus fuit poſt nuptias, cũ ſponſa reuelabatur, vt ab omnibus conſpiceretur: tametſi munera etiã ſignificant, quæ eodẽ die ſponſæ exhibebantur: non his diſſimilia, quæ Repotia à noſtris dicta ſunt.

Sanè & ἀνακαλυπτήρια, vt in Græcis commentarijs inuenimus, munera etiã ſignificabant nouæ ſponſæ allata, dicta ἀπὸ τοῦ ἀνακαλύπτειν, à reuelando: quoniam huiuſmodi dona eo die, quo ſponſa reuelabatur ab amicis, domeſticis & ipſi ſpõſo conferebantur, quæ eadem ab ὄπτομαι, id eſt video, ὀπτήρια, & à προσφθέγγομαι, id eſt alloquor, προσφθεγκτήρια vocabantur: tametſi nonnulli προσφθεγκτήρια eadẽ quæ διαπαρθένια, id eſt, ea quæ pro ablata virginitate dabantur, eſſe putent. Dicuntur eadem & ἐπαύλια & θεώρετρα.

Ἁλῶα, τὰ, numero pluriũ, vt ferè cætera, feſtiuitas fuit agricolarum Athenis, quæ ſubuectis ex agris frugibus in honorem Cereris & Bacchi celebrabatur, vt Philochorus prodit. ſic verò dicta, quòd in areis, quę Græcè ἅλως dicuntur, prę cipuè moras traherent homines. vnde & Cererem ἁλωάδα nuncupatã legimus, quæ & ἀλωὶς, & Euhaloſia cognominata, vt in Cerere planius diximus.

Elaphebolia feſta celebrabantur menſe Februario ab Athenienſibus, in quibus cerui Dianæ Elaphebolię ſacrificabantur: vnde & menſis ipſe Elapheboliõ dictus.

Theoxenia celebritas & ſacrificium, quòd omnibus ſimul deis exhibebatur: Pollux & Heſychius auctores. Sed plura leges in commentarijs Pindaricis, qui ea inſtituta tradunt à Dioſcuris, à deorum hoſpitalitate & commercio appellata. in his verò quoniam & ludi agebantur, præmium victorum chlæna, ſeu chlamys erat.

Apaturia feſtiuitas fuit apud Athenienſ. meminit Xenophon in primo Hellenicon: quanquam & alibi agerentur. hanc quatriduò celebrari ſolitam, prodi tũ legimus. Quomodo verò inſtituta fuerit, in Venere tradidimus: inde repete. Apaturia etiam inter prouerbia memorat Eraſmus: Profectus ad Apaturia

redijt

rediſt Thargelione, id eſt Aprili: licet ipſe Maio interpretatus ſit. hiſtoriam in fabula Acharn. Sitalcis Thraciæ regis filij, qui in ea, id eſt Apaturijs vrbe donatus fuit, irridet. In his prima dies δόρπεια, altera ἀνάῤῥυσις, tertia κουρεῶτις, extrema ἐπίβδα dicebatur.

ἐμπλοκία celebritas fuit apud Athenienſes, in qua mulieres plexis capillis procedere ſolebant: Heſychius. Cotyttia feſta barbarica fuerunt, quorum meminit Horat. & Verg. in poematis, quæ à Cotytto dea denominata: de qua in ipſa dea etiam egimus. De Bendidijs quoque ſacris ibidem meminimus, & item in Bende Diana.

Pammilia celebritas etiam fuit, de qua in Oſiri actum eſt.

ἀνάκεια ſolennitas fuit, quæ in honore Caſtoris & Pollucis fiebat. nam Anaces ipſi dicti ſunt, vt in noſtris Nauigijs, & in Dioſcuris tradidimus, & in ἄναξ Apollo. διαβατήρια, τὰ, ſacrificia dicebantur, quæ in tranſitu aliquo fiebant, παρὰ τὸ διαβαίνω, id eſt tranſeo, eadem forma Diabateria dicta ſunt, qua etiam Niceteria. Plut. in Lucullo, ἔθυσε τῷ Εὐφράτῃ διαβατήρια: Sacrificauit, inquit, Euphrati diabateria, hoc eſt, ſacra pro tranſitu.

Nephalia apud Græcos fuiſſe ſacrificia legimus, quæ ſine vino celebrarentur, vt docet Iul. Pollux: vnde & verbum νηφαλιεύειν, hoc eſt eiuſmodi ſacris vti. Suidas ait, apud Athenienſes Nephalia exhibita fuiſſe Mnemoſynæ, Auroræ, Soli, Lunę, Veneri, Vraniæ, & nymphis. in hoc autem ſacrificio non vinum, ſed aquam mulſam libabant. Pauſ. tamen ait, Eleos thure, cum tritico melle ſubacto, additis oleæ ramis, aras ſuffire ſolitos, & vti vino: ſolis autem nymphis, καὶ ταῖς δεσποίναις, id eſt Cereri & Proſerpinæ, vinum minime libare conſueuiſſe, nec ad aram omnium deorum. verùm de Cereris ſacris alibi plenius egi. Sūt & qui hoc ſacrum Dionyſio interdum, & Erechthei filiabus exhibitum tradant, vt teſtatur Philochorus. Sanè hoc ſacrificij genus ἄοινον etiam appellabatur, hoc eſt abſque vino: vt è contrario οἰνόσπονδον, in quo vinum libabat. Fuerunt prętere Nephalia ligna arida, quæ in ſacrificijs prima incendebantur, vt etiam ἄκαπνα, id eſt, non fumida.

Helenophoria feſtum apud Athenienſes, in quo myſteria agebantur, ſic appellata ab helenis, id eſt ciſtis, quæ vimine contextæ erant: vt Iul. Pollux in vltimo docet. habebant verò anſas ſalignas. ſimiles & nos hodie habemus in domeſticis vſibus. De myſterijs verò alibi plura, & de Eleuſinijs diximus.

Oſchophoria celebritas, ſeu feſtum Athenis fuit. cuius apud auctores, & in primis Plut. crebra eſt mētio. In Oſchophorijs pueri ingenui pubeſcentes eligebant, qui ferrēt ὄσχας, id eſt ramos ac palmites cū ſuis racemis, in templū Mineruę Sciriados. Fuit & Athenis locus Oſchophorion nūcupatus, à Phalero nō procul, vbi Mineruæ templum fuit. Heſych. & Nicandri interpres in Alexiph. ab his Oſchophorica carmina dicta, quorum in primo de Hiſt. poetarum egimus.

Pyanepſia celebritas apud Athenienſes, à pyanis fabis nuncupata, dicata Apollini: hæc verò Panopſia à cæteris Græcis dicebantur, & in Octobri menſe agebantur: qui ideo Pyanepſion vocabatur, vt planius oſtendi in lib. de Annis & menſibus ac cæteris. in Pyanepſiorum celebritate, vt Suidas ait, ireſione fuit ramus oleæ implexus lanis, obuios vndiq; fructus habens, qui olim ponebatur ante ianuam in honorem Apollinis. hunc ferebat puer, & affigebat foribus Apollinis. Variè autem inſtitutum ferunt. ſed eorū præcipua eſt ſententia, qui in Theſeum referunt. Multi decipiuntur in hac hiſtoria recenſenda, qui parum accuratè eam ex Plutarcho, Suida, & alijs animaduertunt.

ἑορτήια feſta dicebant, cùm primitiæ deis offerebantur, vt Grāmatici tradūt.

Metagetnia feſtiuitas in honorem Apollinis Metagetnij celebrabatur, ſecundo Græcorum menſe, vt alibi pluribus docui. Fuerunt & ſacra Carnia, Carnio Apollini dicata, vt in Apollinis cognominibus planius eſt patefactum.

Boedromia celebritas apud Athenienſes fuit, hæc excurſioni cuidam ſimilis erat, &

erat,& menſi Boedromioni nomen dedit,qui in ſextilem,id eſt Auguſtum noſtrum coincidit,vt oſtenſum eſt in lib.de Annis & menſibus,cæteriſq; : quo loco hiſtoriam ſumus executi,quare inſtituta,& vnde dicta.

Munychia ſacra Dianæ fuere,quæ in menſe Munychione agebantur,qui noſtro Martio conuenit,vt ex Græcis ſcriptoribus palam eſt.

Thargelia feſtus dies apud Athenienſes fuit,Apollini & Dianæ ſacer, à quo menſis Aprilis denominatus, vt in Annis & menſibus cæteriſque copioſius proditum eſt.in hoc verò menſe duos homines immolabant, vnum pro maribus,alterum pro fœminis.hos Pharmacos,id eſt medicos vocabant, & ſaginatos in cuſtodia publica aſſeruabant.eſt verò Thargelos olla quædam, in qua antiqui fructuum primitias coquebant.Miror viros quoſdam doctos Thargeliona Februarium potius quàm Aprilem putaſſe:vt minus his ſuccenſendum ſit,qui Maium tradidere.

Scira,σκίρα,celebritas fuit peculiaris Athenienſium,in qua vmbracula & ſcenæ fiebant,quæ eo nomine dicerentur,ferè vt ſimilis eſſet Scenophegiæ Hebræorum.Certè à ſcenis vltimus Athenienſium menſis,id eſt Maius, Scirophorion nuncupatus fuit,vt copioſe monſtrauimus in Annis & menſibus.Porrò hi falli videntur,qui in Martium referunt.

Plynteria feſta erant Cereris,qui dies inter nefaſtos repoſiti fuerunt. Scribit Pollux lib.8.in Plynterijs à Solone permiſſum tria iurare numina, Iceſion, Catharſion,& Hecaeſterion,quæ ſunt Iouis cognomina:hoc eſt,ſupplicem, expiatorem,& depulſorem.Xenophon lib.1.Hellenicon tradit,in Plynterijs Mineruæ templum etiam claudi ſolere,& aliquid omnino facere piaculum fuiſſe, in ſumma etiam neceſſitate.

οἰνιςήρια,Oeniſteria,quaſi dicas Latinè Vinalia,celebritas fuit,quam Athenis pubeſcentes Ephebi peragebant,antequam lanuginem comamúe attonderent. Herculi verò vini certam menſuram inferebant,& libabant,hiſque qui conuenerant propinabant.meminêre Pollux & Heſychius.

θεοίνια,Theœnia apud Athenienſes Bacchi ſacrificia dicebantur,& deus ipſe θεοίνος,vt notat Heſychius:nos Thyonæum & Thyonianum vocamus,vario licet etymo,vt dictum eſt alibi.

Trieterica feſta Bacchi notiſſ.quæ Latinè Triennalia dici poſſunt,Latinis & Græcis æquè vſurpata.

Aletides ſacrificia quædam Athenienſium,pro Icaro & Erigone,quę oſcillis agebantur:de quibus iam egimus.Cùm enim,vt inquit Hyginus,in finibus Athenienſium multæ virgines ſine cauſa ſuſpendio ſibi mortem conſciſcerent,ꝓpter Erigonem,habito ab Apolline oraculo ſacrificium ſolenne inſtituerunt, quod publicè priuatimq; faciebant,& id Aletides appellabant, quòd Erigone cum cane ignota & ſolitaria patrem Icarum mendica perſecuta ſit, quas Græci ἀλητίδας nominant:& ἀλήτης,mendicus,vagus,& erro dicitur.

ἐσιτήρια dies celebris & feſtus Athenis fuit,in quo omnes qui in magiſtratu erant,procedebant,vnde & nomen fuit.Hanc verò anni primam diem Athenienſes exiſtimabant.meminit Demoſthenes in oratione περὶ πρεσβείας.

Encænia,orum,feſtum dedicationis,puta templi,quo modo noſtri accipiũt: & Hieronymus & Auguſtinus,& cæteri,Euangelicum exponunt.vnde ἐγκαινίζω,innouo.

χύτροι,Chytri feſtum fuit apud Athenienſes percelebre,in quo omne ſeminũ genus in olla coquere ſolebant,Dionyſio & Mercurio operantes,vt Theopompus ſcribit.principium huius ſacri à Deucalione vſq; per manus traditum fuit. Ferunt enim illum,& qui cum eo fuerant,ſemina ita coxiſſe in olla, vnde feſtum exortum & appellatum eſt.nam chytra ollam ſignificat,nec ex coctis quicquam guſtabant,ſed Dionyſio & Mercurio Chthonijs offerebant pro mortuis. Sunt qui hoc eodem peracta die affirment,quo & Choes agebantur,idque XIII decembris.

cembris. Lege Suidam. Chytra etiam baſij genus, vt in Annotationibus ſcripſi. Chytrinda verò conuiualis ludus fuit, vt tradit Heſychius, qui puerorum luſum eſſe ait. Ex his quiſpiam ſedet in medio, quem circumcirca pueri concutientes, illum eò vſq; verſant, donec ille aliquem apprehendat ex eis, qui deinde ſedere cogatur. Meminit Pollux, & Suidas.

Lampadum dies, qui & τὰ ἐπὶ λαμπάδι, hoc eſt feſtum quod ad lãpada fiebat. De hoc verò ita legimus, quòd lampadum celebritas triplex fuerit apud Athenienſes, ἀθηναῖα, ἡφαιςεῖα, & προμήθεια: hoc eſt, Mineruæ, Vulcani, & Promethei. citat Iſtrũ Suidas, qui perſcripſerit, Athenienſes cùm ſacra facerent, Vulcano lampada excogitaſſe, & ob eius rei memoriã perpetuos illi deo ludos conſecraſſe, in quib. ſemper eſſet lampadum vſus: vt quoq; gratias referrent prudentiſſ. artiũ inuentrici Mineruæ, & item Prometheo, primo ſuprema literarũ memoria artiũ variarum inter homines propagatori. ſanxeruntq;, vt pariter in illorum ſacris eadem lampade poſteri vterentur: ſed hac de re plura Eraſmus in Prouerb.

Monophagorum celebritas fuit apud Aeginenſes, quam copioſe deſcribit in Quæſtionibus Græcis Plut. ait enim, cùm in bellum Troianum profecti eſſẽt multi Aeginetæ, pauci tamen diuerſis de cauſis inde rediere. quare, inquit, clam quiſq; domi ſuæ comiter excipientes, ipſimet in conuiuijs miniſtrabant, nec alienum quenquam admittebant. hoc igitur imitantes, Neptuno rem diuinam facere ſolebant, & thyaſos exercebant, XVI dies ſilentio inter ſe conuiuia celebrantes, ſolenne feſtum dirimebant. & ex eo μονοφάγοι appellabantur, hoc eſt ſolitariè veſcentes. Monophagi etiam apud Athenæum dicti, qui ſeorſum ab alijs eſitarent: quo more veteres, diuerſo à Romanis, qui vnà cum amicis palàm diſcumbebant. vnde cœna dicta, διὰ τὴν κοινωνίαν. hinc Iuuenalis Satyricè carpit:

Quis, inquit, *fercula ſeptem Secretò cœnauit auus?*

Epheſtria Thebis feſta fuerunt, ob Tireſiam conſtituta, in quibus ipſius ſimulachrum virilibus veſtimentis exuebatur, & muliebribus induebatur: móxq; illis ademptis, iterum virilia imponebant, alludentes ad ipſius Tireſiæ fabulam, de qua poetæ & Græci & Latini adeò multa. Dicta verò ſunt ἐφέςρια: ἀπὸ τῆς ἐφεςρίδος, id eſt à ſuperiore veſte, qua induebatur.

Aſcolia feſta fuiſſe legimus apud Atticos, quibus inter vtres ſaltantes baecchabantur: vnde & ab vtribus nomina ſumpſere. Meminit poeta Vergilius in Georg. cum ait:

Vnctos ſaliere per vtres.

Quam rem hic parcius attigi, quoniam in quarto de Poetarum hiſtoria Dialogo fuſius expoſui.

Fuerunt & quæ ὠμοφαγία dicebantur, de quibus poſt Græcos Arnobius lib. v. aduerſus Gen. Bacchanalia etiam, inquit, prætermittemus inania, quibus nomen Omophagijs græcum eſt, in quibus furore mentito, & ſequeſtrata pectoris ſanitate circumplicatis vos anguibus, atq; vt vos plenos dei numine ac maieſtate doceatis, caprorum reclamantium viſcera cruentatis oribus diſſipatis. hæc ille. Omophagia autem dicta, quaſi dicamus crudiuora.

Neſtea celebritas etiam fuit apud Græcos, in qua ieiunium ſeruabant, vt Aelianus in quinto de Varia hiſtoria, prodidit. ait enim, cum Tarentini obſiderentur à Romanis, & fames expugnabiles feciſſet, Rhegini decreuerunt decimo quoque die inediam ſuſtinere, & Tarentinis alimenta permittere. id cum feciſſent, Tarentini obſidione illa liberati, & calamitatis memores, feſtum agunt, qđ Neſteam, hóc eſt ieiunium appellant.

Hiacynthia in Laconia celebrabantur, in Apollinis honorem, ob Hiacynthũ puerum ab eo amatum, cuius fabulam Ouid. in Metam. copioſe exequitur: vt nunc grammaticos mittam, inter cætera & hoc Ouid.

Annua prælata redeunt Hiacynthia *pompa.*

πευκτία, quæ σ[?]ύκτια interdum legimus (niſi nos ſcriptura fallat, vel diuerſa ſi-

S gnificent:

gnificent: nam & τρίκτερα etiam offendimus) ſacrificia dicebantur dei Enyalij, id eſt Martis, quæ tribus animalibus cum teſticulis, id eſt non caſtratis fiebant, vt obſeruat Heſychius: vel vt alij tradunt, his tribus, ſue, ariete, tauro, id eſt, κάπρῳ, κριῷ, ταύρῳ, ferè Romanis Solitaurilibus ſimilia, vt iam dictum eſt.

δωδεκηΐδες, hoc eſt duodenaria ſacrificia, à Græcis nuncupata, quæ ex duodecim animalibus fiebant. Fuit & feſtum apud Athenienſes, quod δωδεκηΐδα vocabant: quod & χόας, vt Heſychius notat, appellabãt. meminimus & nos in Faſtis. Dicebatur & δωδεκαΐς, vt quidam putant, à duodecim menſibus.

Theophania celebritas fuit, quæ Delphis agebaẽ, cuius Herodotus in primo meminit. De noſtris verò Theophaniis hic nihil agẽdũ, q̃ et Epiphania dicũtur.

Diaſia etiam Milichij Iouis feſta fuere, Athenis celebrata, vt Suidas & Lucianus in Charidemo docẽt. meminit & Ariſtoph. dicta ἀπὸ τοῦ διαφυγεῖν αὐτοὺς εὐχαῖς τὰς ἄτας. Scribit Heſychius, Diaſia celebritatẽ fuiſſe Athenis, quæ cum quadam triſticia agereẽ. De Eleutheriis ſacris in Ioue Eleutherio copioſe dixi. de quibus etiam Theodoritus in Oratione de martyribus. item de Diipoliis ſacris ibidem.

ἀποβώμια ſacra fuerunt apud Græcos, quæ in altari peragi non ſolebant, ſed in plano ſolo, vel pauimento.

ὑπεκκαύστρια, Hypecauſtria, vt ſcribit Plut. in Quęſtionib. apud ſolos Mineruæ ſacrificãtes vocabant, quòd ibi multa ſacra & myſteria fierẽt ad vertenda mala.

Diamaſtigoſis ſolennitas fuit maxima apud Lacedæmonios, cuius cùm alij meminere, tum Tertull. in Apologet. & in lib. ad Martyres: Nam, inquit, hodie apud Lacedæmonios ſolennitas maxima eſt Diamaſtigoſis, id eſt, flagellatio: in quo ſacro ante aram nobiles quoq; adoleſcentes flagellis affligunẽ, aſtãtibus parentibus et propinquis, & vti perſeuerent adhortãtibus. qua de re et ego alibi, & Philoſtrat⁹ in vita Tyanei Apollon. & Nazianz. Greg. & Lucian. in Anacharſi.

Panathenęa Athenarum & Mineruæ in primis feſta, quæ ſingulis quinq; annis celebrabantur: quæ & Magna ſacra appellabanẽ. primus Erichthonius, Vulcani & Mineruæ filius ea inſtituit. Poſtea Theſeus cum in vnũ congregaſſet tribus, vnámq; vrbẽ feciſſet: in hac celebritate neq; ſenes, neq; ignobiles, neq; viri certabant, ſed pueri tãtum: victori ex olea corona prẽmiũ dabatur. Hæc partim ex Ariſtophanis commentariis, partim ex Suida, aliiſq;.

Panhellenia ſacra totius Gręciæ, Panionia totius Ioniæ, vti etiam Panbœotia, de quibus Strabo, Suidas, Arpocration, & alij pleriq;.

Sed infiniti penè ſit laboris, omnia ſacrorum genera recenſere, quæ ante veram Chriſti lucem, tenebris illuſa antiquitas peragere ſolebat. Quare ad publica alia quædam me accingam, vt hac te rerum varietate nonnihil oblectem, ſi minus lepore ac facundia ex ingenij & virium imbecillitate queam.

SVPPLICATIONES, LECTISTERNIA.

FVerunt ad hæc quæ ſacrificiis coniungerenẽ, & quæ inter ea commemorari non ab re fuerit, ſupplicationes, & lectiſternia, quæ ad templa & puluinaria deorum, vel ob lętitiã, vel ad auertendam deorum iram peragerenẽ: in quib. plerunq; ſenatores ac patricij cùm coniugibus & liberis, ad delubra & aras procedebant, nonnunquã omnes tribus & ordines etiã Pont. maximo præeunte: ſed & aliis perſępe modis. In his enim & pueri ingenui, & libertini, ac itẽ virgines omnes coronati, & lauream pręferentes, cũ pompa thenſas & fercula deûm deferentes, tũ & ſacro carmine ſupplicare, & deûm pacem expoſcere ſolebant. Lectiſternia verò & puluinaria iuxta deorũ aras ſtatuebanẽ, cum aliis ornamentis: quin et frondes virentes et odoriferæ, ac flores omnis generis, et verbenæ ante deûm ędes et in ipſis templis ſternebanẽ. has ſupplicationes et huiuſmodi cętera à Po. Rom. frequenter celebratas in hiſtoriis legimus, nũc tot dierũ numero, nunc demũc ad L. vſq; diem cõperio. Illud aũt obſeruatũ ab antiquis videmus, vt quo-

vt quoties ſupplicationes aut lectiſternia indicerentur, à iurgiis et litibus abſtinerent, & vinctis vincula demerent. Scribit etiam Feſtus, quòd ædiles per ſupplicationes muratam addebant ad puluinaria. Fuit autem murata, potio quæ in ſacris adhiberi ſolita fuit. quin & XII tabulis cauebatur, ne mortuo traderetur: quod & Varro primo Antiquitatum libro ſcripſit. Supplicationes Virgilius eo loco in quarto innuit:

Simul diuûm templis indicit honorem. quo loco ait Seruius, Iuſſit fieri ſupplicationes. & mox: Feriæ inquit, legitimæ ſunt, aut indictæ. Indici autē dicuntur, quia paupertas maiorū ex collatione ſacrificabant: aut certè de bonis damnatorum, vnde & ſupplicia dicūtur. idē & Iſidorus in ſexto, & meminit Feſtus: Supplicationes, quæ ſunt de bonis paſſorū ſupplicia. Saluſtius: In ſuppliciis deorum magnifici. hinc & Sacrum dictū, venerabile, & execrabile: quia ſacræ res de bonis execrandorū fiebant. Iſidorus lib. quinto: Suppliciū, inquit, propriè dicitur, non qui quoquo modo punitur, ſed ita damnatur, vt bona eius conſecrentur, & in publicum redigātur. nā ſupplicia dicebantur ſupplicamenta: & ſupplicium dicitur, de cuius damnatione delibatur aliquid deo: vnde & ſupplicare. Idē & in fine ſexti lib. Etymol. Nec hic te lateat volo, quoties apud antiquos aliquid conſecrabatur de bonis alicuius condēnati, qua religionis cerimonia id fieri ſoleret, COSS. id, aut imperatorū iuſſu fiebat: foculū accendi videbatur, vbi præco cum tibicine verbis priſcis & ſolennibus, præeunte Pont. Max. carmē maledicū velato capite ſacrū perficiebat. Idq; iuſſu populi fieri cōuocata cōcione mos fuit. alias irritam fieri conſecrationē cenſebatur. Deuotiones verò & euocationes paulo poſt etiam exequemur. Nunc quoniam de lectiſterniis meminimus, quorum crebra eſt mentio, & in his pleroſque falli videmus, hic ex Liuio pauca aſcribenda. Is lib. V ab V. C. ita prodit: Grauis, inquit, peſtilénſq; omnibus animalibus æſtas excepit vrbem cum inſanabili pernicie: quando nec cauſa, nec finis inueniebatur, libri Sibyllini ex S. C. aditi ſunt. Duumviri ſacris faciūdis, Lectiſternia tunc primum in vrbe Romana facta per dies VIII. Apollinem, Latonámq; & Dianam, Herculem, Mercurium, atq; Neptunum, tribus quę ampliſſimæ tum apparari poterāt, ſtratis lectis placauere: priuatim quoq; id ſacrum celebratū eſt tota vrbe, patentibus ianuis, promiſcuóq; vſu rerū omnium in propatulo poſito, notos ignotóſq; paſſim aduenas in hoſpitium ductos ferunt, & cū inimicis quoq; benignè & comiter ſermones habitos, iurgiis & litibus temperatū, vinctis quoque dempta in eos dies vincula: religioni deinde fuiſſe, quibus eam opem tuliſſent, vinciri. Quidam putant, epulum Ioui in Capitolio lectiſternium dici: quod parum probatur. Lectiſternia, inquit Seruius in XII. Aen. dicunt, vbi in templo homines ſedere conſueuerunt. Notamus lectiſternium in Capitolio, ſic celebrari ſolitum: ſtratis tribus lectis conuiuium tribus deis apponebatur, Ioui, Iunoni, & Mineruę. Ioui ſimulachrum in lectulo reponebatur, Iuno verò & Minerua in ſellis, ea ratione quā alibi retuli. ſic appoſitis epulis, non dei, ſed VII ipſi epulones celebrabant. T. Liuius lib. VII. ab V. C. Eo nihil dignum memoria actū, niſi quod pacis deū expoſcendę cauſa tertio tū poſt conditā vrbem lectiſterniū fuit.

Expoſitis ſupplicationibus, & lectiſterniis, idem deorum Euocationes, vrbiúmq; Deuotiones, & ſeſe pro patria deuouentium ritus, quibúſq; hæc cærimoniis fierent, apud Romanos in primis, oſtendam. Verrius Flaccus auctores ponit, quibus credat, in oppugnationibus ante omnia ſolitū a Romanis ſacerdotibus euocari deum, cuius in tutela id oppidum eſſet. Problema etiā legimus Plutarchi, cuius hoc eſt lemma: Cur deū illum, cuius in tutela vrbem eſſe dicunt, ſiue maſculus is eſt, ſeu fœmina, & quęrere & nominare nefas eſſet? hoc enim ita eſſe, religione confirmant, Valerium Soranum male periiſſe dicentes, quòd numinis nomen efferre auſus eſſet. An quod Latinorum quidam monumentis tradiderunt, euocationes quaſdam ac deorū veneficia eſſe putauerunt, quibus quoniam ipſi hoſtiū deos euocare, & ad ſe traducere conſueuiſſent, ne idem ipſi pa-

terentur, magnopere verebant. quemadmodum Tyrij ſtatuis vincula iniiciunt, & reliqua. Alibi quoq; recitauimus, à Lacedæmoniis Martem catenatum, ne à ſe vocaret: & νίκην ἄπτερον, id eſt ſine alis Victoriã, ne ab Atheniẽſibus aufugeret.

Sed iam nos harũ vtranq;, id eſt euocationis & deuotionis, recitemus Macrobij verbis ex lib. III. Saturn. Conſtat, inquit, omnes vrbes in alicuius dei tutela eſſe: moremq; Romanorũ arcanum & multis ignotum fuiſſe, vt cum obſiderent vrbem hoſtiũ, eámq; iam capi poſſe confiderent, certo carmine euocarent Tutelares deos, quòd aut aliter vrbẽ capi poſſe nõ crederent: aut etiã ſi poſſet, nefas exiſtimarent deos habere captiuos. nã propterea ipſi Romani & deum, in cuius tutela vrbs Roma eſſet, & ipſius vrbis Latinũ nomen ignotũ eſſe voluerũt. Sed Dei quidẽ nomen nonnullis antiquorũ licet inter ſe diſſidentiũ libris inſitum, et ideo vetuſtas res perſequentibus, quicquid de hoc putatur, innotuit. Alij Iouem crediderunt, alij Lunam. Sũt qui Angeronã, quæ digito ad os admoto ſilentium denunciat. Alij autem, quorũ mihi fides videt firmior, Opem Conſiuam eſſe dixerunt. Ipſius verò vrbis nomen etiã doctiſſimis ignoratum eſt, cauentibus Romanis, ne quod ſæpe aduerſus vrbes hoſtiũ feciſſe ſe nouerant, idem ipſi quoq; hoſtili euocatione paterent, ſi tutelæ ſuæ nomen diuulgaretur. Mox idem ſcriptor ſubdit, ex lib. quinto Rerum reconditarũ Sammonici Sereni, euocationis & deuotionis formulam, quam ex Furij vetuſtiſſimo libro ille excerpſit. Eſt autem hoc carmen, quo Dei euocabantur: Si deus, ſi dea eſt cuius populus ciuitáſque Carthaginenſis eſt in tutela, téq; Maxime, ille qui vrbis huius, populiq; tutelam recepiſti, precor, venerórq;, veniámq; à vobis peto, vt vos populum ciuitatémq; Carthaginenſem deſeratis, loca, templa, ſacra, vrbémq; eorũ relinquatis, abſq; his abeatis, eiq; populo ciuitatiq; metum, formidinẽ, obliuionem iniiciatis, proditiq; Romam ad meóſq; veniatis, noſtráq; vobis loca, templa, ſacra, vrbs, acceptior probatiórq; ſit: mihi quoq; Populóq; Romano, militibúſq; meis præpoſiti ſitis, vt ſciamus, intelligamúſq;. Si ita feceritis, voueo vobis templa ludóſq; facturum. Subiungit idem in eadem verba hoſtias fieri oportere, auctoritatémq; videri exortum, vt ea promitterent futura. At verò Liuius in V. ab V. C, Dictator Camillus, ait, ita è Veiis deos euocauit: Tuo, inquit, ductu Apollo Pythice, tuóq; numine inſtinctus, pergo ad delendam vrbem Veios, tibiq; hinc decimam partem prædæ voueo. te ſimul Iuno regina, quæ nunc Veios colis, precor, vt nos victores in noſtram tuámq; mox futuram vrbem ſequare, vbi & dignum amplitudine tua templum accipies. hæc Liuius. Deuotio verò vrbium & exercitus ita fieri ſolebat. Poſt deorum euocationem, ea verò à Dictatore, vel Cos. vel Prætore, vel Imperatore fiebat, his propè verbis: Dis pater, ſiue Iouis manes, ſiue quo alio nomine fas eſt nominare, vt omnes illam vrbem Carthaginem, exercitúmq;, quem ego me ſentio dicere, fuga, formidine, terrore compleatis, quiq; aduerſus legiones, exercitúmq; noſtrum arma teláq; ferent, vti vos eos exercitus, eóſq; homines, vrbes, agróſque eorum, & qui in his locis regionibúſque, agris vrbibúſq; habitãt, abducatis, lumine ſupero priuetis, exercitúmq; hoſtium, vrbes agróſq; eorum, quos me ſentio dicere, vti vos eas vrbes agróſq;, capita ætatéſq; eorũ deuotas conſecratáſq; habeatis, illis legibus, quibus quandoque ſunt maximè hoſtes deuoti: eóſque ego vicarios pro mea fide magiſtratúq; meo, & pro populo Romano, exercitibus, legionibúſque noſtris do, deuoueo, vt me meámque fidem, imperiúmque, legiones exercitúmque noſtrũ, qui in his rebus gerundis ſunt, bene ſaluos ſinatis eſſe. ſi hæc ita faxitis, vt ego ſciam, ſentiam, intelligam, tunc quiſquis votum hoc faxit, vbi faxit, rectè factum eſto, ouibus atris tribus. Cum Tellurem dicebat, manibus terram tangebat: cum Iouem dicebat, manus ad cœlum tollebat: cum votũ recipere dicebat, manibus pectus tangebat. hæc ex Macrobio. In hiſtoriis autẽ legimus, huiuſmodi deuotiones factas non modo in Italia, ſed & extrà: quinimmo & poetam Vergilium ſub poetico quodam inuolucro has innuiſſe, docti viri obſeruant. vt cum cecinit,

Exceſſere omnes adytis,ariſq; relictis,
Dei quibus imperium hoc ſteterat. & item cum ait,
Ferus omnia Iuppiter Argos Tranſtulit.

Deuotiones etiam ſingularium perſonarum factas, ex hiſtoriis obſeruauimus: vt cum ſe duo Decij,pater & filius pro populi Rom.victoria deuouerunt:& Q. Curtius. Sed & apud Græcos Codrus pro Athenienſibus, & Menœceus pro Thebis ſe deuouerunt,itémq; pro Celenæis Anchurus. Vnam ego vel alteram ex Latinis afferam, in primiſq; ex Liuio, qui lib.octauo ab V.C.ita ſcribit: Cum collegam litaſſe Decius intellexiſſet, ſibiq; omnia læta, niſi quod caput iecinoris à familiari parte cæſum aruſpex oſtendiſſet, alioqui acceptam deis hoſtiam eſſe: Atqui, inquit, bene habet, ſi à collega litatum eſt. tum inſtructo exercitu, M.Valerium Pont.magna voce inclamauit: Deorum, inquit, ope Valeri opus eſt:agedũ Pont.publicus Pop.Rom.præi verba, quibus me pro legionibus deuoueam.Pont.eum togam prætextam ſumere iuſſit,& velato capite,manu ſubter togam ad mentũ exerta, ſuper telum ſubiectum pedibus ſtantem, ſic dicens: Iane,Iupiter,Mars pater, Quirine,Bellona, Lares, Diui Nouenſiles, Dei Indigetes, Diui quorum eſt poteſtas noſtrorum hoſtiúmq;, Deiq; Manes, vos precor,veneror, veniam peto feróq;, vti pop.Rom. Quiritiũ vim victoriámq; proſperetis,hoſtéſque Po.Rom.Quiritium terrore,formidine,mortéq; afficiatis:ſicut verbis nũcupaui,ita pro Rep. Quiritium exercitu,legionibus, auxilijs Pop. Ro.Quirit.legiones, auxiliáque hoſtium, mecum Deiſque Manibus Tellurique deuoueo.hactenus deuotio.

Subdit Liuius:Mox incinctũ cinctu Gabino,armatum in equũ inſiluiſſe, pugnaſſe acerrimè,tandẽ confoſſum,inter confertiſſ.hoſtium ſtragem,ſuis victoriã reliquiſſe. Porrò nec illud te ignorare oportet, quod hiſtoriæ ſuæ adiiciendum Liuius putauit: Licere Coſ.Dictatoríq; & Prętō. cũ legiones hoſtiũ deuoueat, non vtiq; ſe,ſed quem velit ex legione Romana ſcriptum ciuem deuouere : ſi is homo, qui deuotus eſt,moritur,probè factum videri:ni moritur,tum ſignũ VII pedes altum,aut maius in terrã defodi,& piaculum hoſtia cędi.vbi illud ſignum defoſſum erit, eò magiſtratum Ro. deſcendere fas non eſt. ſin autẽ ſeſe deuouere nolet,ſicuti Decius deuouit,ni moritur, neq; ſuum neq; publicum diuinũ purè faciet.Qui ſeſe deuouerit, Vulcano arma, ſiue cui alij diuo vouere volet, ſiue hoſtia, ſiue quo alio volet, ius eſto. telo, ſuper quod ſtans Cos. precatus eſt,hoſtem potiri fas non eſt.ſi potiať,Marti vouet,auribus piaculum fieri.hęc Liuius. Sunt qui hæc extrema Liuij verba emendent,Solitaurilibus piaculum fieri.Extant & aliorum ſuper hoc opiniones,quæ nec mihi dignæ viſæ ſunt vt referãtur. De ſolitaurilibus verò paulo ſuprà dictum eſt. Fuerunt nec multum abſimiles deuotionibus Execrationes, quæ verbis quibuſdam diris, ac imprecationibus quapiámq; cęrimonia fieri ſolebant,diuerſę quidem diuerſis locis.hanc vnã ego in præſentia ex Salluſtij Catilinario,pro exemplo adducã.Fuere,inquit,ea tempeſtate qui Catilinam oratione habita dicerent,cũ ad iuſiurandũ populares ſceleris ſui adigeret, humani corporis ſanguinem vino permixtum in pateris circũtuliſſe. inde cum poſt execrationem omnes deguſtauiſſent,(ſicuti in ſolennibus ſacris fieri cõſueuit) aperuiſſe conſiliũ ſuum. atq; eo dictam rem feciſſe,quo inter ſe magis fidi forent, alius alij. Hęc Salluſtius.M.Cicero pro Sextio: Exierunt malis ominibus atq; execrationibus duo Vulturij paludati. Extat execratio,quæ Dirę inſcribiť,in Vergilianis poematiis,non inelegans,dignáq; vt cum eis aſcribatur.Scribit T.Liuius de bell.Pun.libro VI.Acarnanes à XXV ad XL annos coniuraſſe,niſi victores,ſe non rediturosːqui victus acie exceſſiſſet, eum ne quis vrbe, tecto,menſa,lare reciperet:diram execrationem in populares,obteſtationémq; quàm ſanctiſs.potuerũt aduerſus hoſpites compoſuerunt. Similis execratio & obteſtatio in Paulum à Iudæis facta legiť, in Actis Apoſtolicis. Inuenimus & execrabile carmen dictum,apud Liuium in primo de bell.Mace-

donico: Præeuntibus, inquit, execrabile carmen ſacerdotibus. Hinc & publicæ dicebantur execrationes, vt Athenis fuiſſe ait Cic. lib. III. de Off. ſi quis viam erranti non monſtraſſet. De Diris porrò, quæ dicebantur, in Furiis egimus.

Sed & par videtur, vt formulam quoq; ceremoniarũ Fœcialium & Patris patrati hoc loco aſcribã, idq; breuius quàm potero, magiſq; diſtinctè. nã de vtriſq; ſuo loco actum eſt. Forma igitur feriendi per Fœcialem fœderis huiuſcemodi fuit, vt ex Liuio accepimus. Fœcialis regẽ Tullium ita rogauit: Iubésne me Rex cũ Patre patrato populi Albani fœdus ferire? iubente rege: Sagmina, inquit, te Rex poſco. Rex ait, Puram tollito. Fœcialis ex arce graminis herbam purã attulit, poſtea Regem interrogauit: Rex, facisne tu me regium nuncium Pop. Rom. Quiritiúmue? Rex reſpondit, Quod ſine fraude mea Pop. Ro. Quiritiúmue fiat, facio. fit ergo tunc fœdus, multiſq; id verbis peragit legibus inde recitatis: Audi, inquit, Iupiter, audi Pater patrate Po. Albani. audi popule Albane, audi, vt illa palàm prima poſtremáue ex illis tabulis cęráue recitata ſunt, ſine dolo malo, vtiq; ea hodie rectiſſimè intellecta ſunt, hic illis legibus Pop. Ro. prior non deficiet: ſi prior defecerit publico cõſilio, dolo malo, in illa die Iupiter ita Po. Ro. ferito, vt ego hunc porcũ hodie feriam: tantóq; magis ferito, quanto magis potes, polléſque. Vbi id dixit, porcum ſaxo ſilice percuſſit. Eodẽ modo pars altera ſuũ ſacerdotẽ, ſuúmq; dictatorẽ peregit. Et hęc quidem formula Romanorũ & Latinorum. Sed alia fuit apud Gręcos, quæ vel ex vnius Homeri III. Iliad. rhapſodia luculẽtiſſimè deſcribitur. nã cum Menelaus & Paris ſingulari certamine rem cõfecturi eſſent, iuramentũ primũ deſcribit inter Græcos & Troianos ſancitũ. Mox in caſtra Priamus & Antenor deſcenderũt, vbi Agamemnon & Vlyſſes etiã ipſi aſtitere. Pręcones verò cratere vinũ miſcuere, & manibus aquã dederunt. Tum rex Agamemnon enſe agnorũ pilos incidẽs, fœdus ſanxit, & præcones Gręci et Troiani vtriq; ſuis diſtribuere. inde paſſis manibus ad cœlũ locutus eſt Agamemnon: Iupiter pater max. optime, qui in Ida coleris, túq; Sol qui cũcta vides, cunctáq; audis, vos Fluuij ac Tellus, & qui ſubter punitis homines qui periuria iurant, vos omnes teſtes ſunto, ſeruanto iuramenta, ſiquidem Menelaum interfecerit Alexander, Helena ipſe & eius opibus potiatur: ſi verò Menelaus Alexandrum, vt Troiani cum Helena omnia reſtituant, & Græcos debito afficiant honore, eorúmq; poſteros. ſi verò Priamus & filij abnuerint, eo caſu iuſta arma mouebo, nec abſcedam niſi confecto bello. quibus dictis, agnos enſe iugulauit, & palpitantes humi depoſuit, & vinum ex cratere poculis exhauſerunt, reliquum & ſacrum perfecerũt: & reliqua. At verò cum Fœcialis bellum indicit, hac cæremonia vtebatur. Fœcialis haſtam ferratam pręuſtam, aut ſagmineam ad fines eorũ quibus bellũ indicebat, deferebat, nec minus puberibus tribus præſentibus adiiciebat: Quod populi priſcorũ Latinorũ, hominéſue priſci Latini aduerſus Pop. Rom. Quiritiũ fecerunt, deliquerũt, quòd Po. Ro. bellũ cũ priſcis Latinis fieret, ob eam rem ego Po. q; Ro. populo priſcorũ Latinorũ hominibúſq; Latinis bellum indico, facióq;. vbi dixerat, haſtam in fines eorũ emittebat, ex quo bellũ iuſtum eſſe intelligebatur. Cincius in lib. tertio de Re milit. Fœcialem po. Ro. bellũ indicentẽ hoſtib. telúmq; in agrum eorũ iacientẽ, hiſce verbis vti ſcripſit: Quòd populus Hermundulus, & cætera, vt ſuprà. vide Gellium lib. XVI. cap. IIII.

Patris autẽ Patrati opera & auctoritas exigebatur ad patrandum, id eſt ſanciendum iuramentũ, vbi Fœciales de fœderibus cõuenerãt. Creauit quidẽ M. Valerius primus Fœcialis Sp. Fuſiũ primũ Patrem patratũ eo bello, quod Tullius Hoſtil. cum priſcis Latinis geſſit, verbena caput capilloſq; cingẽs: alias pręterea partes, ſcilicet repetendi Patri patrato dedit Ancus Martius, eũ morẽ ab antiquiſſima Equicolorum gente repetẽs. eius rei formula antiquiſſima eſt huiuſmodi: Legatus, idémq; Pater patratus, vbi ad fines eorum venit, antè res repetũt, capite velato filo: lanæ id velamen eſt. Audi Iupiter, inquit, audite fines cuiuſcunque ſint gentis, numina audiãt fas, ego ſum public⁹ nũtius Po. Ro. piè iuſtéq; legatus

venio,verbis meis fides ſit. Peragit deinde poſtulata,inde Iouem teſtem facit: Si ego iniuſtè impiéq; illos homines, illáſq; res dedier Pop.Rom.mihíq; expoſco, tũ patria cõpote me nunquã ſinas eſſe. hæc,cũ fines ſuprà ſcandit: hæc, quicunq; ei primus vir obuius fuerit: hæc portã ingrediens, hæc forũ ingreſſus, paucis verbis carminis cõcipiendíq; iuſiurandi mutatis. Si nõ reddebantur quæ expoſcebat, diebus tribus & XXX (tot enim ſolennes erãt) peractis, bellum ita indicebat: Audi Iupiter, & tu Iuno, ac Quirine, Deíq; omnes cœleſtes: vos terreſtres, vóſq; inferni audite: ego vos teſtor, populúmq; illũ (quicũq; eſt nominabat) iniuſtum eſſe, neq; ius perſoluere. Sed de iſtis rebus in patria maiores natu conſulemus, quo pacto ius noſtrũ adipiſcamur. Cũ his nunciis Romã ad conſulendum redibat. Confeſtim Rex, Dictator, Cos. ſiue quis alius ſenatum habere poſſet, ex his fermè Patres verbis conſulebat: Quarũ rerum, litium, cauſarum, condixit Pater Patratus Pop.Ro. Quiritium, Patri patrato priſcorũ Latinorũ, hominbúſq; priſcis Latinis, quas res nec dederunt, nec fecerunt, nec ſoluerunt, quas res fieri, dari, ſolui oportuit, dic (ei dicebat, quem primum ſententiam rogabat) quid cenſes? Tum ille: Puro pióq; duello quærendas cenſeo. eorum qui aderãt in eandem ſententiã ibant. Bellum erat conſenſu fieri ſolitum, ac Fœcialis iniectu haſtæ, vt dictum eſt, bellum indicebat. Hanc repetendi cærimoniã, clarigationem dictam, Seruius oſtẽdit & libro nono & decimo Aen. Nã cũ Vergilius dixiſſet, *Et iaculum intorquens dimittit in auras:* ibi ait Seruius, Hoc de Romanorũ ſolennitate tractũ eſt. cũ enim vellẽt bellũ indicere, Pater patratus, hoc eſt primus Fœcialium, proficiſcebat̃ ad hoſtium fines, & præfatus quædam ſolennia, clara voce dicebat, ſe bellum indicere propter certas cauſas, aut quia ſocios læſerant, aut quia nec abrepta animalia, nec noxios reddiderant. & hæc Clarigatio dicebatur, à claritate vocis. poſt clarigationem haſta in eorum fines emiſſa, indicebatur pugnæ principium. quod locupletius repetit in X. ibi, Tum certare odiis, & res rapuiſſe licebit. vbi inter cætera & hoc ſubdit idem Seruius: Clarigatio aũt dicta eſt, aut à clara voce, qua vtebatur Pater patratus: aut ἀπὸ τῆς κλήρου, hoc eſt à ſorte. nam per bellicam ſortẽ inuadebant agros hoſtium. vnde κληρόνομοι dicunt̃, qui iurè ſortiuntur bona defuncti, id eſt legitimi hæredes. Hinc & Arnobius libro ſecundo contra Gentes: Cum paratis bella, ſignum mõſtratis ex arce, aut fœcialia iura tractatis per clarigationẽ repetitas res raptas. Sed iã de his hactenus.

Nec poſtremò ab inſtituto noſtro alienũ videt̃, condendæ vrbis ritũ cærimoniámve aſcribere, quã M. Portius Cato in Originũ libris eſt executus. Cõditores enim ciuitatũ tantum in dextram vaccã intrinſecus iungebant, & cincti ritu Gabino, ſeu Sabino hoc eſt, togæ parte caput velati, parte ſuccincti, tenebant ſtiuam incuruã, vt glebæ omnes intrinſecus caderẽt. & ita ſulco ducto, loca murorũ deſignabãt, & aratrum ſuſpendẽtes circa loca portarum: vnde territorium dictum eſt, quaſi terribouium, hoc eſt tritum bobus & aratro. Idem repetit Seruius lib. V. Aen. Varro quoq; in his qui ſunt de ling. Lat. Oppida, inquit, condebant in Latio Hetruſco ritu: id eſt, iunctis bobus tauro & vacca, interiore aratro circumagebant ſulcum. hoc faciebant religionis cauſa, die auſpicato, &c.

Fuit & Farreatio, ſeu cõfarreatio, genus ſacrificij, quod inter virũ & vxorẽ fiebat, in ſignũ cõiunctionis inter eos: dictũ à farreo libi genere, quod ex farre fieri ſolebat, vt ait Feſtus. vel à verbo, vt quidam putãt, Cõfarreo, quod nõ eſt in vſu. vnde quoq; diffarreatio, in ſignũ diſſolutionis cõnubij. Plin. lib. 19. Quin, inquit, & in ſacris nihil religioſius cõfarreationis vinculo erat, nouæq; nuptæ farreum præferebant. Cor. Tacitus libro quarto: Nam patricios confarreatis parẽtibus genitos tres ſimul nominari, ex quibus vnus legeretur vetuſto more, neq; adeſſe, vt olim eam copiam, omiſſa confarreãdi aſſuetudine, aut inter paucos retẽta.

Operæpreciũ me facturum putaui, ſi quędã altius de ſacrificiis repetam, quæ per ſe curioſos lectores iugi mea lectione nõnihil detineãt. Et perinde à Proclo philoſopho exordiar, philoſopho nõ minus Academico quàm Peripatetico, is

in lib. de Sacrificijs, ita propemodū ſcribit: Sacerdotes per mutuā rerū cognationem & ſympathiā in vnum conducebāt, & per repugnantiā repellebant, purificantes quæ oportebat, ſulphure atq; bitumine, aquā aſpergentes marinā. Sulphur eīm purificat propter odoris acumē, aqua verò marina propter igneā portionē. atq; ijdē animalia deis in deorū cultu congrua adhibebāt, cæteraq; ſimiliter. quamobrē alijs atq; ſimilib. recipientes, primùm potentias dæmonū cognouerunt, videlicet eas eſſe proximas rebus actionibúſq; naturalib. atq; per hæc naturalia quibus propinquant, in præſentiā conuocarūt: deinde à dæmonibus ad ipſas deorū vires actionéſq; proceſſerūt, partim quidē à docētibus dæmonibus addiſcētes, partim verò induſtria ꝓpria interpretantes quæ conuenirēt ſymbola, in propriā deorū intelligentiā aſcenderūt. ac deniq; poſthabitis naturalib. rebus, actionibúſq;, ac magna ex parte dæmonibꝰ, in deorū ſe conſortiū receperūt. Et hæc fermè Proclus: quo libro multa ea de re cōminiſcitur, quæ ego vt ſuꝑſtitioſa nimis prætereo. Sed Porphyrius Tyrius philoſophus, ipſe primos ſcribit qui deis ſacrificare cœperūt, nō animalia, ſed herbas primùm floréſq;, deinde & arbores ſacrificaſſe, aromatáq; ſuffumigaſſe. Quin & Lycurgus ex herbis, & ijs reb. quæ parabiles eſſent, ſacrificia inſtituiſſe dicitˉ, ne quādo ex difficultate ſacra omitterentˉ, vel differre neceſſe eſſet. ſed & Cecropē legimus Iouē ὕπατον nuncupaſſe, eiq; nihil omnino animatū ſacrificaſſe, ſed pēmata, ſeu bellaria indigena. ea aūt Athenienſes πελάνους vocitabāt, vt Pauſ. ſcribit in Arcad. πέλανος verò, vt Didymus ait, placenta fuit ex flore farinæ cōfecta, ſacrificijs accōmodata: quæ ſic appellabantˉ ἀπὸ τοῦ πεπλατύνθαι, vel διὰ τὸ φανὸν εἶν. Euripides in Oreſte, ἀφρώδη πέλανον dixit, ſpumā circa Oreſtis furentis os concretā. Cōmentatores in 1. Apollonij Argon. panes interpretari videntur parū mundos, nec planè confectos. Sed & lachrymæ quoq; aridæ & coactæ, & thuris & gūmi, πέλανοι dicūtur, vt Suidas ait: & obolus, qui mercedis cauſa vatib. dabatur. Inuenimus etiam morem fuiſſe Iliacis temporibus, vt nec thure, nec coſto, ſed cedri & citri fumo deos adolere ſolerent. quoſdam & rore marino, & iunipero: alios βραθὺ quapiam herba ſacrificaſſe legimus. Pythagorā etiam animatis rarius ſacrificaſſe, qui eius vitā perſcripſere, prodiderūt. Qui verò primi animalib. veſci cœperunt, id frugū penuria feciſſe, ait Porphyrius. Trib. aūt de cauſis deis ſacrificandū cēſuere theologi gentiū, vt veneremur, vt gratias referamus, vt ab ipſis neceſſaria petamus, & mala ꝓpellamus. Ad hęc autē perficienda votū animi ſatis eſſe exiſtimabant: cui & addi poſſe credebant quædam ex frugibus munuſcula. Animalia verò mactare nefas ducebant: etſi id licuiſſe videmus per Hebræorum leges.

Theologi igitur ꝗ dicebātur apud gentes, Deo nihil quod ex materia eſſet, offerendū ſtatuebāt, quod ipſi Deo ab omni ꝓrſus materia ſecreto, ſubitò nō fieret impurū: quapropter neq; ei ſermo vocalis ſatis accōmodatus eſſe videtˉ, neq; etiā ex animo ſermo intimus, propterea ꝙ animi quadā inquinatus affectione putaretˉ: ſed puro ſilētio, puróq; animi affectu Deū illi colendū arbitrabantˉ. quē Aegyptij, vt Iāblichus ſcribit, Icton, & primū exemplar appellabant: quā de re & in Pythagoræ Symbolis ſuꝑ ipſius ſilētio plura ſcripſimus. Porphyrius quoque, oportere ait cōiunctos ſimileſq; Deo iā affectos homines, ad Deū mentis ectaſin, ac eleuationē, velut ſacram quandam victimā dedicare, quæ quidē ipſamet diuina laus eſt & ſalus: & in qua Dei cōtemplatione, omnis affectus ex parte ſacrificiū verè cōpleri ac perfici aſſeruit. Filijs aūt Dei, quos & deos intelligibiles vocabat, laudes iā ex ipſo quoq; ſermone adhibendas cenſebat, atque vnicuiq; ipſorū iuſtam primitiarū oblationē faciendā, ex ijs rebus quas ipſi mortalib. largiri dicebātur, vel quæ eos nutrire & conſeruare putabantur. Sic agricolę primitias earū frugum quas colligebāt, offerebāt. Quare ex antiquis pleriq; diſputabāt, non debere animalia mactari, quinetiā & ab eorū eſu abſtinendū eſſe. ſic peripateticus Dicęarchus, antiquos Gręcos ꝓdit nullū animal occidiſſe, vt ꝗ proximè deis geniti eſſent, & perinde natura optimi, adeò vt eorū ętas aurea vocaretur.

caret. Sic & gymnoſophiſtæ, præter reliquã tẽperantiã atq; ſanctimoniã quã habuiſſe teſtant auctores, Bardeſanes, Porphyrius & Philoſtratus, alijq;, animalibus abſtinebãt: ſic & Eſſæi, gens ſancta exiſtimata apud Hebræos, vt Philon, Ioſephus, Egeſippus et Euſebius produnt, multis animalibus abſtinebant. antiqui præterea Aegyptiorum ſacerdotes, vt Chæremon Stoicus, Porphyrius & Hieronymus tradũt, animalibus plurimùm abſtinebant. quin etiam multa velut diuina venerabantur. Sed quid multa congero? Inique fert Porphyrius, ſuo tẽpore multos etiã philoſophię ſtudioſos, gloriam potius inanem quàm diuinitatem colẽtes, ante ſtatuas prouolui, eáq; obire ſacra quę minimè illos decet. Sed enim ego non hæc in manus ſumpſi, vt rectè nécne id factum eſſet monſtrarem, ſed vt gentium potius ſuperſtitionẽ multiplicem oſtenderem: & vt ea volentibus vel expendere vel redarguere, ad manus paruo labore præſtò forent. Et licet ante me hac eadem de re quidam ſcripſerint, ita tamen conciſe ac ieiunè id tractarũt, vt non multa ex ijs poſſis excerpere. in iis etiam pleraq; offendi, quę longè ſecus ſint, quàm ab eis prodantur. Nec quiſquã me hoc ſcripſiſſe putet detrahendi ſtudio. nam & ideo ipſorum nomina conticui, errata tantum caſtigaui. Sic mecum agat alius, ſum etenim homo. Quare iam inſtitutum exordiar.

Et antequam ad ſacrificia particularia deueniam, prius quædã in vniuerſum afferam, quæ ad præſentem tractationẽ conueniunt: in primíſq; illud quòd Plutarch. Numæ Pompilio aſcribit, vt deos adoraturi ſedeant, quod & vice prouerbij vſurpat. Significat verò vota certa concipere oportere, & in ea quæ optima ſunt perſiſtere ac perſeuerare. quidam tamen alium putant habere ſenſum, quòd eos qui ſacris operãtur, oporteat non obiter, ac velut aliud agentes hoc facere, ſed vacuos ac totos rei diuinę vacare, ac intentos eſſe. Vnde cum Pontifex ſacra aggrediebatur, præcones clamabãt, Hoc age: quod planius in Symbolis Pythagoræ dixi. Sed vt & verbis Ciceronis vtar, nec diis immortalibus ſemper eoſdẽ, atq; aliàs alios ſolebant venerari, & precari, vt ſcilicet res & tẽpus expoſcere videbat. Sanè nec deis omnibus eadẽ conueniebant, nec vni omnia ſacra, vt cùm alij, tũ Euſebius & Lactãtius, & in primis Nazianzenus Gregor. aduerſus Iulianum Cæſ. Nec eodẽ, inquit, modo, vt ſacerdotibus videt. nã alicubi, vt apud Lindios, pium eſt Buphagũ, id eſt Herculem execrari, quod in dei cedere honorem credit, ſi in eum multa conuicia dicant: vel apud Tauros hoſpitũ mactatio, vel apud Lacedæmonios puerorum ſuper altare flagellatio: vel Phrygibus piũ eſt, ſub tibiarum cantu concidi, aut ſaltationibus effœminari, ſic vt alijs puerorũ turpis amor, nonnullis etiã ſcortari: aut quæcũq; habent myſteria, ne ſigillatim cunctа enumerem. Quare nunc præſtãt audire Apollinis oraculum de cultu & ſacrificiis deorũ, quod Porphyrius in lib. Reſponſorũ, & Euſebius in quarto Præparationis euang. aſcripſerũt, variis de cauſis. hoc aũt Latinè expreſſum tale eſt:

Hæc age, qui nutu diuorum ingreſſus amice es
Huius iter vitæ mactanda eſt hoſtia cunctis
Multa deis, ſeu qui terram, ſeu qui mare vaſtum,
Aera ſeu qui habitant, latum ſeu qui æthera, ſeu qui
Alta colunt cœli, ſeu qui infima regna barathri.
Quæ quibus obſeruanda modis ſint, ſingula dicam:
Tu memori commiſſa animo mea dicta teneto.
Terna quidem diuis cœleſtibus hoſtia, & ipſa
Candida mactanda eſt: terna & terreſtribus, atq;
Alta eadem. gaudent porrò, & capiuntur apertis
Terreſtres aris: foueas cum numina contrà
Expoſcant atro imbutas inferna cruore,
Nec placeat niſi quæ terræ mandetur humata
Victima. mel verò Nymphæ, atque liquentia vina,

Offerri lætantur. at ignem accendier aris,
Quæ circumuolitant terram, ſibi numina quærunt,
Imponiq́ atrum corpus, tum thura, ſimulq́
Iniicier ſalſas fruges, & dulcia liba.
Hæc facito. verum quibus eſt data cura profundi,
His ipſo ſemper fer ſacra in littore, totum
Porriceq́ in fluctus animal. cœleſtibus autem
Extremas reddes partes, atq́ igne cremabis.
Quod ſupereſt, propone tibi, dapibusq́ reſerua,
Sudet odoratis craſsisq́ vaporibus aer. Et hoc quidem oraculum ita Porphyrius eſt interpretatus. Cum igitur terreſtres & inferni dei ſint, atras illis quadrupedes offerẽdas Deus iubet. modus autem differt. Nam terreſtribus ſuper aras, infernis verò in ſcrobibus & foueis mactandas eſſe victimas præcipit: aereis autem volatilia dicit offerenda, corporibus holocauſtis & ſanguine ad aram circumfuſo. Volatilia etiam deis marinis, ſed vina in fluctus porricere mandat. ita omnibus deis, præterquam terreſtribus, volatilia immolari poterant: ſed marinis ſolummodo nigri coloris volatilia. Quare cæteris alba offerenda ſunt, cœleſtibus verò & æthereis beſtiarum, quas albas eſſe præcipit, & conſeruandas extremitates, reliquas autẽ partes comedẽdas. ex his enim ſolummodo comedere oportebat, ex aliis verò minimè: ita quadrupedes et terreſtres terreſtribus ſacrificanda fuerãt: ſimile etenim ſimili gaudet. Sus porrò, terreſtre animal eſt, & idcirco Cereri gratiſſimum. Atra verò, quia & terra naturaliter tenebroſa & opaca. Tres autẽ ſimul, quoniam terreſtris corporis tria ſunt ſymbola: & ſuper aras terreſtribus, quoniã ſuper terram verſanť. Cęteris deis idcirco volatilia ſunt offerenda, quoniã vniuerſa mouenť: in motu enim ſemper maris aqua eſt. eius atræ ſunt hoſtiæ, quoniam & cæruleus color eſt aquarũ. Alba verò aereis: lucis enim aer ſuſceptibilis. Cœleſtibus autem & ęthereis extremitates conſecrãdas iubet, quoniam leuiores reliquo corpore. Quorũ ſacrificiis cõmunicare fas erat: quia cum cęteri dei arcere mala ſolere putarent, cœleſtes bona mortalibus largiri credebant. Hęc ferè ex Porphyrio & Euſebio. Fuit etiã Pythagoreorum vel ſymbolum, vel ænigma, Superis impari numero ſacrificandum, pari autem inferis: vt alibi diximus. Sanè & Lucianus in eo qui eſt de Sacrificiis, varia eſſe ſacrificia prodit, pro etiã perſonæ ſacrificantis qualitate: Agricola, inquit, de boue rem diuinam facit, opilio de agno, æpolus de capra. eſt qui thus, qui liba & placenta offert. Et ſi pauper ſit, deis litat, dextrã tantummodo exoſculans. At verò cum immolant, primò victimã ſertis coronant, explorántq́ num legitima ſit, & apta, ne forte ſacrificent quæ religio admittat: tum ad aram deducunt, & ante dei ſimulachra iugulabãt, voce conuenienté & tibiis & ſacris. Sed enim Valerius Max. Plutarchus & Seruius, aliiq́ ſcribũt, apud antiquos nõ ſolum publicè, ſed & priuatim nihil gerebatur, niſi auſpicio prius ſumpto: quo ex more plerũq́ & ſacrificia captatis auguriis peragebantur. Sed in ſacrificiis ritè celebrandis maiorem nullam cærimoniam fuiſſe videmus, quàm nihil ſibi conſcire, bonos ac pios eſſe. vnde Plautus in Rudente, Arcturum cœleſte ſidus inducit dicentem:

Atq́ hoc ſceleſti in animum inducunt ſuum,
Iouem ſe placare poſſe omnibus hoſtiis:
Et operam & ſumtum perduunt. atq́ id ideo
Fit, quia nihil ei acceptum eſt à periuriis.
Supplicii facilius ſi qui pius eſt à deis ſupplicans
Quàm qui ſceleſtus eſt, inueniet veniam ſibi.
Idcirco moneo vos ego hæc qui eſtis boni,
Quiq́ ætatem agitis cum pietate & cum fide,
Retinete porrò poſt factum vt lætemini.

Hæc

Hæc quidem Arcturus, vel Plautus potius: quibus planè cognoſcimus, bonos ac pios eſſe debere, qui deis immortalibus eſſent ſacra miniſtraturi. De in vt hęc ritè peragerent, obſeruatio penes Pontifices fuit. Qui duo in primis hoſtiarum genera eſſe ſtatuerunt: vnum, in quo deûm voluntas per exta diſquirebatur: alterum, in quo ſola anima deis ſacrabat. vnde & aruſpices, has Animales hoſtias vocabant. Vtrunq; hoc hoſtiarum genus ſacrorũ peritiſſimus Vergilius ſuo carmine oſtendit, et primo quidem illud quo volũtas numinũ per exta mõſtrabat.

Mactat, inquit, *lectas de more bidentes.* Et mox:

In pecudumq; recluſis
Pectoribus inhians ſpirantia conſulit exta.

Alterum illud, in quo hoſtia animalis dicebatur, quoniam eius tantum anima ſacrabatur, ſignificat, cũ inducit Entellum victorem Eryci mactare taurum. nam vt explicaret animalis hoſtiæ cauſas, ipſo animæ vſus eſt nomine:

Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis, Perſoluo.

quod verbum, vt etiam Macrobius notat, pertinebat ad nuncupata vota. Animalem hoſtiam idem poeta in illo ſignificat,

Sanguine quærendi reditus, animáq; litandum Argolica.

nam & animam, id eſt hoſtiæ nomen poſuit; & litare, quod ſignificat ſacrificio facto numen placare & impetrare, vt planius infrà oſtendam. Sanè & Seruius lib. III. Aeneid. ait: Animales hoſtiæ hæ ſunt, quæ tantum immolantur. Alibi ſanguinem in aras tantum fundi ſolitum, oſtendit Vergilius: vt,

Sanguinis & ſacri pateras. & alibi corporis partem: vt,

Extáq; ſalſos Porriciam in fluctus. alibi integras victimas: vt,

Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis. quod Græcè ſacrificium holocauſtoma, & holocauſtum, & holocautoma vocatum videmus: quòd videlicet tota igni abſumeretur. Obſeruabant præterea antiqui in ſacrificiis, vt antè aduerſos placarent, & poſtea propitios inuocarent: quod Vergilium ſeruaſſe Grammatici notant. vt in illo,

Nigram Hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam. Sic etiam Dido in IIII Aeneid. nuptura primùm Cererem placat, quæ nuptias eſt execrata, propter filiæ raptum: & Apollinem, qui vxoris expers fuit. placat Liberũ patrem, qui niſi raptam habere potuit coniugem: ſic Iunonem conciliat, cui vincla iugalia curę, & matrimoniorum dea & regina. Lege, & Vergilij verſus perpende, videbis ipſum ſacrorum diligentiſſimum & peritiſſimum. Vt me plerunque pudeat, pigeatq;, nos in noſtris ſacris adeò conniuere, ne cęcutire dicam. Sed præſtat aliena & vetera recenſere, quàm noſtra noſtris fruſtra & ſurdis exprobrare.

Victimæ antiquis hæ frequentes fuere, ouis, ſus, bos, capra, gallina, & anſer: quas cũ immolabant, niſi puræ integræq; fuiſſent, & lectæ ad rem diuinã, minus proficere putabant. Fuit quidem priſcis opinio, vt ex hœdis potius & agnis hoſtiæ fierent, quàm ex cæteris: quia hæ mites & cicures eſſent. nã gallinacei, ſues, & tauri, animo magis abundare videntur. Ideo etiam ouilli pecoris hoſtiam maximam, non ab amplitudine, ſed quia animi eſſe placidioris viderent, pontifices dixerunt. Sunt igitur qui ſcribant, ſex tantum animalium genera in ſacrificijs veteres adhibuiſſe: quorum ſententiam nos nec approbamus, nec refellimus. nam apud auctores plura inuenimus, ſed variis in locis & ritibus. Aiũt ergo illi veteres, altiles duas afferri ſolitas, gallinam & anſerẽ: licet Ariſtophanes in Auibus, omnibus fermè deis ſuas aues attribuat: quadrupedia quatuor, ouem, ſuem, capram, bouem. at qui anguſtiori forent patrimonio, qui nec bouẽ poſſent ſacrificio inferre, farinacea ex maſſã hũc conficiebant, & bouis vice immolabãt: vnde & ſeptimus bos eſt dictus. Sanè in ſacris plerunq; ſimulata pro veris accipiebantur. hinc cũ de iis animalibus quæ inuentu difficilia eſſent, ſacrificiũ faciendũ foret, ea de pane vel de cæra effingebãtur, immò etiã de aliqua alia re. hinc Verg.

Sparſerat

Sparſerat & latices ſimulatos fontis Auerni.

Nam & in templo Iſidis aqua ſparſa de Nilo dicebatur. Idem obſeruat Seruius ſecundo Aeneid. comment. vnde in Priapeis Ariſtagoras villicus,

De cera facta dat tibi poma deus.

Id quod & Græcos factitaſſe notaui. nam Cyziceni nigram bouem quotannis cum immolare ſolerent, & obſidione preſſi talem inuenire nõ poſſent, frumentaceam effinxere, eóque pacto ſacrum perfecere. Athenienſes quoque in Iouis Milichij id aliquando effecere, vt ex Thucydide in Ioue retulimus. Sed vt ſequar de victimis, Philo Hebræorum doctiſs. quandoq; ſolum Moſem quinque pura inſtituiſſe in ſacrificijs tradit: ex auitio quidem genere duo, columbas & turtures: ex quadrupedibus tria, ouem, bouem, capram, & ſicut Hebræi ſue abſtinebant, ita gentes ex eo maximè rem diuinam fecere. Aegyptij Lunæ & Libero ſuem immolabant, reliquis deis boues, vitulóſq; & anſeres: capras verò & hircos non attingebant. contrà Britanni nec leporem, nec gallinam, nec anſerem quidem ad epulas adhibebant, nec deis etiam ſacrificabant. Romani Pontifices certè maximam hoſtiam, vt dixi, ouilli pecoris dicebant, non amplitudine corporis, ſed ab animo & natura placidiore, vt inquit Feſtus. Fuerunt porro & aliæ victimæ, ſed diuerſarum nationum, & gentium. nam vt canit Ouidius,

Placat equo Perſis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda deo.

Palumbos etiam in ſacrificijs adhibitos legimus. hinc Plautus in Penul. Nos palumbem ad aram vſq; duximus. Sed inſtitutum proſequamur. Eligebantur ergo hoſtiæ, & ex grege ſecernebantur, quæ ideo & lectæ & eximiæ dicebantur. atque hæ quidem maiores, & vberius depaſtæ, non claudæ, non morboſæ, non alio quouis modo vitioſæ: futura enim cognoſci antiqui non poſſe exiſtimabant, niſi ex ſacra victima, quæ præterea fixam aurem, vel caudam aculeatam, aut linguam nigram nõ haberent. Et quoniam ſic victimæ eximebantur, & ſeligebantur, factum eſt vt etiam Legere verbum ſacrorũ diceretur. Numa Pompilius, deos fruge coli, & mola ſalſa ſupplicari inſtituit: vnde & immolo verbum pro ſacrificio deductum creditur. quæ quidem mola ex farre, ſale & aqua cõponebatur, ſine qua mola nullum ſacrificium ratum fieri cenſuit. atq; id far niſi toſtum fuiſſet, ad rem diuinam non eſſe purum ſtatuit. ideo & Fornacalia, & religioſas ferias, quibus far in fornacibus torrebatur, obſeruari iuſſit. quin & Fornax dea, vt in primo Syntagmate dictũ eſt: quòd farris genus ador, & adoreum dicebatur, & vulgò ſemen, vt Iſidorus ait, etiam dictum: & Edor quondam appellatũ, ab edendo, quia eo primo vſi ſunt homines: ſiue quia in ſacrificiis ipſius generis panes ad aras offerebantur. vnde & Adorea ſacrificia ait dici: quãquam Adorea pro gloria & victoria etiam capitur. Farina præterea, ex qua mola conficiebatur, horna, hoc eſt, huius anni eſſe debebat. Græci verò οὐλοχύτας molas ex hordeo & ſale in ſacris confectas adhibebant. Homerus, οὐλοχύτας προβάλλοντο, id eſt, molas porriciebant. hoc Homeri interpretes & Phauorinus tradunt. Græci ergo non far, ſed hordei primitias, libáque & placentas ex hordeo offerri, hordeúmq; ſale inſperſum in primis aræ infundi, ſatius duxere: ſine quo, ſaluis cærimoniis, nullum ſacrum fieri fas putabatur. Hinc etiam qui eiuſmodi primitias colligebant, apud Opuntios, vt Plut. notat, Catthologis fecere nomen. Megaris verò, dum ad Terei ſepulchrum ſacrum fiebat, pro hordeo calculis vtebantur. Dianæ autem Propyleæ Eleuſiniæ mulieres nullam, niſi ex ibi nato hordeo, molam conficere fas fuit. Sed & proprij quibuſdam deis panes erãt dicati, de quorum nonnullis Athenæus & Pollux libro ſexto, vt ſunt Obeliophori in Bacchi celebritatibus: Pelani omnibus deis communes, quos paulo ſuprà ſcripſi. Bos etiam placentæ nomen, cornuta Apollini, Dianæ, Hecatæ, & Lunæ attributa. Popana etiã, & Prothymata, in ſacris, & Aeſculapio in primis, vt docet in Pluto

Ariſtophanes,adhibebantur:Melittuta verò Trophonio. Ariſter etiam, & Hygiea,molæ ſpecies traduntur.Sed in Fornacalibus,qui non fuerant feriati,quiq; in ſua tribu, vt erat conſtitutum,ſacrum non feciſſent,in Quirinalibus ſacrificiõ expiare cogebantur:idcirco Quirinalia ſtultorum ferias dictas inuenimus.Omnibus quoq; ferè deis,vt pòſt oſtendemus,ſuę victimæ & ſua ſacra conſtituta fuere, quæ præterire & tranſgredi fas non erat.Namq; aliena hoſtia alius deus plãcari non credebatur:quippe non eadem Ioui & Neptuno, Iunoni & Cereri victima aſſignabatur,vt paulo pòſt patebit.Sed nec hoc perpetuò ratum, & vbique.Neptuno plerią; de nigro tauro rem ſacram faciebãt.Trœzenij de fructuũ primitijs:Græci aliquot de cruribus taurorum: Vlyſſes ariete, apro & tauro litauit.Athenis autem,licet octauo die cuiuſq; menſis Neptuno ſacrum fieret,nõ tamen de tauro ſemper:neq; Apollini ſemper de tauro Græci, ſed multiplicis generis victima ſacrificabant.namq; Homero teſte,vnus tauro,alius ariete, aliquis hirco,ſacrum fecit.ex bobus verò,vitulis & pecudibus laudatiſſimę vitulæ ad deorum placamenta habebantur.Idcirco Ioui à flamine omnibus idibus bos candidus,& ex agro Faliſco,aut Meuania immolabatur:illos enim ad ſacra ſaginabant,& deorum ſupplicijs ſeruabant.Bos autem qui iugo ſubactus fuiſſet,purus non putabatur.Fœtus bouis triceſimo die,pecudis ſeptimo,ſuis verò decimo à partu,idonei ſacris,ac puri putabãtur.Creditum quoq;, bouem quinquennalem inſignem Ioui victimam eſſe,& pecudes bimas ſacrificio maturas. Solonis quidem lege de boue nulli deo ſacrificari licebat, quia animal putaret innocuum,& colonum.Tantæ aũt venerationis veteribus fuit,vt æquè capitale cenſerent bouem,ac ciuem,necaſſe.Aegyptij boues ruffas Typhoni mactare ſoliti fuere. Arabes,pingues ac ſaginatos camelos in ara Ignoti Dei ſacrificabãt:nupturæ virgines camelis deos propitiabant.Heroibus tauro,capro,& ariete litabant. Sunt qui tradant, Pythagoram præter ſua inſtituta,bouem quandoq; Muſis & Ioui gallum album immolaſſe:quod vix crediderim, propter ea quæ de eo in Symbolis retuli.Romani magna religione hoſtias explorabant,itémq; magna ſuperſtitione Aegyptij,vt in ſequentibus oſtendemus. Græci, an tauri puri eſſent,farina,an capri,ciceribus,capræ verò,aqua frigida explorabãt: ſi enim hæc guſtare noluiſſent,id ſacrum minus deis gratum arbitrabantur. Vlceroſam quoq; victimam veteres reijciebant.quin & vlceroſos augures de cœlo ſeruare minimè fas fuiſſe,notaui:quòd vlcus pollutio,ac corporis diminutio quædam cenſeatur,vt Plut.ſcribit. Ad hæc & Ruminales hoſtias niſi bidentes eſſent,omnes non puras eſſe affirmabant. Sed hoc locupletius declarauimus, dum de hoſtijs bidentibus locuti ſumus.

Proditum verò memoriæ eſt,à ſuilli pecoris genere immolandi initium Romæ primum factum,eo argumento,quòd ſus fœderibus & ſponſalibus adhiberetur.Hinc & Varro lib.2.de Re ruſt.Porci,inquit,qui à partu decimo die habẽtur puri,& ab eo appellantur ab antiquis ſacres, quòd tum ad ſacrificia idonei primum dicuntur.itaq; apud Plautum in Menechmis,eum inſanum putat, qui vt pietur in oppido Epidamno,interrogat,Quanti hi porci ſunt ſacres? Idem Plaut.in Rud.Sunt domi agni & porci ſacres.hinc etiam ſunt Nefrendes ſues, de quibus ſic Fulgentius ad Chalcidium:Diophantus Lacedæmonius, qui de ſacris deorum ſcripſit,ait,apud Athenas Marti ſolere ſacrificari ſacrum quod ἑκατονφόνϛυμα appellabatur.Si quis enim centum hoſtes interfeciſſet, Marti de homine ſacrificabat apud inſulam Lemnum,quod ſacrificatum eſt à duob.Cretenſibus & vno Locro,ſicut Soſicrates ſcribit.Sed poſteaquam hoc Athenienſibus diſplicuit,cœperunt afferre porcum caſtratum,quem Nephrendem vocabant,quaſi ſine renibus.Et apud Romanos ſcribit Sicinium Dentatum centies & vicies pugnaſſe ſingulari certamine,cicatrices habuiſſe ſupra quadraginquinque,poſt tergum nullam.coronas accepiſſe vigintiſex,armilas CXL.& iſtũ primum ſacrum feciſſe Marti.hactenus Fulgentius.Sed de Dentato, quãquam pa-

rum ad rem facit, Plinius & Solinus, alijq; nonnihil euariant: Nefrendes, ſcribit Feſtus, arietes dixerunt, quòd dentibus frendere non poſſunt. alij dicunt, Nefrendes infantes eſſe nondum frendentes, id eſt frangentes. Liuius: Quem ego nefrendem alui, lacteam immulgens opem. Sunt qui Nefrendes teſticulos dici putent, quos Lanuuini appellant nebrundines, Græci νίφρεις, Præneſtini nefrones. hæc Feſtus: qui quamuis nefrendes arietes dicat, Varro tamen Fulgentio ſuffragatur, vt qui porcos ſcribat ſignificare, q lactentis nomine amiſſo, nondũ fabã frendere, id eſt frangere poſſũt. Sed & in initiationibus Cereris ſus mactabatur. Et quamuis in ſacris ipſius deæ vinum adhibere nefas eſſet, in hoc tamen ſacro de vino libaſſe, pontificales libri non vetabant: quam quidem ſuem immolari ab eo qui mortuo iuſta feciſſet, crimen admitti putabatur. Deorum quoque matri nullum ſacrum, niſi de porca fieri, quidam prodidere: & luſtrari exercitũ. Scribit Aelianus Aegyptijs perſuaſum eſſe, ſues Soli & Lunæ inimiciſs. eſſe: & ſemel tantum, cum feſtos dies agunt, eos Lunæ ſingulis annis dicaſſe: alias verò nunquam nec huic ipſi, nec cuiquam deorum ſacrificaſſe: id propterea faciẽtes, quia execrandos & deteſtandos exiſtimabant, vt Iudæi quoq;. quod & pluribꝰ Plut. in Sympoſiacis eſt executus. Subdit etiam Aelianus, in myſterijs Athenienſes ſues immolaſſe, propter perniciem quam ſegetibus ſues inferunt. Eudoxus verò ait, Aegyptios ab immolandis ſuibus abſtinuiſſe, quòd poſtquam ſementem feciſſent, eorum greges ad proterendam & proculcandam frugum ſationem, & depellendam in altiorem humum, & humidiorem, immittere ſolerẽt, vt hac quaſi occatione obducta terra, ſemina ab auibus minus infeſtarẽtur. hæc fermè Aelianus. In Myſia præterea Abretani Iouis templum fuit, in quo ſues comeſſe aut mactaſſe ſcelus erat: idem & apud Phœnicas, quibus per omne tempus, vt Iudæis etiam, ſuibus abſtinere per leges cautum fuerat. Proditum tamen eſt, in Theſſalia Veneris fanum fuiſſe, & aliud in Sida Pamphyliæ, & in Aſpendo, & Argis, in celebritate quæ Hyſteria dicebatur, in quibus præter inſtituta moreſq; aliorum ſues mactare licebat, cum in cæteris nullo modo fas eſſet. Ariſtophanes tamen in fabulis, ſuum plerunq; & porcorum ſacrificium commemorat. Notat & Galenus in commentarijs Chirurgiæ Hipp. γλυκείας à græcis vocari ſuem, vel porcum in ſacrificio, blanda ſcilicet voce: vt quoq; ſimiam καλλίαν, eadem ratione. atq; hac in re Callimachi verſus citat. Solũ apud Thuſſas in Aegypto, vbi Venus cornuta colebatur, vacca illi immolabat̃, & in Nitriotica præfectura ouis. Aſtris porrò & Stellis legimus volucres dicatas, anſeres Iſidi, Lunæ taurum, Iunoni agnum, Veneri columbam. Græci Mineruæ iuuencam ſæpe indomitam auratis cornibus mactarunt. Victimas quoq; de piſcibus aliquãdo legimus factas. Bœotij, vt ſcribit Athenæus, Copaidas anguillas, à lacu ſic vocatas, coronatas, molaq; perfuſas deis immolabant. Idem & piſcatores ſcribit ex thynnis, quem maximũ cepiſſent, Neptuno immolare ſolitos, & ſacra ea Thynnæ appellaſſe. Mnaſeas etiam Atergatidis deæ ſacra piſcibus fieri prodidit, cùm veris & coctis, tũ ſimulatis ex auro & argento. Phaſelitæ quoq; in Lycia piſciũ ſalſamenta quotannis patrio ritu deis ſuis offerre ſolebant: idq; ſacrum inſtitutum, quod Lacius Argiuus à paſtore Cylabra cãpum emiſſe ad ædificandam vrbem piſcium ſalſamentis fertur, potius quàm farina, vel melle. Quin etiam & aruſpicinã Lycios exercuiſſe, Athenæus ex Polycharmo prodit, ex piſcib. & futura prædixiſſe. Porrò & mullum piſcem, id eſt triglam, vt alibi dixi, Proſerpinę, ac item Dianæ ſacrarunt antiqui, & citharon Apollini, Mercurio bocas, Libero patri cittulum, apuam Veneri, Neptuno pompilũ: quem & ſacrum piſcem quidam vocauere, vt plurib. Athenęus expoſuit, & Aelianus. Porrò & id obſeruauimus, mullum barbatulum non attingi à ſacrificantibus ſacerdotib. nec à fœmina Argolica Iunonis ſacerdote. Sed nec muſtelam ſacerdotes eſitant, vt idem ait Aelianus, ꝙ ore pariat. Caius Caligula eò veſaniæ proceſſiſſe traditur, vt ſibi tanquã numini ſacro phaſianos, phœnicopteros & pauones mactari iuſſerit. Sed

hæc portenta ſacrorum mittamus, cætera dicamus. Vinum in pleriſq; omnibus ſacris penè libabatur. In nuptijs Cereris, vt alibi dictum, non adhibebatur. Vinum nouum Baccho dare fas fuit, frugum primitiæ Cereri. ſed hæc guſtare, aut veſci his prius quàm ſacerdotes, minimè fas fuit. Scribit Feſtus, Sacrimá appellatum muſtum, quod Libero patri ſacrificabant pro vineis & vaſis & ipſo vino conſeruandis: ſicut præmeſſum de ſpicis, quas primùm meſſuiſſent, Cereri ſacrificabant. In ſacris verò deæ Ruminæ inferre vinum, expiatione dignũ fuit: quippe illi ſacrum facientes, hoſtiæ lac, non vinũ ſpargebant. Et in ſacris Bonæ deæ, quam Floram perperam quidam vocant, cum vinum libabant, lac eſſe dicebãt. Veſtæ quoq; non vino, ſed de Numico flumine, vt ait Seruius, libabant: quibus diebus, mẽſe Iunio molæ frumentariæ, & aſini ſertis & pane coronabantur. Ad huius templum iuxta forum, niſi nudo pede accedere non conueniebat: ſicut in æde Dianæ apud Cretenſes, quam Britomartin nominabant, de qua in Dictynnâ abunde locuti ſumus. Proditum quoq; memoriæ eſt, Romulum nunquam vino in ſacris, ſed lacte libaſſe. Quinetiam Athenienſes Mnemoſynæ, Auroræ, Soli, Lunæ, Vraniæ, & Nymphis non vino, ſed aqua melle diluta ſacrificaſſe, vt in ſacris Nephalijs, iam dictum. Vbi autem in ſacris vina libare deis neceſſe fuit, ex græca & imputata vite, ſeu fulmine tacta, aut quæ vulneratis pedibus calcata, vel immundicie polluta fuerat, aut iuxta quam homo laqueo pependerat, quæq; circumciſis vinaceis profluxerat, vina libare deis infauſtum erat; ſed ex ijs tantũ vitibus vuiſq; fertilibus laticis, qualem, vt canit Poeta,

——Pateris libamus, & auro,
Inflauit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras,
Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.

Pythagoræ quoq; Symbolum fuit, Ne deis libaris ex imputatis vitibus: vt planè ibi expoſui. vinum verò antequam funderet ſacerdos, prius ſimpullo ligneo propinabat, vel fictili, quod & ſimpuuium vocatum video. Iuuen. Satyr. VI,

Simpuuium ridere Numæ, nigrumq; catinum.

Hinc ſimpullatrices mulieres ſacris deditæ, vt Feſtus ait. erat autem ſimpullum, in ſacrificij apparatu haud cyatho diſſimile. Huius meminit Cic. in 3. de Legib. & Plin. lib. 35. Vocatur etiam Sympinium. Arnobius, agens de vino in ſacrificiis: Date quæſo, inquit, deis immortalibus vt bibant, ſcyphos, brias, pateras, ſympiniáq; depromite. Idem paulò pòſt: Operæprecium eſt etiam verba ipſa depromere, quibus, cùm vinum datur, vti ac ſupplicare cõſuetudo fuit: Mactus hic vino inferio eſto. Inferio, inquit Trebatius, verbum ea cauſa additum, eáq; ratione profertur, ne vinum omne omnino quod in cellis atq; apothecis eſt conditum, ex quibus illud quod effunditur promptum eſt, eſſe ſacrum incipiat, & ex vſib. eripiatur humanis. Addito ergo hoc verbo, ſolum erit quod inferetur ſacrum, nec religione obligabitur: vt inferium videlicet vinum dicatur ſacrum, quod deis infertur. Sanè & Varro, Depeſta, ait, dicta etiam nunc in diebus ſacris Sabinis vaſa vinaria, in menſa deorum ſunt poſita. Apud antiquos ſcriptores Græcos inueni appellari poculi genus Depeſtam, quare vel inde radices in agrum Sabinum & Romanum ſunt profectæ: quod vinum dabant vt minutatim funderent, à guttis Guttum appellarunt: quod ſumebant minutatim, à ſumendo ſimpullum nominauere. In huiuſce locum in conuiuijs è Græcia ſucceſſit Epichyſis, & cyathus: in ſacrificijs remanſit Guttus & Simpullum. hæc Varro. Sed & hodie guttum habemus in conuiuijs, Gottum tota Venetia nuncupantes. Epichyſi vtitur & Plautus in Rudente: Præterea, inquit, ſinus, epichyſis, cantharus, gaulus, cyathus. Sanè græci σπονδεῖα vaſa dicebant, à σπένδω, id eſt ſacrifico dicta, in quibus deis vina libabant. σπονδικοὶ verò, huiuſmodi ſacerdotes vocabantur. Et quoniam in ſacris moroſa & cunctabunda voce vtebantur, inde ſpondæus pes, ſacris maximè aptus dictus eſt: & οἰνόσπονδα, cum vino ſacrificia peracta. Thaſij vino libaneo, odore thuris, deis prolibabant. & apud Aſopum in æde Eu

menidum mulſo libare, & pro coronis, floribus vti permiſſum fuit. Sanè Seleucus apud Athenæum lib. 2. negat veteres vini copiam, aut deliciarum quippiam in ſacrificijs inferre ſolitos, cum tamen θοίνας, & θαλίας, & μέθας deis impenderēt: & quidem θοίνας, quòd vino vterentur: θαλίας, quòd veſcerentur: μέθας verò, quòd μετὰ τὸ θύειν, poſt ſacrificia hilares fierent. Epicharmus etiam apud eundem corruptos mores notat, ac mutatam frugalem illam in ſacris obſeruantiam. Ex ſacrificio, inquit, epulum, ex epulo facta eſt potatio, ex potatione comus, ex como facta eſt θυανία, id eſt ludus: ex θυανία iudicium, ex iudicio condemnatio, ex condemnatione compedes, ſphacelus, & mulctatio. Hæc ille. Quid, inquam, ſi hoc tempore viueret Epicharmus, de noſtris nunc ſacris diceret? Nundinas, non ſacra appellaret. Sed nos noſtra mittamus, vetera ſequamur.

Victimæ plerunque maiores auratis cornibus procedebant, minores coronatæ offerebantur, vt planius non multo pòſt dicam. Obſeruabant etiam, vt ſi vinū hoſtiæ infundendum foret, molam aut fruges in caput ſpargerent, ordine præpoſtero: ſi verò, cum hoſtia ad aras ducebatur, vehementius fuiſſet reluctata, inuitáque altarib. admoueretur, vel ſi aufugiſſet, vel percuſſa mugitum dediſſet, aut in aliam corporis partem, quàm oporteret, cecidiſſet: piaculare ſacrum, & triſte auſpicium facere credebatur, quaſi quod inuitis Deis offerri videretur. quæ verò fugiſſet hoſtia, vbicunque eam nacti fuiſſent, mactari oportebat, ne maius piaculum fieret. Iones tamen contra inſtituta moréſque ſacrorum, tunc maximè hoſtiam litare, & deis gratam fieri putabant, cum inter immolandum taurus mugitum dediſſet. Exiſtimatum etiam antiquis eſt, funeſtam familiam, ſeu hominē funere pollutum, nec publica ſacra facere, nec ædes deorum dedicare poſſe, niſi in lemuralibus & parentalibus, vt ſuo loco dicemus. Notauimus ſuprà in Succidaneis, fœmininas hoſtias potiores apud Romanos fuiſſe. apud Aegyptios tamen vetitum fuit, fœminam hoſtiam immolare. Barbaris quoque circa montem Caucaſum, & apud Derbices Perſicam gentem, fœminam victimam fuiſſe, aut eius carnibus veſci, ſub graui documento vetabatur. Si tamen primis hoſtijs nō litaſſent, aut primum ſacrum negligentia vel caſu non rectè initum aut curatum foret, illud denuò augeri, & victimas ſuccedere ad expiandos deos permittebatur, donec ritè perlitatum eſſet. Illud non omiſerim, Romanos conſueuiſſe pro rebus quas citò expedire volebant, ætate grandioribus hoſtijs: vbi verò rem augere vellent, ſeu produci, iuniore victima ſacrificaſſe. Nec vnam vnquam hoſtiam duobus deis, aut incertis, ſed certo immolare ſolitos: quia vtri deo res diuina facienda eſſet, facile vt dinoſceretur: ſuperiſque deis impares & albas, inferis verò pares & nigras obtuliſſe. Veteres etiam illud obſeruabant, vt ſi pro infantib. immolandum foret, non grādis, ſed minor hoſtia mactaretur: obſeruatúmque eſt in deorum Manium ſacris, auerſa ac triſtia auſpicia, & dira magis fauſta eſſe. Itaque in his non litare potius, quàm litare eſt. Animalia præterea ſacrificijs congrua, integra atque inſecta, quæ à græcis ἄρτια, & ἄτομα dicebant, legebant: καὶ μὴ ἔμπηρα, hoc eſt nō curta, ſeu mutila. nā & Solon philoſophus dicere ſolebat, ἔμπηρα ἀφιλῆ. Sacrificiorū etiam quędam ἐπίθετα, hoc eſt adiecta, ſeu appoſita dicta legi, quorum in Areopagitico meminit Iſocrates: quæ non erant indigena & patria. Fuere & quæ Dorophorica, & quæ Apolytrotica, quæque Apoplectica, atque Athyta nuncupata fuere. Item quæ δυσίκθυτα, hoc eſt, in quibus non erat litatum, vel quæ dira ſacra ab aliquibus dicuntur. Porrò ſicut hoſtiæ puræ ac integræ parandæ fuerant, ſic & ſacerdotes, qui ſacra facturi erant, niſi tales fuiſſent, & ipſi à ſacris arcebantur. Id Plin. li. 7. declarat, de M. Sergio agens: & Senec. lib. 4. Declam. de Metello loquens, & Dionyſ. Alicarn. lib. 2. hiſt. quo loco agit de ſacerdotibus à Romulo conſtitutis.

Par etiam fuerit, ritus & cerimonias ſubſignare. nam ſingulis ferè deis ſua ſacra inſtituta fuere, quæ tranſgredi aut præterire nefas ducebatur. neque deos omneis eiſdem ſemper ſacris, ſed alios alijs ritibus, ceremonijſque placari, toto hoc

de Deis

de Deis opere docui:quæ tamen in omni ſacrificio ſolēnia ſeruari in vniuerſum ſolita,quaſúe cærimonias cuſtodiri,hic tibi collecta perſcribam.

Sacerdos in omnib.ſacrificijs ritè celebrandis,antequam deis immolaret,aut rē diuinam faceret,quibuſdam ſe prius ſacris præparabat.vnde Græcis verbum frequens ἐξοργιάζω,quod eſt,ad cultum ſacrorum ſe expiare.Inter hæc erat corporis ablutio.vnde & Aeneas ex ritu deos precaturus,ait in 2.Aeneid.

Donec me flumine viuo Abluero.

Tum etiam à Venere abſtinebat,vt ad celebranda ſacra lautus ac mundus accēderet.Legimus Numam Pompilium,cum pro frugibus faceret, eſu carnium & venere abſtinuiſſe: & Iulianum Cæſarem,& ſi Procopio credimus, Iuſtinianū, oleribus leguminibúsq; contētum ſæpe cœnitaſſe,ob religionem.eos item qui initiandi eſſent Iſidis ſacris,dies x parcere carnibus & vino.Quin & Aegyptios feſtis quibuſdam diebus ieiunia ſeruaſſe:id quod & Hebræos adhuc obſeruare animaduertimus. Aquæ quidem aſperſione corporis labem tolli,& caſtimoniam præſtari putabant,præterq; Myſos & Eſſæos,alióſq; qui ob religionē animantib.abſtinebant,vt ſuprà dictum eſt:cœlibémq; vitam agebāt, qui Abij & Anymphi dicti fuere.Conſtat ſacerdotes Matris deûm Samia teſta ſibi virilia amputaſſe,atq; illos qui maxima ſacra obibant,vt in caſta religione manerēt, & procul à mulierū contagio vitam agerēt,herbis quibuſdam euirari,& virilitatē amittere:vtq; nulla niſi ſacrorum maneret cura,nudíq; & vacui religioni ac pietati intēderēt,cunctarum ſe rerum dominio abdicare.quod iure pontificio veteri caueri quidam putant,illis verbis:Ad diuos adeunto caſtè,pietatē adhibento,opes amouento.qui ſecus faxit,Deus ipſe vindex erit. Quam caſtimoniā apud exteros quoq; ſeruatam notauimus.Quippe in Theſmophorijs, matronæ Athenienſes vt Venerem cohiberent,folijs viticis cubilia ſubſternebant. nonnulli garo ex piſciculis,qui ſquamā nō haberēt(quod incendia libidinum reprimere ferunt,& irritos conatus facere venereos)in ſacris vſi fuere: quòd Ageſilaus putabat,deos non minus religioſis operib. quàm ſacrificijs caſtis delectari:quod & Rex & poeta Iudæus ante illū monuerat. Legimus præterea, hierophantas Athenienſium poſtquam in ſacerdotiū cooptati erant,vt caſtè ſanctéq; ſacrū facerent, cicutæ ſorbitione ſe caſtrauiſſe:Aegyptios verò ſacerdotes negotijs omiſſis,mulierib.nūquam indulſiſſe,carnibúsq; & vino abſtinuiſſe.Itémq; Gymnoſophiſtas adeò abſtinentiæ ſtudioſos fuiſſe,vt pomis ſolùm,oriza & farina alerent.In Creta quoq;,vt Euripides teſtat,quos vocabant Iouis prophetas,non modò carnib.ſed ne coctis quidem veſci ſolitos fuiſſe:& Indorum Magos proditū eſt,qui ad ſolis ſacerdotium promoti fuerant,carnib.abſtinuiſſe, & nunquā ſub tecto fuiſſe,ſed lineis velatos ſub diuo vitam egiſſe.Quinetiam obſeruatum antiquis inuenimus,vt qui rē diuinam facturus eſſet,ad ſuas leuandas culpas,ſe in primis reum dicere ſolitum,& noxæ pœnituiſſe,& admiſſa faſſum, vultúſq; ſummiſiſſe,& ad omnem modeſtiam finxiſſe:quod vtinam & hodie perſeueraret in noſtris,inter quos pleriq; nulla reuerētia ac modeſtia ſacra obeunt. Sed & veſtib.ſacerdotes amicti erant ſacris,vt ex Romanis hiſtorijs didicimus, ne nūc Hebræos afferamus.Sed & Platonis verbis videmus:Nam,inquit, in ſacrificijs & celebritatib.pulchra veſte,aureíſq; coronis ornatus ſacerdos rē diuinā facit. Sacerdos aūt qui victimā faciebat,pura in veſte,& candida, plerunq; intextili tela,nec maioris operis quàm menſtruæ,nonnunquam in purpura & auro: triumphales viri,& qui ampliſſimos honores adepti fuiſſent, in triumphi ornatu, aut in prætexta,lotis manib.& fronde coronati,ſancti & venerabiles,nudis pedib.tonſa coma,ad rem diuinam accedebant.idq; iam à Pythagora traditum,ſed à Iudæis Lacedæmonij obſeruarunt,qui nudis pedibus adorandum ſacrificandúmq; cenſuerunt.Sed de nudipedalibus,in Annotationibus dictum eſt. Pura autem & religioſa veſtis dicebatur,vt Feſtus ait,& Seruius, qua rē diuinam facturi feſto vtebant die.ea quidē erat ſoluta omni vinculo,nullis maculis, nec a-

liquo ſquallore obſita, nec funeſta, aut fulgurita. Caper & Hygin. in illos Verg.

Fontemq́ue ignemq́ue ferebant

Velati lino, & verbena tempora vincti.

Quo loco non lino, ſed limo legendum aiunt. Limum enim veſtem fuiſſe dicũt in extremo ſui purpuram limam, id eſt flexuoſam habentem: vnde nomen accepit. Aliqui tamen malunt limbum legere, potius quàm limum. Sanè Aegyptij laneas veſtes in deorum templa non inferebant: hinc & linigeri dicti. Sic ergo inſtructus ſacerdos ipſe, vel præco publicus, ſacra præcedens clamabat: Hoc age. ac voce populum excitabat, virgáq; turbam ſummouebat, quæ commentaculum dicebatur: & ſilentium indicebat, ne mala aliqua vox obſtreperet, néue quid triſte audiretur: & ſacris fauere, & attentos eſſe iubebat. hinc Vergilius ait in tertio, Fida ſilentia ſacris. Vnde & græcè myſteria dicta, ab occludendo ore, id eſt, μύειν τὸ στόμα. licet aliter Phurnutus putet, vt in Myſia Cerere retuli. Hinc etiam dicere ſolebant, Paſcito linguam, teſte Feſto. De ſilentio plura dixi in Symbolis Pythagoræ. Secluſa ſacra dicebantur, quæ Græcis dicebantur myſteria, vt docet Feſtus. initiationes vocat Cicero, Liuius, alijq;. Sunt & qui opertanea ſacra huc transferant, quorum & Plinius meminit, in quibus gallinæ nigræ non videbantur puræ. Dici verò videntur opertanea, quòd ſeorſum ab hominum conſpectu & in operto fierent: vel quòd myſtica eſſent, & ἀπόῤῥητα. In deorum ergo ſacrificijs taciturnitate ac ſilentio opus fuit, & vt intentis eſſent animis. Si enim opus facientem ſacerdos inter ſacra videre contigiſſet, temerari & pollui putabatur. Ideo ei cuſtos dabatur, qui ſacra inſpiceret: & alter, qui linguis fauere iuberet. Propterea etiam & mali ominis verba vitabantur. hinc Seruius lib. 4. Mactat, ait, verbum ſacrorum fuiſſe κατ' εὐφημισμὸν, id eſt per bonum omen dictum, vt adolere. Nam mactare propriè eſt, magis augere. Vergilius,

Mactant lectas de more bidentes.

Quoties enim aut thus, aut vinum ſuper victimam fundebatur, dicebant, Mactus eſt taurus, thure vel vino: hoc eſt, cumulata eſt hoſtia, & magis aucta: id quod & Iſidorus lib. 10. ſcriptum reliquit. Apud Græcos autem ad ſacrificium acceſſurus ſacerdos, hoc primùm præfari ſolitus fuit, τίς τῇδε: hoc eſt, Quis hic? Qui verò intererant ſacris, referebãt, πολλοὶ κἀγαθοί, quod eſt dicere, multi & boni. Quin & illud etiam in ſacris dictum obſeruant ſcriptores, quod & legitur apud Callimachum in hymnis, ἑκὰς ἑκὰς, ὅστις ἀλιτρός. Quod & ſimiliter Vergilius vſurpauit, cum ait:

Procul hinc procul eſte profani.

Nã polluti homicidio, aut humano infecti ſanguine, cæteriq; eiuſmodi, à ſacris arcebantur: néue aras contingerent, aut ſacrificio intereſſent, publicis legibus prohibebantur. Sanè apud Græcos legimus, ſacra quædam ἀβέβηλα nuncupata, in quibus intereſſe profanis haud fas fuerat: vti βέβηλα, ad quæ etiam profani admittebantur. & quia à quibuſdam ſacris mulieres innuptas, aut ſeruitio preſſos, vel ære coemptos abeſſe oportebat, ideo in ſacrorum apparatu lictor præfari ſolebat: Hoſtis victus, mulier virgo exeſto. At in Chæronea ſacerdos lorum tenẽs pro ædibus ſacris Matutæ, id eſt Leucotheæ, clamitabat: Seruum non ingredi, non ſeruam, non Aetolum, non Aetolam. ijs enim ſacrificio adeſſe eo loci non licebat. Apud Magos, qui eſſent lentiginoſi, tãquam deis inuiſi, ab aris ſummouebantur. Item qui elati reuixerant, quibúſq; viuentibus exequiæ factæ fuiſſẽt, velut profani à ſacris propellebantur. Apud Germanos, ijs qui ſcutum amiſiſſẽt in acie, ſacris intereſſe haud licebat: & apud Aegyptios, ſubulcis omnib. templa interdicta fuere. Itẽ menſtruatis Hebræis, & fœtis, poſt XL diẽ, & qui impetigine deformes eſſent. Apud Scythas quoq;, qui hoſtẽ nullũ interfeciſſent in acie, in ſolennib. libare non poterãt: reliqui initiati intereſſe ſacris non prohibebantur. Romani ſacerdotes cũ adorarent, rẽ diuinam facturi, capita velabant: Græci aperto erant capite. Sanè quòd Romani velarent capita, præter Vergiliũ & Plu-

tarchum in Cauſis, ita Feſtus: Saturnij, inquit, dicebantur, qui caſtrum in cliuo Capitolino incolebant, vbi ara dicata ei deo ante bellum Troianum videtur, quà apud eam ſupplicant apertis capitibus. Nam Italici, auctore Aenea, velabant capita: quòd is cum rem diuinam faceret in littore Laurentis agri Veneri matri, ne ab Vlyſſe cognitus, interrumperet ſacrificium, caput adoperuit, atq; ita conſpectum hoſtis vitauit. hoc idem Plut. pluribus, & alia. Seruius verò non Vlyſſem, ſed Diomedem ait, iuſſum Palladium reddere: qui cũ implere pararet, Aeneam ſacrificantem inuenit. hinc Nautes Palladium accepit, atq; inde mos velandi capitis. id quod Helenus Aeneæ prædicit lib. 3. Aeneid.

Purpureo velare comas adopertus amictu.

Macrob. autem in tertio Sat. ex Balbi ſententia, apud aram Maximam obſeruatum ait, ne lectiſternium fieret: vbi etiam aperto capite omnes ſacra feciſſe tradit, quod fiebat, ne quis dei habitum imitaretur: nam ibi ipſe operto capite erat. Varro ait, Græcum hunc fuiſſe morem, vt ſcilicet græco ritu ſacrificaretur in ara Maxima. hoc & amplius addit C. Baſſus, idcirco hoc factum fuiſſe, quia ara Maxima ante aduentum Aeneæ in Italia conſtituta eſt, qui hunc ritum velandi capitis inuenit, vt ſuprà dictum eſt. Scribit Numa in Pontificalibus, Tutulũ vocari pallium, quo ſacerdotes caput tectabant, cum ad ſacrificium acceſſiſſent. hoc idem ad Chalcidium Fulgentius. Vergil.

Et capita ante aras Phrygio velatus amictu.

Quare verò Saturno aperto capite ſacra fierent, vt veritatis cultori, & honori, pluribus Plut. in Quæſtionibus: licet ſint qui ſcribant, ne ſacerdotis animus à ſacris auerteretur, quod & ſuprà tactũ. Dexterã dein ad os ferebat, ſeq; in orbem circũagebat, vt erat à Numa inſtitutũ: de qua in ſacris, quæ diuerſimodè fiebat, vertigine, locupletius in Symbolis diſſerui. Tibicines præterea & citharœdi in ſacrificijs adhibebant, qui præcineret, monerentq; ne aliud ageret, neue exaudiret: quibus & ius fuit in æde veſcẽdi, id quod priſca religione ſeruatũ eſt. Tibiæ verò quib. in ſacris vtebantur, ex buxo fuerant: quæ autem in ludis, ex tibiæ aſininæ oſſe, aut ex argento confectæ erãt. Sed de multiplici tibiarũ genere, in Poetarum hiſtoria ſcripſi, cum de ſcena agerem. Aegyptij in ſacris nõ tibias, ſed cantus adhibuere. Hoſtia ergo ſi maior erat, auratis cornib. plerunq; immolabatur. S.C. extat de ludis Apollinarib. primùm faciendis, quod Macrobius recitat primo Satur. in quo Decemuiris præceptum fuit, vt Græco ritu hoſtijs ſacrũ facerent, Apollini boue aurato, & capris duab. albis auratis: Latonæ boue fœmina aurata. Ludos in circo populus coronatus ſpectare iuſſus eſt. hinc Ouid. ait,

Indutaq; cornibus auro
Victima, vota facit. & alio loco:
——Blandis indutæ cornibus aurum
Conciderant ictæ niuea ceruice iuuencæ.

Iuuenal. Frontémq; coruſcat, dixit: propter ſcilicet cornua aurata. Aſcanius in decimo Aeneid. apud Vergil.

Et ſtatuam ante aras aurata fronte iuuencum
Candentem, pariterq; caput cum matre ferentem,
Iam cornu petat, &c.

Quo loco Seruius: Quæ Ioui cõueniret victima, perbellè exponit. Si minor hoſtia eſſet immolanda, illius de fronde coronabatur, cui ſacra fiebant: laneáq; infula & candida vitta circumdata, ante aras nullo vinculo ligata ſiſtebatur. neq; enim in ſacris vinctum quid eſſe debet, vt notat in 3. Aeneid. Seruius. licet Iuuenalis in duodecima ita ſcribat:

Sed procul extenſum petulans quatit hoſtia funem,
Tarpeio ſeruata Ioui, frontemq; coruſcat:
Quippe ferox vitulus templis maturus & aræ,
Spargendusq; mero, &c.

Et Iſidorus ab aliquibus victimam vocatam tradit, quòd vincta ad aras ducebatur, vt ſuprà dictum eſt. Sed hoc ad ferociam victimæ dictum eſt, dum duceretur: vel vt alij exponunt, referentes ad tempus ante ſacrificium, quo ligatæ fuerant. Scribit enim Seruius, in ratione ſacrorum, quòd par eſt & animæ & corporis cauſa. nam plerunq; quæ non poſſunt circa animam, fiunt circa corpus: vt eſt ſoluere, vel ligare, cùm non poſſit anima per ſe, ex cognatione poteſt. ergo Helenus apud Poetam benè,

Vittaſq; reſoluit Sacrati capitis. Item illud,

Vnum exuta pedem vinclis in veſte recincta.

Quoties quoq; victima reluctabatur, vt dixi ſuprà, oſtendebat ſe improbari. vnde aptè Vergil. in 10.

Et ſtatuam ante aras aurata, &c. & alibi:

Et ductus cornu ſtabit ſacer hircus ad aram. Lucanus,

Diſcuſſa fugit ab ara Taurus.

Hinc & Ammian. hiſt. lib. XXXIIII: Abunde ratus poſt hæc Iulianus proſperitates ſimiles aduentare, complures hoſtias Marti parabat Vltori: & ex tauris pulcherrimis decem, ad hoc perductis, nondum aris admoti voluntate ſua nouem procubuere triſtiſſimi: decimus verò, qui diffractis vinculis lapſus, ægrè reductus eſt, mactatus ominoſa ſigna monſtrauit. Contrà verò apud Senonas: nã lucum ſacrum venerabantur, quem niſi vinculo ligatus ingredi nemo poterat. qui ſi fortè prolapſus corruiſſet, attolli minimè licebat, ſed per humum reptare cõueniebat. In Scythia quoq; Marti ſacrum fieri ſolebat, in quo victima primis pedibus ligata ad aram ſiſtebatur, cui laqueum collo inijciebant, ac baculo circumducto ſtrangulabant, ſine precatione & votis.

Sed & aqua in ſacris adhibebatur. nam & expurgari adeũtes ad ſacra ſolitos aquæ inſperſionibus legimus: in quã torrem ex altari, vbi rem diuinam feciſſet, prius extinxiſſent, quæ Chernips diceretur. Scribit Seruius in 4. Aeneid. quòd qui ſuperis ſacrificabant, abluebantur. Vergil.

Donec me flumine viuo Abluero.

Qui verò deis inferis, aſpergebantur: vt illud,

Spargens rore leui, &c.

Aquam autem Romani de fonte Iuturnæ, qui circa Numicum labitur, in omnibus ſacris adhibebant, vt in XII Seruius ſcribit, inſpergebántq;. Eam verò aquã ſuper terram poſuiſſe, piaculum ac triſte omen erat. Ideo vas lato ore, & fundo anguſto, in quo hauriretur, ne ſtare poſſet, in ſacris adhibebant: quod vas, Donatus & Seruius futile vocant. & de eodem ita Lactantius lib. 8. Theb. Futile, inqt, vas eſt quoddam lato ore, fundo anguſto: quo vtebantur in ſacris deæ Veſtæ, quia aqua ad ſacra in terra non ponebatur: quod ſi factum eſſet, piaculum erat. vnde excogitatum eſt vas, quod ſtare non poſſet, ſed ſi poſitum eſſet, ſtatim funderetur. vnde & homo commiſſa non retinens, futilis dicitur: & contrà non futilis, bonus conſilijs. Licet quidam eruditi, hoc vas cadum etiam & ſcyphum dixerunt: illúdq; manibus tenere oportebat, quod quidẽ Flaminicæ virgines ſacrorũ miniſtræ, aut Veſtalium famulæ, & nonnunquam pueri flaminũ miniſtri, quos Camillos appellabãt, vt dictũ eſt alibi, patrimi & matrimi omnes coronati tenebãt manibus. Ex hac Iuturnę aqua ęgros curari, & bonę valetudini reſtitui, ex Varrone alibi recitaui. Apud Athenienſes verò aqua ſumebatur ex Callirrhoe fonte, magnæ religionis in maximis ſacris, & ſpõſalitijs cærimonijs: in quib. aliã adhibere, nephas habebatur. In Delij Apollinis templo præcipua aqua fuiſſe fertur, ſacrificantium vſui accommoda: quam ad alios vſus hauſiſſe, magni criminis inſtar erat. Græci in ſacrificijs & expiaminib. Eleutheri aquam frequentes adhibebant. Trœzenij, ex Hippocrene: Perſici reges ex Choaſpe, quam peregrè profecturi ſecum etiam ferebãt: Arabum reges ex Euleo, qui ortus à Medis, pręcipuo nitore fluit. Præ cæteris verò Aegyptij, tanti Nili aquam fecere, vt cum hydria ad tem-

ad templum humeris ferebatur, omnes procumberent: & ſublatis manibus, deis gratias agerent, nimirum cum & fluuium ipſum deum exiſtimarēt, Iouem etiam ipſum appellantes, vt in Ioue traditum eſt. Ferunt & Babylonios reges ex Nilo & Iſtro aquas inter gazas condere aſſueuiſſe, vt hoc argumentum ſuæ magnitudinis oſtenderent, cum per tot ſpacia terrarum, tótq; inuias regiones adueherent. Mox ſacerdos Romanus, lanea infula velatus, & fronde coronatus, puráq; veſte indutus, aram manibus tenens (nam niſi manu teneretur, non litari putabatur) ſacra peragebat. Vergil. 4. Aeneid.

Talibus orantem dictis, araſq; tenentem
Audijt omnipotens. Idem libro ſexto,
Talibus orabat dictis, araſq; tenebat.

Aram tamen tangere pellex, lege Numæ vetabatur: ſi tetigiſſet, ſolutis crinibus agnum cædere iubebatur. tum ſacerdos verſus ad oriētem, (matutinū quippe tempus ſacrificijs idoneum exiſtimabant antiqui: nam deos tunc aſſidere tēplis, & matutinis ſalutationibus adeſſe opinabantur: Magorum Perſarum exemplo, quibus mos fuit primo ſemper diluculo deis canere hymnos laudéſq;, Solémq; orientem venerari) meditato & ſolenni precationis carmine, verbis priſcis ex annaliū vetuſtate erutis, numina & deos precatus, vota effundebat: quam precationem plerunq; ter repetebat. Indi verò & Gymnoſophiſtæ in meridie, & vbi multum diei proceſſerat, immolare deis ſolebant. Meridialem, inqt Feſtus, veteres hoſtiam atram appellabant, quam meridie immolabant.

Triſmegiſtus Mercurius cenſuit, vt adorantes medio die ſe conuerterent ad auſtrum, occiduo ad occaſum: ſi verò primùm oriretur Sol, in ortum. Fuit & Apollonij Tyanei opinio, ſummo diluculo cū deis verſari: procedente mox die, de deis loqui oportere. Moſes autem & Hebræi occidentem Solem ſpectare cōſueuerunt. Alibi à me eſt obſeruatum ex Græcis in Pindarum cōmentarijs, ad orientem deis ſacra fieri, heroib. verò ad occidentem. Porphyrius quidē philoſophus, templorū ſtatuas & ingreſſus orientē ſpectare debere ſtatuit, vti adeuntes in occaſum conuerſi, & in ſimulacrorum ora, id eſt, ἀντιπρόσωπον, preces effunderent. Lucianus etiam templa condi ad ſolem orientem veteres conſueuiſſe aſſerit. hinc Vitruuius lib. 4. de ſacrarum ædium poſitione idem ſcribit, vti ædis ſignum quod erit in cella collocatum, ſpectet ad verſpertinam cœli regionem. Sed enim infula, quam dixi, ex lana alba & cocco fuit, inſtar faſciæ, plerūq; lata, nonnunquam tortilis & rotūda: ex qua vittæ, quæ & teniæ dicebantur, hinc & inde diffluebant. Sanè piaculum incepto ſacro committebatur, ſi aliquo modo ſacrificium interrumperetur. quod Vergilius in tertio Aeneid. de Heleno oſtendit, cum ait,

Ne qua inter ſanctos ignes in honore deorum,
Hoſtilis facies occurrat. Idem & octauo,
Audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat, raptóq; volat telo.

Vbi Seruius: Cum ludi Circenſes Apollini celebrarentur, & Annibal annunciatus eſſet circa portam Collinam ingruere, omnes raptis armis concurrunt. reuerſi poſtea, cum piaculū formidarent, inuenerunt ſaltantem in circo ſenē quendam, qui cum interrogatus dixiſſet, ſe non interrupiſſe ſaltationē, ductū eſt hoc in prouerbium: Salua res eſt ſaltante ſene. quod tamen in tertio Aeneid. nonnihil euariat: atq; item Feſtus, qui ſenem illum Pomponium appellat. Porrò & intermiſſione piaculum committebatur, quod alibi notaui, vt in eo Poetæ,

Annua quæ differre nefas.

vbi piaculum fieri ait intermiſſione anniuerſariorum. Sed ſacrificiorum reliqua afferamus.

Principium precationis à Iano & Veſta fieri ſolebat, quæ in omnibus ſacris præcipua numina habebant: de quib. ſuis locis abundè ſum locutus. In votis enī

nuncu-

nuncupandis perpetuam hi meruere præfationem. Et de Iano quidem Fabius Pictor libro primo: Vinum, inquit, & far primus illos docuit Ianus, ad ſacrificia & religionem magis, quàm ad eſum & potum. primus enim aras & pomœria & ſacra docuit, & ob id illi in omni ſacrificio perpetua præfatio præmittitur; farq; illi ac vinum primò prælibatur. Illos tamen qui ad aram maximam ſacrum faciebant, alium quàm Herculem deum aduocare non decebat. Cui verò deo ſacrum fuerat conſtitutum, id moris fuit, vt poſt ipſum reliqui inuocarentur, vt volentes & propitij votis & precationibus adeſſent. Domitianus tamen Mineruã genitricem, & Ant. Heliogabalus ſuum deum præponi mandauerunt. In Peloponneſo Meliſſa nympha, quæ vſum mellis illis dediſſe credita eſt, in ſacrorum præfatione adhibebatur. Sane & cuique Deo ſua carmina, ſuæq; precationes, quas ſacricolarum ſimplicitas nunc orationes & collectas vocat, inſtitutæ erãt, quæ conceptis verbis efferebantur: & ne quid præpoſtere fortaſſe diceretur, aliquis præire ſolitus fuit. id quod ex ſcriptoribus, & in primis Liuio ſæpe notauimus. Sane alij aliter has preces offerebant, & propterea particulam aſcribam ex Arnobij libro ſecundo, aduerſus Gentes: Neque, inquit, quod Magi ſpondent commendaticias habere preces, quibus emollitæ neſcio quæ poteſtates, vias faciles præbeant, ad cœlum contendentibus ſubuolare: neq; quod Hetruria libris in Acheronticis pollicetur, certorum animalium ſanguine numinibus certis dato diuinas animas fieri, & ab legibus mortalitatis abduci, &c. Qui hoc loco Acherontici libri, Aruntij dicuntur à Seruio, vt in Tagete dictum eſt. Precib. peractis, & ritè deis deprecatis, ſacerdos qui rem diuinam faciebat, ſe ad dexteram voluere, & circumuertere ſolebat, manúmq;, priore digito in dictum pollicẽ reſidente, ori admouere: deinde ſedere, velut deis ratas preces habentibus. Galli verò, ſe ad læuam vertere putarunt religioſius eſſe. Sed plura de hac in ſacris vertigine, in Symbolis Pythagoræ recitaui. Græci poſt effuſas preces, manus oſculabantur: quod honoris etiam gratia factitatum, apud Homerum, & alios obſeruaui. id quod nunc eſt in frequenti non ſacrorum modò, ſed & profanorum etiã vſu. Certè & victrices imperatorum dexteras milites deoſculari, ob fortia aliqua facinora ſolitos legimus. Illud præterea quoq; annotaui Romanos factitaſſe, vt fanum aliquod prætereuntes, manum labris & ori admouerent, tanquam deos venerarentur, quòd Deo maximè ſilentium conueniat. Vinum antequam ſacrificulus ſimpullo circumferret, vt aſtantes pariter libarent, tũ ſetas inter cornua victimæ manu excerptas, tanquam prima libamina in ignem mittebat. id quod & Vergilius non ignorauit, cum cecinit in 6. Aeneid.

Et ſummas carpens media inter cornua ſetas
Ignibus imponit ſacris

Mox victimarius obliquum cultrum ferreum, oblongum, id eſt ſeceſpitam, à fronte ad caudam victimæ ducere, & ſe ad orientem vertere ſolebat, quod in ſacrificio habebatur primum. hinc ait Verg. in XII,

Illi ad ſurgentis conuerſi lumina ſolis,
Dant fruges manibus ſalſas, & temporaferro
Summa notant pecudum, paterisq; altaria libant.

& cætera, quæ cum ſumma ſacri cærimonia à Poeta dicuntur. Eſt autem ſeceſpita, gladius manubrio eburneo, rotundo, ſolido, iuncto ad capulũ auro argẽtoq; fixus clauis æneis, ære Cyprio, quo flamines, flaminiſq; virgines, põtificeſq; ad ſacrificia vtebant. Suet. in Tib. Nam & inter pontifices ſacrificanti ſimul, ꝑ ſeceſpita plumbeum cultrum ſubijciendũ curauit. Dicta autem ſeceſpita, à ſecando: auctor Feſtus. Hinc etiam ſeciuum libum dictũ fuit, quod, eodem teſte, ſeceſpita ſecaret. Alij ſeceſpitam ſecurim, alij dolabram æneam & cultellũ putauere, quin & ſcena, ſecuris an dolabra fuerit, ambigitur: quam Cincius in lib. q eſt de verbis priſcis, dolabrã dixit põtificiã. Liuius in Lydio: Corruit quaſi ictus ſcena, haud

haud multo ſecus. quibus verbis videtur ſcena & ſeceſpita eadem fermè eſſe, niſi codices mentiantur. Erat apud Delphos hoc in more, vt cultro quo deis immolabant, de nocentibus etiam ſupplicium ſumerent. Perſæ & Cappadoces nō gladio, ſed ſtipite hoſtias mactabant. Romani etiam interdum malleo. apud Homerum etiam querno trunco. Adeò varia ſacrificandi religio fuit gentib. Quod verò ſuprà primum in ſacrificio haberi diximus, id ita intelligebamus: primam ſacrificij partem fuiſſe deis libare, ſecundam immolare, tertiam reddere, quartā litare. Sanè nec hoc loco prætereundum eſt, libare & litare verba eſſe ſacrorum, & vtrunque à Græcis deſumptum, à λείβω videlicet, & λιτομεῖν. his tamen vt Latinis noſtri ſunt vſi, in hoc differunt, quòd libare, vtcunque ſacrificare eſt, immò leuiter & modeſtè tangere, vt ferè in ſacrificijs ſolemus. hinc & ad alia transfertur. Vergilius,

Oſcula libauit natæ.

Litare verò eſt ritè ſacrificare, & impetrare: id quod ex auctoribus facilè colligimus. Plinius lib. 8. de vitulo: Quamobrem, inquit, victimarum probatio in vitulo, vt articulum ſuffraginis contingat, breuiore non litat. Hoc quoque notatum, vitulos ad aras humeris hominum illatos non ferè litare, ſicut nec claudicante, nec aliena hoſtia deos placari, nec trahere ſe ab aris. Suet. Tranquillus in Cæſare: Dein pluribus hoſtijs cæſis, cum litare non poſſet, introijt curiam ſpreta religione. Vergilius,

Sacriſq; litatis Indulge hoſpitio.

Lucanus Hetruſcum Aruntem inducit:

Neq; enim tibi ſumme litauit
Iupiter hoc ſacrum. Martialis,
Non quæcunq; cadit hoſtia cæſa litat.

Plautus in Pœn. Si Hercule iſtuc vnquam factum eſt, tum me Iupiter faciat, vt ſemper ſacrificem, nec vnquam litem. Nihil enim ſacris mancum, vt antè dictū eſt, nihil monſtroſum conueniebat. nam ſi viſcera pallere, tetriſque maculis ſuffuſa apparuiſſent, ſi iecur tabidum, ſi pulmonum fibræ defuiſſent, ſi ſine corde vel præcordijs victima, non litandum veteres gentium ſacerdotes exiſtimarūt. Hinc ſuccidaneæ hoſtiæ, de quibus iam actum eſt: vnde & litatio dicta, & perlito verbum. T. Liuius libro primo, V. Decad. Quòd caput iecinori defuiſſet, tribus bubus perlitaſſe nequiuit, ſenatus maioribus hoſtijs vſq; ad litationem ſacrificari iuſſit. Præter libo & lito, ſunt & alia verba quibus in ſacris veteres vtebantur: vt lego, vnde & lectæ hoſtiæ, quod & ideo Seruius ait verbum eſſe ſacrorum: & immolo, à mola, qua hoſtia inſpergebatur, vt iam dictum: & ſimiliter macto, & adoleo. Operor item eſt verbum ſacrorum, vnde operata iuuentus à Vergilio, & operatus in herbis. Sunt & alia penè innumerabilia: ſed nos potius de Sacrificijs ſermonem cœptum continuemus. In quocunque ſacro id fieri mos fuit, vt faces adhiberentur ex tædę ligno, quas faces niſi mares ferre fas fuit, aliàs neminem: & igne accenſo ſuper aras (neq; enim ſine igne vllum ſacrificium fieri licebat) tum victimam immolare ſuccinctos miniſtros ſacerdos iubebat: qui victimarij & cultrarij à nonnullis, & popæ dicti ſunt. Quidam & agones vocant. Lactant. in 4. Theb. Sacerdotum, inquit, conſuetudo talis eſt, vt aut ipſi percutiant victimas, & Agones appellantur: aut ſic tenentes cultrum, alter impingat. ideo dicit Statius,

In vulnus cecidere greges.

Quin & victimatores dicuntur: de quibus Vergilius,

Supponunt alij cultros.

Hi autem victimam ſupra verticem, plerunq; infra iugulum feriebant, idq; pro dei vel animalis ratione. Inde quidem nō iugulare, ſed præcluſo ſpiritu victimā necare aſſueuerunt, ne quid de ſacro deperiret, néue quid mancum Deo offerre viderent. Græcis aūt id moris fuit, vt in primo Apollonij interpretes docent, ſi

cœle-

cœleſtibus deis victimam immolarent,ſic hoſtiæ caput ſtatuere,vt cœlum ſpectaret:ſi verò inferis,vt deſpiceret terram. Porrò miniſtris quidem, niſi iuſſi eſſent,mactare non licebat.ideò ſuccincti nutum imperiumúe expectantes, Agon',id eſt Agó ne,dicebant.Senec.lib.3.Partitionum: Belle, inquit, deridebat hæc Aſinius Pollio:Filius,inquit,ceruicem porrigat, carnifex manum porrigat: deinde reſpiciat ad patrem,& dicat,Agon':quod fieri ſolet in victimis. hæc Seneca.Sed & Ouid.1.Faſtor.pulchrè his verſibus oſtendit:

Nominis eſſe poteſt ſuccinctus cauſa miniſter,
Hoſtia cœlitibus quo feriente cadit.
Qui calido ſtrictos tincturus ſanguine cultros,
Semper agátne rogat,nec niſi iuſſus agit.
Pars quia non veniant pecudes,ſed agantur,ab actu
Nomen Agonalem credit habere diem.
Vel quia præuiſos in aqua timet hoſtia cultros,
A pecoris lux eſt ipſa notata metu,

hoc eſt, ἀπὸ τῆς ἀγωνίας. Varro quoq; ab hac voce Agon dictos ait dies Agonales.Succinctos etiam hos ait.vnde & Agonalia,quæ ſtatiuæ feriæ fuerunt, quibus Iano v.Idus.Ianuarij aries mactabatur. Sanè Agonia, quæ & Agonalia dicta fuere,ſacrificia fuerunt,quæ in agonibus,id eſt montibus fiebant. Agonus mons Quirinalis,& porta Agonenſis,porta Collina:Pompeius auctor. Varro à Salijs dici ait Agonia,qui Agonenſes dicerentur. Agonia quidẽ priora Ianuario menſe fiebant,altera verò Aprili,vt oſtendimus in Faſtis. Porro & Agonius deus,præſes rebus agendis fuit,vt Feſtus docet.& dij Agonij apud Platonem fuere,vt in Mercurio notauimus.Sed quòd victimarij ſuccincti dicantur,præter iam dicta & Propertius innuit,cum ait,

Succinctiq; calent ad noua ſacra popæ.

Suet.in Caligula: Aſtante,inquit, Caligula vnus poparum Aelius Spartianus, percuſſit hoſtiam popa,nomine Antonius.Tranſiuit & nomen hoc, vt ſacerdos quoq;,in nomen proprium. M. Cic. in oratione pro Milone,Licinij Popæ meminit.hæc & in Antiquitatib. vidi, eiuſmodi popas victimarios ſuccinctos: inter quos his diebus,vnum peruetuſtum ex ære,quem è ruinis prope viam Flaminiam effoſſum oſtendit mihi Franciſcus Fatinus,noſtræ ciuitatis canonicus. Apud Delphos Hoſioter is dicebatur,qui hoſtiam immolaret,vt Plutar.ſcribit. Quinq; autem Hoſioteres ſacri erant,& cum prophetis multa agebant,& ſimul ſacris operabantur,ſéq; ex Deucalionis genere ortos arbitrabantur. Nicolaus Damaſcenus in gentium Synagoga,quod & Stobæus repetit in Sermone de iuſtitia:In Pædalijs,inquit,gente Indica,non qui ſacerdos eſſet,ſed qui in præſentia haberetur prudẽtiſs.hoſtiam mactabat:nec à deis niſi iuſtitiam rogabat. Sed redeo ad inſtitutum.Interim cæſa victima alij vaſa,vt cruorem exciperent,cadẽti hoſtiæ ſupponebant,quæ propriè σφάγεια dicebantur grecè:alij victimam decoriabant,aliáq; peragebant.mox aruſpex,flamen,aut ſacerdos cultro ferreo viſcera & exta rimabatur,& extiſpicium fiebat,hoc eſt,per exta deos conſulebat, & an perlitatum eſſet attentè explorabat:& tunc exta reddi dicebantur,cũ probata aræ ſupponebantur,vt notat Seruius.Vergil.2.Georg.

Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.

Sunt autem exta,quæ numero plurium tantum dicuntur,licet & extum legatur apud auctores,Celſum & Plin.quæ in victimis interiora extant:vt cor, pulmo, lien,& iecur,quoniam ſuper interiora inteſtina extent. Plin. vno nomine præcordia dici exta,libro trigeſimo Nat.hiſt.dixit.Feſtus:Exta (ait) dicta, quòd ea deis proſecentur,quæ maximè extent,emineántq;.Ab extis diuinationem etiã M.Cic.lib.2.de Nat.deor.factam fuiſſe oſtendit.Idem & in primo de Diuinat. hinc vocati extiſpices,diuinatores per exta,ac ſacerdotes.Idem Cic.2.de Diuin. Artificioſa diuinationis illa ferè genera ponebas extiſpicum. Non. Marcellus

Varro-

Varronem citat:& licet pleræq; nationes extiſpice & aruſpice vterentur: apud Galatas tamen non aruſpex, ſed philoſophus aderat, ſine quo apud eos ſacrum non fiebat. Luſitani, vt ſcribit Strabo in tertio, exta inſpectantes, nihil concidebant, ex lateribus fibras proſpiciebant, et contrectantes ventura coniectabant: ex inteſtinis quoque hominum maximè captiuorum diuinationes captare ſolebant, ſagis velantes. inde vbi plaga infligebatur, ab inteſtinis ſub aruſpice primùm ad hominis caſum vaticinabantur. Veteres quoq; Græci hœdorum, agnorum, vitulorúmq; inſpectis inteſtinis, futura prædicebãt. et hoc quidem Pauſ. Cyprij etiam ex ſuum inteſtinis et extis ariolabantur. ſolus Thraſyllus canum extis vaticinabatur: quod ex eius ſimulachro, quod in Olympia fuit, colligebatur, ad cuius humerum dextrũ obrepere videbatur muſtelus, & canis hoſtia bifariam ſectus, iecúrq; oſtendens penes ipſum iacebat. Obſeruabant & flammã aruſpices, quæ ex crematis victimis edebatur, vt ſcribit Didymus. Item bilem, quomodo humorem eiacularetur. Veſicam prӕterea, ore lana colligato igni imponebant: & quo illa pacto diſrumperetur, & quam in partem lotium fudiſſet, adnotare conſueuere. Colligebantur porrò & ex hoſtiarum cauda vaticinia. nã igni inflexa difficultatem rei indicabat, vel belli: extenſa & deorſum corruens, cladem futuram. Si verò in altũ erecta fuiſſet, victoriæ indicia præ ſe ferebat. Scribit Lactantius in quinto Theb. comment. ſuper ea verba,

Et in nullis ſpirat deus integer extis:

Fuit, inquit, quoddam in extis ſignum, quod Deus appellabatur: quod ſi integrum apparuiſſet, propitium numen oſtendebat: ſin verò dimidium, iratum ſignificabat numen, aut certè non præſens. hæc autem Proſecta exta dicebantur, vt idem ait Lactantius, cum reddebantur inſpecta. verbo ſacrificantium vſus eſt poeta: particulæ enim minutæ membrorum omnium proſecta dicunt in ſacris, quæ inferuntur aris. Lucanus:

—Si pectora pleno
Sæpe dedi, laui calido proſecta cerebro Statius:
Vbi aduerſo dederat proſecta tonanti.

Nonius verò ait: Proſecta, exta quæ aris dabantur, ex fibris pecudum diſſecta. Licinius Macer in Ornithogonia:

Vulgari toſta vapore, Cum virgis proſecta ferunt.

Val. Flaccus tertio Argonaut.

Tunc piceæ mactantur oues, proſectáq; partim
Pectora per medios, partim gerit obuius Idmon.

Hæ quidem ſacrificiorum particulæ videntur etiam Preſiciæ, à præſecando dici. de quibus Arnobius lib. ſeptimo, ridens antiquorum ſuperſtitioſa ſacrificia, his verbis agit: Quòd ſi omnes has partes, quas præſicias dicitis, accipere dei amant, ſuntq; illis gratæ, vel voluptatis alicuius, vel dulcedinis ſenſu, &c. Sed præſtat hoc loco pleraq; eiuſmodi nomina vſurpata in gentiũ ſacris, ſemel commemorare: quæ idem Arnobius his verbis colligit. nam cum de totis & integris victimis egiſſet, ridens: Quid, inquit, ſibi reliqua hæc volunt, Magorum cohærentia diſciplinis, quæ in ſacrorum reconditis legibus pontificalia reſtituere myſteria, & rebus inſeruere diuinis? Quid, inquam, ſibi hæc volunt, Apexabo, iſſicia, ſilicernia, longauo, quæ ſunt nomina & farciminum genera, hircino alia ſanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus? quid tædæ, quid næniæ, quid offæ? non vulgi, ſed quibus eſt nomen appellatióq; penitæ: ex quibus quod primum eſt, in exiguas aruina eſt miculas, at illa minutim inſecta de more: quod in ſecundo ſitum eſt, inteſtini eſt porrectio, per quam proluuies editur, ſuccus perexiccata vitalibus? offa autem penita eſt, cum particula viſceris cauda pecoris amputata. quid polimnia, quid omenta, quid palaſea, ſiue vt quidam cognominant, plaſea? ex quibus eſt nomen omenti pars quædam, quo receptacula ven-

trium circumretita finiuntur. Vobis cauda eſt phaſea, ſiligine & ſanguine delibuta. Polimnia porrò ſunt ea, quæ nos proles verecūdius dicimus, à vulgaribus autem aſſolent cognomine teſtium nuncupari. Quid fitilla, quid frumenti, quid africia, quid gratilla, catumeum, conſpolium, cucubula? ex quibus duo quæ prima ſunt, pultium nomina, ſed genere & qualitate diuerſa: ſeries verò quæ ſequitur, liborum ſignificantias continet. & ipſis enim nō eſt vna eademq́ formatio: non enim placet carnem ſtrebulam nominare, quæ taurorum è coxendicibus demitur, pulpamenta non aſſa, quę in verubus exta ſunt, animata prius & torrefacta carbonibus: non ſalſamina deniq́, quæ ſunt vna commixtio, quadrimis copulata de frugibus: non ſimiliter fendicas, quæ & ipſæ ſunt diræ, quas plebis oratio illa ſolet, cum eloquitur, nuncupare: non ratione eadem ęrumnas, quæ ſunt prima in gurgulionibus capita, quæ deiicere cibos & referre naturæ ſtruminatoribus * ſæculis, non magmenta, non augmina, non mille ſpecies velamen, vel fitillarum, quibus nomina indidiſtis obſcura, vulgóq́ vt eſſent auguſtiora feciſtis. Idem paulo pòſt: Quæ cauſa, quæ ratio eſt, vt caro ſtrebula ſeparatim, ruma, cauda & plaſea ſeparatim, iræ ſolæ, noménq́ ſolum augmentorum adiiciatur in cauſam? Tum ſubiungit exclamans: O deorum magnitudo mirabilis, ô nullis hominum comprehenſa, nullis intellecta naturis: ſiquidem, vt proſint, teſticulis pecudum redimuntur, & rumis: neq́ prius iras atque animos ponunt, niſi ſibi adoleri paratas conſpexerint nænias, offasq́ redemptas. hactenus ex Arnobio. Ad reliqua ſacrorum redeo. Sanè ars aruſpicina hoc etiam habebat, vt & thuris motus, & crepitus, & fumi agitatio, & flexus aruſpex ipſe colligeret: quoniam hæc primum ſigna aut teſtabantur extorum promiſſis, ſi bona fuiſſent: aut ſi contrà, refringebantur, vt teſtatur liber de Thuris ſignis. hæc Lactantius in quarto Theb. Illud etiam obſeruandum, quod pluribus contendit Arnobius, thus in ſacris non eſſe rem vetuſtam, ſed nouellam. nam neq́, ait, temporibus (vt perhibetur) heroicis quidnam eſſet thus, ſcitum eſt: neq́ genitrix et mater ſuperſtitionis Hetruria opinionem eius nouit, aut famam. Mox neq́ Romulum nouiſſe, neque Numam oſtendit: quod ex Apuleio ipſe etiam alibi docui. Extis porrò inſpectis, ex omni viſcere & membro primitias partéſq́ deſectas farina farris inuoluêre, & in calathis ſacrificanti offerebant: & tunc hoſtia perfecta dicebatur. Has ſacerdos aris imponēs accenſis, igne comburebat. hoc enim in omni ſacrificio ſeruabatur, vt de ſingulis oblatis, aut Deo immolatis, particulas tanquam libamina adolerent: in ignem mittebāt, addito igni thure & coſto, aliiſq́ odoramentis, prout ſacrum ferebat, & ritus. Illud etiam notauimus, quòd in maritimis ſacrificiis exta in fluctus iactabantur. vnde illud,

Porricit in fluctus. Silius in XVII,

Cui numen pelagi placauerat hoſtia taurus,
Iactaq́ cæruleis innabant fluctibus exta.

Sanè exta veru aſſa apponebantur. At verò arietis, non veru cocta, ſed elixa in olla, apponebantur: aliàs ritu præpoſtero ſacrum peractum cenſebatur. Varro de ling. Latina: Hæc ſunt, ait, quorum in ſacrificiis exta in veru coquuntur, quas & Actius ſcribit, & in Pontificiis libris videmus. Scribit Arnobius in ſecūdo, vbi de cærimoniarū mutatione agit: Cùm, inquit, Romulo Pompilióq́ regnantibus, percocta planè ac madida cremarentur deis exta, nónne rege ſub Tullo ſemicruda cępiſtis, & leuiter cremata porricere, priſca obſeruatione cōtempta? tantum Arnob. At verò in hoſtiis eam dicabāt Aruigem, quæ cornua habebat: quoniā is cui oui mari teſticuli dempti, & ideo vt natura verſa veruex declinat: ſed etiam coxas cum inguinibus cniſſa, quam & cniſſarion dicebāt, id eſt adipe operientes comburebant. κνίσσα enim propriè in ſacrificiis nidor, euaporatio & aruina dicitur. Hinc Lucianus de Sacrificiis, ἀναφερομένην κνίσσαν, id eſt inſurgentem nidorem, vel aſcendentem, dixit: quod & κνισσάριος vocatur. cenſebatur enim

enim hęc pars precioſa pręcipuè, & propter inceſſum, & quia inde ſemen genitale deducitur. Sic victimarum quidem viſcera, licet nunquam abluta, elixa per ſeſe fiebant: vinúmq; aris poſtea fundebatur, & tunc Porrici hoſtia dicebatur: de quo verbo in ſacris vſurpato Macrobius in Sat. Ex quo emanauit illud, Inter cæſa & porrecta. M. Tullius ad Atticum: Ne quid, inquit, inter cæſa & porrecta, vt aiunt, oneris mihi addatur, aut tẽporis. Meminit & Varro de ling. Lat. & ego de Annis, menſibus, &c. & Eraſmus in prouerbiis. Ex reliquis autẽ hoſtiæ partibus ſeu membris cœnam apparabant, quibus, qui ſacris interfuiſſent, veſci licebat. De quibus ex legis præſcripto ad domeſticos portiunculam afferre, & impartiri fas fuit: extraneos adhibere nefas fuit. id quod & Hebræis præceptum erat. Veſcebantur verò ſtantes, cùm panibus rotundis, in deorum honore adhibitis. nam in ſacris ædibus ſimul epulari & ſacrũ fieri obſeruatum eſt: menſæ enim in templis ararũ vicem prębebant. Sed quoniam niſi peracto ſacrificio eò veſci licebat, illud ideo prouerbio iactatum eſt, Haud immolata ſacra ſępe deuorat: in intemperantes, & ventri deditos. quales apud Hebræos fuere Heli filij, quorum nota eſt hiſtoria. At Aegyptij ſacerdotes immolata victima caput abſcindebant, illúdq; diris & carminibus execrati, in flumen deiiciebant, cũ ſolenni precatione: vt ſi quid aduerſi eis immineret, in caput illud redũdaret. Sed plenius de omni hoc ſacrificandi ritu Aegyptiorum paulo pòſt agam. Apud Græcos ex cæſa victima nonnunquam, capite & ventre excepto, cætera dabantur deis, lingua verò præconibus. Deis, qui iucundi ab aliquibus, ab aliis placidi & mites Latinè nuncupati ſunt, à Græcis θεοὶ μειλίχιοι, ſacra nocturna fieri ſolebant apud Myoneam vrbem, in montis excelſi vertice, in quibus omnes hoſtiarum carnes ante ſolis exortum abſumi oportebat. Nunc & ex qua materia in ſacris ignis faciendus eſſet, aliquid dicendum eſt. Nam & in hoc religioſam vetuſtatem fuiſſe videmus. In ſacris ignem ex olea, lauro, vel craſſioris corticis quercu, aut cuius caudex cauus fungoſúſque foret, accendere, vel adolere nefas fuit. Hæc etenim ligna ominoſa ſunt, & deteſtata: quem ignem in ſacris ſubdita face accendebant, eum partim ex fumo quos globos volueret, quantúmve ſe attolleret, vt paulo antè dicebam: partim ex flamma, ſi lucidior, aut obtuſior, & qua ſpecie foret, ij qui Capnomantes dicebantur, plerunque obſeruabant. ſuperſtitioſum id quidem. Si autem extincto & mortuo carbone ſacrificaretur, neglectæ religionis ſignum, & pernicioſum putabatur. Perſis ligna arida dempto cortice ſacrificio apponere mos fuit, oleúmq; ſuperfundere, & pinguem aruinam. Et hoc locupletius, vbi de Perſarum inſtituto ſeorſum agam. Elienſes alba populo in ſacris Iouis ſemper vſi fuere, ex quo Hercules Ioui ſacrificanti eam attulit. Apud Siculos in colle Vulcanio, iuxta ſtagnum, dum ſacrum fieret, ſarmentorũ faſces ſuper aras ſponte ignem concepiſſe, & nullo flante anhelitu incendium feciſſe fabulati ſunt. ſicut de Seleuco proditũ eſt, qui cum Ioui in Pella victimam immolaret, ligna aris impoſita vltro arſerunt: & de Egnatia nympha inter nymphas iam retuli. Seruius in XII. Aeneid. ſuper ea poetæ verba,

Qui fœdera fulmine ſancit.

poſt alia, Certè (inquit) quia apud maiores aræ non incendebantur, ſed ignem diuinum precibus eliciebant, qui incendebat altaria. Vt minus mirum ſit, quod de Ioue Elicio legimus. Sanè & ad faciẽda fœdera, vt Seruius idem docet, aqua & ignis adhibebantur. Vnde & contrà, quos arcere volebant à conſortio, eis aqua & igni interdicere ſolebant: id eſt, rebus, quibus conſortia copulabantur. Sed & in captandis auguriis ſacerdotes prius, & aruſpices, qui nunc (inquit Plutarchus in Problem.) augures, luminaria ſemper aperta habere voluerunt, nec operculo impoſito claudi. rationem pluribus ille & cauſam affert. Apud Scythas verò, cum ſacrum Marti fieret, hoſtiarum carnes oſſibus ipſarum adurebantur. Luſitani ignitis lapidibus ſacrificiorũ carnes coquere ſolebãt: iidem ex immolata hoſtia, vt paulo antè dixi, nihil concidebant, ſed extis tantummodo per-

ſpectis vaticinabant̃. Iaſides, licet ex omni incẽderent aras, ſpinas tamẽ aſparagi, aut ſtramina in ſacris cremare nefas habebãt. Thiſetæ, & Argyni, oſſa victimæ tantum in ignem mittebant, & deflagrabãt, ipſi carnibus veſcebantur. Sanè ſolebant partes de immolatis victimis dare præſentibus, & abſentibus mittere, quæ μερίδες à Græcis dicebantur, & Miſſa interdum à Latinis. Strobula, inquit Feſtus, Vmbrorum lingua appellabãtur partes carnium ſacrificatarũ. Non hoc loco reticuerim, quod eſt ab Iſidoro proditum libro XI. Sacra ſpina eſt, inquit, vna pars ſpinæ, quam Græci ὀσονιόφύλας vocant, id eſt os ſacrum, quoniam primum infante concepto naſcitur: ideóq; & hoſtia id primum deis ſuis dabatur, vnde & ſacra ſpina dicitur. hæc ille. Apud Lacedæmonios in publica viſceratione primi Reges fuere, quibus duplum quàm cæteris dabat̃, priuilegióq; honoris præter libamina immolatorum quoque animalium coria. Delphis id moris fuit, vt immolantes victimas excluſis cæteris, veſcerentur, ad quam extraneos admittere nefas erat: cõtrà in ſacris Hecates, qui ſacrum fecerat, de ſacrificio veſci non licebat, quod & Plutarchus in Sympoſiacis teſtatur. De cœna quæ huic deæ in triuiis apponebat̃ à gentibus, ſuo loco, hoc eſt in Hecate, planè ſcripſi. In epulo Iouis, quod in Capitolio ſeptemuiri Epulonum celebrabãt, Iupiter in lectulum, Iuno, & Minerua in ſellas ad cœnam inuitabãtur. ex quo illud colligit Valerius Maximus, quòd viri antiquitus in lectulis duntaxat, mulieres verò in ſellis diſcumberent. Porrò inter veſcendum victimarum carnes, laudes deis canere tam Latini quàm Græci ſolebant, his quibus ſacrificium factum fuiſſet: quod apud Vergilium de Hercule diligenter obſeruatum videmus. nam & pſallere in numerum, & hymnos canere, chorúmq; agere apud auctores veteres conſueuiſſe annotamus: tum etiã ſaltantes à læua dextrorſum, mox à dextera læuorſum choream ducebant. Erant & diuerſa hymnorum genera, de quibus in primo de Poetica & poetarum hiſtoria Dialogo pluribus egimus, quæ hic non eſt vt repetamus: illic enim ex Græcis & Latinis ſcriptoribus recenſuimus. Scribit Plutarchus, ſuo tempore Romanos peractis votis deos deuenerari, & in templis ſedere ac permanere cõſueuiſſe: Re demum diuina, & cerimoniis peractis, ſacerdos I LICET proclamabat, quaſi eos diceret iã abire licere, qui ſacris interfuiſſent. Græcis verò & Aegyptiis id concinebatur, quod Apuleius oſtendit in ſua Metamorphoſi, λαοῖς ἄφεσις, hoc eſt populis miſſio. vnde & nòſtri, Miſſam hoſtiam eſſe concinunt. Atq; hactenus quidem de ſacrificiis in vniuerſum.

DE INFERORVM SACRIFICIIS.

CAeterùm hac parte huius ſyntagmatis de inferorum victimis ac ſacrificiis agere propoſui, tametſi in noſtro de Sepulchralibus & vario ſepeliendi ritu pleraque ſum complexus: Operis tamen ratio requirit, ne eam hoc loco intactam relinquamus. atq; ab hoc exordiar: Antiquorum fuiſſe ſententiã, viuos ſuperorum deorum eſſe, mortuos ad deos Inferos pertinere. iuxta quam opinionionem locutus eſt Poeta libro vndecimo Aeneid.

Nos iuuenem exanimem, & nil iam cœleſtibus vllis
Debentem, vano mœſti comitamur honore: & idem in XII,
Vos ô mihi manes
Eſte boni, quoniam ſuperis auerſa voluntas.

Superis ſiquidem omnia deberi putabant antiqui, donec viuerẽt: ideo, quia (vt dicunt phyſici) cum homo naſcitur, ſortitur à Sole ſpiritum, à Luna corpus, à Marte ſanguinem, à Mercurio ingenium, à Ioue deſiderium, à Venere cupiditatem, à Saturno humorem: quæ omnia ſingulis extinctos reddere exiſtimabant. At nos hæc mittamus, qui Deo tantum debemus quicquid ſumus: rideamúſque has ſapientum ineptias, & vanam religionem. Romanis conſuetudo fuit, vt

polluti

polluti funere, non ſacrificarent ſuperis. Si tamen contingeret,vt vno eodémq; tempore & funeſtaretur quis, & cogeretur dare operam ſacrificijs,laborabat ille,vt antè ſacra compleret,quam funus agnoſceret. Vnde et Horatius Puluillus in Capitolij dedicatione, cum ab inimicis filius extinctus nunciaretur, ait, Cadauer ſit: nec voluit funus agnoſcere,donec templum dicaſſet,ne ſacrum intermitteret. Iuxta quem morem & alias habemus hiſtorias. Sed & poeta Maro ita Aeneam inducit:

Aeneas, inquit, *quanquam ſocijs dare tempus humandis*
Præcipitant curæ,turbatáq; funere mens eſt,
Vota deûm primo victor ſoluebat eoo.

Quin etiam qui de pietatis generibus ſcripſerunt,primum locum in ſepultura eſſe voluerunt. Vnde cũ pontificibus nefas eſſet cadauer videre,magis tamen nefas fuit,ſi viſum inſepultum reliquiſſent. Vnde etiã genus ſepulturæ fuit, pulueris vel glebæ iniectio,vt in Sepulchralibus copioſe retuli. Verumenimuerò iam ſacra defunctorum inſtituta exponere exordiar. Scribũt interpretes Apollonij in primo Argon. cum ſepulchrum Dolopis Mercurij filij interpretantur, quòd mortuis in occaſu ſolis iuſta peragebantur, cœleſtibus verò in ſolis ortu: Entomáq; mortuis iugulari, quibus capita amputarent. alij ἔντομα dicunt, quòd quæ generare non poterant, mortuis ac inferis dicarentur: veluti deis cœleſtibus, quæ eſſent cum teſticulis & coleata: hoc eſt, ἄγονα τοῖς ἀγόνοις, ἔνορχα δὲ τοῖς οὐρανίοις. Itaq; victimarum capita ſtatuebant,vt ea in terrã conuerſa haberent. quod copioſius in commentarijs Apollonij legitur, et Phauorini. Sed iam par eſt,vt ſacrum deis infernis apponam, quod à peritiſſimo ſacrarum cærimoniarum vate libro ſexto Aeneid. deſcriptum eſt. ita enim ille:

Quattuor hic primum nigrantes terga iuuencos
Conſtituit,frontíq; inuergit vina ſacerdos,
Et ſummas carpens media inter cornua ſetas,
Ignibus imponit ſacris libamina, prima
Voce vocans Hecaten, cœlóq; hereboq; potentem:
Supponunt alij cultros, tepidúmq; cruorem
Suſcipiunt pateris: ipſe atri velleris agnam
Aeneas matri Eumenidum,magnæq; ſorori
Enſe ferit,ſterilémq; tibi Proſerpina vaccam.
Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras,
Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis,
Pingue ſupérq; oleum fundens ardentibus extis.

Atque hæc quidem poeta, in quibus illud in primis obſeruandũ videtur,ipſum poetam vſum eſſe ſummo artificio & verborum proprietate. primùm atri coloris iuuencos,tum vina inuergit ex ritu ſacrorum: quippe fundo, vergo, & inuergo,verba in ſacris fuerunt. de quibus ſic obſeruant periti, vt Fundere ſit ſupina manu libare,vt in quarto Aeneid.

Media inter cornua fundit.

quod fiebat in ſacris ſuperûm. Vergere verò, ſeu Inuergere, conuerſa in ſiniſtrã partẽ manu ita fundere, vt patera conuerteretur: quod in infernis fiebat,qua infuſione ſi victima non ſtupuiſſet,apertè probabatur. Statius libro ſexto Theb.

Spumantéſq; mero pateræ verguntur, & atri
Sanguinis, & rapti gratiſſima cymbia lactis.

Tum & illud etiam notandum,ex cærimoniarum inſtituto, quod ait,& ſummas ſetas inter victimæ cornua carpſit, & igni impoſuit: quod etiam antè annotaui. Illud quoq; non prætereundum,quod ait,Voce vocans Hecaten: quod propriè dictum eſt, non verbo,& quibuſdam myſticis ſonis. nam in huiuſmodi ſacris variè nomina inuocabantur,quod apertè Lucanus expreſſit:vt,

Latratus habet illa canum,gemitusq; luporum,
Quòd ſtrident, vlulantq; feræ,quòd ſibilat anguis,
Exprimit & planctus,fractæq; tonitrua nubis:
Tot rerum vox vna fuit.

Sed & illud non ſimpliciter à Vergilio dictum, Supponunt cultros alij: ex eadem diſciplina prolatum eſt. nam dum victimas cæderent,ſeceſpitam, id eſt cultrum ſuperponebant.ſicut & illud,Inchoat aras:quod, vt Seruius ait,verbum ſacrorum fuit,& perficere denotabat.

Sanè in fine ſacrorum illud etiã dicere alta voce ſolebant, SALVE AETERNVM, VALE AETERNVM. quod & poeta Vergilius in Pallantis funere Aeneam protuliſſe ait,

Salue æternum mihi maxime Palla, Aeternúmq; vale.

De quibus verbis Varro in Logiſtoricis ait, ideo mortuis Salue & Vale dici, non quòd valere, aut ſalui eſſe poſſint: ſed quod ab iis recedimus, eos amplius nunquam viſuri. Hinc etiam ortum ait Seruius,vt etiam maledicti ſignificationem interdum Vale obtineant. vt Terentius, Valeant qui inter nos diſſidium volunt:hoc eſt,ita à nobis diſcedant,vt nunquam ad noſtrum reuertantur aſpectum. Ergo ea ratione Vale mortuis dicebatur, quaſi à nobis recedentibus. Porro & Statius lib. v.Theb.Archemori exequias deſcribit,qui item in quarto Tireſiam inducit ferale ſacrum facere.ita enim canit:

Tum fera cæruleis intexit cornua ſertis,
Ipſe manu tractans,notæq; in limine ſyluæ.
Principiò largos nouies tellure cauata,
Inclinat Bacchi latices,& munera verni
Lactis,& Actæos hymbres,ſuadúmq; cruorem,
Manibus aggeritur,quantum bibit arida tellus.
Trunca dehinc nemora aduoluit,mœſtúſq; ſacerdos
Treis Hecatæ, totidémq; ſatis Acheronte nefaſto
Virginibus iubes eſſe focos.tibi rector Auerni,
Quanquam infoſſus humo ſuperat tamen agger in aruis
Pineus,hunc iuxta tumulo minor ara profundæ
Erigitur Cereri,frondéſq; atq; omne cupreſſus
Intexit plorata latus, iámq; ardua ferro
Signati capita, & frugum libamine purò
In vulnus cecidere greges.

Quo loco Lactantius quędam his ſacris cõuenientia,quæ ipſe miſſa facio.Item quæ Silius Italicus libro XIII Punicorum, vbi Scipionem inducit ſimiliter patri apud Auernum huiuſmodi ferale ſacrum peragere, Autonoe Grynea phœbade monente.Ita enim canit, ne Græcos nunc inculcem:

Inducit iuuenem,ferróq; cauare refoſſam
Ocyus vrget humum, atq; arcanum murmur anhelans,
Ordine mactari pecudes iubet. acer opertò
Ante omnes taurus regi:tum proxima diuæ
Cæditur Enneæ caſta ceruice iuuenca.
Inde tibi Alecto,tibi nunquam læta Megæra
Corpora lanigerûm procumbunt lecta bidentum,
Fundunt mella ſuper,Bacchiq; & lactis honorem.

Sed iam ad alia,quæ dicenda reſtant,properemus.

Romæ in cãpo Martio Terenti locus fuit, vbi Ditis & Proſerpinæ ara fuit.locum quidam dictum volunt, quòd ibi Tiberis tereret. Quin & ideo Tiberim ipſum Rumonem & Serram vocatum fuiſſe ait Seruius, quaſi ripas ruminans & exedens

exedens. & in aliqua etiam vrbis parte Tereotus dictus, eò quod ripas terat. In hoc ergo loco Inferis deis ſacra fiebant, & à loco denominati Terentini inſtituti, de quibus plura ſcripſi in noſtro de Annis et menſibus. cū enim multa portenta fierent, & murus & turris qui erant inter portā Collinam & Exquilinā, vel vt alij dicunt Gabiuſam, de cœlo tacta eſſent, ideóq; decemuiri Sibyllinos libros adiiſſent, & renunciatum eſſet, vt Diti patri & Proſerpinæ ludi Terentini tribus noctibus in campo Martio fierent, & hoſtiæ furuæ immolarentur: Terentus, inquit Feſtus, locus fuit in campo Martio, quo in loco ara Ditis patris in terra occultabatur. hinc et ludi Terentini. Auſonius poeta:

Trina Terentino celebrata trinoctia ludo. Stat. Papinius in Syluis,

Aut inſtaurati peccauerit ara Terenti.

De hac etiam ara Val. Max. & Cenſorinus, & alij. ad hanc ter annis ſingulis acceſſum placandis Manibus patere. idq; ideo mundū patere dicebatur, poſt ſcilicet Vulcanalia, & menſe Octobri & Nouēbri: quod fuit III. Cal. ſeptēb. & IIII non. octobris, & III idus nouemb. id quod etiam ex Feſto alibi recitaui. Cùm autem in Italia humanis capitibus prius Ditem placarent, mox ab Hercule moniti hominum ſimulachra pro victimis dederunt. Obſeruatum quoque fuit, vt ſterilibus iuuencis & pecudibus, ac vino & melle, lacte & ſanguine Diti ſacra fierent. tametſi in inferiis vina Numæ lege libare vetitum fuerit aliquando, iuxta illud, Vino rogum ne reſpergito. Et aras quidem Inferorum, quæ plerunq; geminæ fuerunt & pares, quas nigris vittis aut cęruleis ornabāt, & cupreſſo: cúmque pecudes immolarent, ſpirantem cruorem in effoſſam terram mittere ſolebant, & vinum & lac & mel vnà infundebant, ſeu potius (vt dictum eſt) inuergebant, viſceráque cæſæ victimæ ter circum aras ducebāt, igne accenſo. Hoc piaculari ſacro inferos euocari arbitrabantur. Inualuerat etiā mos, vt infernis deis ſacra facturi pares victimas, eáſq; ſiniſtra immolarent: & cum manes expiandi eſſent, pocula libarent, aut in ſepulchrum conuerſa manu inuergerent. In his ſacris litaſſe, piaculum fuit. Nigras, vt dictum eſt, hoſtias immolabant, & vina ſpargebant: quinetiam & vaſa in ignem immittere ſolebant, & viſcera igni impoſita oleo conſpergebant, vt facilius cremarentur. Nam cum Diti ſacra exhibebant, omnia ſimul in eis abſumi & perdere volebant. Ligna è ſepulchris eruta atro igni apponebant. Neque oriente luce ac ſole, vt deis ſuperis, ſed vel noctu, vel poſt meridiem, decreſcente die, hoſtiam mactare fas fuit, capite eius ita conſtituto, vt terram, non cœlum ſpectaret, quod & iam antè dictum eſt. Nec in huiuſmodi inferorum ſacris corpus abluebat, qui ſacrum peragebat: ſed lotione omiſſa, ramo tantūmodo leuiter inſpergebat. Eſt Fabij Seruiliani Pontificis Maximi diſciplina traditum, vt atro die manibus parentare non liceret, ne infeſti Manes fierent: quia atro die nec Ianum, nec Veſtam præfari licebat. Fuit etiam illud parentationis genus à pontificibus ſancitum, quod fuit per iniectionem pulueris, aut glebæ, quo cadauer inhumatum expiabatur: qua de re ſuprà, & in Sepulchralibus abunde. quo loco & de Libitina & libitinariis, déque Epitymbia Venere, omníque ſepeliendi ritu ſcripſimus: quæ inde, ſi vacat, repetenda ſunt. Fuerunt & apud Romanos defunctorum piamina, Februa appellata, quòd Sabinorum lingua februum purgamentum ſignificaret: vel, vt alij volunt, à feruore, quoniam adolendo & flammis feruentibus fierent. Vnde & Februarius menſis, de quo abundè dixi in libro de Annis, menſibus, &c. eo enim menſe populus februabatur, id eſt purgabatur. per XII enim dies februa celebrabantur, híſq; diebus pro impetrāda mortuorum animabus quiete omnis populus piaculis ſacrificiíſque circa ſepulchra accenſis facibus cæreíſque intentus erat. hæc Feſtus. Fuit & antiquis ſilicernium, vt Donatus ſcribit. Cœna & deis manibus inferebatur: vel quòd eam ſilentes cernant vmbræ, id eſt vmbræ poſſideant: vel quòd qui inferunt, cernant, ſed non deguſtent. nam de his quæ libantur inferis, quiſquis ederit, vel biberit, funeſtabatur: aliter licet

Feſtus & Nonius tradant. hic quidem, funebre conuiuium ſilicernium ait: ille, farciminis genus quo funeſta familia purgabatur. Silicernij meminit Terentius, Cecilius, & Varro. Legimus apud Eleos, Plutonis templum fuiſſe, quod ſemel tantum patefieri ſolebat: & quamuis pateret, nulli tamen introire licebat. Sicyonij quoque ſemel quotannis Eumenidum, prope Aſopum fluuium, diem & ſacrũ peragebant. Ad hæc & Græcis id moris fuit, vt paucis à morte diebus feralia ſacra impenderent. Idq́ obſeruatum, vt corpore reliquo cremato, plerunq́ digitum, membrúmue, aut capillos ſeponerent, quibus tanquam cadaueri iuſta perſoluerent, ac parentarẽt. Fuit & ἐγκνισμα apud Argiuos ſacrificij genus, quod defunctis exhibebatur. nam cũ aliquis cognatorum aut familiarium defunctus fuiſſet, ſtatim poſt luctum Apollini ſacrificabant: poſt verò trigeſimum diem Mercurio. mortuorum enim corpora vt à Tellure, ſic animas à Mercurio ſuſcipi putabant. Apollinis autem ſacerdoti hordeum dantes, carnem pro eodem accipiebant, ignémq́ quaſi pollutum extinguentes, & rurſus accendentes, carnem coquebant: quod ſacrũ Encniſma appellabant. Plutarchus auctor in Prob. Philoſtratus in Heroicis, in Neoptolemo ſacrum & inferias ſcribit, quas Theſſali ad Achillis ſepulchrũ peragebant: quos vt legas moneo. Ego, ne in immenſum creſcat Opus, huiuſcemodi multa prætereo, & præcipuè ex poetis, Homero, Apollonio, aliis. Porrò varia ac diuerſa parentationũ genera apud diuerſas nationes fuere, vt copioſe oſtẽdi in Sepulchralibus. Hic addam, quæ in illo nos tum præteriere. Platæenſes manibus peremptorum ciuium dabãt inferias, præcedente tibicine, vehicula lauro & myrto fuſca cum coronis ſequebantur, tum lactis, vini & olei libationes ſuccedebant. mox Princeps intus purpuram, ſeruis eiectis, taurum ante pyram immolabat: Iouémq́ ac Mercurium deueneratus, eorum matres qui pro patria occubuiſſent, ad cœnæ epulas conuocabat, cratere libans vinum, idq́ ſe defunctorum Manibus propinare affirmabat, atque ita apud eos fiebat expiatio. Longior ſim, ſi in perſoluendis inferiis funerum propria cuiuſq́ nationis aut gentis inſtituta, cærimoniáſq́ perſequi velim. Lemuria, quæ ab aliquibus Lemuralia dicuntur, Romani deis inferis inſtituerunt, ad placandos in primis Remi manes. Vnde & quidam Lemuria, quaſi Remuria dicta putauere, vt ait Porphyrion. Sed ipſe de Lemuribus in Dæmonũ Syntagmate diſſerui. Nunc id tantum addam, quòd dum celebrabantur inferiæ, deorum ædes clauſæ iacebant. in Lemuralibus quidem fabam noctu iacere ſolebant, Lemures ſe ex domo eiicere clamantes: quam tamen fabam nigram eſſe oportebat, ipſamq́ lotis manibus & pede nudo per ora verſare, & poſt terga reiicere, æríſque tinnitum facere, vtq́ Lemures fabis redempti domo abirent, nouies orare: idq́ Maio menſe tribus noctibus fieri, donec ſolutis religione animis, Manes expiatos ducerent. In parentalibus aſſumere fabas, vſus obtinuit: ſicut in peruigiliis cicer, & ad ferales cœnas lentéſq́ & offas ad ſepulchra illorũ ferre, quibus parentare ius erat, quæ & feralia à ferendis epulis dicta putãtur, vt ait Feſtus: ſeu à ferendis pecudibus, quas in defunctorum ſepulchris ſuper nuda ſilice apponebãt. in his cœnis præter legumina & apium quoq́ apponi ſolitum obſeruaui, quòd contra ebrietatem facere exiſtimetur. Ouidius certè oſtendit ſacra feralia & parentalia non multum precioſa requirere. ita enim ait:

Eſt honor & tumulis animas placare paternas,
Paruáq; in extructas munera ferre pyras.
Parua petunt Manes, pietas pro diuite grata eſt
Munere, non auidos Styx habet ima deos.
Tegula porrectis ſatis eſt vallata coronis,
Et ſparſæ fruges, paruáq; mica ſalis.
Inq; mero mollita Ceres, violæq; ſolutæ,
Hæc habeat media teſta relicta via. Et idem mox:

Hanc

Hanc quia iuſta ferunt dixere Feralia lucem,
Vltima placandis Manibus illa dies.

Sed quoniam Feralia prima breui hoc loco effertur, ego piaculare poſui eo libentius, quòd bene doctus amicus aſſeruit codicē ſe vidiſſe, qui ita habet. Præterea in funeralibus libatio duabus rebus expediebatur, vt ſcribunt Lactantius & Seruius, vnde Vergil. ait,

Duo lacte nouo, duo ſanguine ſacro:

quòd alterum eorum alimonium ſit vitæ retinendæ, alterum virium continendarum, quia vita hominum his rebus viuatur. eámq; propterea ſepulturæ commendare ſolebant, vt ſocietate parta curationis lucis amiſſæ poſteritas defectionis honoretur. Vnde & flores ſparguntur in honorem mortuorum. Vergil.

Purpureos ſpargam flores.

Quin & defunctorum vmbris, coronis, frugibus ſparſis, micis ſalis, vino, violis & floribus, vt etiam Ouid. in Faſt. teſtatur: ſed & epulis, vt dictum eſt.

His à me ſic expoſitis, videor operæprecium facturus, ſi ſeorſum aliqua aſcripſero, vt quàm variæ fuerint & diuerſæ gentium cærimoniæ in ſuis placandis & adorandis numinibus, intelligas. Atq; ab Aegyptijs exordiar: de noſtris enim, id eſt Chriſtianorum, & de Hebræorum ſacrificijs, à principio libri ſum profeſſus, me nihil niſi parergôs allaturum.

Igitur Aegyptiorum mos fuit, antiſtitem in ſuis ſacris Pontificē habere, apud quem reliqui ſacerdotes initiarent̄, non ſigillatim cuiq; deorū quos Aegyptus colebat, ſed ſimul & gregatim. primus verò eorum Pontifex dicebatur, quem penes ſumma fuit rerum ſacrarum. is vbi defunctus erat, in demortui loco filius ſurrogabatur. id quod etiam Hebræis diuina lege præceptum fuit. Aegyptij ergo ſacerdotes, cùm alias hoſtias, tum boues explorabant, an eſſent idonei ad ſacrificia, qua lingua eſſent, quos pilos in cauda haberent, & alia inſuper quædam ſigna obſeruabant, vt Herodotus ſcribit: quæ ſi affuiſſent, & munda eſſent, cannabo alligabant cornua, & ſphragitide terra ſigillum imprimebant. alijs enim victimis, niſi prius ſic ſignatis, in re diuina qui vterentur, pœna capitis tenebantur. Talem verò ſacrificandi ritum habebant. Pyra ante aram ſtatuebatur, in quà immolata hoſtia adolebatur: dein libato vino ſupra pecudem contra templum deo inuocato, cui ſacrum fiebat, & victimæ caput auferebant, illúdq; in forum deferebant. vbi ſi negociatores externi, in primíſq; Græci affuiſſent, illis vendebant: ſin minus, in flumē abijciebāt, capútq; ipſum his potiſſimū verbis execrabant̄: Si quid forte eſſet, quod vel ſacrificantib. vel Aegypto nociturū eſſet, vt id omne in caput ipſum conuerteret̄. hic quidē mos Aegyptiorum fuit, hic ritus, vt de capite ſacrificatæ victimæ ne ederēt. Habebant & hoc inſtituti Aegyptij, vt ieiunarent, vt noſtri & Hebræi, pridie celebritatis, aut feſti, ἐν προεορτίῳ, vt Græci dicunt: & vbi obdormiuiſſent, bouem immolabant, eámq; corio exuebant, & tota aluo euacuabant, & expurgabant: inteſtina intra ventrem cum adipe relinquebant, crura truncabant, & extremos lumbos armósq; ac ceruicem. his peractis, reliquum bouis corpus ſtipabant panib. puris, & melle, & vua paſſa, & ficis, & thure myrrháq;, & alijs odoramentis. vbi hæc feciſſent, ac inferſiſſent, adolebant: multúmq; olei & vini infundentes, ieiuni perſeuerātes antequam rem diuinā facerent, dū adolebat̄ ſacrificium, verberabant̄ omnes (qua de verberatione ſtatim agam) poſtea epulabantur, & ex reliquijs dapes ſtruebantur, proponebantúrq;. Sciendū tamen, Aegyptios ex nulla alia pecude ſacra feciſſe, præterquā ſue, boue, vacca, vitulo, & anſere. Flagellatio verò, ſeu verberatio, quam Aegyptij facere poſt ſacrificiū ſoliti fuerāt, ab Herodoto libro ſecūdo his fermè verbis deſcribitur: In vrbe, inquit, Buſiri, quem diem feſtum Iſidi agant, ſuperius à me dictum eſt. Verberabantur enim poſt ſacrificium cuncti, ſane multa hominum milia: qua aūt cauſa verberentur, non eſt mihi fas dicere. hæc Herodotus. Hoc ideo attuli, vt eam flagellationē agnoſcas, quā hodie inter nos hi q religioſi Mo-

ſi Monachi & confratres dicunt,facere conſueuerunt,Diſciplinã appellãtes:& ſimul vt Xenophanis phyſici dictũ illud melius intelligas,qui cũ Aegyptios ita ſe verberantes ac lugentes in ſuis his ſacris videret,dixit,Si deos hos eſſe creditis,quib.ſacra facitis,quid lugetis?Sin autem eos homines putatis,quid eis rem diuinam facitis?Sed & alia quæpiam de Aegyptiorũ ſacris Plutarch.in lib.Iſid. & Oſirid.affert,quo loco multa,cur lineis veſtibus vterentur in ſacris, cur ieiunarent,cur & ſale abſtinerent: ne quæ Diod.& Iamblichus ſcribunt, inculcem.

Agedum & quæ de Perſarum religione & deis prodita legimus, perſtringamus.Perſæ nec ſtatuas,nec aras erigebãt,nec templa,vt aliàs dixi.ſacrificabãt verò in loco aliquo excelſo,vt videmus etiam Palæſtinos feciſſe: quod ex ſacra Iudæorũ hiſtoria cognoſcimus,& vt in Carmelo deo dictũ eſt,ne hic multa congerã.Cœlum Perſæ,ait Strabo,Iouem putabãt:quẽ,vt Herodotus & Origenes teſtanť,cœli circulum,vel gyrum vocabant,vt in Iouis Syntagmate oſtendi.Solem colebant,quem Mithran nuncupabãt.de quo quàm multa tradanť,in Apolline eſt à nobis relatum.Colebant item Lunã,& Venerem,& Ignem, & Tellurem,& Ventos,& Aquã.ſacrificabant inquã in loco aliquo excelſo, & mundo, cum imprecationib.coronatámq; hoſtiam mactabant.cum verò Magus, qui ſacrificio præerat,mẽbratim carnes in ſingulos quoſq; diuiſiſſet, abibant omnes, nulla deis parte relicta:nonnihil hac in re à Græcis & Hebræis differentes, qui pro re & inſtituto aliquando totã victimam aduredant, (quod noſtri à Græcis holocauſtũ dicunt) & nonnunquã diſtribuebant,vel epulabantur, vt oſtenſum eſt.Sed illud ita Perſæ agebant,ꝙ deos exiſtimarent nihil præterea velle,præter animæ hoſtiam.Aliqui,vt docet Strabo,pręcordiorũ partem igni imponebant. Sed enim igni & aquę præſertim rem ſacrã faciebant: igni quidem, arida ligna imponentes cortice adempto,& aruina ſuperiniecta,& adipe:deinde infuſo oleo ſuccendebant,nihil inſpirantes,ſed ventilantes:illud interea identidem repetentes,φαγέτω πῦρ κύριε.Quòd ſi quis inſpiraſſet,aut mortuum quicquam cœnúmue in ſacrũ ignem immiſiſſet,morte plectebať.tanta adeò veneratione ſacrum ignẽ proſequebantur.Aquæ verò ſacra hoc modo peragebant. ad lacum, vel flumen,vel fontem accedebant,& ſcrobem faciebant,ibíq; hoſtiam iugulabant,cauentes ne quid proximè aquã ſanguine contingereť: ac ſi id accideret, omnia polluerẽtur.poſtea immolatis carnib.ſuper myrto lauróq; impoſitis, eas Magi virgis ſubtilibus cremabant,& imprecationibus quibuſdam factis, oleũ lacte & melle mixtum inſpergebant,non in ignem,neq; in aquam,ſed ſuper terrã:imprecationes per multum tempus faciebant,faſciculũ virgarũ tenuiũ ex myrica tenentes.atq; hoc de Perſarum inſtitutis legi.Sed enim in Cappadocia,vbi maxima fuit magorũ multitudo,qui ab igne Pyrethi vocabanť, & ꝑmulta Perſarum deorum fana,non cultro,ſed ſtipite quodam mactabant, tanquã malleo verberantes.Fuerunt aũt Pyrethia ſepta quædam ingẽtia,in quorum medio ara erat.in ea Magi cinerem multum & ignem inextinguibilem ſeruabãt,quò quotidie ingreſſi imprecationes faciebãt,per horã ferè ante ignem,virgarũ faſciculum tenentes,& τιάρας περικείμενοι πιλωτάς:hoc eſt, vt Gregor.Tifernas eſt interpretatus,Filtraceis infulis velati,ex vtraq; parte dependentib.adeò vt vittæ labra contegerent.hæc in Anaitidis & Amani delubris fiebant.nam & horum ibi delubra fuerant:& Amani quidẽ ſtatua in pompa deducebatur.Atq; de his iam ſatis.Nec hoc loco omittemus ſacra quæ deæ Syriæ,ſeu illa Atergatis,ſeu Aſtarte,ſeu quęcunq; alia illa fuerit,quæ in Hieropoli vrbe fiebant.Cum primũ igitur vir quiſpiã illuc veniſſet,caput & ſupercilia tondebat:mox ouẽ mactabat, & in fruſta concidẽs conuiuabať. Ouis vellus humi ſternebat,& ſuper eo genib. flexis procumbens,pedes & caput ſuo ipſius capite imponebat:& precibus petebat,vt ſacrificiũ numini acceptũ eſſet,ſéq; eis in poſterũ maiora daturũ pollicebať.his pactis, caput ſuũ & ſociorũ coronabat,& ꝓficiſcebať,toto itinere frigida lauãs & bibẽs,humíq; cubans.neq; lectũ fas conſcẽdere,donec iter perfectũ eſſet.

eſſet. Qui autem ita peregrinantur, à certis in vrbibus aſſignatis hoſpitium aſſumebant: qui doctores ab Aſſyriis vocabãtur, quoniam omina & oracula illis interpretabantur. Addit & Lucianus alia quædam ſacra, & eorum ritus, quæ ridenda potius quàm referenda mihi viſa ſunt. Tum & illud quoq́, omnes compungi & inuri notis quibuſdam, alios quidẽ in manus volam & in ceruice, alios ſtygmatis inuſtos, &c. quæ multa Lucianus refert.

Quamuis in ſuperioribus, dum ſacrificandi ordinem in vniuerſum deſcripſimus, de omni fermè Romanorum cærimonia pro virili attigimus: nihilominus nunc quoq́ viſum eſt ſtudioſis talium rerum conducere, ſeorſumq́ eadem propè repetere, & omiſſa quædam addere. Incipiã verò ab hoc, quòd in põtificum libris cautum fuiſſe legimus, quod & M. Tullio viſum fuit in libro ſecundo de Legibus repetere. hoc illud eſt: Ad diuos adeũto caſtè, pietatem adhibẽto, opes amouẽto: qui ſecus faxit, Deus ipſe vindex erit. Separatim nemo habeſſit deos: néve nouos, ſed ne aduenas, niſi publicè adſcitos, priuatim colunto. Conſtructa à patribus delubra habento. Lucos in agris habento: & Larum ſedes, ritus familiæ patrúmq́ ſeruanto. Diuos, & eos qui cœleſtes ſemper habiti, colunto: & ollos, quos in cœlum merita vocauerint, Herculem, Liberum, Aeſculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum: aſt olla, propter quæ datur homini aſcenſus in cœlum, Mentem, Virtutem, Pietatem, Fidem, earúmq́ laudum delubra ſunto: Nec vlla vitiorum ſacra ſolennia obeunto. Feriis iurgia amouento, eáſque in famulis operibus patratis habẽto: itáque, vt ira cadat, in annuis anfractibus deſcriptum eſto. Certáſq́ fruges, certáſq́ baccas ſacerdotes publicè libãto. Hoc certis ſacrificiis ac diebus, itémq́ alios addes. Vbertatem lactis fœtúſq́ ſeruanto: idque ne committi poſſit ad eam rationem, curſus annuos ſacerdos finiunto: quæq́ cuiq́ diuo decoræ gratæq́ ſint hoſtiæ, prouidento. Diuiſq́ aliis alij ſacerdotes, omnibus pontifices, ſingulis flamines ſunto. Virgines Veſtales in vrbe cuſtodiunto ignem foci publici ſempiternum. Quóq́ & priuatim, & publicè modo, ritúque fiat, diſcunto ignari à publicis ſacerdotibus. Eorum autem genera ſunto duo: vnum quod præſit cærimoniis & ſacris, alterũ quod interpretetur fatidicorum & vatum effata incognita: cum Senatus populúſq́ aſciuerit, interpretes autem Iouis opt. max. publici augures ſignis & auſpiciis poſtea vidento, diſciplinam tenento. Sacerdotes vineta virgetáq́, & ſalutẽ populi auguranto: Quíq́ agent rem duelli, quíq́ populare auſpicium, præmonento, olliq́ obtemperãto: Diuorúmque iras prouidento, olliſque parento: Cœliq́ fulgura regionibus ratis temperanto: vrbémque & agros, & templa liberata & effata habento. Quæq́ augur iniuſta, nefaſta, vitioſa, dira defixerit, irrita infectáque ſunto. Quíque nõ paruerit, capitale eſto. Fœderum, pacis, belli, induciarum, oratores, fœciales, iudices ne ſunto. Bella, diſceptatio, prodigia, portenta ad Hetruſcos & aruſpices, ſi ſenatus iuſſerit, deferunto: Hetruriæq́ principes diſciplinam docento. Quibus diuis creuerit, procuranto: iidémq́ fulgura atq́ oſtenta pianto. Nocturna mulierum ſacrificia ne ſunto, præter olla quæ pro populo ritè fient: Néue initianto, niſi vt aſſolet, Cereri græco ſacro. Sacrum commiſſum, quod neque expiari poterit, impiè commiſſum eſt: quod expiari poterit, publici ſacerdotes expianto. Ludis publicis, quod ſine curriculo, & ſine certatione corporum fiat, popularem lætitiam in cantu & fidibus & tibiis moderanto, eámque cum diuûm honore iungunto. Ex patriis ritibus optima colunto, præter Ideæ matris famulos, eóſq́ iuſtis diebus, ne quis ſtipem cogito. Sacrum, ſacróve commendatum qui clepſerit, rapſeritque, patricida eſto. Periurij pœna diuina, exitium; humana, dedecus. Inceſtum pontifices ſupremo ſupplicio ſanciunto. Impius ne audeto placare donis iram deorum. Sanctè vota reddunto. Pœna violati iuris eſto. Quocirca ne quis agrum conſecrato. Auri, argenti, eboris ſacrandi modus eſto. Sacra priuata perpetua manento. Deorum Manium iura ſancta ſunto. Hos leto dato diuos habento. ſumptum in ollos, luctúmque minuunto. Et hactenus ex

Ponti-

Pontificum lib. M. Cicero, ex quibus Romanæ religionis & cultus ſummam percipimus. Nihilominus ſeorſum alia ſubiungemus. Scribit ita Lactantius in tertio Commentariorum in Thebaid. Primo inter, &c. Primò, inquit, eſt ſanguine libare, deinde immolare, tertiò reddere, quartò litare. Dionyſius verò Alicarnaſſ. in ſeptimo Hiſtor. ita clarius: Poſt pompã, inquit, Coſs. & ſacerdotes, quibus licebat, & aruſpices, lotis manibus ſe ſacra & pura circũpurgantes aqua, fruges Cereales capitibus victimarum inſpergentes, poſtea precibus votiſque nuncupatis immolare miniſtros iubebant. Horum verò alij quidem ſupra hoſtiam ſtantes, rectè tempora feriebant: alij cadentibus ſupponebant ſphagidas, id eſt cultros. & poſt hæc eas excoriantes, & membratim diuidentes, primitias ex omni viſcere, quos ex omni alio membro excipiebant, quas farris farina inuoluentes afferebant ſacrificantibus in caniſtris, qui eas aris imponẽtes ſuccendebant, & vinum infundebant aduerſum purificata. Hæc fermè Dionyſius: qui & hæc ipſa propè eadem Græcorum fuiſſe, ex Homero pluribus oſtendit. Sanè quoniam de caniſtro & hic & alibi in ſacris meminimus, ſciendũ, quòd in ipſo ſacrificio caniſtrum deferebatur cum hordeo, corona & cultro, & igne. id quod feſtiuè licet Ariſtophanes in Pacis fabula rideat, iuxta tamen ſacrorũ ritum exequitur. Sed inſtitutum ſequamur. Igitur ab Ioue exordiemur.

Triumphantes Ioui Capitolino candidum taurum auratis cornibus mactabant. Seruius in decimo Aeneid. ſuper ea Aſcanij facta Ioui vota,

Et ſtatuam ante aras aurata fronte iuuencum
Candentem, pariterq; caput cum matre ferentem. Iuuencum, inquit, ſecundum Romanas cærimonias dixit. Ioui enim de tauro non immolabatur, niſi cum triumphi nomine, de ſue, vel tauro fiebat: quod tamen ideo admiſſum fuit, quia non tantum Ioui, ſed aliis deis qui bello præerant, ſacrificabatur. Hæc Seruius. hinc Iuuenalis:

Duc in Capitolia magnum,
Cretatumq; bouem. id eſt, album. Seneca in Medea:
Primus ſceptriferis colla tonantibus
Taurus celſa ferat tergora candido. Tonãtibus, inquit, Ioui & Iunoni. Atteius Capito, antiquitatum diligentiſſ. ſcriptor: Ioui, inquit, tauro, verre, ariete immolari non licet. Labeo libro LXXVIII affirmat, niſi Neptuno, Apollini & Marti, taurũ non immolari. Sed & principio anni Coſs. iniuges iuuencos mactabãt, cum conſulatũ inibant. Quot verò idib. Idulis, hoc eſt, agna alba à Flamine Ioui, vt inquit Feſtus, cædebatur. Ouid.
Idibus alba Ioui grandior agna cadit. Kal. febr. Ioui tonanti bidens victima fiebat: Idibus verò Ianuarij, veruex. Legi & qui Flaminis vxorem ſcribat, omnibus nundinis Ioui arietem mactaſſe. Prodigiali Ioui mola ſalſa & thure ſacrificabatur. Varia certè plerunq; victima Ioui offerebatur, pro cognominis diuerſitate. aliter enim Elicio, aliter Fulminatori, vel Tonanti. Ioui præterea in veſte candida ſacrificabatur.

Iunoni de tauro albo antiqui rem ſacram faciebant, ſed de iuuenca potius docti autumant. Seneca in Medea,
Lucinam niuei fœmina corporis intentata iugo placet.
Id eſt, iniugis: vbi fœmina pro vacca ſumitur. ſic & Vergilius,
Vritq; videndo Fœmina. Iuuenalis tamen,
Niueam Reginæ ducimus agnam,
dixit. Sed & Aelianus ſcribit, quòd cùm Samiis aurum furto ſublatum ouis inueniſſet, Mandrabulus Samius Iunoni ouem conſecrauit. Pauo inſuper, & anſer, huic deæ dicati. De pauone fabula apud Ouid. in Met. & Athenæũ. De anſere, T. Liuius in Capitolina obſidione, indicat. Tametſi Martialis lib. nono, Velium Domitiani comitem inducat, Marti anſerẽ vouiſſe: qua de re eius pul-

chrum

chrum legimus epigramma. Dum comes Arctoi, &c. In omnibus etiam Kal. Regina ſacrorum.i.regis ſacrorum vxor, porcam vel agnam Iunoni immolabat: eidem mulieres Kal. Martijs flores & coronas offerebant. Caprotinę etiam huic deæ dicatæ fuerunt, itémque caprificia ſacra ancillarum, de quibus antè planè bis actum eſt.

Neptuno Taurum nigrum ſacrificabant. Vergilius:

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

Homerus in Odyſſ. ταύρους παμμέλανας, hoc eſt, tauros valde nigros. quo loco interpres: Tauros, inquit, propter maris violẽtiam: nigros verò, propter aquæ colorem, ex maris profundo. Idẽ ferè ſcribit Phurnutus, vt in Neptuno retulimus. apud quem & illud legimus, ὃ θύουσι αὐτῷ ἀσφάλακας πολλαχοῦ.i. Eidem deo ſacrificant aſphalacos vbique. quidam talpas interpretati ſunt, quaſi quòd ἀσφαλῶς, tutò terræ fundamẽta & ædificia conſiſtere faceret: vnde & Aſphalius ipſe cognominatus ſit, vt pluribus in Neptuno oſtendi. Pindarus in Olymp. ταῦρον ἀργὸν illi aſcribit: quidam album interpretantur, propter maris ſpumas: alij nõ album, ſed florentem, ſeu nitentem, aut procerum interpretantur. Ego velocem expono: nam & ſic canes cognominatos videmus. Sed de hac voce cum alibi, tum in Argiphonte Mercurio plura dixi. Quare quicunque Neptuno candidos tauros attribuunt, hi in ſacrificijs parum antiquitatis ſcij eſſe videtur. Sanè & Pindari interpretes Neptuno nigros tauros mactari prodiderunt. Sed & tempeſtati nigram pecudem Maro attribuit. ait enim:

Nigram hyemi pecudem, zephyris felicibus albam.

Porrò & hoc in noſtris Nauigijs obſeruauimus, veteres mare ingreſſuros, Neptuno & fluctib. ſacra feciſſe: & plerunque hoſtiam ipſam, nonnunquã cruda exta proieciſſe. quod & Scipionẽ, cum nauim in Africam conſcenſurus eſſet, feciſſe, teſtis eſt Liuius. Ridiculũ eſt quod Baptiſta Leo ſcribit libr. 7. ex ſophiſta Ph. in Iſthmo ſolitos Neptuno & Soli formicas immolare.

Plutoni, hoc eſt Diti patri de nigra pecude rem diuinam faciebant, eidémque pocula mixta mero & lacte libabant. Tibullus:

Interea nigras pecudes promittite Diti,
Et niuei lactis pocula mixta mero. Horat. lib. 2. Carm.

Non ſi tricenis, quotquot eunt dies,
Amice places illachrymabilem
Plutona tauris. Verg. in 6. Aeneid.

Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras,
Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis,
Pingue ſuperque oleum fundens ardentibus extis.

Obſeruant periti ſacrorum, & cum his grãmatici, quòd ſterilibus pecudib. & iuuencis, ac vino, melle, lacte, ſanguine, Diti ſacra fieri ſunt ſolita: quanquã Numę legib. deis inferis vina libare vetitum eſſet. ita enim ille ſtatuit: Vino rogum ne reſpergito. Sed aliud eſt Diti rem ſacram facere, aliud rogum reſpergere.

Dionyſio, hoc eſt Baccho, hircum, ſeu caprum mactabant, quòd hoc animalis genus maximè vites rodat. vnde illud eſt:

Vite caper morſa Bacchi mactatus ad aras
Dicitur vltoris, &c. Verg. in Georg. ſecundo:

Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & veteres ineunt proſcenia ludi. & mox idem:
Ergo ritè ſuum Baccho dicemus honorem,
Carminibus patrijs, lanceſque & liba feremus,
Et ductus cornu ſtabit ſacer hircus ad aram,
Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.

Hinc etiam Prudentius contra Symmachum:

His nunc pro meritis Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & virides diſcindunt ore chelydros.

Ouid. in Faſtis,

Rode caper vites: tamen hinc cum ſtabis ad aras,
In tua quod ſpargi cornua poſsit erit.

Qua de re & græcum legimus Eueni carmen, quod an Ouidius æmulatus ſit, an græcus Euenus Ouidium, eruditi quidam ambigunt. Politianus tamen à græco latinum deſumptum affirmat, nec trãſmarinam illam grҿci poetæ Venerem Ouidium attigiſſe. Euenum poetam certè antiquiorem Ouidio, in poetarum hiſtoria recenſui. Sed & Phurnutus hunc ſacrificandi morem deſcribit, & interpretatur: cum in Attica agricolæ vtres diſpergere ſolerent, ſaltantes inter eos: quem ritum elegantiſſ. eſt in Georg. Vergilius executus: quæ celebritas ab vtribus ἀσκολία dicebatur, vnde & verbum ἀσκολιάζειν: qua de re in Mecænatis vita in Hiſto. poetarũ diſſerui. His addit Phurnutus Phallos, & Phallogogia. Sed enim & Tibull⁹ in VII primi lib. Eleg. de Bacchi & Oſiridis ſacris elegantiſſimè luſit. Martio etiam menſe liba & mella Baccho offerebant, quod idem Tibullus oſtendit:

Sic, inquit, *venias hodierne tibi dum thuris honores,*
Liba‿q; Mopſopio dulcia melle feras.

Sanè æquè græcis ac latinis Trieterica Bacchi ſacra dicuntur, hoc eſt Triennalia. Ouidius,

Ibat vt Aonio referens Trieterica Baccho.

Idem in Metamorph.

Tempus erat, quo ſacro ſolent Trieterica Bacchi
Sithoniæ celebrare nurus, nox conſcia ſacris,
Nocte ſonat Rhodope tinnitibus æris acuti.

& Vergilius,

Bacchatur, qualis commotis excita ſacris,
Thyas, vbi audito ſtimulant Trieterica Baccho Orgia.

& Statius:

Da Paruenium Trietertde multa, Inſtaurare diem.

Apollo, qui & Phœbus à græcis & latinis, à Perſis Mithra dictus eſt, tauro in primis placabatur. vnde poeta Verg.

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

Ludis quoq; Apollinaribus à Romanis, ex carminum Sibyllinorum religione boue aurato & capris duabus albis auratis, XVIII Auguſti placabãt: & Latona, fœmina boue aurata, quod in hoc alibi planius dixi. Alij equo, hoc eſt, celerem deum celeri victima, tradunt. Lactantius in primo. Ouid. in Faſtis:

Placat equo Perſis, radijs Hyperiona cinctum.

Scribit Strabo lib. XI, vbi de Maſſagetis loquitur: Ab ijs, ait, ſolis victimam equum mactari. Herodotus etiam à Scythis idem fieri tradit. Philoſtratus verò in Heroicis, refert Palamedem græcis prҿcepiſſe, vt orienti Soli candidum equum mactarent. Parrhaſij tamen in Arcadia Apollini Epicurio, id eſt auxiliari, aprum ſacrificabant: Apollini Pythio, Pæani, & Agyieo, pro reconciliatione patris & filij, ſacrificium facit Ariſtophanes in Veſpis, quod fabuloſè licet, ex ritu tamen ſacrorum deſcriptum eſt.

Aeſculapio de capra res diuina in primis fiebat, quoniam capra nunquam ſine febre eſſe dicitur: ſalutis verò deus Aeſculapius. Sed & gallus illi immolabatur, vt eſt alibi à me dictum. Sunt qui gallinas ſcribant, & has quidem roſtro nigro, nigriſq; pedibus, & digitis imparibus. Si enim luteo eſſent roſtro, vel pedib. impuræ putabantur ab aruſpicibus. Et quãquam in ſymbolo Pythagoræ, quod eſt (Gallum nutrias, ne tamen ſacrifices) pleraq; attuli de galli gallinacei ſacris: hic tamen quҿdam, quҿ me illic præterierant, ex varia lectione collecta, aſcripſi. Non tantum ergo gallus Aeſculapio dicatus fuit, & Marti, & Nocti: ſed & Ioui, Cybeli, & Menſi interdum. Eſt & apud Plut. in lib. Iſid. & Oſiridis, vbi de Anubi

agit, & Hermanubi: Ad hunc, inquit, inferiora, ſicut ad illum ſuperiora pertinẽt: quapropter illi candidum gallum, huic croceum immolant. Sed Pyrrhus quoq; rex, cùm ſplene laborantibus mederetur, albo gallo ſacrum peragebat. Porrò non modò Ariſtophanes in Pluto, quomodo ſacra fierent, & ſanarentur ægroti in templo Aeſculapij, docet, ſed & Philoſtratus in vita Apollonij Tyanei, & alij pleriſque.

Mercurio, vt alijs deis, cætera immolabantur: ſed lingua ei dicabatur. nam vt in commentarijs in Apollonium Rhod. legimus, antiquis mos fuit, vt cum cubitum irent, vinum libarent, & victimarum linguas Mercurio ſacrificarent. idq; naturali ratione factum aiunt: quandoquidem Hermes, id eſt Mercurius, ſermo putabatur, cuius ſit organum ac inſtrumentum lingua, quæ decenter Mercurio, dum ſomnus inſtaret, ſacrificabatur: quin & ipſe ſomni deus credebatur, vt in eius dei deſcriptione plenius oſtenſum eſt. Huiuſce ritus meminit Apollonius in primo Argon. quin & Homerus ait, γλώσσας ἐν πυρὶ βάλλον, id eſt, linguas in igne iaciebant. Direchidas autem hiſtoriam affert de Alcathoo Pelopis, qui ob necẽ Chryſippi ex Megaris aufugit, & cum leone certare contigit, linguámque eius conſecrare. Sed & Philochorus in libro περὶ θυσιῶν, linguas ait optimam eſſe corporis partem. Hinc & Homerus dixit, ἀλλ' ἄγε τέμνετε γλώσσας, Sed age cædite linguas, præco: quod eſt, linguis fauete. Maiæ, quæ Mercurij mater fuiſſe perhibetur, Romani menſe Maio ſuem prægnantem immolabant.

Vulcano cum ſacrum fiebat, omnia igne abſumebantur: id quòd Proteruiam dicebant, vt alibi planè oſtendi. Nam niſi victima, & quodcunq; ſupereſſet, igni datum fuiſſet, ſacrificium pollui putabatur.

Marti à Romanis October equus immolabatur in cāpo Martio, Idib. Octob. ſumma religione: id quod copioſe in lib. de Annis & menſib. &c. docui. Plutarchi quoq; codicem tum græcum tum latinum caſtigaui. Colebatur & à Carmanis Mars, cui quòd equis carerent, eorúmq; inopia in bello aſinis vterentur, aſinum ſacrificabant, vt Strab. in XV ſcribit. id à Scythis fieri ait Arnobius, Apollod. citans. Quin etiam inter Carmanos nemo vxorem ducebat, niſi prius hoſtis caput amputatum, ad regem detuliſſet. Latini lupum & picum Marti dicabant. Luſitani hircum, Galli Ciſalpini verrem, diuerſo quiq; conſilio & ritu, ita vt Phaſelitæ de piſcibus ſalitis Marti rem diuinam facerent, vt etiam in Symbolis prodidi. Illud etiam inſtituti apud Lacedæmonios annotatum legi, cum ipſi aliquo ſtratagemate victoria potiti eſſent, Marti bouẽ immolabant: ſi verò aperto Marte viciſſent, gallum. id quod ab eis non ſine ratione fiebat, quòd pluris æſtimabant incruentam victoriam, quàm cruentam. Iidem porro Marti Enyalio canem mactabant Lacedęmonij, vt ait Pauſ. in Lacon. Scribit enim, ephebos Lacones, cum pugnam eſſent inter ſe inituri, Marti canis catulum immolaſſe, deo ſcilicet validiſſimo victimam validiſſimam & cicurem dicare ſe arbitrantes. Subdit idẽ, catulos non ſacrificari à Gręcis, Colophonijs exceptis, qui catellam nigram nocturno tempore immolabant Triuię. Quare mirum eſt, quoſdam Enodio deo ſcripſiſſe potius, cum Mercurius eo cognomine dictus ſit. Sed præterea quæ hîc & alibi ſparſim attuli, nunc breuiter tibi oſtendam, de canibus apud alios ſecus quàm Pauſanias tradit, ſacrificatũ fuiſſe. Nam Sabæi & Thraces, vt canit Ouid. canes immolabant:

Exta canum, inquit, *Triuiæ vidi libare Sabæos,*
Et quicunq; tuas accolit Aeme niues.

Romanos etiam in Lupercalibus canem immolaſſe, iam dictum eſt. Item in expiationibus quibuſdam, & ad placandum caniculæ ſidus, frugibus inimicum, canes ruffæ adhibebantur: quod ſacrum Canariũ augurium nuncuparunt. Gręci verò περισκυλακισμὸν vocabant, quòd ex catulis ſacrum fieret, vt Plutarch. ſcribit. Durè quidam interpretati ſunt circumcatulationem. Pro frugib. quoq; & pecoribus, vt rubigo auerteretur, lactenti catulo ſacrum conuenire exiſtimabant:

idq; Rubigalibus,vt in primo Syntagmate dictum eſt,& infrà dicetur. Catulos etiam recens editos tam in Adicialibus, quàm deorũ cœnis ſæpe adhibitos fuiſſe,Plauti fabulæ indicio ſunt. nam catulos lactantes adeò puros putóſq; veteres exiſtimarunt ad cibum,vt etiam placandis numinibus,vt ait Plinius,hoſtiarũ vice vterentur.Thraſyllus etiam vates ex canum extis vaticinari ſolitus erat. Sed nec ſementem Latinis adminiſtrari,nec oues tonderi,niſi catulatio,id eſt ex cane ſacrum prius fieret,vllo modo licuit.Quin & apud Bœotios, ait Plutarchus, expiatio fieri ſolebat, cane per medium in duas partes diſſecto * exire idem & Caribus,vt quibus exta canis deis offerre mos fuerit:vnde factum ſit prouerbiũ, Caricum ſacrificum.nam pro hirco canem mactabant: auctores Diogenianus, & Heſychius,& Arnobius.Viuas præterea canes cruci affigi,à Romanis, atque inter ædes Iuuentatis & Sumani quotannis anſere inſidente deferri,vulgo proditum fuit,quę crux ex ſambuco fiebet. Quare cum ex canibus tot ſacra peracta legamus,mirum eſt à Pauſania dici,quæ paulo antè notaui,& quæ Plutarch. omnis antiquitatis diligẽtiſſimus obſeruator in eo Problẽ.ſcribit,in quo agit,Quid eſt quòd ſacerdotem,id eſt Flaminem Dialem cane & capella adeo Romani abſtinere voluerunt,vt non modò attingere,ſed ne quidẽ appellare liceret:in quo Problem.cum multa de capra & cane dixiſſet,demum & illud ſubinfert:Etſi veteres hoc animal omnino impurum eſſe putauerunt. Cœleſtium enim deorum nulli prorſus canis conſecratus eſt,ſed Chthoniæ Hecatæ cœnæ dimiſſus in triuijs piaculi locum obtinet:& cætera, quæ ſubdit.Quare iam ſatis de ſacris ex cane,harum rerum curioſis attulerim.

Herculi Romæ in ara Maxima bos ſacrificabatur, ſumpta conſuetudine, de qua latè T.Liuius,& Ouid.& Dionyſ.Alicarn.Sed & Vergil.lib.Aeneid.VIII. Apud hanc aram Herculis dum ſacra fiebant,dúmq; ſacrificabatur,omnes capitibus apertis,& non velatis eſſe oportebat,cum cęterorum deorum ferè operto capite ſacra peragerentur,quod planius antè retuli.Sed & ſedentes in his ſacris epulabantur,cum in aliijs ſtantes id facerent. Porrò quo modo manè & veſperi ſacra huic deo in ara Maxima fierent à Pinarijs & Potitijs,iam ſuprà relatũ.Scribit Plutarch.in Quæſt.Cum Herculi res diuina fieret,nullus alius Deus vocabatur,nec intra mœnia canis apparebat.qua de re in Herculis vita ſum locutus.Decima præterea Herculi dabatur,vt plurib.idem Plutarchus oſtẽdit in cauſis Romanis.Sed hac de re audi Varronẽ:Herculi,inquit,decima data ab eo eſt, quòd ſacrificio quodam fanatur, id eſt,vt fani lege fit:id dicitur pollutum,quod à porriciendo eſt fictum.dum enim ex mercibus libamenta proiecta ſunt Herculi in aram,tum pollutum eſt:at tum profanum dicitur.i.perinde vt ſit fani factũ. Itaq; vbi olim fano conſumebatur omne quod profanum erat,vt etiam fiebat, quod pop.Rom.vrbis quotannis faciebat,cum Herculi immolaret publicè iuuẽcum. hęc Varro.Porrò ab hoc ſacro pollucere verbum factum eſt, vt idem Varro teſtatur in Satyr.Maiores ſolitos decimam Herculi vouere,nec decem dies intermittere,quum pollucerẽt.Legimus & M.Craſſum,& Lucullum,& Syllam eiuſmodi decimas Herculi,& pop.Rom.perſoluiſſe. Mulierib. ſacris adeſſe, & rem diuinam facere ferè deis omnib.licebat:Herculis tamen ſacrificio adeſſe, vel exta tangere,aut veſci,aræve admouere manus,aut ſolẽnia videre,religio fuit. cauſam Plutarchus recenſet. Apud Lindum Herculi cum conuicijs ſacra agebãtur, vt Lactantius Firmianus in primo de Inſtitut. & ipſi in vita Herculis diximus. vnde prouerbium,Lindia ſacra. Silius Italicus ſacrum Herculis Gaditani,& eius cæremonias luculẽter eſt executus in exordio ſtatim libri tertij Punic. id quod & ipſe in Hercule retuli.Lucianus quoq; in fine τῶν ἑορτῶν, ſacrum Herculi fieri deſcribit ex pyra accenſa,quod in rei memoriam fiebat illius interitus.Apud Sicyonios, ſcribit Pauſ. in Corinth. in Herculis, inquit, quidem ſacro traditum à Phæſto Herculis filio morem retinent.Is enim cum in Sicyoniam veniſſet, animaduertit Herculi tanquam Heroi parentari.indignè verò ferẽs diuinos illi honores

nores

nores non haberi, inſtituit, quod adhuc à Sicyonijs ſeruatur, vt iugulati agni ad aram pernas adurerẽt: carnium verò parte vna non aliter quàm victimarum ſoliti eſſent, veſcerentur, altera Herculi tanquã Heroi parentarent. Feſtorũ verò dierum, quos in Herculis honorem agitabãt, priorem ὀνομαῦται, ἡράκλειον alterũ vocabant. atq; hæc quidem Pauſ. Plura de Herculis vel ſacris, vel diuerſarum gentium inſtitutis, collegit Alexander lib. 2. c. XIII. Sed cum non probet veterum ſententiam, & quæ prodit pleraq; confundat, & aliter ipſe quædã, quàm ab ipſo traduntur: ea tibi ſuperſedeo aduocare. locum oſtẽdo: fides ſit penes auctorem, eum ſi legere placuerit.

Ceres dea frugum, cui in primis ſpicas antiqui dicabãt, & ex eis coronas. Sed de porca res ſacra fiebat, vt alibi dictum. Huic & frugum primitiæ offerebantur. Quin & menſe Aprili cum lampadib. & tedis accẽſis, ſacerdotes in veſtibus albis mactata porca ſacrum peragebant. Ouid.

Prima putatur
Hoſtia ſus meruiſſe mori, quia ſemina pando
Eruerit roſtro, ſpemq́; interceperit anni. Idem alibi,
Prima Ceres grauidæ gauiſa eſt ſanguine porcæ,
Vlta ſuas merita cæde nocentis opes.

Sanè porcũ, vilem admodũ apud Platonem Socrates victimam facere videt, in lib. de Legib. In arcanis, inquit, audiendæ ſunt eiuſmodi fabulæ à quàm pauciſſimis, qui quidẽ non porcum, ſed precioſam quãdam rarámq; victimã ſacrificauerint. Idem & Proclus repetit. Cereris nuptiæ ſine vino celebrabantur, & Orci nuptiæ (quod Seruius ſcribit) dicebantur. vnde Plautus in Aulular. Cererin' Strobile hi ſunt facturi nuptias? Qui? quia temeti nihil allatum intelligo. Cùm tamẽ, vt inquit Aelianus in XII, vinum Pramneum deæ Cereri dicatum eſſet. Cereris ſacra hæc Theſmophoria græcè dicebantur, vt pluribus in Theſmophoro Cerere ſcripſi. Eadem & δημίτεια. In his ſacris Athenienſes δίωγμα commemorabant, quod demum teſte Heſychio ἐκδίωγμα nuncupatum fuit. hæc ferè deſcribuntur in X Metamorph. ab Ouidio:

Feſta piæ Cereris celebrabant annua matres,
Illa quibus niuea velatæ corpora veſte,
Primitias frugum dant ſpicea ſerta ſuarum,
Perq́; nouem noctes Venerem, tactusq́; viriles
In vetitis numerant: & reliqua: Idem alibi:
Annua venerunt Cerealis tempora ſacri,
Secubat in vacuo fœmina virq́; thoro.
Flaua Ceres tenues ſpica redimita capillos,
Cur inhibes ſacris commoda noſtra tuis?

Sed non ſine piaculo præterimus poetæ ex primo Georg. verſus. ita enim canit:

In primis venerare deos: atq; annua magnæ
Sacra refer Cereri: lætis operatus in herbis,
Extremæ ſub caſu hyemis, iam vere ſereno.
Tunc agni pingues, & tunc molliſſima vina,
Tunc ſomni dulces, denſæq́; in montibus vmbræ,
Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adoret:
Cui tu lacte fauos, & miti dilue Baccho,
Terq́; nouas circum felix eat hoſtia fruges.
Omnis quam chorus & ſocij comitentur ouantes,
Et Cererem clamore vocent in tecta: neq; ante
Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis;

Quàm Cereri tortâ redimitus tempora quercu
Det motus incompoſitos, & carmina dicat.

Quo loco grammaticus Seruius oſtendit, aliud eſſe Cereris ſacrificiũ, aliud Orci nuptias. in hoc enim vinũ non inferebatur, in illo vtiq;. Legimus præterea, ſæpe quoq; litatum Cereri lacte, vino & melle, ſine victima. Scribit Phurnutus, primo vere, cum primùm herba viridis apparere cœpiſſet, tum primum herbam ipſam antiquos ſolitos fuiſſe Cereri dicare. Tum poſt etiã ſubiungit, de ſue prægnante ſacrificium illi factũ, propter terræ fertilitatem, conceptũmq; facilẽ. Sed & papauer huic deæ offerebatur, quod nõ ſine ratione factum ait. nam papauer ipſum cum rotundum ſit, & turbinatum, terram ſignificat: eius verò inęqualitas, valles ac montes ſignificare videtur: quæ intra ſunt granula multiplicia, hominúmq; & animalium multitudinem denotant. Adijcit idem Phurnutus alia quędam, quæ breuitatis cauſa præterij, nec noſtro ſatis cõducunt inſtituto. & Ouid. in IIII Faſt. ita cecinit:

Illa (nempe Ceres) *ſoporiferum paruos initura penates*
Colligit agreſti lene papauer humo.
Dum legit, oblito fertur guſtaſſe palato,
Longamq; imprudens exſoluiſſe famem.

Verg. Georg. I.

Nec non & lini ſegetem, & Cereale papauer.

Vbi Seruius, Cereale, inquit, vel quod eſt eſui, ſicut frumentum: vel quo Ceres vſa eſt, ad doloris obliuionem. Probus ibidem: Cereale, ait, quia in ſegete naſcit. Plinius tamen lib. 19. cap. 8. Candidi papaueris ſemen, ait, toſtum in ſecunda mẽſa, cum melle apud antiquos edebatur. Hoc & panis ruſtici cruſtæ inſpergitur, affuſo ouo inhærens, vbi inferiorẽ cruſtam apio, gythq; cereali ſapore condiũt. Porrò vt Græci δημήτρεια Cereris ſacra dixere, ſic & latini Cerealia, vt Varro docet. Cereris ſacra ex Græcia, ſcribit Feſtus, multi ex Attica dicunt, propter ſacra Eleuſinia: alij ex Enna Siciliæ vrbe, quod M. Cicero & Val. Max. aſſentiri videntur, vt copioſe in Ennenſi Cerere docui.

Proſerpinæ ſterilis victima attributa fuit, quia nec ipſa vnquam peperit. Macrob. Ex ſententia Cor. porca. Quidam ſuper hoc & illud Martialis in ſexto interpretantur:

Exoluit votis hac te ſibi virgine porca.

Certè Vergilius in ſexto cecinit,

Sterilemq; tibi Proſerpina vaccam.

& Aur. Prudentius in primo contra Symmachum:

Rapta ad Tartarei thalamum Proſerpina regis,
Placatur vaccæ ſterilis ceruice reſecta.

Mineruæ taurus albus immolabatur interdum. Romæ verò in Quinquatrijs prima dies ſine cæde & victima fuit, quòd eo die in lucem deam editam putabant: in cæteris autem victimas cædere ſolebant. At verò Tubiluſtrio, qui eorũ dies vltimus fuit, & quo tubæ luſtrabantur, de agna res diuina fiebat. Legę Varronem, & alios. Iuuenalis:

—*Niueam reginæ ducimus agnam,*
Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Maura.

id eſt Palladi, quæ Mauritana Gorgone, capite Meduſæ vſa à poetis fingitur. Athenienſes annua ſolennia Mineruæ tauris & agnis celebrare ſolebant, vt ait Alexander. In quadam Africæ parte puellæ abſq; victima, fuſtibus inuicem decertantes, ſacrum Mineruę peragere ſolebant.

Diana cerua placabatur: hæc enim ei victima pro Iphigenia data fuiſſe creditur. Et quanquam ex alijs poſſem multa afferre, hoc tamẽ ſacrum leges in Euri-

pidis tra-

pidis tragœdia, quę Iphigenia in Aulide inſcribitur, & quæ in Tauris. alij licet diuerſa tradant, vt in ipſa dea expoſui. & vt ait poeta:

Quæ ſemel eſt triplici pro virgine cæſa Dianæ,
Nunc quoq; pro nulla virginitate cadit.

Sabęi verò & Thraces extis canũ, vt paulo antè dixi, Dianam placabant. Ouid.

Exta canum Triuiæ vidi libare Sabæos,
Et quicunq; tuas accolit Aeme niues.

Idibus Auguſti Romæ facibus accenſis ab vrbe in nemus Aricinum diſcurrebant, in quo nemore Dianæ Nemorenſis appellatæ celebre templum erat. Quò ego ſæpe animi gratia cum amicis ſum profectus, cum Romæ gratis optimam ætatis partem conſumerem. De his ſacris, Idibus (vt dixi) Sextilibus celebratis, ſic ait Propertius:

Cum videt accenſis deuotum currere tedis
In nemus, & Triuiæ lumina ferre deæ. & Statius in Syluis:
Iamq; dies aderat, profugis cum regibus altum
Fumat Aricinum Triuiæ nemus. & idem paulo pôſt,
——Omnisq; pudicis
Itala terra focis Hecatæas excolit Idus.

Sed hac de feſtiuitate, eiúſque certamine, plura in deæ cognominibus relata ſunt.

Lunę taurus mactabatur, quia ſimilia videntur cornua tauro. Lactant. in primo. Iſidi deæ Aegyptiorũ, quę & Luna putabatur, ab aliquibus Ceres, vt in ea actum eſt, anſer mactabatur, iecurq; illi apponebatur, vt Herodotus & Ouid. teſtantur. tametſi Macrob. aliiq; nonnulli aſſerant, Aegyptios thure & precib. deos placaſſe. De Iſidis põpa, & ſacerdotib. linigeris, raſiſq; eorum capitibus, aliàs in ipſius deæ deſcriptione actum eſt. Sed & Claudianus poeta:

Sic numina Memphis
In vulgus proferre ſolet: penetralibus exit
Effigies, breuis illa quidem, ſed plurimus infrà
Liniger, impoſita ſuſpirans veſte ſacerdos,
Teſtatur ſudore deam, Nilotica ſiſtris
Ripa ſonat, variosq; modos Aegyptia ducit
Tibia, ſubmiſſis admugit cornibus Apis.

Eadem fermè Apuleius in Aſino aureo: ſed longè plura habes in Plutarchi lib. de Iſide & Oſiride.

Hecatę deæ, vt iam dictum eſt, canis immolabatur, diuerſimodè quidẽ. nonnulli enim Proſerpinam exiſtimantes, ei de cane ſacra faciebant, vt Plut. ſcribit, & Lycophronis interpres, citans illud Sophronis in Mimis, κύωνς βαυβύζοισ λύφ τὰ φάσματα: hoc eſt, Canisq; baubans diſſipat phantaſmata. Quin & Caniuora dea dicta eſt ab ipſo Lycophrone. i. κυνοσφάγος θεός, vt in Hecate diximus. Plut. etiã in cauſis: Cur, inquit, Genetæ nuncupatæ ſoli canem Romani immolant. Et paulo infrà in eodem ait: Vt igitur Hecatæ Græci, ſic Romani Genetæ pro his quæ domi naſcuntur, canem immolant. qua de dea non multò pôſt ſcribam.

Veneri albas colũbas dicabãt veteres, & ideo Aeneas apud poetã maternas appellat aues. Rem aũt diuinã menſe Aprili apud Romanos Veneri ex roſis & florib. faciebãt mulieres, myrto coronatæ. Et quãuis ſus inuiſus Veneri dicitur, ſues tamẽ legimus etiam apud Græcos Veneri immolatos, vt eſt apud Athenęũ comprobatũ ex Antiphanis, Callimachi & Zenodoti ſcriptis. Idẽ præterea Athenæus ait, ab Argiuis ſuẽ Veneri ſacrificari, cuius ſacrificij celebritas à ſuibus ὑστήρια nũcupabatur. Eſt & græcis prouerbium, Suem immolauit: hoc eſt, ἀφροδίτῃ ὗν τέθυκεν: vbi quis offert id munus, quod minimè gratum ſit. Inuiſus quippe Veneri ſus propter Adonis necem, vt in eo copioſe traditum. Qua verò cærimonia

Paphiæ Veneri ſacrificaretur, in eius deſcriptione oſtendi. Veneri Cornutæ apud Tuſſas gentem Aegyptiam, vaccam immolari ſolitam, iam dictum eſt. Aſtartem cùm alij, tum Theophylactus Venerem interpretatur, in Commentarijs Oſeæ.

Saturno Romani, vt Macrobius in primo Sat. ſcribit, ſacra faciebant more græco, capite aperto. Alibi dicit, ritu peregrino, & capite aperto. Sed quanquam hãc rem pluribus ſuo loco ex diuerſis auctorib. expilcui, hic etiam nihilominus ex Plutarch. in cauſis Romanorum, breuiter repetam: Quid eſt, inquit, quòd Saturno capite aperto immolant? An quòd velãdi capitis ritum Aeneas tradidit? Saturni verò ſacrificium peruetuſtum eſt? An illud potius, quoniã deis cœleſtib. immolantes velantur: Saturnum verò terreſtrem & chthonium eſſe arbitrãtur? An quòd veritas occuli, obſcuraríq; non poteſt? veritatis autem parẽtem ac deũ Romani Saturnum habẽt. Sed enim Feſtus ait, Saturno furuũ bouem, i. nigrum immolabãt. at verò Cyrenæos euinctos tempora coronis, ex ficu recenti Saturno ſacra feciſſe proditum eſt, mellitáſq; placentas mutuò miſitaſſe. Aborigenes autem, Italiæ indigenæ, humana hoſtia placabant: id quod poſtea ab Herculeis ſimulachra & effigies Argæas immutatum fuit, & luminib. ſplendoribúſq; celebrata. vnde & cærei ideo in Saturnalib. mittebantur, vt Macrobius ſcribit: & ſigilla fictilia paſſim vendebantur, vnde etiam Sigillariorũ nomen. Sed quòd humana victima Saturnus placaret, apud varias nationes, pluribus Euſebius de Præparatione euang. Clemens, Cyrillus, Plutarchus, aliíque permulti prodiderunt. Sed & alij quoque dei, dæmonéſque ac heroes: quin & in ſacris Hebræorum literis harum abominationum eſt facta mentio, in quibus & ipſi interdum prolapſi, & proprios etiam filios iugulabant, & in ignes mittebant, vt planè ex libro Carminum regis Dauidis, & qui in eum commentarios iam trium linguarum condiderunt, colligimus. Carthaginenſes Saturno quidem filios ſacrificabant. vnde cum aliquando obſeſſi eſſent ab Agathocle rege putarunt ſibi Saturnum iratum ea cauſa, quòd clàm iberorum loco coemptis infantib. & educatis, illi ſacrificaſſent. quare vt factum expiarent, ducentos nobiliorum ciuium filios publicè immolarunt. Quin etiam cum ad Himeram Gelo Carthaginenſes debellaſſet, pacem & fœdus cum eis hac conditione fieri voluit, vt inter cætera ſubſcriberent, ne filios ſacrificarent. Nota eſt hiſtoria apud Plut. Sed nefanda & execranda hæc ſacra mittamus.

Rhea, quæ & Cybele, & Deorum mater, aliíſq; multis nominib. vocabatur, ſacerdotes caſtratos, qui Galli dicebanẽ, habebat, vt in cognominib. iam pluribus eſt declaratum. Deæ huic proprio ſuo ſanguine litabant. Magnæ verò matri de porca ſacra fiebant. Moretum quoq;, quod edulij ruſticani genus fuit apud antiquos, eidem offerebant, vt in Faſtis docet. Moretum carmine Verg. compoſuit elegantiſſ. vt noſti, quod puer ipſe olim ſum interpretatus. Moretum & Seruius vir longè doctiſſ. teſte Macrobio, compoſuit. Sed & Columella lib. de Re ruſt. vltimo, moreti confectionem docuit. Hæc & alia pleraq; in eo noſtro puerili commentariolo dicebam, quod mihi è manibus extorſit Bernard. Babuleius, cui plurimum literę & literati debent, nedum ego, quem fratris loco habeo.

Veſtæ, vel deis ſi quando Veſtales virgines ſacra libarent, vel rem diuinam facerent, eo cultu ornatúq; vt erant, & vittatæ peragebant, album tamen præterea veſtimentum, quod ſuffibulum vocabatur, oblongum & prætextum, & quadrangulum in capite ſumebant, fibuláq; ſubnectebant: tum caſta mola & ſale tuſo in ollam fictilem miſſo, mox in aquã iniecto, ſacra faciebant: calicibúſq; fictilibus, quos culullos dicebant, Veſtæ & deis libabant. Alexãder lib. x. c. XII. Sed de Veſtalibus in Veſta plura legito, & quæ in hoc retuli Illud hoc loco non omiſerim, quod ab Heſychio ſcriptũ eſt, morem fuiſſe Græcis, vt Veſtæ primitias facerent. atq; inde prouerbium exortũ. quod prętermiſiſſe miror Eraſmũ, A Veſta incipiẽs: hoc eſt, ἀφ᾽ ἑςίας ἀρχόμενος. Profert verò à curſorib. circa ſacra Gynęceę

deæ.

deæ, quam & Plut. in cauſis Romanorum duobus capitibus nominare videtur: licet in altero .i. priore, interpres malè expoſuerit. nam pro Gynæcea Floram repoſuit, in altero verò Gynæcea pro Geneta legitur: cui lectioni græcus codex ſuffragatur. Nec præterea legimus, quòd de cane fecerint, vt certè Plutarch. ait. Diuerſa ergo Gynæcea à Geneta, quam & Geneſiam neſcio qua ratione quidam dixerint. Et licet de Gynæcea, id eſt Bona dea locutus ſim in Rhea & Magna matre, in Saturni Syntagmate, hic tamen quæ Plut. in cauſis ſcripſit afferam. Quid eſt, inquit, quod deæ Gynęceæ quam Bonam deam nominant, omni florum genere ſacrum exornantes mulieres, in domum myrtos non important, præſertim cum ambitioſius cunctis germinum ac florum varietatibus vti ſoleant? An illud eſt, quod à fabulatoribus dicitur, Flauij diuinatoris vxorem fuiſſe? quæ cum vino clam copioſius vteretur, deprehenſa myrteis virgis ac flagris à viro cæſa fuiſſe dicitur. Inde factum eſt, vt myrtus in eius ædem non inferatur: vinum tantum, cum mulieres ei libant, lac appellant? An verò, quod cùm à multis alijs, tum verò rebus venereis, caſtæ ác puræ ſacrum illud obeunt. Non ſolum enim viros excludunt, ſed cum ſolenne ſacrum faciunt, quicquid maſculum eſt, domi exigunt. myrtum igitur quaſi Veneri dicatam, religioſam habent. Nam quam nunc Murtiam Venerem nominant, antiquitus (vt videtur) Myrtiam appellare conſueuerant. Hactenus Plutarch. Hoc verò ſacrum Damium vocabatur, teſte Feſto. Plura alibi retuli. Hic illud tantum, quod Pomp. Lætus de Sacerdotijs ait, aſcribam: Fauni ſoror Fatua, vaticinatrix. ab ea vates Fatuarij dicũtur. hæc traditur mulierum caſtiſſima, ideo eam Romani Bonam deam appellauere. cuius templum eſt in ſaxo Auentini montis, vnde ingreſſus virorum prohibetur, & ei fœminæ tantum ſacrificant. Hæc ille. Illud tamen obſeruandum, quòd non in monte Auentino hæc ſacra, ſed in ædibus vel pontificis, vel alterius probati ciuis & patricij, vt contigit, cum ea Clodius polluere tentauit: quod planè in eius Deæ deſcriptione tradidi.

Iano ſacra fiebant ex libo, quod ab eo Ianual antiqui dicebant. erat enim placentæ genus. item ex mola, quæ farina horna & ſale miſcebatur: interdum verò thure & mero. Hinc Ouid.

Iane tibi primum thura merumq́; fero.

Sed & ad melioris anni omen ſolebant veteres Kal. Iani caricas & cariotides & mella tum deo, tũ amicis & propinquis elargiri, vt dulces dies anni à dulcib. rebus auſpicarent. Sed & ſtipes & pecunias largiebantur: id quod & hoc ipſo tempore ab aliquibus obſeruari videmus. Huic quoq; Agonalia quidã attribuerũt, de quibus in hoc ipſo antè ſcripſi, quo die Iano aries mactabatur. Ouid.

——Ita rex placare ſacrorum
Numina lanigeræ coniuge debet ouis.

Notauimus alias, in anni exordio, in principio Ianuarij, ſolitos Romanos benè auſpicari. Nunc viſum eſt addere, quæ Lucianus ſcribit in Pſeudologiſta: In anni (inquit) exordio, nempe die tertia à magna noua luna, cum Romani pro more maiorum ipſi precationes pro toto anno faciunt, & ſacra iuxta cerimonias ſacrificandi à Numa rege inſtitutas, in eo videlicet die, dei votis precibusq; vacēt. Meminit & Plin. in Panegyrico. itémq; hiſtoriographi.

Pales dea paſtorum, vt primo Syntagmate oſtenſum eſt. Ab hac dea Palilia, quæ & literę immutatione Parilia vocata fuere. hæc XII Kal. Maij celebrabant, qui Romæ dies natalis fuit: de quo Genethliacon carmen legitur non illepidum P. Marſi, & aliorum. Varię verò eo die fieri ſolebant purgationes & expiamina quorum in quarto Faſt. meminit Ouid.

Alma Pales faueas paſtoria ſacra canenti,
Proſequor officio ſi tua facta meo.
Certè ego de vitulo cinerem, ſtipulamq́; fabalem,

Sæpe

Sæpe tuli plena ſebrua toſta manu.
Certè ego tranſilui poſitas ter in ordine flammas,
Virgaq́; rorales laurea miſit aquas. & Propertius:
Annuaq́; accenſo celebrate Parilia fœno. Perſius verò ait:
Fumoſa Parilia fœno.

Fiebant & alia plura à paſtoribus. Ouilia enim, oues & pecudes, purgabantur fumo ex ſulphure, roſmarinumq́; ac herbam ſabinam & laurum cremabāt. Item liba ex milio, & lactis mulctralia in deæ ipſius honorem offerebant. Tibullus:
Et placidam niueo ſpargere lacte Palem Ouidius.
Et tepido lacte precare Palem.

At ſi de Pale plura cupis, præter ea quæ in primo lib. dixi, lege Dionyſ. Alicarn. in primo, & Seruium in Georg. Plutarch. Varronem, cęteros.

Telluri terræ deæ menſe Aprili Romani bouem fordam, id eſt grauidam mactabant, vaccáſque prægnantes, ex quibus vitulos à miniſtris exectos maxima virgo cremabat. Horatius tamen ſecundo Epiſtol. tellurem porco placari ſolitam canit: quo loco Porphyrion ait, porcum pro porca poſitum. Quin & Ouidius ait,
Placentur frugum matres, Tellusq́;, Ceresq́;,
Farre ſuo, grauidæ viſceribusq́; ſuis.

Sunt qui nigras victimas Telluri attributas ſcribāt. Et quoniam, inquit Cœlius noſter, terra per inertiam deſidere ac torpere in ſe ipſa dicitur, huius rei gratia putatur à ſedentibus Opi ſacrum fieri conſueuiſſe. ſi quando verò terra mota eſſet, rituales Hetruſcorum libri ſue fœta oſtentum procurare ſolebant. & Arnobius ridens ſacrificia, ita ſcribit in ſeptimo: Telluri, inquiunt, matri ſcropha ingens immolatur fœta, at Mineruæ virgini, virgo cæditur vitula, &c.

Pani deo hircus coleatus ſacrificabatur, qui quidem hircus ad ſpecum agebatur, in quo Pan ipſe diuerſari putabatur, vt docet Lucianus. Pani verò Lycęo, in Lupercalibus, canis immolabatur, vt ait Plutarch. quoniam gregis amicus & cuſtos eſt canis. Alij capram albam dicunt: nōnulli hircum, ex cuius corio Luperci ſacerdotes flagella conficiebant, nudiq́; per vrbem fœminas feriebant, qua de re in Lupercalibus actum eſt.

Syluanum verò lacte placabant, vt Horatius in eo oſtendit:
Tellurem porco, Syluanum lacte piabant.

Licet & porco interdum placari legerim. Iuuenalis:
Cædere Syluano porcum, quadrante lauari.

M. Cato de Re ruſt. Marti Syluano in ſylua interdius in capita ſingula boum votum faciebant: nam Martem Syluanum appellarunt. Mulieri ad eam rem diuinā adeſſe non licebat. Id verò fiebat ex adore & larido & vino. Vide Catonem. Priapo naturæ & hortorum deo aſinus hoſtia fuit, propter membri virilis amplitudinem. Lactantius fabulam narrat, & Ouid. in Faſt.
Cæditur, inquit, & rigido cuſtodi ruris aſellus.

Sed non hoc illi perpetuū. nam in Theocriti epigrammatib. huic deo ab Aepolo de vitula fit ſacrum, & de hirſuto hirco, & ſaginato agno. Quare aliud eſt proprium & peculiare ſacrum, aliud pro re & tempore & perſona. Sic in Priapeijs, puer domini florentis agelli, poma Priapo offert. Sanè Theophylactus in commentarijs Oſeę ait, myſtas initiatos huic deo Priapo ſacrificaſſe, quem Beelphegor dictum ait, qui mares viderentur fœmellæ fuiſſe, quæ cymbalis vtentes, fœmineíſq́; vlulatibus triuia circuibant.

Fauno res diuina nonis Decem. de hœdo & vino fieri ſolebat. Horatius tertio lib. carm. ad Faunum ipſum canit:
Si tener pleno cadit hœdus anno,
Larga nec deſunt Veneris ſodali

Vini crateræ, vetus ara multo
Fumat odore. & mox,
Cum tibi nonæ redeunt decembres.

Hæc verò celebritas Faunalia dicebatur, vt Acron, Porphyriónq; conſentiunt. Alij agno etiam Fauno litatum dixere.

Terminum pluribus in primo Syntagmate ſcripſi: & quanquam ibi de ſacris quæ antiquitus illi inferebantur, pleraque retuli, quæ tamen tunc præteriiſſe videri poſſum, hic aſcribam. Ara deo Termino ſtatuebatur à dominis vtrinque, lignáq; conciſa foco imponebantur, & caniſtro fruges igni inſpergebãtur, tum demum puella fauos mellis porrigebat, alij & vina. itáq; holocauſtoma fiebat. Obſeruatũ eſt, Numam regem ſtatuiſſe, ne ex re animata res ſacra Termino fieret: id quod plurib. Plut. ſcribit, & ante eum Dionyſ. Alicarn. Ouidius tamen illi agnam & porcam in ſecundo Faſt. immolari prodidit: item Horat. cum cecinit:

Vel agna feſtis cæſa Terminalibus.

Vbi Acron: Terminaliorum inquit diem inſtitutum, vt per epularum feſtiuitatem cæſis agnis fines ſeruari faceret. plura de Terminalibus Feſtus, & Macrob. Aliud ab his Termini ſacrificium, Aur. Prudentius poeta contra Symmachũ attulit. ita enim canit:

——Et lapis illic
Si ſtetit antiquus, quem cingere ſueuerat error
Faſceolis, vel gallinæ pulmone rogare,
Frangitur, & nullis violatur Terminus extis.

Rubigo deo, qui & genere fœminino Robigo dicebatur, ad arcendam ex ſegetibus robiginem ſacrificium veteres faciebant, vt in primo Syntagmate ſcriptum eſt. menſe enim Aprili, extis canis & ouis placabant. Ouid. in Faſtis:

Flamen in antiquæ lucum Robiginis ibat,
Exta canis flammis, exta daturus ouis.

Hæc verò offerebantur cum thure & vino.

Rumina dea, de qua in primo Syntagmate ſcripſi: huius deæ hoſtiæ lacte inſpergebantur nec vinũ adhibebatur. Plut. id fieri putauit, propter ficũ Ruminalem, ſub qua Romulus rumam. i. mammam ſuxit: vel quòd vinum minus conuenire exiſtimatur infantibus. Vide Plut. Probl. & quæ alio loco notaui.

Quæ ventis ſacra facta legerim, vide in Aeolo. i. in Neptuni Syntagmate.

Nocti deæ gallus ſacrificabatur, & nocturno tempore. Ouid. in Faſtis,

Nocte deæ noctis criſtatus cæditur ales,
Quòd tepidum vigili prouocat ore diem.

Statius verò Papinius lib. 2. Theb. nigras ei hoſtias cum lacte offert, in Noctis hymno. ita enim canit:

——Nigras tibi nigra litabunt
Electa ceruice greges, luſtraliáq; exta
Lacte nouo perfuſus edet Vulcanius ignis.

Legitur & adhuc hymnus Orphei ad Noctem, cuius ſuffimentum faces. eius hoc eſt principium, meis verbis:

Te Nox ô genitrix hominumq; deûmq; canemus,
Nox geneſis cunctis, quam & Cyprin iure vocemus,
Audi diua, beata, &c.

Fortunæ virili menſe Aprili thura adolebãt, & cum melle papauera, & lacte, quod ſacrum & Veneri commune fuit. Fortunam verò Lacedæmonij, vt etiam prouerbio eſt celebratum, admota manu inuocabant: id ſignificãtes, ſic quidem deos inuocari debere, vt ſimul & nos quoq; noſtram addamus operam, alioqui noſtra fruſtra eſſe vota.

Enyus,

Enyus,id eſt Bellonę ſacra non beſtiarum victima,ſed ſuo ipſorum ſacerdotũ cruore peragebantur.gladios enim diſtrictos vtraque manu tenentes, humeros ſibi ac lacertos fanatici feriebant,hócq; ſanguine Deis litari,& crimina expiari arbitrabantur: ita tamen, vt pro ſanguine & vulneribus ſtipes ac pecunias captarent, vt in eius deę decriptione plenius retuli. Atque hactenus de Gentium ſacrificijs.

Fvriarvm,quas Erinnyias,& Eumenidas,& Semnas deas vocabant, ſacrum huiuſmodi Sophocles in Oedipo Epicolono fieri docet: Manus ac digitos ex profluente aqua abluebat,qui ſacra facturus:& in cratere anſato,ouis nouellæ vellere obtecto,mellitam aquam ad choas & libamina reponebat,quę prima aurora ſobrijs humi ter fundebat,terq; inſuper nouem ramos oliuæ ibi deponebat:tum demum preces verbis conceptis ipſis Furijs effundebat.

Pacis ſacrificium poetarum feſtiuiſs.exequitur copioſe Ariſtophanes, in eius deæ nominę fabula.nam cum primum caniſtrum deſcripſiſſet,cum hordeo,ferto,cultro, & igne:tum ſubdit,qui ſacra faceret,caniſtrum ſumpſiſſe,aram circuiſſe,faculam intinxiſſe,mox preces ipſi deæ effudiſſe:O grauiſſ.regina dea, verẽda Pax,domina chororum,regina nuptiarum,ſuſcipe ſacrificium noſtrum: & cætera,quæ ibi leguntur.Pòſt victimam facit ex oue, ſed non ante conſpectum deæ:quoniam ea non cæde lætatur,nec eius cruentabatur ara:at ſeorſum iugulabatur,& pedes offerebantur,ignı́ſq; ex ſciſſis lignis incẽdebatur: tum aſſabãtur cætera viſcera,vt iam in alijs diximus,& præcipuè ex Homero diuerſis ex locis. Illud quoq; notamus,nautas ſeruatos ex periculis maritimis, deis marinis ſacrificaſſe:quod notiſſimum eſt ex poetis.Sed & Verg.

Votáq; ſeruati ſoluent in littore nautæ,
Glauco,& Panopeæ,& Inoo Melicertæ.

Sed nihil impedit,quin in hoc de vario ſacrificandi ritu gentium Syntagmate id aſcribam,quod à me eſt breuiſſ.collectum,& excerptũ cùm ex alijs, tum maximè ex his ſcriptoribus,Lactan. Firmiano,Macrobio,Cicerone,Platone in Minoe,Dionyſ.Alicarn.Oroſio,Diod.Siculo,Euſebio,Luciano,Cyrillo,Tertulliano,Plinio,Suetonio,Solino,Mela,Procopio,Alexandro,alijs. Si enim nationũ ac gentiũ ſacra,inſtitutáq; ſacrorum ſcrutari,& Barbaros externóſq; ritus recenſere libuerit,quàm impia atq; nefanda eorum ſacra inueniemus? Atq; vt ab his exordiar,Tauri Scythiæ pro hoſtijs Dianæ aduenas immolabant,prę ſertı́mque naufragos:& quos(vt inquit Athanaſius)prouidentia eripuerat,hos ipſi iugulabant.alij poſtquam è bello redierant, captiuos per centurias diuidebant, & ex ſingulis vnum ſumentes,tot Marti iugulabant, quot ex vnaquaq; cẽturia delegiſſent.Scribit Procopius,apud Thulitas.i. Thulæ inſulæ habitatores, ſuo tempore,hoc eſt Iuſtiniani Imperatoris,victimarum potiſſimam fuiſſe, virum quẽpiam,quem primum in prælio cepiſſent,Marti ſacrificaſſe,vt quem deorum maximum ducerent.Sed ea,inquit,eſt apud hos immolandi conſuetudo,vt non ſolum hoſtiam mactent,ſed in arbore viuam hanc prius ſuſpendant, indéque inter ſenticeta & vepres proiectam,ſic varijs ac miſeris modis excruciando conficiũt. Legimus item paucis antè annis,ab Hiſpanis nautis orbem luſtrantibus inſulã repertam,quam ipſi à Carolo Carolinã dixere. in qua frequentes viſebantur ſtatuæ æneæ ſuorum numinum,quæ intrinſecus cauæ,manibus iunctis paſsı́ſq; fuerant,in quibus infantes & puerulos quos deis illis ſuis immolabant, includere ſolebant,& crudeliſſimè incendebant,in caueis ſtatuarum & ſimulachrorũ igne accenſo,& ære calorem concipiente:& hęc quidem hoc tempore. vt minus mirum videatur,quod à Moſe & Hebręis prophetis ſcriptum legimus,& in primis in Deuteronomio, capite duodecimo: Omnes abominationes quas auerſatur Dominus,fecerunt,deis ſuis offerentes filios & filias,& cõburentes igni. Quo loco interpretes,cùm alia multa tradunt,tum illud, quod ſimulachra illa erãt ex ære Cyprio,aliı́ſq; metallis ignita,& ſuccenſa.Vt cætera mittam,quę traduntur: ad no-

ad noſtra redeo. In Aſia Laodicæi Mineruæ virginem mactabant, Arcades Ioui Lycæo puerum: plerîq; iuxta Boriſthenē, væcordi animo homines victimas dare, & in deorum ſacrificijs humanis oſſibus adolere ſolebant. Blemyæ, Cymbri, Galli, Dryidæ, & Germani, ſtatis diebus humanis hoſtijs litare, & captiuorum cruore adolere aras ſolebant: tunc maximè deos propitiari arbitrantes, cùm per cruciatum hominem excarnificaſſent: ex pœnis & hominum ſupplicijs diuinationes & auguria captantes. Fuit quoq; apud Phœnices & Charthaginenſes nimis diu obſeruatum, vt infantes qui Principum filij eſſent, ſorte ductos, regio or natu Saturno immolarent hoſtias: & quem ſors morti deſtinarat, morti ſubtrahere non licebat. Quare multorum ciuium largis fletibus deplorata fuere funera. Hinc Imilce Annibalis vxor, cum Aſpar eius eſſet mactandus filius, apud Siliū in calce quarti libri Punicorum dolens ait:

Quæ porrò hæc pietas, delubra aſpergere tabo?
Heu primæ ſcelerum cauſæ mortalibus ægris,
Naturam neſcire deûm: iuſta ite precari
Thure pio: cædiſq; feros auertite ritus:
Mite & cognatum eſt homini Deus. hactenus oro
Sit ſatis, ante aras cæſos vidiſſe iuuencos.
Aut ſi velle nefas ſuperos, fixumq; ſedetq;,
Me me quæ genui, veſtris abſumite votis,
Cur ſpoliare iuuat Libycas hac indole terras?

& cætera. Ab iſtis verò ſacris cùm deſiuiſſent, poſtea victi ab Agathocle, deos propterea ſubiratos arbitrati, quòd ante etiam diximus, vt numen placarēt, CC nobilium filios mactaſſe feruntur ad aras. Adeò cæca mortalitas, ſub religionis nomine, ad infandas cædes præceps agebatur. Id quod etiam à Rhodijs & Cretenſibus factitatum comperimus, vt hominem epulis grauatum ac pueros impuberes, feſtis dieb. Saturno & ipſi mactarent. In Chio & Salamine mos per multa ſecula viguit, vt Diomedi & Dionyſio homines diſcerptos iugularent. Eiuſdēq; Dionyſij templum in Arcadia fuit, in quo puellæ ad aram difflagellabanť ad necem: ſicut & Spartæ in ara Orthiæ Dianæ, pueri. Quinetiam alij ingenti ſimulachro viminibus intexto, & viuis hominibus oppleto, ac igne ſuccenſo, ipſis fœdum in modum exanimatis, maximum holocauſtoma deis ſuis offerre putauerunt. Boijs & Celtis, purgato capiti hoſtis capite, caluariam auro cælare, & in eo poculo ſolēnibus libare religioſiſſimum erat. Proditum eſt, Ariſtomenem Meſſenium Ioui, quem Ithomaten appellabant, CCC ſimul homines, in quib. Theopompus fuit, vno ſacrificio mactaſſe: & Lacedæmonios eò veſaniæ proceſſiſſe, vt Marti humana victima litarent. Galatæ & Maſſagetæ, non aliter deos ritè cō ſuli arbitrabantur, quàm iugulato homine apud aras deorum: ex cuius caſu, tum ex membrorum laniatu, & ſanguinis fluxu futura diuinabant. Cymbri noxios homines ſeruatos, ſudibus affixos, deis pro hoſtijs dabant. Galli, præter Heſum & Theutatē, quos deos humano cruore placabant, grauioribus morbis aut periculis affecti, ad placandas deorum aras aut homines immolabant, aut ſe immolaturos vouebant: ad cuius aram etiam grandęuos ætate, victimarum loco proſecabant. Luſitanis vetus mos fuit, ex hominum inteſtinis exta proſpicere atq; inde omina & vaticinia captare, abſciſſaſq; captiuorū dextras pro munere deis offerre. Thraces Zamolxin, quem maximum ſuum deum putabant, non alia ratione propitium ſibi fieri arbitrabanť, quàm ſi ad aram facili lancearum ictu homo concideret, eam optimam & deis gratiſſimam victimam opinati. Germani quoq; ritu barbarico, Mercurio humano cruore litare religioſiſſimum putabāt. Idem etiam feciſſe Senones traditur, qui cæſo publicè homine, infanda ſacra ſtatis diebus celebrabanť, his portētis expiari delicta credentes. Perſis etiam ad habendas ſuis deis gratias, viuentes iuuenes, eóſque adhuc ſpirantes ſub terra de-

fodere,aſſuetum fuit:quem etiam morem Grecis inoleuiſſe accepimus,vt in anniuerſaria celebritate Baccho viuos homines ſacrificarēt:quiq; ita fuiſſet immolatus,maximam inter ſuos probitatis ac religionis laudem ferebat.Longum eſſet exequi,qui Taurorum populorum mores fuerũt,vt apud aram hominem ſiſterent, & poſt ſolennes quaſdam preces hominis, caput eius claua feriebant, crucique illud affigebant:truncum porrò corpus ex ingenti rupe in preceps dabant. id quod cum Leucadijs commune fuiſſe quidam tradunt,qui in Apollinis Leucadij ſacro, ad auertendam deorum iram,hominem de montis ſpecula deijcerent,& in mare precipitem deuoluerēt.Fuit & id moris Albanis, vt hominem ſacris initiatum qui ſanctitate polleret,diu aſſeruatum,& opiparè ſaginatum, apud aras ſiſterent,eúmq; furiali carmine excantatum,deuotúmq;,additis quibuſdam precationibus,cum alijs victimis immolarent.Tantáq; animorum fuit inſipiētia,támq; præceps libido imperiti vulgi,ante verbum diuinum corporatum, vt omnes ferè mortales in templis coire,& nefandis libidinibus immiſceri, ac pudēdis genitalibus ſacra facere,quòd procreationis ſeminaria forent,nefas nō putarent:quod abunde in Venere,& Priapo,alijſq; deis oſtendi. Quin & Britãnis longo tempore morem fuiſſe accepimus,vt cōiuges & nurus nudas,& quodam herbarum ſucco delibutas,ad templa ducerent,& ita ſupplicarent,captiuorúmq; ſanguine deis litarēt.At verò Corinthi ſupra mille proſtitutas in templo Veneris aſſiduè degiſſe,& inflammata libidine quæſtui meretricio operam dediſſe,velut ſacrorum miniſtras deæ famulari ſolitas,memoriæ eſt proditum.Hic tibi mitto ſacratas Lydias & Cyprias libidines.Piget verò,pudétq; referre, Romanos rerum dominos,quibus fœdera,leges & ſacra exteris dare nationib. imperiũ fuit:quanto in errore,& quàm tetra caligine verſatus fuerit victor ille gentium populus,& totius dominator Orbis,omni ſuperſtitioni obnoxius: faſcinos & mutinos,nedum Iunones & Genios quotidie ſibi aſciſcendo, & obſcœna numina adoptando:qui etiam extraordinaria ſacra, ex fatalibus libris facere coactus,Græcum & Græcam,totidémq; Gallos in foro boario,ad placandas deorũ iras,ſub terras viuos defodere veritus non fuerit.licuitq; illi diu in ſacris hominē interimere,& deis immolare:adeò vt Saturnum & ipſe,& Latialem Iouem, humana placaret hoſtia.cuius ſimulachrum,dum ſacrificarent, humano ſanguine proluebant:donec Cn.Cornelio Lentulo,P.Licinio Craſſo Coſs. S. C. cautum fuit,ne nouam inducere religionem,néve hominem immolare,aut humano ſanguine litare liceret.Sed iam de his ſatis.Quare nos CHRISTO gratias agamus, qui nos à tam fœdis immanibúſq; ſacris exemptos, ſalutifero Euchariſtiæ ſacrificio inſtituit,quo Deo patri quotidie litamus: Qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat,per infinita ſeculorum ſecula, Amen.

SYNTAGMATIS DEORVM GENtilium decimiſeptimi & vltimi

FINIS.

LILII GREGORII GYRALDI FERRARIENSIS, DE MVSIS SYNTAGMA, NVNC RE-concinnatum & auctum.

LILIVS GREGORIVS GYRALDVS Lucæ Ripæ præceptori S. D.

DE Muſis puer olim ſyntagma ſcripſeram doctiſs. LVCA RIPA, *verùm cum aliquandiu inter ſchedas meas, ne potius dicam nugas, delituiſſet, forte fortuna cum eas nuper reuoluerē in manus incidit: iterum cognoui, placuit, ſed vt indulgentioribus parentibus tenelli filij. Quare veritus ne me amor fefellerit, mitto ipſum ad te veluti literarum ſolem, exemplo ab aquila deſumpto, vt de eo periculum faciam. Scio multos de Muſis ante me ſcripſiſſe, ſed hoc modo neminem. nam Cornutus, quem Pharnutum quidam appellant, & Fulgentius alijq́ꝫ, ſolo capite eas notaſſe contenti fuerunt: nos quæqꝫ minoris etiam impendij ſcrutati fuimus, cū præcipue pueris pueri ſcriberemus. Vale. Mediolani, nonis Maij, M. D. VII.*

IDEM AD COELESTES MVSAS.

Muſæ quæ vario mulcetis ſidera cantu,
Et Iouis ad ſolium dulce mouetis ebur,
Aſpicite has famulas, veſtro quæ numine fretæ
Euolitant, placidum carpere detis iter.
Non hæ Pieridum temeraria fata ſecutæ,
Vos cantu ſperant æquiparare ſuo.
Degener, ah, tantùm ne vobis turba putetur.
Hoc ſat erit, placidum carpere detis iter.

DIODORVS Siculus apud Græcos multi nominis hiſtoricus & poeta, qui (vt ipſe idem ait, & ab eo Iuſtinus philoſophus & martyr, itémqꝫ Euſebius) triginta annis maximam orbis terrarum partem peragrauit, vt hiſtoriarum, quas ſcribere meditabatur, certiorem fidem poſteris relinqueret, ſcriptum reliquit, Oſiridem Aegyptiorum deū muſicis & choreis delectatum fuiſſe, proptereaqꝫ illum pleroſque muſicos conſectari ſolitos, inter quos nouem fuiſſe puellas prodidit, quę modulandi artem cęteráſque diſciplinas probè tenerent, quas ideo Græci Muſas appellauerunt. Sedenim alij Muſarum duas fuiſſe generationes prodiderunt, ſecuti (vt aiunt) Muſæum, antiquarum ſcilicet, quæ ſub Saturno fuerunt, & iuniorum, quas nos hoc ipſo libello deſcribere aggreſſi ſumus: de quibus nonnullorum opiniones, antequam procedamus, recenſendæ ſunt, quæ de Muſis ipſis, earúmque parentibus ac numero vario modo traduntur: primámque Varronis afferemus, qui tres tantum Muſas fuiſſe exiſtimauit, vt teſtatur Seruius: vnam quę ex aquæ naſcitur motu. Alteram, quam aeris icti efficit ſonus. Tertiam, quæ mera tantū voce conſiſtit. Aliam tamen Varronis D. Auguſtinus hiſtoriam ſuo quodam libello explicat: Non audiendi ſunt, inquit, errores gētilium ſuperſtitionum, qui nouem Muſas Iouis & Memorię filias eſſe finxerunt. refellit eos Varro, quo neſcio vtrum apud eos quiſquam talium rerum doctior vel curioſior eſſe poſſit. Dicit enim ciuitatem neſcio quam (neqꝫ enim recordor nomen) locaſſe apud tres artifices terna ſimulachra Muſarum, quæ in templo Apollinis dono poneret, vt

quiſquis artificum pulchriora formaſſet, ab illo potiſſimum electa emeret. Itaque contigiſſe vt opera ſua quoque illi artifices æque pulcha explicarent, & placuiſſe ciuitati omnes nouem, atque omnes emptas eſſe vt in Apollinis templo dicarentur, quibus poſtea dicit Heſiodum poetam impoſuiſſe vocabula. Non ergo, ait, Iupiter nouem Muſas genuit, ſed tres fabri ternas fecerunt. Tres autem non propterea illa ciuitas locauerat, quia in ſomnis eas viderat, aut tot ſe cuiuſquam illorum oculis demonſtrauerāt: ſed quia facile erat animaduertere, omnē ſonum, qui materies cantilenarum eſt, triformem eſſe natura: aut enim editur voce, ſicut eſt eorum qui faucibus ſine inſtrumento canunt: aut flatu, ſicut tubarum & tibiarum: aut pulſu, ſicut in citharis & tympanis & quibuſdam alijs quæ percutiendo ſonora ſunt. Atq; hactenus Aurelius Auguſtinus. Sed nomen quod ſe non recordari ait Auguſtinus, Sicyon eſt, vt ego ex ſcriptorib. collegi, id quod appoſui, vt Auſonij Galli verſus rectius emendetur quàm adhuc factum eſt: ſic enim in ternario legendum vbi hac de re eſt mentio:

Tris ſolas quondam tenuit quas dextera Phœbi,
Sed Sicyon totidem ternas ex ære ſacrauit.

Quo in loco ab alijs varia traduntur nos, puto, germanam & veram lectionem attulimus. Pauſanias quoque & ipſe tres artifices, Cephiſodotum, Strongyliona, & Olympioſthenem nominat, quorum ſinguli ternas Muſas effecerunt, & has primas fuiſſe. Alias verò idem Pauſanias Muſas tres connumerat, quas ait ab Aloëi filijs Oto & Ephialte ſic nominatas, primam ſcilicet μελέτην, hoc eſt, meditationem: ſecundam μνήμην, hoc eſt, memoriam: tertiam ἀοιδὴν, hoc eſt, cantilenam. quod non ratione carere videbit is qui rem altius ſcrutari voluerit. Iidem quoque Aloëi filij Otus & Ephialtes, Muſis primi rem ſacram in Helicone feciſſe dicuntur, & in Aſcra habitaſſe, vt verſus poetæ Hegeſini ex eius poemate Atthide oſtendunt, qui apud Callippum leguntur & Pauſaniam. Sed & Cenſorinus in libro de die natali, Muſas ait olim tres ideo exiſtimatas, quoniam organum quondam habuit tres intentiones, grauem, mediam, acutam. Ad hæc Cornutus, quem Pharnutum vocant quidam, in libro de deorum natura, tres ideo exiſtimatas ait, ob eius numeri perfectionem, vt qui etiam deo ipſi attribuatur. Scribit M. Tullius in tertio de natura deorum, & ſimul idem Pharnutus, principio Muſas quatuor fuiſſe natas Ioue altero, item alteras ex Ioue tertio ac Mnemoſyne. Tertias quoque ex eodem Ioue & Antiopa. quæ Pierides Pieriáſque à poetis appellantur. Alij duas putarunt, vt Pharnutus ſcribit, à conſiderando ſcilicet & efficiendo. Alij ſeptem: hoc ideo fortaſſe, quoniam totidem voces antiqua muſicorum inſtrumenta continebant, vel, quòd totidem ſunt artes liberales. Sed enim quoque paucis referendum eſt quæ de Muſarum numero à Plutarcho in libro Sympoſiacon obſeruantur. Conflatur, inquit, Muſarum numerus, primum ex eo qui vnus & octo dicitur, deinde ex triangularib. ſex videlicet & tribus, inde ex triplicato ternione. Quãobrem, inquit, non eſt ita inſtitutum, vt nouem ſint Mineruæ vel Dianæ, vt nouē ſunt Muſæ. Quin & ipſarum mater Mnemoſyne totidē eſſe literarum reperitur. Tres verò antiquitus exiſtimatas, non ſecundum ea tria modulandi genera, de quibus paulò ſuprà retulimus, verùm quod potius diſciplinas in trib. generib. veteres diſpoſuere, philoſophi, rhetoris, & mathematici. Hinc & tres earum Gratiæ, quæ Muſæ dicuntur. Hinc quoq;, iuxta Heſiodi opinionem, harum quælibet in tres diuiſa. Philoſophia quidem in eam quæ ad rationem, ad mores, & ad naturam pertinet. Rhetorice vero in demonſtrationem, deliberationem. & iudicialē. Mathematica autem in Muſicam, arithmeticam, & geometriam diuiſa eſt. Alij in ea quę ἄπλανῆ dicuntur diſtribuunt, hoc eſt, non errantia, & in ea quæ πλανώμενα, hoc eſt, errantia, & in ea quæ ſub luna corruptioni ſubiecta ſunt. Alia item afferunt multa, vt de Parcis, & de ijs quæ in Sicyone fuerunt, quæ breuitatis cauſa prætereo. Nouem inſuper Muſas numero quidam prodidere, quod is numerus maxime ſit

perfe-

perfectus: vnde Græci pariter & Latini interdum pro maximo numero & conſummato nouem dixere, vt in Homero obſeruat Euſtathius, & in Nicandro grammatici. Idem & Theon in Arato. Et propterea exiſtimauit Heſiodus nouem numerum eſſe Muſarum, quod bonus ſit ad omnia, & æqualiter æquus. Sed & ad hunc numerum reſpexiſſe videri poteſt Horatius, cum quæ perfici volumus opera, nonum in annum premi præcipit. quem poſt ſecutus eſt F. Quintilianus: tametſi decimum in eo loco perperàm quidam reponunt. Antiqui præterea gentium theologi, vt autor eſt Macrobius, nouem ideo Muſas eſſe voluerunt, quod octo ſint ſphærarum cœleſtium muſici cantus, & vna maxima ſit ſphæra quæ conſtat ex omnibus. Vnde Aſcræus Heſiodus octauam Vraniam vocat, quia poſt ſeptem vagas octaua ſtellifera eſt ſphæra, quæ proprio nomine οὐρανὸς, hoc eſt, cœlum vocatur. Nonam verò maximam dixit, qua conſtat ſonorum concors vniuerſitas. Sed & Arati interpres ſcribit, Orpheum lyram ideo nouichordem conſtituiſſe, quoniam idem eſſet Muſarum numerus. Nec defuere etiam qui Muſarum choreas & cantus cum Apolline, mundi totius concentum & ſphærarum, cœleſtiúmque circulorum vertiginem ſignificare dicerent: vnde & Apollo ſua mundum cithara temperare ab Orpheo in hymnis dicitur. At Cenſorinus pleroſque ait exiſtimaſſe ſeptenarium & nouenarium numeros in hominum vita multum valere, quod ſeptenarius ad corpus, nouenarius ad animum pertineat, illéque medicinæ corporis & Apollini attributus, hic Muſis: quia morbos animi quos appellant παθη, muſica lenire ac ſanare conſueuit. Qui verò theologiam Orphicam profeſſi ſunt, illud apud Orpheum obſeruant, ipſum in animis & globis cœleſtibus vim duplicem ſtatuiſſe, alteram quidem in cognoſcendo, alteram in globo ipſo viuificando atque regendo. Nam in lunæ ſphæra vim illam Bacchum Licnitan, hanc Thaliam nuncupaſſe volunt. In Mercurij verò ſphæra, illam Bacchum Silenum, hanc Euterpen. In Veneris ſphæra hanc Lyſium Bacchum, illam Erato. In Solis ſphæra hanc trietericum Bacchum, illam Melpomenem. In Martis hanc Baſſareum, illam Clio. In Iouis hanc Sebazium, illam Terpſichorem. In Saturni hanc Amphieton, illam Polymniam. In octaua ſphæra hanc Pericionium, illam Vranien. In anima autem mundi priorem vim Bacchum Eribromum, alteram Calliopen. Quibus ſic ſtatutis, illud ſubinferunt, quod ideo ſingulis Muſis ſingula Bacchi cognomina conferuntur, vt Muſarum vires diuinæ cognitionis nectare ebrias intelligamus, nouémque Muſas, nouémque Bacchos circa vnum Apollinem, hoc eſt, circa vnius ſplendorem ſolis inuiſibilis diſcurrentes. atque hæc quidem illi. Alij verò ita interpretantur. Iupiter, aiunt, rerum omnium parens, è Mnemoſyne, hoc eſt, è memoria & cognitione ſui Muſas genuiſſe dicitur, quæ mentis conceptus ſignificant, æternarum rerum contemplatores, quæ quidem res intellectu tantum percipi poſſunt. Nam Muſæ dictæ ſunt, vt Plato exiſtimat, quaſi indagatrices, vtpote quæ per naturæ veſtigia ſenſilis atque mathematicæ, ſuperna & cœleſtia indagant. In Heliconis verò montis receſſu, vt nomen ipſum indicat, anfractuoſi, choros ſuos agentes, per quos rerum ſeriem intelligimus, quæ infinitam complectitur ſapientiam. Eius porrò montis duo vertices ſignificare poſſunt tropologiam & anagogen, vel, vt alij, phyſicen & theologiam. Nec defuerunt qui nouem Muſas, nouem beatorum animorum choros, hoc eſt, angelos deſignari crederent. Verum hæc ego ipſe non libenter commemoro, quare iam ſatis. Legimus præterea Lydos proprias quaſdam apud ſe Nymphas Muſas nuncupaſſe, vt eſt apud Theocriti expoſitores. Carius enim Iouis & Torrebiæ filius, vt in quarto hiſtoriarum Nicolaus prodidit, cum forte errabundus vagaretur, ad paludem quandam peruenit cui nondum nomen erat impoſitum, ipſe à matre Torrebiam appellauit, ibiq; Nympharum, quas indigenæ ipſi Muſas vocitāt, auditos cantus edidicit, atq; exinde modulationis Lydiæ autor extitit, vt Stephanus etiam teſtatur. Nos autem vul-

gatam magis hoc libello ſequimur opinionem, quæ nouem Muſas fuiſſe confirmat, quas aliqui Oſiridis, alij Bacchi, plurimi Apollinis comites fuiſſe tradiderunt. Vel propter cœli harmoniam, cuius ſolem principem ac rectorem eſſe philoſophi voluerunt, qua de re & in dialogis de poetis copioſius ſcribere meditamur: vnde & à Græcis Apollo Muſagetes dicitur, quaſi Muſarũ dux, de quo ante alios Lutatius in primo cõmunis hiſtoriæ, vt Probus ſcribit. Quin etiã ab eodem Apolline doctas quidam tradidere, qua ex re & Muſicus eſt nuncupatus. Sunt tamen qui putant Muſas à Parcis edoctas fuiſſe. Diodorus Siculus Muſis ab Ioue patre literarum inuentionem attributam aſſerit. Fuerũt igitur nouẽ Muſæ, Iouis & Mnemoſynes filiæ, vt in Theogonia canit Heſiod. cuius hi ſunt verſ.

Μοῦσαι ὀλυμπιάδες κοῦραι διὸς αἰγιόχοιο,
Τὰς ἐν πιερίῃ κρονίδῃ τέκε πατρὶ μιγεῖσα
Μνημοσύνη Et idem:
Ἐννέα θυγατέρες μεγάλου διός.

Quem Proclus Lycius eſt imitatus in hymno ad ipſas Muſas, ſic canens:

Ὑμνέομεν μερόπων ἀναγώγιον, ὑμνέομεν φῶς
Ἐννέα θυγατέρας μεγάλου διὸς ἀγλαοφώνους.

Item Homerus eas in hymno ita ſalutat:

Χαίρετε τέκνα διός. Idem ait Orpheus in principio hymni, quem Muſis cũ libani, id eſt, thuris ſuffimento dicauit:

Μνημοσύνης καὶ ζηνὸς ἐριγδούποιο θύγατρες
Μοῦσαι πιερίδες. & reliqua.

Nouem verò eas, nouem noctium concubitibus genitas, Heſiodus alijq; Græci poetæ finxerunt. Sed enim ea de cauſa Iouis & Mnemoſynes, hoc eſt, memoriæ filias appellatas inuenio, quod ijs q̃ ad diſciplinas & ſcientias peruenire cupiũt, duo hæc in primis neceſſaria ſunt, intellectus ſcilicet & memoriæ poteſtas: hoc Ģręci μνημονικὸν, illud νοητικὸν vocant. & hoc quidem Proclus in cõmentarijs. Alij tamen Cœli & Terræ filias dixerunt, vt Alcmæon, Pharnutus & Euſebius, quibus in quopiam hymno aſtipulatur Pindarus, ſic Muſam alloquens, ἄρχε δ᾽ οὐρανῷ θύγατερ. vbi commentatores ex Ariſtarchi ſententia & Mimnercæ, aſſerunt Muſas Cœli filias. Idem & Pauſanias, qui non Mimnercam, ſed Mimnermũ hoc ait in elegijs prodidiſſe, in procemio ad Gygẽ Lydum: Antiquiores, inquit, Muſæ Cœli filiæ, Iouis verò iuniores fuere. Muſarum verò nomina Orpheus in hymnis, & Heſiodus in Theogonia duobus his verſibus ita complexi ſunt:

Κλειώ τ᾽ εὐτέρπη τε θάλειά τε μελπομένη τε,
Τερψιχόρη τ᾽ ἐρατώ τε πολύμνιά τ᾽ οὐρανίη τε
Καλλιόπη. & reliqua.

Cum Apolline igitur decem ſunt Muſæ, quoniam (vt inquit Fulgentius) humanæ vocis decem ſunt modulamina, vnde etiã cum decachorda Apollo pingitur cithara. Sed & legis diuinæ ſcriptura decachordum dicit pſalteriũ, quod noſtri Chriſtiani Laudatorium, ſi modo id recte, appellarunt, Hebræi verò Nablon, vt D. Hieronymus docet. A Græcis quoq; tum Nabla tum Naula, tum etiam Nablia dicuntur: qua de re cum ab alijs, tum præcipue ab Athenæo in Dipnoſophiſtis copioſe diſſeritur. Figurantur itaq; vt idem ſcribit Placiades Fulgentius, nouem Muſæ cum Apolline, per quatuor dentes è contrario poſitos, quos lingua percutit, per duo labra velut cymbala verborum, per linguam vt plectrum, per palatum, cuius concauitas profert ſonum, per gutturis fiſtulam quæ excurſu tereti meatum ſpiritalem præbet, per pulmonem, qui velut æternus föllis conceptum ſpiritum reddit & reuocat. Nunc verò illud diſquirendum, vnde Muſæ nomen ſortitæ. Plato quidem in Cratylo Muſas ἀπὸ τοῦ μῶσθαι, quod eſt inquirere, dictas affirmat, cui Pharnutus in libro de natura deorum ſubſcribit: ita enim ait, καλοῦνται δὲ μοῦσαι ἀπὸ τῆς μώσεως, ὅ ἐστι ζητήσεως. Muſæ, inquit, dicuntur ab inquiſitione. Idem ſentit Suidas, qui propterea ait eas ab inquirẽdo dictas, quoniam ipſę ſint

omnis diſciplinæ cauſa. Idem & Palæphatus. Vnde & aliquando Moſas eas antiqui vocauere. Euſebius tamen in Euangelica præparatione Muſas tradit ideo ſic appellatas, quia μυέω apud Græcos honeſta bonáque doctrina inſtituo ſignificat: quamobrē, vt puto, eas Orpheus & Proclus hominibus religionem monſtraſſe in hymnis ſuis cecinerunt. Quidam Muſas per conciſionem, quaſi meluſas, à μέλος declinari voluerunt. Alij verò propter diſciplinarum inter ſe conuenientiam quaſi ὁμοιούσας, vel quod inuicem, ſicut virtutes, neceſſariæ ſibi eſſe videantur, vt ait Caſſiodorus. Vnde fit vt, ab antiquis nonnullis doctrinæ ac ſcientiæ copula ac nodus quidam exiſtimentur. Sed cur Muſas potius antiqui puellas quàm coniugatas confinxere? hoc ſic Cornutus exponit, vt ex re nomina ita ſint ſortitæ fœminea, quod ad earum videlicet ſymbolum multa ſcientia congignatur. Poteſt & dici propter fructum qui gignitur ex animæ iudicio. Virgines quoque dicuntur, quoniam virtutis diſciplinæ, vti virgines abditæ atque incomptæ eſſe videntur, natiuo ſcilicet decore contentæ: id quod & de cæteris diſciplinis non incommodè dici putamus, atque ideo interiores & reconditas literas opinor appellat Cicero. Eadem & ratione Cupido quodam Luciani dialogo, Muſas ait ſe vereri quod virgines ſint; & ſemper aliquid cogitent, ſéque in ſuis cantibus contineant. Muſas inſuper antiqui ſimul verſari, & in chorum numerúmque ludos agere dixerunt propter ſcientiarum copulam & nexum, vt modo dicebam, quo inter ſe diſciplinæ quodam quaſi nodo copulantur & coniunguntur. Hinc opinor cyclicas ſcientias appellat Capella Martianus, & encyclium conſtituit Victruuius, & notiſſima eſt illa à Græcis vocata encyclopædia, de qua Plutarchus, & longè pluribus Proclus, ex noſtris meminit Plinius & Fabius. Eadem cauſa ſorores exiſtimatas facile crediderim. Ad hæc in montibus dicuntur verſari, vt ait Cornutus, quod seceſſu et ſolitarijs maxime locis ſtudioſi viri delectantur. Quin & Plutarchus lucos & Muſarum delubra quàm longiſſime ab vrbibus ſtatuta fuiſſe ſcribit, in eo qui eſt περὶ πολυπραγμοσύνης inſcriptus. Sunt & qui ideo in Heliconis & montium verticibus verſari autument, quod ipſa ſapientia, atque intellectus, ex quibus diſciplinæ ac ſcientiæ nobis comparantur, dicuntur in hominis capite: id quod in primis Platonicis placet, vt in puriori & eminentiori loco eſſe, quæ per Muſas intelliguntur. Eas etiam palma coronari multi prodidere, propter quandam nominis ſimilitudinem. Phœnicum enim populorum inuentum eſſe literæ dicuntur, & ab ijs ad Græcos delatæ: idcirco & id vtrunque apud Græcos phœnix ſignificat, id quod me oſtenſurum pluribus ſpero in primo de Poetis dialogo. Vel, vt conſentaneum magis Cornuto videtur, ideo palma Muſæ coronantur, quoniam eius arboris fructus dulcis ſit, multiuiuus, tarde creſcens, & multiplex & copioſus. Attribuitur & laurus Muſis, vel quod ea arbor ad inſpirationem & afflatum, & vt Græci dicunt, enthuſiaſmon conferat, quod Sophocles in Caſſandra docet. Vel quod eius arboris guſtu poeticam ſe facultatem adipiſci antiqui credidere, vt Lycophron innuit, qui poetam daphnophagon vocat, & de ſe canit Heſiodus: atque ideo etiam à Iuuenale dictum, Laurúmque momordit. Vel potius quod ea arbor ſemper ſit virens, atque ſimili modo bonorum poetarum verſus vireſcere perpetuò dicuntur docta per ora virorum. Quin & eadem cauſa in Muſarum & Apollinis certaminibus poetas victores, quaſi immortalitate quadam dignos, lauru coronari apud antiquos, & nunc improba quadam ambitione moris eſſe videmus. His ita à me collectis, planè congruum videtur, Muſarum etiam cognomina, quorum frequens apud ſcriptores fit mentio, paucis recenſere. Sunt igi. in primis Muſæ Nymphæ nūcupatæ, quod Acron notat illo Horatij verſiculo:

Vidi docentem, credite poſteri,

Nymphasq; diſcentes. Item Verg.

Nymphæ noſter amor Libethrides.

Huc adde quæ de Nymphis Lydorum paulò ante retulimus, quæ Muſæ dictæ ſunt. Vocantur & Camœnæ quaſi canienæ, à cano, vt Feſtus, Macrobius & Seruius docent. M. tamen Varro primum Caſmœnas dictas ait, inde Carmœnas, poſtremo litera r ablata, Camœnas. Dictæ ſunt & Heliconiades ab Helicone Bœotiæ monte, non Parnaſſi iugo, vt cum Seruio grammaticorum plerique exiſtimarunt. In Helicone quidem, vt antè retulimus, Muſis primi ſacrificauere Otus & Ephialtes fratres, eúmque montem Muſis ſacrum eſſe voluerunt. Sed & Heliconem quidam fluuium quoque fuiſſe prodiderunt, qui per LXX. ſtadia lapſus ſub terram fluit, atque ita XX. circiter ſtadia occulto & ſubterraneo curſu labens rurſus erumpit, & pro Helicone mutato nomine Baphyras vocatur. Id ea cauſa factum Græci fabulantur, quod quæ Orpheum diſcerpſerunt mulieres, in eo cum ſe abluere vellent, fluuius tum alueum abdidit. Quidam Heliconem montem Meliſſum appellant, vt Nicandri expoſitores teſtantur. Alij non à monte, ſed ab inſtrumento muſico quod helicon dicitur, in quo chordæ nouem inueniuntur, dictas Heliconiadas autumant: de quo quidem inſtrumento cum alij, tum in muſica ſua meminit Ptolemæus, quam latinam fecit noſter Leonicenus. Sed de hoc ſatis. Dicuntur & Parnaſſides Muſæ, à Parnaſſo Phocidis regionis monte, qui & Larnaſſus antiquitus dictus eſt, teſte Stephano & Apollonij commentatoribus, à larnace, id eſt, ab arca Deucalionis quæ ibi delata fuit. Longe verò poſt diluuium Parnaſſus dictus eſt ab heroe Parneſſo eius montis incola, vt Hellanicus memoriæ mandauit. Alij a Parnaſſo Cleodoræ Nymphæ & Neptuni ſiue Cleopompi filio. In Parnaſſo alternis annis bacchanalia agebantur, vbi Satyrorum frequens cernebatur cœtus, & plerunque voces exaudiebantur, itémque cymbalorum crepitus ad hominum aures perueniebant, vt apud noſtros Macrobius notat. A montibus Aonijs Bœotiæ, Aonides frequenter Muſæ cognominantur. Bœotia quoque regio & ipſa Aonia dicta eſt, à cuius etiam populis Hyantijs, Hyantiæ ſorores dictæ ſunt à poetis. Citheriades verò nuncupatæ à Citherone mõte, vel ſaltu Thebis propinquo. Pierides vel Pieriæ, à Piero monte, vt ait Feſtus, dictæ ſunt. Stephanus tamen Pieriam ciuitatem & regiunculam nominat: ſed Apollonij interpretes Pieriam montem Thraciæ aſſerunt, in quo verſatus eſt Orpheus. Græci Heſiodi expoſitores Pieriam Macedoniæ montem eſſe tradunt: in quo genitæ ſunt Muſæ, qui mons Thraciam vſque attingere dictus eſt: quod ea ratione fictum arbitramur, quoniam primus apud Græcos & ſapiens & poeta & theologus Orpheus in hæc loca diuerſatus eſt. vel ſi Ouidio poetæ credimus, Pieriæ Muſæ dictæ ſunt à Pieri & Anippes filiabus, quæ cum veris Muſis auſæ ſunt decertare, vnde victæ in picas mutatæ fuerunt. Pierum etiam vetuſtiſſimum poetam legimus, à quo Græcorum nonnulli Muſas aiunt lepidis adeò carminibus celebratas, vt ab eo etiam Pieriæ nuncupatæ ſint. Alij verò quod Pierus Macedo, à quo mons cognominatus eſt, cum Theſpias profectus eſſet, primus Muſas nouem ſtatuerit, id quod in Bœoticis ſcribit Pauſanias. Pegaſides quoque dictæ ſunt, vt Feſtus docet, à fonte quem Pegaſus ictu vngulæ fingitur aperuiſſe: ob quam cauſam & græcè Hippocrenæ appellatæ ſunt ab ipſo fonte, cuius aquas vocales fuiſſe plurimi ſcripſere Græcorum: à quibus, vt videtur, Sidonius Apollinaris loquaces denominat, cum inquit:

Texerunt vitreæ vado Hippocrenes,
Tunc hac merſus aqua loquacis vndæ.

& reliquum. Idem Statius in epithalamio Stellæ poetæ:

Et de Pierijs vocalem fontibus vndam.

Pindari commentator rem ad allegoriam refert, quod ſcilicet poetæ ſoliti eſſent canere carmina, vel propter Muſicam quæ fit ex aqua, cuius & nos antè meminimus. Ab eodem etiam fonte Aganippides frequenter appellantur, quoniam & fons ipſe Aganippe cognominatus eſt. Alij licet Aganippe fontẽ fuiſſe velint in

Helicone,

Helicone,ſic ab Aganippe dictum Termeſſi fluminis filia. Fluit autem Termeſſus,vt ſcribit Pauſanias, circum Heliconem. Multa hic conſulto prætereo quæ de Pegaſi fabula afferre potuiſſem, ſed ea cum Græcis tum Latinis notiſſima. Iliſſides quoque & Iliſſiades Muſæ nuncupatæ ſunt ab Atticæ flumine Iliſſio,vt in Attica Pauſanias docet. Stephanus tamen ab vrbe Iliſſo dictas exiſtimat, teſtémque vocat Apollodorum. Theſpiades vero Muſæ vocantur, non, vt quidam putant, à Theſpia matre vel nutrice:quod nuſquam apud idoneos autores compertum, ſed à Theſpia vel Theſpijs,vtroque enim modo dicitur, vt ait Stephanus, ciuitate Bœotiæ, vbi præcipuè Muſæ colebantur. Si quis tamen quærat quænam fuerit Muſarum nutrix, is Hyginum in aſtronomico poetico legat, & in Aratum Latina commentaria,quæ in Baſſum à quibuſdam referuntur, vtrique enim eam Euphemen vocant, quæ Crotonem filium habuit,qui Muſarum precibus, quod inter eas eſt verſatus,& ab his muſicam edoctus ab Ioue inter ſidera collocatus,ſagittarij nomen habet. Huius quidem Euphemes ſtatuam Pauſanias in Helicone poſitam fuiſſe ait ad muſarum lucum. At Libethrides à Magneſiæ fonte Muſis ipſis conſecrato nuncupatæ ſunt,cuius Plinius & Solinus meminere. Sedenim Libethrium montem triginta ab vrbe Corona ſtadijs Pauſanias diſtare facit, in quo & fons & Muſarum Libethriadum ſimulachra fuiſſe dicuntur. Fuit & Libethra ciuitas in monte Olympo, vel Dionyſij oraculo memorabilis, de non eruendis à ſue oſſibus Orphei. Sunt & nominatæ Pimpleiades, à fonte vel vico Macedoniæ,vt Porphyrion ait: vt verò interpretes Apollonij, à Pimplia regione quę eſſet prope Pieriam. Iidem & montem & fontem & pagum Pierij eodem nomine commemorant. Literarum tamen quidam (vt videtur) parum gnari, Pipleades potius quàm Pimpleiades vocitant. Græci certe, quorum hoc eſt vocabulum, πίμπλεια καὶ πίμπλια, non πίπλια efferunt. Videtur tamen Varro in tertio de Lingua Latina Pipleadas nuncupare, ſicuti Acron etiam, qui eas ab aliquibus à peplo veſtis genere dictas ait, vel ab Orchomeniorum monte Pimpleo. Non deſunt inter grammaticos qui hic meras nugas confingant, quæ deuorandæ à nobis potius quàm adſcribendæ ſunt. Caſtalides Muſæ nominatę ſunt à Parnaſſi fonte Caſtalio, cuius aqua potu dulcis fuiſſe traditur, quanquam apud Stephanum Caſtalia eſt ciuitas Ciliciæ.Nicephorus in interpretatione Syneſij fontem eſſe prope Antiochiam Syriæ,vbi oracula redderentur,teſtatum reliquit.Idem ſcribit multò ante Nicephorũ Clemens & alij. Mythologi quidem Caſtaliã ferunt virginẽ quampiam fuiſſe,quam cũ ardentius Apollo deperiret,eiq; vim inferre ſtuderet, ſeſe in fontem ipſam præcipitaſſe, à cuius nomine Caſtalius fons cognominatus eſt. Idem grãmaticus Lactantius, qui & Lutatius à nonnullis. At verò Probus, Caſtalius,inquit,fons eſt Delphis in Apollinis oraculo,qui abluit ipſam arã dei,dictus à Caſtalio Delphici Apollinis filio, alij à Caſtalio patre Thyię,vnde Thyiades Bacchę Nymphę vocatę ſunt.Panyaſis poeta Caſtaliam hoc uerſu Acheloida vocat:

Caſtaliæ aduenit diuinam Acheloidos undam.

(ſic enim ego ex tempore luſi) quo fit vt nonnulli Acheloi filiam Caſtaliam exiſtimarint. Corycides quoque appellatæ ſunt à colle, vel antro potius Corycio in Parnaſſo Delphis proximo, cuius meminit & Laertius in vita Pherecydis,& Apollonij Rhodij commentatores, qui nuncupatum illud aiũt à Nympha Corycia, cuius & Apollinis Lycoreus filius fuit, à quo Delphici incolæ Lycores nuncupati ſunt,aliæ ſint licet de ijs populis opiniones,quę noſtri non ſunt inſtituti. Alterum præterea antrum Corycium & vrbs in Cilicia fuit, vel croco nota, vt Herodotus & Strabo aliique. Stephanus tamen & multis alijs in locis eius nominis eſſe vrbes oſtendit. Ad hæc Mmemoſynides vocatæ ſunt Muſę, à matre earũ Mnemoſyne, quæ vt diximus, eſt memoria. Pateides quoq; vt ait Feſtus Pompeius, à fonte Macedoniæ, propter liquoris

eius vni-

eius vnicam ſubtilitatem. Dicuntur & Ligiæ, vt in Phædro ſcribit Plato, ſiue propter ſpeciem cantus, ſiue propter muſicum genus canorum, quod ligium nuncupatur. Olympiadas & Varro nominat ab Olympo monte, carmen illud afferens:

Muſæ quæ pedibus magnum pulſatis Olympum.

quod quidem carmen ab Homero deductum videtur, qui Muſas inuocat olympia tecta habitantes hoc carmine,

ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι ὀλύμπια δώματα ἔχουσαι.

Cuius etiamnum hemiſtichium & pars extrema cùm apud alios, tum apud Heſiodum legitur. Sed & Olympiadas Terentianus Muſas hoc verſu vocat:

Carmen ſuaue dediſtis Olympiades mihi Muſæ.

item Heſiodus in Theogonia:

μοῦσαι ὀλυμπιάδες κοῦραι διὸς αἰγιόχοιο.

Sunt demum Ardalides Muſę cognominatæ ab Ardalo Vulcani filio, qui cũ ad Trœzenios tibiam & Muſas detuliſſet, eas ita appellauit. autor Plutarchus in Sympoſio, & Stephanus, qui ait, ἀρδαλίδες καὶ ἀρδαλιώτιδες τιμῶνται αἱ μοῦσαι ἐν τροιζῶνι, ſic dictæ vel à quopiam Ardalo, vel à loco. Amplius addit Pauſanias, apud Trœzenios veterem fuiſſe aram, ſuper quam Muſis & Somno rem ſacram faciebant. quòd ſcilicet ſomnum Muſis conuenire arbitrabantur. Item Muſas interdum Mæonidas vocat Ouidius, à Mæonia, vt putatur, regione: tametſi à Myonia Phocidis vrbe Myonias quidam dictas putant.

Verum his à nobis ſic expoſitis, iam ipſarum nouem muſarum nomina ſigillatim interpretari aggrediamur. Eſt igitur prima Clio nominata ἀπὸ τοῦ κλέω, quod eſt laudo, vel vt Cornutus ait ἀπὸ τοῦ κλέους, propter gloriam quam erga doctos, & ipſi erga alios habent: vel propter gloriam quæ ex poetarum laudibus oritur, vt ait Diodorus Siculus. Fulgentius tamen Clio, inquit, prima Muſarum appellata eſt, id eſt, cogitatio quærendæ ſcientiæ. Quidam hanc hiſtorijs præeſſe exiſtimant, quod Apollonij commẽtatores in tertio Argonauticon affirmant. Ialemi quoque mater Clio fuiſſe perhibetur & Hymenæi. Alij tamen aliter, vt paulo infrà dicemus. In Adonidis hiſtoria legitur, & ex Magnete Clio genuiſſe Linum, quem alij Vraniæ filium prodiderunt, vt ſuo loco dicemus.

Secunda Euterpe vel Euterpea Muſa nominatur, quę Latinè iucunda dici poteſt. εὐτερπὴς enim apud Græcos iucũdum deſignat & delectabilem, propter voluptatem quæ ab audientibus ex honeſta eruditione percipitur. At Fulgentius, Euterpe, inquit, quam nos latinè benedelectans dicimus, ideo dicta eſt, quod primum ſit ſcientiam quærere, ſecundum ſit delectari quod quæras. Plerique eam tibijs delectari & ijs præeſſe ſcribunt. Alij dialecticę. Apollonij verò Rhodij expoſitores μαθήματα, hoc eſt, diſciplinas inueniſſe affirmant. Sunt & qui Rheſi matrem ſcribant.

Thalia Muſarum eſt tertia, quæ ἀπὸ τοῦ θαλλεῖν, hoc eſt, à vireſcendo denominatur, διὰ τὸ θάλλειν, vt ait Cornutus, τοὺς βίους αὐτῶν, id eſt, quod reuireſcere faciat ipſorum poetarum vitam. vel, vt idem ſubiungit, quoniam & in conuiuijs ipſos virtutem habere, & honeſte in eis conuerſari ſuadet. vel, quoniam in longum tempus, vt alij ſcribunt, poetarum laus parta vireſcat. Nonnulli Thaliæ comœdias attribuunt, alij geometriam. At Græcorum quidam eam Palęphati matrem fuiſſe volunt, qui de colendis arboribus multa perſcripſit. quin & expoſitores Argonauticorum & ipſam Thaliam agricolationem inueniſſe tradunt, necnon plantarum curã docuiſſe. Thaleam nos potius latine dicere debuiſſe ſcribit Seruius: nam græce θαλεία eſt, non θάλια. Verum ea mihi inanis videtur fuiſſe obſeruatio, quando ει græca diphthongus & in i, & in e, apud nos frequentiſſime vertitur, vt Pitho, Medea, & alia ſexcenta.

Melpomene quarta eſt, quam ἀπὸ τοῦ μέλπεσθαι, hoc eſt, à canendo dictam arbitramur, quoniam hanc audiẽtes demulcentur: vel quaſi μελέτην ποιουμένην, id eſt, meditatio-

meditationem facientem, vt primum ſit velle, ſecundum deſiderare quod velis, tertium delectari, quartum inſtare meditando ad id quod deſideras, ait Placiades. Pharnutus tamen ἀπὸ τῆς μολπῆς, hoc eſt, à dulcedine vocis dictam exiſtimat. Huic alij tragœdias, nonnulli verò cantilenas, Græci quidã rhetoricã adſcribũt.

Quinto loco ſuccedit Terpſichore, quæ choreis delectatur. Eſt enim χορεία tripudium, & τέρπω delecto, eo quòd oblectet audientes, propter bona quæ ex doctrina proueniunt. Pharnutus verò appellatam ait διὰ τὸ τέρπεσθαι καὶ χαίρειν αὐτὴν τὸ πλεῖστον μέρος τοῦ βίου, hoc eſt, quoniam vitæ pars plurima ea & delectetur & gaudeat: vel propter aſpectus delectationem, vna tantum adiecta litera χ, quaſi τέρψεις ὁρόν. Quidam hanc cithariſtriam dixerunt, ei pſalterium attribuentes. nonnulli & inueniſſe pædian, id eſt, humanitatis diſciplinam prodidere. Plerique ſine afflatu ob vocis aſperitatem ſcribere conſueuere. Ex hac eadem Achelous genuiſſe Sirenas, Græcorum quidam ſcriptores tradiderunt, etſi Seruius & Fulgentius ex Calliope potius genitas autument. Ex hac eadem Strymon Rheſum, & Mars Biſthonem, à quo Biſthonia regio nominata eſt, filios ſuſtulerunt.

Amabilis Erato ſextum ſibi locum vendicat, quam ἀπὸ τοῦ ἔρωτος deductam etiam Ouidius poeta illo verſiculo innuit lib.2. de arte:

Nunc Erato, nam tu nomen amoris habes.

Eadem cauſa illam in tertio Argonauticon inuocat Apollonius. Diodorus verò ea ratione id nominis ſortitam eſſe Erato ait, quod docti viri ab hominibus amantur & laudantur. Placiades tamen dictam exiſtimat quaſi εὑρὼν ὅμοιον, hoc eſt, ſimile inueniens: quia poſt ſcientiam & memoriam, iuſtum eſt vt aliquid de noſtro ſimile inueniamus. At verò Cornutus ab interrogando & reſpondendo, id eſt, ἐρέσθαι καὶ ἀποκρίνεσθαι, hæc enim duo maxime diſputantibus & eius facultatis ſtudioſis conuenire videmus. Saltatricem Erato poeta illo verſiculo deſcribit:

Plectra gerens Erato ſaltat pede, carmine, vultu.

Quin & ipſam ſaltandi rationem inueniſſe, Græci quidam commentatores prodidere, alij muſicam. At Proclus qui in Heſiodum commentarios reliquit, poeſeos ei inuentionem attribuit. Eadem & Thamyræ mater perhibetur, qui amatoria primus cecinit, de quo in poetarum dialogis plura. Arcades Erato inter Muſas non connumerãt, ſed vatem quampiam fuiſſe aiunt, quæ Arcadi Caliſtus filio nupſerit, eáq; mortalibus Pana oracula dediſſe.

Septima ſequitur Polymnia, quam Polyhymniam interdum etiam propter verſus menſuram vocatam videmus, vt in illo:

Rhetoricos dictat Polyhymnia muſa colores. Et Horatius:

Euterpe cohibet, nec Polyhymnia.

Eadem lege & Martialis & Græci poetæ nonnunquam vtuntur. Neque enim ijs aſſentiendum puto, qui apud Horat. Polymneia legunt, & minus ijs qui neque prima producta proferunt. Et inde etiam colligere poſſumus, non eam habere deriuationem, quam quidam habere autumant, πολλῶν ſcilicet μνείαν, vt ſi dicas latine multimemorem: nam potius à laude, id eſt, ὕμνῳ deducitur. Cornutus quoque philoſophus eam vult appellari quaſi πολυύμνητον ἀρετὴν, plurimum quando virtute laudamur. Verum Fulgentius alterius eſt ſententiæ, vt videlicet quaſi πολὺς μνεία vocetur, id eſt, multa memoria: memorem nanque eſſe oportet diſciplinarum ſtudioſum. Vtranque nominis interpretationem Diodorus viſus eſt amplecti. Polymnia, inquit, ſic ideo nuncupata, quod cantus ſuauitate poetas reddit gloria immortales, & poſteritatis memoria commendat. Caſſiodorus in varijs libr.4. de comœdia agens, inquit: Vbi ruſtici geſtientes humanos actus lætiſſimis carminibus irridebant, ijs ſunt additæ orchæſtrarum loquaciſſimæ manus, linguoſi digiti, ſilentium clamoſum, expoſitio

tacita

tacita, quam Muſam Polymniam reperiſſe narratur, oſtendens homines poſſe & ſine oris affatu ſuum velle declarare: atque ille quidem his verbis mimorum geſtus Polymniæ attribuit. Græci alij quidam grammaticam & literas. Sed enim Plutarchus in ſympoſiacis Polymniæ ideo hiſtorias attribui aſſerit, quod ea multarum rerum ſit memoria. Quidam tamen lyræ præeſſe autumant, id quod & in commentarijs Argonauticon Apollonij obſeruatum legimus. In ijs verò quæ in Heſiodum ſcripta ſunt, geometriæ præficitur: tanta eſt adeò inter ſcriptores varietas. Quidam & hanc ipſam matrem fuiſſe Triptolemi voluerũt, cum vulgò tamen aliter exiſtimetur.

Vrania octaua eſt Muſa, quam cœleſtem quidam, multi aſtrologiam appellant, dictam ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, hoc eſt, à cœlo. Nam vt ſcribit Pharnutus, ὅλους κόσμους οὐρανοὺς ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ, hoc eſt, integrum quidem mundum priſci cœlum vocabant. vnde puto illud eſt Plinij in ſecundo notiſſimum, Mundum, & hoc quod alio nomine cœlum appellamus. A cœlo igitur Vrania appellata eſt, quoniam docti vbique gentium noſcuntur, ſeu quoniam viros eruditos ad cœlum vſque euehat, ſeu quod gloria & ſapientia animos eleuat ad cœleſtium contemplationem, vt ait Fulgentius. Aſtrologiæ præeſſe creditur. Quin & ipſius artis inuentricem fuiſſe in commentarijs in Argonautica legimus. Catullus quidem poeta Vraniam Hymenæi nuptiarum dei matrem exiſtimaſſe videtur in Manlij epithalamio. Sed alia eſt de eo Græcorum opinio, vt ſtatim dicemus. Sanè & Venus Vrania cognominatur à Græcis, vt aliàs ex Pauſania docuimus. Sed & eam Aegyptij hoc nomine vocitant, vt docet Aelianus libro quarto de animalibus. Linum quoque huiuſce Muſæ filium Græci quidam tradidere. Quin vt Pauſanias ſcribit, ante Muſarum ſacrificia Lino parentabant Heliconij. Sunt etiam qui minacem illam & diram Helenæ ſtellam Vraniam appellent, vt teſtis eſt Lutatius ſeu Lactantius Placidus. Miror quoſdam, alioqui eruditos nec incelebres poetas, qui, quod in quopiam incerti autoris epigrammate legiſſent,

Vrania poli motus ſcrutatur et aſtra,

vnam atque alteram in hac dictione ſyllabas contractiores, contra omnem temporum muſicorum legem productiores fecerint.

Nona poſtremo loco Calliope Muſa memoratur, quæ cantus ſuauitate & modulatione cæteris antecedens, ab omnibus plurimi æſtimatur, vnde & à bona voce, hoc eſt, ἀπὸ τῆς καλῆς ὀπός denominatur: & Homerus canit, θεᾶς ὄπα φωνησάσης, hoc eſt, deæ vocem clamantis. Et Heſiodus poeta eam ait ſequi fortia facta ducum. Pharnutus vtique eam rhetoricæ præeſſe exiſtimat, quæ vim perſuadendi obtinet, & impellendi populos. Verum alij Græcorum Grammatici poeticæ præfectam eſſe aiunt, vnde & frequentius à poetis ipſis inuocari ſolet. Literas quoque huic ijdem attribuunt. At qui in Heſiodum commentaria compoſuerunt, Calliopen ideo præſtantiſſimam & maximam cæterarum dictam volunt, quod omnibus carmina & verſus præſtare dicatur. Ariſtarchus tamen προφορεσάτην, quaſi πρεσβυτάτην, hoc eſt, vetuſtiſſimam & antiquiſſimam interpretatur. Antiquior enim, inquit, poetica cæteris diſciplinis, cùm honore, tum tempore, id quod in primo de poetis pluribus me oſtenſurum puto. Suprà verò ex antiquis theologis ideo maximam & præſtantiſſimam diximus nonam Muſam, hoc eſt, Calliopen appellatam, quod per eam ſignificetur concors ſonorum vniuerſitas ſphærarum cœli, quas Plato, ne alios nunc philoſophos citem, moueri exiſtimauit motione concordis harmoniæ. Ex Calliope verò, teſte Aſclepiade, Apollo natos treis ſuſtulit, Ialemum, Orphea, & Hymenæũ: & propterea Martianus Capella & Claudianus Hymenæum Muſa genitum canunt, licet Catullus Vraniæ genus, vt paulò ante diximus, illũ fuiſſe canat. Sũt qui nõ Apollinis Hy

menæum,

menæum,ſed Magnetis filium fuiſſe tradunt,ipſúmque Hymenæum amatum à Thamyra,qui impudicæ veneris autor fuerit.De Orpheo quoq; alij non Apollinis,ſed Oeagri filium,vt res eſt notiſſima,ſcripſere.Quin idem ipſe Orpheus alicubi teſtatur.Sed & Cymothona ex iiſdem Oeagro & Calliope progenitum legimus in græcis commentarijs.De Ialemo vero Suidas refert quod infelix fuerit & orphanus,vnde etiam prouerbium factum,Ialemo frigidior,de re admodum frigida & miſerabili & flebili:nam & fletum Ialemum dicimus. Quidam præterea Calliopes,non Melpomenes(quod ſupra diximus) Sirenas filias tradidere.Scribit Hyginus Calliopen ab Ioue iudicem electam inter Venerem & Proſerpinam,cum vtraque Adonin ſibi optaret,at illa ita iudicauit,vt dimidiam anni partem alterutra poſſideret:qua re,ait,Venus indignata, Orpheum Calliopes filium Threſſis mulieribus obiecit,quæ illum diſcerpſerunt.Atque hactenus de Muſarum nominibus,eorúmq; expoſitione,ſatis.Nunc quæ ad ipſas in vniuerſum pertinere viſa ſunt exponam,ſint licet pleraq; omnia fabuloſa ; non ſine tamen occulta ſignificatione & allegoria.Illúdq; in primis afferemus, Muſarum volucres apes exiſtimatas eſſe,cuius rei teſtis eſt Varro doctiſſimus , qui in libris de Re ruſtica ita loquitur:Quæ,inquit,apes cum cauſa Muſarum eſſe dicuntur volucres,quod & ſi quando diſplicatæ ſunt,cymbalis & plauſibus & numero reducuntur in locum vnum,& vt Muſis Helicona atq; Olympum attribuerunt,ſic his floridos ac incultos natura attribuit montes. Proinde etiam non defuerunt qui Ariſtæum ſcripſerunt paſtorem fuiſſe Muſarum,propterea, quòd primus apes,& mellis vſum adinuenit.Comatã quoq; paſtorem fuiſſe legimus in commentarijs Theocriti,qui ex pecoribus ſingulis Muſis cum rem ſacram faceret,eius dominum indignatum fuiſſe,illúmq; ideo in ligneam arcam concluſum Muſis eius ſalutem commiſiſſe,quas mirum in modum Comatas paſtor colebat:at arcam inſequenti mox tempore adaperiens dominus,Comatan viuum reperit,in eáq; mellis fauos,quibus Muſæ Comatæ vitam conſeruauerant.Cicadas inſuper Philoſtratus in Apollonij Tyanei vita,& Plato in Phædro, à Muſis cantum habuiſſe ſcribunt,dicente Socrate.Fertur autem olim cicadas homines fuiſſe ante Muſas:natis deinde Muſis,cantúq; monſtrato,illorum nonnullos voluptate cantus vſq; adeo delinitos fuiſſe,vt canentes cibum potúmq; negligerent,imprudentérq; perirent:ex quibus deinceps cicadarum genus ſit natum, cui Muſæ hoc munus dederunt,vt alimonia non indigeat,ſed abſq; cibo potúq; quamdiu vixerit cantet:poſtea vero ad Muſas proficiſcatur,quam quis hominũ colat renunciaturum:illáſq; gratas reddit mortalibus,cuius ipſi fuerant ſtudio emancipati,ſicut amantes Erato,ſaltatores Terpſichoræ, philoſophos Vraniæ, & ſic præterea. Muſas vero alatas ſcribit Porphyrius in tertio de ſacrificijs,id quod & à poetis ſæpe dictum eſt.Vnde Ouidius de Pyreneo vim Muſis parante inquit:

Clauſit ſua tecta Pyreneus,
Vímq; parat,quam nos ſumptis effugimus alis.

Sirenas L.Columella in carmine de hortis, Muſarum comites ſtatuit: ita enim ille:

Nunc vos Pegaſidum comites Acheloidas oro.

Pauſanias tamen & Stephanus Muſas aliquando cum Sirenibus ab Iunone incitatis certamen habuiſſe tradunt,quo victæ Sirenes pennas perdidere,atq; idcirco à re locus Aptera in Creta vocitatus eſt:tum ex ijs pennis Muſæ ſibi coronas compoſuiſſe dicuntur,id quod ſub allegoria intelligi poteſt,de malis & ineptis poetis,qui bonis infeſti ſunt,& fuere ſemper,ſed demum bonis & doctis vincuntur inepti.Exiſtimat Euſtathius ab Homero verba alata,hoc eſt,ἔπη πτερόεντα dicta fuiſſe,quòd cùm Muſæ Sirenas viciſſent in certamine,ex earúmq; pennis ſe coronaſſent,illis etiam placuiſſe vt verba pennata, ad maiorem Sirenum ignominiam dedecúſq;,appellaretur. Alij non fabuloſe,ſed propter verborum celerita-

celeritatem, vel ob eam quæ in ipſis verbis eſt harmoniam & conſonantiam. Alij quòd tanquam alæ verba aera feriant. Thamyras quoq; à Muſis occæcatus fuiſſe traditur, quæ res eſt, vel Homero teſte, notiſſima. Muſas inſuper nigram habere comam, innuere videtur Pindarus cum cecinit, ἰοπλοκάμων μουσᾶν, in hymnis Pythicis, quo loco interpres exponit μελανοπλοκάμων, id quod quamuis ad formam referri poſſit, nihilominus & ad arcanos & occultos poetarum ſenſus referri commode poteſt. Paſtores etiam Muſis operari & rem ſacram facere tradit Theocritus, & eius expoſitor, qui hac de cauſa id fieri ait, διὰ τὸ μέλειν αὐτοῖς ᾠδῶν ὧν αὐταὶ ἔφοροι, quoniam ſcilicet ipſis cura eſt cantilenarum, quarũ ſunt ipſę pręſides. Quinimò in hymno quodam Nemeęo Pindarus eas vult filias eſſe Muſarum, cum ita canit:

αἱ δὲ σοφαὶ μουσᾶν θυγατέρες ἀοιδαί.

vbi commentatores hæc identidem inculcant, Muſarum filiæ cantilenæ: qua de re & Maneros agricola, vt eſt apud Iulium Pollucem, Muſarum diſcipulus fuit, q. apud Aegyptios agricolarum canticum adinuenit, quod ab ipſius nomine Maneros appellatum eſt. Alia de hoc ipſo Manero Plutarchus in Oſiri & Iſi. Fuit & Romæ Camœnarum lucus, vt ſcribit Liuius, quem Numam Pompilium ait condidiſſe, & medium ex opaco ſpecu fons perenni rigabat aqua: quò quia ſe perſæpe Numa ſine arbitris, velut ad congreſſum deæ inferebat, Camœnis eum lucum ſacrauit, quod dearum ſibi concilia cum coniuge Aegeria eſſent, & ſoli Fidei ſolenne inſtituit. Addit Plutarchus in Numa, & locum & prata eiſdem dicaſſe, vbi ancyle è cœlo ceciderat. Dionyſius vero Halicarnaſſeus, & Aegeriam ipſam Muſam ait ab aliquibus exiſtimatam eſſe. Metapontini etiam vicum vbi Pythagoras diuerſari ſolitus erat, Muſarum vocauerũt, teſte Laertio. Lycurgus quoq;, vt eſt apud Plutarchum, bellicæ exercitationi Muſicę ſtudium admiſcuit, quo bellandi vehementia modulatione temperata, conſonantiam conuenientiámq; haberet. Itaq; rex antequam pugnas iniret, Muſis, quod etiam Capella teſtatur, litabat, quo & oratione præclaráq; memoria digna facinora pugnantes ederent. Ptolemæum Philadelphum ſcribit Victruuius in 7. architecturæ, cum nobiliſſimam ſuam illam Alexandriæ bibliothecam conſtituiſſet, ludos Muſis & Apollini feciſſe, & in ijs victoribus pręmia conſtituiſſe. Pythagorã quoq;, ſcriptum reliquit Cicero, bouem Muſis immolaſſe, cum neſcio quid in geometria reperiſſet. Illud etiam, quod notiſſimum eſt, addo, Herodotum, qui Græcorum eſt elegantiſſimus & florentiſſimus hiſtoriarum ſcriptor, cuiq; neſcio quo modo T. Liuium Quintilianus comparat, libros ſuos nouem hiſtoriarum, à nouem Muſarum nominibus prænominauit. Illud etiamnum obſeruat A. Gellius, viros quoſdã doctos libros ſuos Muſas inſcripſiſſe, vt Aurelius Opilius, etſi antiquarij ex nomiſmatibus quibuſdam vetuſtis Opelium potius quàm Opilium ſcribi contendant. Bion quoq; rhetor nouem & ipſe libros edidit Muſarum nominibus inſcriptos. Mitto hoc loco poetas pleroſq;, qui fabulas & poemata eodem Muſarum nomine vocitarunt, id quod copioſius manifeſtiúsq; oſtendam in his, quos diu parturio, poetarum dialogis. Legimus præterea quoſdam apud antiquos Muſæ nomine cognominatos, vt medicus ille inſignis Antonius Muſa, q. cum Octauio Auguſto vixit. Fuit & Muſa declamator, cuius nonnullæ ſententiæ apud Senecam leguntur. Fuit & Pomponius Muſa, cuius inſignia extant nomiſmata. Sed & Muſam ſuam Athenienſes Mineruam dicere ſolebant, quam & M. Antonio blandientes, qui ſe Liberum patrem dici volebat, in matrimonium deſponderunt. ille ducturum ſe recepit, ſed ab ijs ait ſe mille talenta dotis nomine accipere velle, quam pecuniam & exegit, re eludens inuerecundam illorum aſſentationem. Sed cum doctrinarum & leporum Muſæ ſint præſides, homines inelegantes & ſine doctrina ac lepôre antiquo prouerbio eludimus, ἀμούσους gręca voce nuncupantes, eóſq; à Muſis Gratijsq; abhorrere dicentes.

Nę illud quoq; non prætereundum, quod apud Suet. Tranquillum in Auguſto, &

ſto,& Ouidium in Faſtis legimus de Hercule Muſarum,qui à Martio Philippo dicatus eſt,æde conſtructa ipſius dei & Muſarum quæ vnà colebantur: cuius rei cauſam Plutarchus in quæſtionibus veſtigans,ex Iubæ autoritate ait, Euandrũ edoctum ab Hercule literas,gratis id ſtatuiſſe.Alij vero Herculem Muſageten appellatum fuiſſe tradunt ſeorſum ab Apolline,cuius antè meminimus: qua de re in oratione de inſtaurandis ſcholis incerti autoris, quam nihilominus Eumenij fuiſſe quidam(quod ex ipſa oratione colligitur)exiſtimant,hanc talem hiſtoriam his verbis legimus:Aedem,inquit,Herculis Muſarũ in circo Flaminio Fuluius ille nobilior ex pecunia cenſoria fecit,non id modo ſecutus,quòd ipſe literis & ſumma poetæ amicitia duceretur,ſed in Græcia cum eſſet imperator, acceperat Herculem Muſageten eſſe,hoc eſt,comitem ducémq; Muſarum.Idémq; primus nouem ſigna,id eſt,omnium Camœnarum, quæ ex Ambracienſi oppido tranſlata ſunt,ſub tutela fortiſſimi numinis conſecrauit, vt res quæ à mutuis operibus & præmijs iuuari ornaríq; deberent,Muſarum quies defenſione Herculis,& virtus Herculis voce Muſarum.& hucuſq; ille.Nec hoc loco omiſerim,fontem Romæ fuiſſe qui Muſarum fons appellabatur,cuius rei teſtem habeo Plutarchum in libro de fortuna Romanorum,qui ait, prope eum templum virginis Fortunæ poſitum fuiſſe,ea ratione,vt puto, quoniam poëtæ ſit opportuna fortuna:vel contrà,quod fortunæ etiam opportunus ſit poeta,quaſi illius præco.Ad hæc Muſis Gratiæ coniunctæ dicuntur,quoniam & poetis Charites ipſæ neceſſariæ eſſe videntur.Ab eo verò fonte quem modo dicebamus, non longè abfuit templum illud Muſarum,ad quod poetæ ſua carmina deferre & recitare ſoliti erant,ſicuti Græci in Athenæo & Odeo conſueuerant,vt Porphyrion tradit.Eſt autem Odeum locus,vt eſt apud Suidam,vt alios mittam,à Pericle conſtitutus,in quo muſica edebantur certamina.quod cum ignoraſſe videatur Domitius in Pauſaniæ Attica,quam in latinum tranſtulit,pro eo quod eſt, in theatri,quod odeum nuncupant,acceſſu,ipſe latinè vertit,in theatri quod cantilenarum appellant veſtibulo.Loca etiam vbi ſtudemus,& de ſtudijs literarum agimus,Muſea appellantur,à Muſis.Muſeum quoq; locum commemorat Stephanus apud Olympum in Macedonia,idq; adſtruit Polybij autoritate.Muſeum inſuper Philoſtratus in vita Apollonij,locum ſeu templum ait eſſe vbi Muſę colerentur,& reſponſa redderent:quod & Iulius Pollux affirmat,apud quem etiam μουσόληπτος,hoc eſt,Muſarum numine afflatus legitur.Fuit etiam ſympoſiorũ lex apud antiquos,vt à Gratijs pocula inciperent,& in Muſas deſinerent:qua ex re Apollonij expoſitores tradunt,Muſas conuiuiorum & celebritatum præſides eſſe:vnde etiam coronis puto,alijsq; ſertis,quibus & poetæ ipſi coronantur,vti dicuntur:qua de re locupletius,vt ſpero,in poetis agemus.Sedenim iam tẽpus eſt,vt eo Græcorum trito prouerbio libellum concludamus, quibus magis in dies ad diſciplinarum & ſapientiæ ſtudia prouocamur, Muſarum fores & atria ſemper patere & aperta eſſe,ſinéq; inuidia & liuore eſſe:hoc eſt,quod illi dicũt, ἀνεῳγμένας μουσῶν θύρας, καὶ ἀφθόνους.

Hæc ego fortaſſe pluribus quam oportuit,& temerè nimis de Muſarum fabulis ſcripſi:non ideo tamen quiſquam vitio vertat,quòd Chriſti pietati & religioni addictus,nonnulla his parum Chriſtianæ religioni cõſentanea collegi.Abſit à me,& quidem procul,vt quippiam contra pietatem loqui auſim,nedum emutire. Illis certè colligendi laborem ademi,quibus exactior eſt doctrina,& maior eloquentia ad gentilium errores explodendos.

DE MVSIS LIBELLI FINIS.

ILLVSTRISS. HERCVLI ESTENSI, FERRARIENSI PRINCIPI AC DVCI IIII.

LILIVS GREG. GYRALDVS SALVTEM & felicitatem P. D.

ADOLESCENS cùm eſſem, Dux maxime idemq́ doctiſſ. & varia multiplicíq́ ſcriptorũ omne genus lectione afficerer, ſimulque interim excerpens colligensque quæ ex ipſis autoribus mihi notatu & cognitione digna viderentur, pleroſq́ tunc temporis opiſthographos libellos cõcinnaui potius quàm compoſui, nunc hunc nunc illum ſcriptorem vel imitando, vel compilando: quo tempore hanc Herculis vitam, vt centonem quondam conſcripſi, æmulatus Plutarchi Theſeum, hoc eſt, veris fabuloſa contexens, eoq́ etiã amplius, interdum addens fabularum hiſtoriarumq́ interpretationes, & quas Græci allegorias nuncupãt. Iuuenilis hic quidem labor, nec maturo ſatis homini dignus: ſed illi nihilominus ætati, qua primùm ſuſceptus eſt, adeò non inutilis, vt etiam à laudatis probatisq́ ſcriptoribus commendatum videamus, ad exercendã ſcilicet firmandamq́ iuuenum memoriam, induſtriamq́ excitandam. Eo ergo tempore eſt meus hic ſic natus Hercules, etiam multò antequàm tu natus, tuũ tamen ex illo tempore domino tuo parente natũ mancipium (dominico enim cedit hæredi quicquid ex ſeruo naſcitur.) In manũ igitur, quod omni iure tuum eſt mancipiũ, accipe: non arroges dico, nec adoptes, quippe indignũ, ſed familiæ tantum adſcribe: quod eò præterea tibi gratius eſſe debet, quòd domini, hoc eſt, tuo nomine in lucẽ eſt æditus. Mihi verò cùm eadem ipſa cauſa chariſſimũ eſt, tum ea etiã, quòd neſcio quomodo mihi refricat piam Herculis ſanctæ Agathæ Cardinalis mei diſcipuli memoriã, qui de bonarũ omnium artium cultoribus, nedum de me qualicunq́ educatore, optimè meritus fuit, & te patrémq́ tuũ plurimũ coluit. Videbis igitur tu hic quidẽ Princeps doctiſſ. omnem Herculis hiſtoriã, in qua pleraq́ Latinis haud ſatis nota ſunt, minusq́ protrita, ita vt ipſa hiſtoriæ varietas recõdita, nõnihil (vt ſpero) voluptatis tibi, & lucis in poetarũ lectione, in quibus non mediocriter excellis, afferre poſſit. Sed hactenus de Hercule .i. libello ſatis. Nunc de me Dux Max. quem, vt nunc ſunt maligna tempora, ſi malignus aliquis interpres fortaſſis inſimulet, quòd fabuloſis his potius hiſtorijs bonas horas contriuerim, quas melius honeſtiusq́ potuiſſem Chriſtianis ſacris hiſtorijs impendere, me tu primum tua aura ac fauore, tuum protegas rogo clientem: dein hiſtoriam hanc aſſeras iuuenili à me ætate fuiſſe conditam, quã id impune liceat. Tum ideo etiam lubentius me has fabulas, ſi non potius nugas, agere voluiſſe, quod in his liceat ſine vllo piaculo, læſæue pietatis & religionis crimine aliquid aliquando vel tollere vel eleuare. Si enim nouam aliquam arbitratu meo in ſacris literis interpretationem, vel ita vt fit ad ornatum alienam à noſtra pietate hiſtoriam, ritumúe ac ceremonias aliquando afferrem, à quibus videri poſſent noſtra, ſi non deducta, aliquo ſaltem modo deriuata vel deflexa, vt certe non pauca obſeruaui: vel ſi quando (quod interdum effugere non poſſumus) in viuentium pontificum, antiſtitumq́ mores, ſi non potius abuſus inueherer, me extemplò impium & cum facinoroſis hominibus aqua & igni interdictum, imprecationibus dirisq́, vt deuotum, extra Chriſtianorum conſortium moroſi iſti incuruiceruices eijciendum proclamarent. Sciant igitur per te Dux optime, omnes qui libellos hos noſtros legent, ſi qui modo legent, ea me de cauſa in his potius ludere voluiſſe ſcribendo, quàm in ſacris tanto periculo. non quod hæc ipſa non fabuloſa ſint, vt iam profeſſi ſumus, ſed quod nullo periculo hæc muſſitamus: quanquam & in his noſtris benignus lector aliqua interdum offendet, quæ legiſſe illi ſit operæprecium.

AD EVNDEM.

Quàm magnus patet orbis, vt ſuetus
Parua pingere pictor in tabella,
Sic paruo tibi colligo libello
Omnes Herculis HERCVLES *labores,*
Vt mirere minus gruem timentem
Pygmæum hunc aliquando prouocaſſe.

LILII GREGORII GYRALDI FERRARIENSIS HERCVLIS VITA: AD ANGELVM DIVITIVM.

HERCVLIS eſt labor, Angele, omnem de Hercule hiſtoriam contexere. Sed vide quanti te faciam, etſi id quidem iure; non enim, vt video, amore te vinco, hunc ego certe laborem libenter tuã cauſa ſubiui, vt quambreuiſſime poſſem, omnem de Hercule hiſtoriam abſoluerem. quod eo libentius me facturum recepi, tantæ rei nullam veritus difficultatem; quod præterquam me tibi rem admodum gratam facere intelligebam. Herculis quoq; noſtri Ragonij nomẽ vnà celebrare videbar, de cuius modeſtia, comitate, cæteriſq; virtutibus, ſæpe mecum agere ſoles. Id vero an aſſecutus fuerim quod volebas, non requiro, cum præſertim, vt noſti, pro libris repetita vſus ſim memoria.

Primum igitur omnium à ſcriptoribus de Hercule varie proditum eſt. Quidam plures hoc nomine fuiſſe volunt, duos aliqui, tres nonnulli, alij duodecim. Varro tres & quadraginta collegit. Cicero in ijs qui ſunt de natura Deorum, ſex tantum: Ex Ioue, inquit, antiquiſſimo, & Liſyto, eſt is Hercules quem concertauiſſe cum Apolline de tripode accepimus. Alter traditur Nilo natus Aegyptius, quem aiunt Phrygias literas conſcripſiſſe. Tertius vnus ex Idæis Dactylis, cui inferias Cretes afferunt. Quartus Iouis & Aſteriæ Latonæ ſororis, quem Tyrij maxime colunt, cuius & Carthaginem filiam ferunt. Quintus in India, qui Belus dicitur. Sextus ex Alcmena, quem Iupiter tertius genuit. atque hæc quidem Cicero. Sed enim priſci viros omnes forteis, ac monſtrorum domitores, Herculis nomine nuncupauere: atque ea de cauſa factum, vt multorum geſta vni Iouis & Alcmenæ filio adſcripta ſint. Quidam Herculem nullum vnquam fuiſſe opinati ſunt, ſed per eum humanæ vim ſapientiæ ſignificari, qua monſtra quæ in hominum animos graſſantur, ſuperbiam, luxuriam, libidinem, ſpurcitiam, deſidiam, auaritiam, inuidiam, cæteráſque animi labes ſuperamus: atque ideo nonnulli ea de cauſa, Iouis filium Herculem appellatum volunt, quod omnis ex mente virtus procedat: mentem enim Iouem, virtutem vero Herculem, antiqui dicebant. Tametſi quidam Iouem æthera, Herculem verò Solem dixere, & idcirco factum, vt pater & filius exiſtimarentur. Vetus vtiq; gentium Theologorum fuit opinio, vt per Herculem Solem interpretarentur: vnde & illi duodecim certamina attribuunt, quod videlicet duodecim ſigna toto anno ſol permeat: clauamque illi & pellem attribuunt, vt per hanc vim ſolis in leone, per illam motus inæqualitatem intelligamus. Alij hac de re multa dixere, de quibus nonnullis, vt res & locus ferent, paſſim in hoc libello dicemus. Alij philoſophum Herculem putauerunt, atque idcirco illi Rhopalon, hoc eſt, clauam attributam volunt, qua ipſa philoſophia ſignificatur: & pellem leonis, qua prudentia: quibus rebus Hercules edomuit animi monſtra, vanáſque cogitationes. Sed & illi in manibus tria mala dederunt, quibus illum non iracundum, non auarum, non voluptarium, vt inferius planius dicetur, ſignificabant. Phyſicorum præterea quidam Herculem intellectum, vel prudentiam & fortitudinem, hoc eſt σύνεσιν καὶ ἀλκὴν dixerunt, vt à Græcis ſcriptoribus proditum eſt, qui etiam non alia de cauſa ab Apollonio dicunt in Argonauticis eſſe confictum eum ipſum Herculem cum Iaſone, reliquiſque heroibus è naui non deſcendiſſe, cum ij apud Hypſipylẽ amoris ac voluptatis cauſa diuertiſſent: ſed illum è naui, hoc

eſt, è vitæ humanæ actionibus ad illecebras & voluptates non deſcendiſſe. Varia quoque à diuerſis nationibus cognomina adeptus eſt. Nam & Ogmion, & Belus, & Melicratus, & Charops, & Chon, & Conopion, & Ipoctonos, & Rhinocoluſtes, & Polyphagus, & Addephagus, & Buthinas, & Philopotis, & Gylius, & Olympius, & Cynoſarges, & Alexicacus, & Chomiſdætes, & Phyllites, & Callinicus, & Promachus, & Heryllus, & Monœcus, & Melampygus, & Hippodetas, & Alcides, & Tirynthius, & Amphitryoniades, & Clauiger, & Inuictus, & Pollens, & Dexter, & Vindex, & Victor dictus eſt. De quibus quidem cognominibus & alijs tum hoc ipſo libello quædam, tum in eo quem de varijs Deorum cognominibus iam diu parturimus, plura dicemus. Nec minus variæ ſuum Herculem gentes fecerunt: præter id enim quod apud Græcos conſtans eſt opinio Thebanum illum fuiſſe, Tyrij quoque ſuum Herculem putauere, apud quos & Thaſius, vt Herodotus ſcribit, vocatus eſt, eumque multa veneratione coluerunt. Eundem ſibi Aegyptij vendicarunt, Chon ſua lingua nuncupantes, qui cum Oſiride Italiam à gigantum tyrannide liberaſſe, atque demum ab eodem Oſiride militiæ præfectum tum factum prodidere, cum totius regni adminiſtrationem vxori dediſſet, fuiſſeque longe ſuperiorem eo arbitrantur, de quo Græci adeò multa fabulati ſunt: idque non mediocre ſibi argumentum eſſe exiſtimant, quod claua, & leonis pelle ſit vſus, quod ea videlicet tempeſtate nondum arma, quibus in prælijs vtimur, haberentur. Ab hoc quidem Hercule Chone Aegyptio Italiam antiquitus vocatam prodidit Antiochus Xenophanis, & Chones Italiæ populos, & Chonem ciuitatem, cuius & Strabo meminit & Stephanus. Indi præterea de Hercule multa narrant: nam & eum religioſiſſimè colunt, & Dorſanis & Gigantis nomine appellant, vt Megaſthenes tradit, eumque apud ſe aiunt multa inſtituiſſe, vrbémque in primis illam opulentiſſimam Palibotran, multóſque filios mares procreaſſe, vnicam vero filiam: quibus quidem filijs totius Indiæ regna diſtribuit: columnas quoque in Aphrica poſuiſſe in geſtorum ſuorum teſtimonium & monumentum. Cretenſes quoque Herculem ſuum eſſe voluerunt, vnumque ex Idæis Dactylis, qui & Curetes & Telchines dicti fuere, exiſtimauerunt, eo videlicet longe antiquiorem qui Alcmenæ filius fuit, cui & labores illos adſcribunt quos Græci Thebano. Celtæ inſuper, hoc eſt Galli, Herculem indigena lingua Ogmion vocabant, eumque eloquentiæ ac prudentię deum exiſtimabant: itaque effingebant ſenem penè decrepitum, caluum, capillis paucis ſuperantibus, coloratum, fuſcúmue, & rugoſum, quales ſunt ſeniores marini nautæ, leonina pelle indutum, Rhopalon, hoc eſt, clauam dextra, ſiniſtra arcum tenentem, pharetra ex humeris depēdente, catenulis vero ex auro & electro admodum tenuibus linguæ ſuæ extremitate perforata inſertis, maximam hominum multitudinem non inuitam, ſed ſponte ſequentem, auribus alligatis trahentem. Hac Galli effigie Herculem ſuum prudentiæ ac eloquentiæ deum ſignificantes habebant, vt pulcherrimo ac feſtiuiſſ. libello Lucianus oſtendit. Quo fit, vt virum alioqui doctum, non Herculem, ſed Mercurium, mirer literis mandaſſe, deum illum fuiſſe. Hebræi demum, vt Philon ſcribit, Ioſephum Iacobi filium, qui à fratribus diuenditus eſt, & aliquandiu in Aegypto verſatus, Herculem ſuum credidere. Inter hos alij Sampſona, quod vero propius accedere videtur. Verum hac de re alij longe diuerſa. Sed nos vulgatam iam hiſtoriam ſequamur. Herculem igitur trinoctio concubitu Iupiter in Amphitryonem conuerſus ex Alcmena genuit, qui quarta luna, qua ad labores homines naſcuntur, vt eſt apud Euſtathium, natus eſt, adeò vt res in prouerbium ducta ſit, de ijs qui pro alijs, vel aliorum iuſſu laborant. Sanè Græcorum nonnulli tetradiſtas, eadem quartæ lunæ ratione, eos qui vitæ ſunt laborioſæ vocant, quique crebris fortunæ fluctibus agitantur. Quidam cum Hercule vnà Iphiclum natum prodidere. Septimeſtris hic fatuus & imbecil-

imbecillis, ille nouimeſtris ſapiens & fortis. Laonomen quoq; Herculis ſororem legimus, quæ Polyphemo nupſit. Altera fuit Laonome mater Amphitryonis, apud quam in oppido Arcadiæ Pheneo diuerſatus eſt Hercules, & cuius gratia, vt Arcades ferunt, Hercules aquarum profunditates, id eſt, barathra, quæ ingentes aquas colligunt, effodit. Sũt qui Herculem ex Ioue quidem & Aſcræa natum ferant, id quod Aphri exiſtimant. Ea vero die qua naſciturus erat Hercules, cum eſſet ab Ioue, vel vt alij, Themide prędictum, infantem naſciturum qui cæteris eſſet mortalibus imperaturus, Iuno, quòd partubus præeſt, veneficio quod pectinatim digitis fiat amplexis parenti aſſidendo, vt ait Plinius, anteuertiſſe dicitur, atque Euryſtheum Archippes, & Stheneli filium in lucem prius eduxiſſe: qua re factum poſtea dicitur, vt in Herculem Euryſtheus imperium habuerit: tametſi Græci, vt ſunt faciles ad confingendas hiſtorias, Herculem Euryſthei amore captum, eius iuſſu dicant tot monſtra confeciſſe. Sunt qui à Iunone antequam Hercules naſceretur immiſſas, quas Thebani pharmacidas, id eſt, veneficas dixerunt, ſed à Tireſiæ filia procul actas. Non deſunt qui à Galanthide eius rei edoctam Alcmenam afferant. Scribit Aelianus in animalibus, Thebanos muſtelam religioſe coluiſſe, ea ratione, quod cum Herculem Alcmena parturiret, idq́ue ſumma cum difficultate niteretur, muſtelam accurriſſe, pariendique ei vincula diſſoluiſſe, eóque eſſe factum facilius vt Hercules naſceretur. Natus eſt ergo Hercules ſpurio ſemine, vnde & Athenienſes in eius honorem gymnaſium Cynoſarges, nothorum & ſpuriorum eſſe conuentum voluerunt, quod ad Themiſtoclis vſque tempora inuiolatum permanſit. Sunt & qui Herculem Cynoſargen cognominatum tradant. Mox vbi infantem mater peperit, expoſuiſſe dicitur, vnde & loco nomen Herculeus campus. Ablactatum vero à Iunone dormientem, vel, vt alij tradunt, Mineruæ ſuaſu: cuius Iunonis cum papillam auidius puer exugeret, Deam moleſtia affecit, quare eſt ab ea abiectus. dein à Minerua ſuſceptus matri eſt redditus. Aiunt quidam & lac exuctum infantem euomuiſſe, ex quo ſit in cœlo conficta, quam Græci galaxian, nos tum viam, tum orbem, & lacteum circulum nuncupamus. Quam rem magni rerum & naturæ ſpeculatores, in cœli proprietatem, eiusq́ue regionis referunt, quòd vel primus Hercules eum circulum oſtenderit peritiſſimus aſtrologus, vt qui ideo cœlum ſuſtinuiſſe dicatur: vel Hercules ſol ipſe cum ſit, vt alibi diximus, ſiderei illius caloris in aere candorem faciat. Alij eo lacte terram reſperſam perhibent, atq; inde lilium exortum, quod propterea Iunonia roſa ab aliquibus dictum videri poteſt. Ad hæc geminos in cunis ſerpentes in pueri perniciem ab Iunone immiſſos elidit, à cuius rei gloria illi eſt primum Herculis nomen inditum, cum prius Alcæus diceretur. Quidam ab Apollinis oraculo datum volunt, vnde eſt Græcis carmen illud:

Ἡρακλῆν δὲ σε φοῖβος ἐπώνυμον ἐξονομάζει,
Ἥρᾳ γὰρ ἀνθρώποισι φέρων κλέος ἄφθιτον ἕξεις.

Iphiclum, ſerpentum quos ſuprà diximus terrore, ex cunis delapſum legimus, vagituq́ue ſuo parentes conciuiſſe, qui venientes Herculem repererunt eos iam confeciſſe ſerpentes, quo pacto à Zeuſide depictum ſcribit Plinius. Aiunt mox Herculem enutritum apud vrbem Tiryntha, vnde eſt illi cognomen Tirynthij. Fuiſſe vero hebetiorem, tardioremque in ijs ediſcendis quę à magiſtro proponerentur accepimus, vnde acrius increpantem Linum poetam optimum magiſtrum lyra intereміſſe dicitur, quod factum non damnare non poſſumus. Sed hoc quo pacto fieri potuit, ſi Linus fulmine eſt interemptus, vt eſt à nobis diligentius in noſtris Poetis obſeruatum: etſi non deſunt qui rem in allegoriam referant, quod Hercules magiſtri nomen ſua doctrina ac ſapientia obſcurarit. Ferunt & Herculem Amphitryonem quoque interficere voluiſſe, quod cum tentaret, in eum Pallas lapidem, quem Sophroniſteram

Thebani vocarunt,iecit:quo lapide Hercules ſomno captus eſt,itaque Amphytryonem liberatum. Artem vero ſagittandi ab Amphitryonis bubulco Teutaro eſt edoctus. Sunt qui à Rhadamante dicant, cui poſt Amphitryonis interitum Alcmena nupſit. Sed enim adhuc adoleſcenti Herculi voluptatem ac virtutem in ſolitudine apparuiſſe ferunt,vt vtram vellet comitem deſumeret. hæc turpi ac deformi erat habitu,ſed natiuo decore pulchra:illa ornatiſſimis veſtibus & calceis induta fuerat:nihilominus Herculem voluptati virtutem antepoſuiſſe. Hinc eſt Prodicius Hercules à Marco Tullio & Xenophonte,atq; idem à Philoſtrato dictus, quod ſcilicet primus hanc rem Prodicus Ceus tradiderit. Non multo pòſt cum ab oraculo Delphico & Ioue monitus eſſet, vt Euryſtheo pareret,id iniquo ferens animo,à Iunone in furorem actus eſt, améſq; adeò effectus,vt Iolaum fratris filium filiósque occidere voluerit:at mox liberatus,domi præ pudore ſe aliquandiu continuit,veruntamen Euryſthei mandatis parére coactus eſt. Pindarus tamen & Callimachus eum pleraque egregia ſua ſponte feciſſe canunt, non modò Euryſthei imperio, quod Pindari interpretes notant. Leonem igitur in primis Theumeſium,quem & Græci quoque Charadræum vocant,penè puer confecit,claua ab hoſpite Molorcho accepta,ſi non potius à Piſandro poeta,qui illi ſuo carmine primus eam ex ære ſolidam attribuit, hoc eſt,ῥόπαλοις ὁλόχαλκοις:qua claua poſtea ſemper vſus,vſque adeo,vt Herculi clauam eripere,pro re admodum difficili vſurpetur. Alij clauam ipſam ex oliua, & trinodem fuiſſe contendunt:eandem & refloruiſſe Pauſanias ſcribit. Hanc clauam Mercurio Polygio ex auro dicaſſe proditum legimus. Sed & Rhopabam Herculis filium fuiſſe audiuimus. Sanè & Nymphæam herbam notiſſimam paluſtrem ab hac Herculea claua Rhopalon dictam legimus:quin & ipſam herbam à quapiam Nymphà,quæ Herculis zelotypia interijſſe proditur, denominatam accepimus. At vero leo ipſe inter aſtra relatus,qua de re variè traditur. Sunt qui Molorchum tum hoſpitio Herculem ſuſcepiſſe velint,cum ad leonem Nemeæum conficiendum profectus eſt,eiqúe arietem,quem vnicum habebat, immolare voluiſſe:quam rem ne faceret, Hercules permiſit. Ab hoc Nemea lud[i] [i]nſtituti ſunt,qui poſtea ad inferias manibus Archemori, à ſeptem ducibus [in]uati ſunt,qua de re Callimachus in αἰτίοις libris. alij tamē aliter. Ab ipſo prçterea Molorcho Molorchia ciuitas in Nemea denominata, & Molorchus lucus. Leonem alium manibus Hercules confecit,vt planè eſt adhuc videre in ſignis marmoreis,qui Cleonæus dictus eſt,& Nemeæus,& Bembinites; qui nec ferro, nec fuſte, alióue telorum genere violabilis fuerat. Ab hoc leone Hercules pellem detraxit,quam contra pericula corpori circumdedit. Quin & leonina hæc pellis,& claua,ipſius Herculis ſunt inſignia. Verſabatur hic inter Mycenas & Nemeam ſyluam prope montem,qui ex re τρῆτοις, hoc eſt, perfoſſus cognominatus eſt,vide Diodorum. Quidam Nemeæum & Cleonæum diuerſum faciunt. Hunc vero leonem ipſum in lunæ circulo enutritum,& inde in terras delapſum fabulati ſunt,vnde & loco quo in terram concidit, Apeſonta nomen inditum. In hac quidem victoria Herculem ex apio coronam inſtituiſſe canit Pindarus. Probus vero picea coronatum ſcribit,qua poſtea in Nemeis vſi ſunt Græci. Quidam per leonem furorem interpretantur, quem cùm bile atra laboraret, Hercules ſuperauit. Huius certe rei autorem Heraclidem Ponticum habemus. Porrò Græci quidam grammatici Gylion leonem vel porcum ſignificare contendunt,ex qua re Herculi factum ſit cognomentum Gylius,quod et Suidas non inficiatur. verū Gylion non porcum vel leonem ſignificare ait, ſed chœrogryllum,id eſt,porcum ſpinum,tametſi in Leuitico varia noſtri. Cætera Gylij ſignificata non eſt cur hic inculcemus,cum in poetis noſtris plura ea de re ſcripſerimus in Carcini vita. Sed ne Herculem mittamus, qui etiam Hydram, quam Latini excetram vocant,nonaginta capitum ſerpentem; vt Simonides,

vt Alcæ-

vt Alcæus quinquaginta,vt alij,ſeptem,vel quinque,quorum vnum immortale vocabatur,in Lerna palude,vnde tot ſunt vulgò facta adagia, igne ſuperauit,vel,vt ab alijs proditur,ſagittis confecit,id eſt τόξοις.nam vt apud Homerum à grammaticis obſeruatur,τὸ τόξον & quod mittit,& quod mittitur,hoc eſt, arcum & ſagittas ſignificat:à quibus ſagittis,id eſt,τόξοις hydræ ſanguine infectis, toxici vocabulum effluxit,vel quod ex ipſius hydræ ſanguine natum eſt,vt Nicandri ſcribunt expoſitores,à quibus & alia referuntur,omnéſque à τόξοις,id eſt, ſagittis vel Parthorum vel Scytharum: vt magis mirum ſit quod ab aliquibus ſcribitur,toxicum dictum eſſe ab arbore taxo,quin taxicum, quod præter noſtros grammaticos & Plinius ſcribit,tametſi & toxum pro taxo à Romanis dici autor eſt in ſexto Dioſcor. Sed ne vagemur,cum ab Hydra vno amputato capite alia pullularent,facem ferunt ab Iolao vulneri apponi ſolitam,atque ſic demum deuictam & extinctam hydram tradunt. Cancrum quoque hydræ ſuppetias ferentem interemit,implorato,vt dicitur,Iolai auxilio:ex qua re illud emanauit,Ne quidem contra duos Hercules: tametſi alij id afferunt cum Olympico certamine Cteaton,& Euryton,Neptuni & Molionis filios occidiſſet,qui Molionidæ ideo nuncupati ſunt:idemqúe cum in ſequentis olympiadis certamine facere tentaſſet,réſque fruſtra ceſſiſſet,in prouerbium deducta eſt. Non deſunt tamen & qui rem in Laium & Pherandrum referant. Verum hac de re, hoc eſt, Molionidis,plura nos in annotationibus ex Plutarcho,Nazianzeno,Suida, & Pindaro. Sunt vero qui hydram & cancrum ſophiſtas fuiſſe interpretentur ex Platone,quorum ſophiſmata & cauillos, Hercules ingenij ac mentis vi abſoluerit:licet id potius,ſi quis modo ſanè verba perpendat,per ſimilitudinem quandam à Platone dicatur. Alij Hydram arcem, ſeu turrim quampiam munitiſſimam fuiſſe opinãtur,quæ à quinquaginta viris cuſtodiretur.arcis vero rex Lernus vocabatur,qui à Carcino,id eſt, Cancro viro quodam fortiſſimo adiutus, contra Herculem pugnauit. Hercules autem ab Iolao Thebanis copijs auctus, ambos ſuperauit: Hydramqúe caſtellum euertit incenditqúe. Alij ſecretiore arcano fabulæ locum datum volunt,quod ſcilicet Hercules animi ſui ac continentiæ ignita tanquam face identidem renaſcentia libidinum cæterorumqúe vitiorum Lernæa capita repreſſerit, atque penitus extinxerit. Nec deſunt qui per Hydram & Lernam inuidiam, ſeu mauis inuidentiam, ſignificari exiſtiment, quæ difficillimè extinguitur,cum abiecti animi indicium ſit, vt planè ex Ouidij & Plutarchi deſcriptione conſpicitur. Græci ſcriptores illud de Hercule Lernæ viru infecto obſeruant,eum oraculum accepiſſe,ſe aliter liberari non poſſe,niſi ad flumen herbam inquireret,cuius radix colocaſion,caulis vero qui ſupra terram eſt,ciborion vocatur,quo nomine vas etiam dicitur. Vnde cum apud Belum fluuium eam reperiſſet, veneno eſt liberatus: idqúe quoniam in Phœnicia contigit, vrbs in eo loco condita eſt, quæ Ace ex re nomen ſumpſit, quæ & Ptolemais dicta eſt. Poſt hæc Ergynum Myniarum regem impijſſimum prælio fudit,à Thebanis immodica tributa exigentem, atque ipſius etiam regiam euertit: cuius excellentis facinoris gloria Creon rex illectus, eum ſibi generum delegit, filiamqúe illi Megaram deſpondit, atque vnam totius regni curam adminiſtrationemqúe permiſit. Aprum Erymantheum,qui & Mænalius & Arcadius dictus eſt,viuum cepit,Euryſtheoqúe, qui ſe ob metum in vaſe æneo occluſerat,detulit:cuius quidem apri dentes apud Cumanos populos qui in Opicis ſunt, in Apollinis templo diu ſuſpenſos fuiſſe, Græci prodiderunt. Natum hunc aprum ferunt ex ſcropha,cui Phæa nomen, quæ & à loco Cromyonia cognominata eſt, vt Strabo meminit. Ex eadem Phæa & Calydonius aper editus eſt. Cum apud Pholum Centaurum, à quo & nomen monti inditum,hoſpitatus eſſet,Centauri primo Amyrgi dicti,dein Egerdi,poſtea Leleges,dolium vini optimi defoſſum extulerũt,quod hac olim lege

Bacchus

Bacchus dederat, vt cum inde Hercules tranſiret, illud effoderent: hi vero cùm vini odore ebrij facti eſſent, atq; ad rapinas conuerſi, ab Hercule ad vnum cæſi fuerunt, eis licet eorum matre Nephele, hoc eſt, nube, fruſtra ſuppetias ferente. Alij non omnes cæſos, quin ipſum bis cum Centauris pugnaſſe prodiderunt, cum primum ſcilicet Perithoo nupſit Hippodame, item cùm Eurytus ab Oeneo hoſpitio ſuſceptus, nil deos hoſpitales veritus, vim inferre Deïaniræ conatus eſt. Qua harum pugna ab Hercule Chiron Centaurorum, vt ait Homerus, iuſtiſſimus ſit occiſus, parum inter autores conſtat. Ceruam aeripedem, & aurea habentem cornua (ſi modo in ceruis fœminis cornua reperiantur, quod tamen poetæ affirmant) retibus, vel vt alij dicunt, præ laſſitudine dormientem viuam cepit. Sunt qui ceruam timoris ac metus affectiones interpretentur, quas Hercules vtpote vir fortis & ſapiens vicerit. Stymphalidas aues, quæ Martis alumnæ dictæ ſunt, cuncta ſtercoribus ac ventris proluuie fœdantes, vel, vt Timagnetus ait, pennas ferreas habentes, & eas vt ſagittas eiaculantes, quod & Euripides, & Claudianus noſter in Hiſtrice teſtantur, æneæ tabulæ colliſu, vel crotali ſonitu abegit, vel vt alij tradunt, ſagittis illas confecit. Dictæ vero ſunt Stymphalides à Stymphalo Arcadiæ oppido, vt Homerus & Pauſanias tradunt: inde vero, vt Apollonius canit, ad Martis inſulam demigrarunt. Mnaſeas quidem à viro heroicæ virtutis inſigni denominatas credidit, cuius & Ornythæ puellæ filiæ fuerint. Alij & eas Ploidas appellarunt, quod in aquis degentes natarent. Tum & Zeten, & Calain alatos Boreæ filios ſtrauiſſe Hercules fertur in Teno inſula, quæ Delo adiacet, & in eorum ſepulchro duas erexiſſe columnas in rei monumentum, quarum alteram Borea flante commoueri ſolitam. Cauſa necis variè refertur. Aeneſidemus enim, quod hoſpitantem Herculem occidere voluerint, ſcribit. Steſimbrotus, quod in contentionem cum Hercule venerint, de datis ab Iaſone comitibus muneribus. Nicander, quod Herculem diuerſantem in Co inſula, Boreas tempeſtate affecerit. Apollonius, quod nauem Argo in Myſiam rurſus reuerti prohiberent. Alij alia, quæ breuitatis cauſa mitto. Sunt & qui Phineum Arcadiæ regem ab Hercule interemptum aſſerant. Cum enim ipſius regis filios in ſolitudine conſpicatus fuiſſet, ab iſque didiciſſet quod eſſent à patre Phineo eiecti, calumniati à Scythica vxore, quam eis nouercam rex ſuperinduxerat ſpreta Cleopatra, quos Phineus mox apud Herculem ſenex accuſauit: vt vero Hercules pueros ſine culpa reperit, eos in patriam domum reuerti iuſſit, Phineúmq; inſurgentem, ac filiorum alterum in mare ſummergere volentem, pede feriens interfecit. Fabulam in Argonauticis Dionyſius eſt executus. Cætera quæ multa de Phineo leguntur, non huius ſunt inſtituti. Eurytionem Centaurum indomitum interemit, qui die ipſo nuptiarum Hippolytæ Augiæ Elienſium regis filiæ vim inferre tentauit. Augiæ quoque ipſius regis aulam, hoc eſt, vt Græci dicunt, βουστάσιον immundam ſordibus expurgauit, in ea deriuato atque immiſſo fluuio Minieo, ſeu, vt alij, Pignione, vel Alpheo, vel Peneo. Vnde de immundis fœdíſque rebus, Augiæ caulam, ſeu aulam, pridem eſt prouerbium vſurpatum. Augiam verò ipſum Hercules occidit ob mercedem ſibi denegatam, filióque ipſius Phyleo regnum tradidit, qui à patre fuerat eiectus, quod inter Augiam & Herculem iudex electus de pacta Herculi mercede, pro Hercule pronunciauerat. Eſt etiam illud à Græcis traditum, quod cum contra Elæos Hercules pugnaret, equum Ariona ab Onceo petijt, eóque vectus Elim cepit, ſed illum mox Adraſto dediſſe. Alij tamen aliter, inter quos Lutatius. Augen inſuper Alei Arcadici filiam compreſſit, ex eáque filium ſuſcepit, qui quod ceruinis vberibus nutritus fuit, Telephus eſt vocitatus, & cum matre ab Aleo auo in arca incluſus in mare proiectus, delatúsque ad prata Cayci, & à Teuthrante viro præpotenti ambo excepti ſunt, vt eſt à quibuſdam proditum. Stephanus autem

Auges

Auges maritum Teuthranta ſcribit,patremq; Telephi.Alij Telephum in Palladis templo à matre expoſitum prodidere. Sed cùm hac cauſa ibi peſtilentiæ vis graſſaretur,Aleus in Panthium montem detulit,vbi eſt à cerua nutritus.Augen deinceps ab Hercule parum amatam legimus.Cæterum Suidas Telephum Herculis filium Latinum vocatum ait,atque ab eo Latini Itali denominati. Paſiphaes dein taurum ex Creta formoſiſſimum Hercules ad Euryſtheum in Peloponneſum deduxit,quem taurum quidam à Neptuno immiſſum tradunt,quod cùm cæteris deis Minos ſacra feciſſet,Neptunum ipſum præterijſſet. Delatum igitur taurum in Peloponneſum,inde aufugiſſe in Atticam, in campiſq; Marathonijs cum alios interfeciſſe,tum Androgeum Minois,mox à Theſeo mactatũ. Plura Pauſanias & Plutarch.inde Olympicum certamen Ioui patri,vel vt alij,in honorem Pelopis inſtituit,iuxta Alpheum fluuium apud Elim & Piſam, ad radices montis Olympi:quod quidem certamen quinto quoq; anno, ſeu verius quarto perfecto,& vt Lycophronis interpres Iſaacius ait,quinquageſimo quoque menſe magna celebritate frequentabatur:in quo cum palæſtram cum reliquis quatuor certaminibus inſtituiſſet, & fortiſſimum quenque ac robuſtiſſimum ad luctam prouocaret,omnéſq; certantes ipſius robur vererentur, Iouem ferunt in athletæ formam mutatum,cum Hercule in palæſtram deſcendiſſe,diúque ambobus certantibus,cum anceps & dubia victoria videretur,Iouem tandem ſe filio manifeſtaſſe. Victores vero in Olympicis oleaſtro,vel vt Ariſtoteles ait,olea,quæ philoſtephanos dicitur,coronabantur. Alij rem ita tradunt, quod cùm Rhea Iouem Curetibus,hoc eſt,Herculi,Pæoni,Epimedi, Iaſio & Idæ commendaſſet,Hercules inter eos natu maior cum luderet, fratribus ipſis curſus certamen propoſuit,victorémque eius oleaſtro coronari voluit. Eſt enim in fabulis receptum,oleaſtrum delatum fuiſſe in Græciam ab Hercule ex Hyperboreis regionibus. Quinquennem vero Olympiada fuiſſe conſtitutam ferunt,quod quinque fuerint fratres Idæi.Hic igitur Hercules Idæus longè Amphitryoni antiquior,Olympicum certamen inſtituit, cui quinquageſimo poſt Deucalionis cataclyſmum anno Clymenus aram ſtatuit, paraſtatémque & adiutorem cognominauit,tum poſt Pelopem Hercules Amphitryonis adauxit. Hiſtoriam latius exequitur in Eliacis Pauſanias. A Deis quoque ſingulis muneribus Hercules affectus eſt:peplo quidem à Minerua,claua & thorace à Vulcano, equis,inter quos Arion,à Neptuno,quo mox equo vſus eſt Adraſtus, vt paulò antè dixi.Donatus vero enſe à Mercurio,arcu & ſagittis ab Apolline, myſteria & ceremonias ad cædium expiationem à Cerere accepit. Aquilam, ſeu vt alij dicunt,vulturem Promethei exta lancinantem,qui in Caucaſo fuerat religatus,interemit.Sunt qui aquilam fluuium fuiſſe interpretentur,quem Hercules repreſſit.Diodorus Nilum Aquilam appellatum tradit:qui cum eam partem Aegypti,cui Prometheus imperitabat, inundaſſet, ab Hercule ſui conſilij magnitudine eſt compreſſa,& ad priorem curſum deducta,vnde eſt Græcis occaſio præſtita fabulandi. Alij ad allegoriam fabulam referunt,hoc eſt, quod curas & anxietates animi ipſi Prometheo amouerit,quæ ex ipſius mente, hoc eſt Ioue,noctu reſurgebant,interdiu vero latitabant,Hercule præſente,id eſt, ſole. Aquilã quoq; Promethei noſtri nõnulli ἄχθος,hoc eſt,anxietatẽ ſolicitudinémq; interpretati ſunt,Alexander tamen Aphrodiſieus ita interpretatur, quod cum Prometheus ſapiens & philoſophus eſſet,cœleſtiſq; aquilæ cauſam & naturam perſcrutaretur,& iam ob ſtudij & diſcendi auiditatem abſumeretur, Herculem ei adſtitiſſe,qui omnia quæ de ipſa aquila illi dubia & incerta erant, exoluit & manifeſtauit.Diomedẽ Thraciæ regẽ hoſpites mactantem,equiſque indomitis vorandos apponentẽ,ijs victũ lacerandum appoſuit,ac equos Euryſtheo detulit,quos domitos ille Iunoni dicauit.Palæphatus fabulæ locum datum ea cauſa credidit,quod cum ex agrorum redditib.& prouentib.qui agricolis hominibus debent,equos aleret,ea cauſa humana carne equos pauiſſe dictus eſt. Sedenim Philoſtra-

Philoſtratus in Abderi exequijs equas eas fuiſſe ſcribit,ab ijsq; ſemeſum diſcerptúmq; puerum ipſum Abderũ:qui cum ab Hercule amaretur,cauſa fuit vt præter fletum Herculis celebratum,Diomedem quoq; ipſum,eásq; equas confecerit,certamenq; in pueri memoriam conſtituerit,&,vt nonnulli putant, ciuitatẽ quoq; Abderam. Soſibius etiam Helacatum puerũ ab Hercule amatum ſcribit, in cuius pueri honorem Lacedæmonij Helacatia certamen inſtituerunt. Poſt hæc Hercules cum Argonautis ad vellus aureum in Colchos nauigauit, vel vt alij,in Miſiam,quouſq; puerum Hylam amiſit,à qua re locum Aphetas nominatum legimus.At Herodotus, cùm aquatum,inquit,Hercules iuiſſet,&derelictus ab Iaſone & ſocijs eſſet,nomen loco factum ἀφεται.Alij relictum ab Argonautis Herculem ideò dicunt,quod artis remigandi eſſet ignarus, nimióq; manuum robore ſæpius remos infringeret.Fuit autem Hylas Thiodamantis filius puer formoſiſſimus,quem patri raptum miro proſecutus eſt amore Hercules: qui cum in Myſiam apud Cium fluuium aquatum cum calpide(vaſis id nomen) iuiſſet,ſummerſus eſt,vel eſt à Nymphis raptus,vt Onaſus, Theocritus, & Nicãder tradidere.Apollonius ab Amphidatia Nympha abreptum cecinit, cuius deſiderio actus Hercules,cum diutius quæſitum non inueniſſet,ſacra apud Cianos inſtituit,in quibus Hylæ nomen identidem acclamabatur.quidam in Magneſia id contigiſſe ſcribunt.Herculem ab ijs populis apud quos Hylam amiſerat,pro puero pueros aliquot eorum pro pignore accepiſſe, eósq; in Theſſalia, loco admodum aſpero & difficili,vbi à re vrbem condidit Trachinam, collocaſſe,Cinæthon in Heraclea autor eſt,& Apollonius in Argonauticis.Sed enim & alios pueros præter hos ab Hercule amatos legimus,Philoctetem,Diomum,Perithoanta,Abderum & Phriga,à quo Libycæ ciuitas denominata. Aliqui & Eurystheum ab Hercule amatum,vt ante diximus,prodidere.Sunt qui Hylam, inter quos Socrates ad Idotheum,aſſerant Polyphemi amatum,non Herculis fuiſſe,eius inquam Polyphemi qui cum Argonautis nauigauit,& Herculis ſororem Laonomen vxorem duxit,quiq; ea leuitate fuiſſe dicitur,vt ſuper vndas curreret,nec pedes tingeret.hic etenim non Cyclops fuit. Apud Philoſtratem verò Vinitor,Neſtorem magis amatum ab Hercule tradidit, quàm vel Hylam, vel Abderum:hos enim admodum infantes fuiſſe Herculis tempore,Neſtorem vero ætate maiorem:eundémq; primum fuiſſe,idem eſt autor,qui Herculis nomẽ in iuramentum induxerit.Aiacem præterea Herculis alumnum fuiſſe legimus, atq; ab eo cùm infans eſſet leonina pelle inuolutum,illiq; Iouem conceſſiſſe, vt puer Aiax inexpugnabilis eſſet,qua parte tunc corporis fuiſſet pelle contectus. Aiacis quoq; patrem Telamona ſocium & amicum habuit Hercules, eóq; comite multis in certaminibus vſus eſt.Nam & cum eo Ilium expugnauit, & Amazones deuicit,& Halcyoneũ peremit,vt & Pindarus prodidit:quin & Theocritus eorum amicitiam hoc carmine oſtendit:

Vna ambo ſocij ducunt conuiuia menſa.

Heſionem Priami ſororem à Ceto liberauit. Cetum vero quidam regem interpretantur fuiſſe,qui Heſionæ vim moliebatur,quem Hercules ſuperauit. Troiã poſt hæc euertit,ob ſibi denegatos,quos illi promiſerat, equos à Laomedonte rege,quem & nonnulli ab eo occiſum prodiderunt:qua in pugna & Troiæ euerſione ipſius Herculis ſilentium & taciturnitas ita commentatur, vt ab euentu promontorium adhuc Sigæum nomen ſeruare dicatur. Illud quoq; de Deimacho Herculis ſocio apud Troiam interfecto proditum eſt, quòd cùm Deimachus Glauciam Scamandri filiam compreſſiſſet,ea,poſteaquàm fortè occiſus fuiſſet Deimachus,pœnam verita ad Herculem rem detulit, qui amici miſeratione,poſt euerſam Troiam,illam ſecum in Bœotiam deduxit:vbi cum filium peperiſſet,Scamandrum nuncupauit,qui poſt autem apud Eleonem regnauit, ibique fluuium Inachum de ſuo nomine Scamandrum vocitauit, proximúmq; alterum riuum à matre,Glauciam.Baltheum Hercules ab Hippolyte,vel vt alij, à

Menalippa

Menalippa Amazonum regina ablatũ, Euryſtheo detulit, Amazones reliquas debellauit. Antiopam ex iis vnam Theſeo dono dedit. Sunt qui Hippolyten dicant, vnde ei ſit natus Hyppolytus. alij rem aliter tradunt.

Mox ad Geryonem proficiſcens, Bebrycem, cui confines dicuntur Pyrenæi montes, attigit, cuius regis filiam Pyrenen vt vidit, arſit: illa vero dum vim parat Hercules, in auia & ſolitaria loca ſeſe occultans, diu noctúq; queſtibus & lachrymis intenta, à feris infelix laniatur: quam anxie dum perquirit Hercules, à feris diſcerptam reperit: cuius membra atq; oſſa colligens in montis vertice ſepeliuit, quem & à puellæ nomine Pyrenen vocauit, ſint licet aliæ de hoc montis nomine opiniones.

Dehinc in Hiſpaniam deſcendens, tricorporem Geryonem vicit, eiúſq; inde armenta, Orthúmq; canem abduxit. Alij Gargittion canem vocant, & Cerberi fratrem, interfectúmq; ab Hercule, non abductum, eiúſq; in Iberia ſepulchrum eſſe. Geryonem Heſiodus ait Chryſaore patre natũ ex Callirrhoe puella, quod & in libello Græco XII. laborum Herculis ſcriptum comperi, vbi & Orthum canem ex Echidna natum, & bicipitem fuiſſe legimus, ipſarum quoq; boum paſtorem Eurytionem. Finxere verò Geryonem ideo tricorporem, quod vnanimes atque concordes tres eſſent fratres. Alij ad tria vitia, ſermonis, corporis, & animi, quæ Hercules domuit, referunt. In Heſiodi autem commentariis ita exponitur: vel propter tria tempora, quæ à Sole conficiuntur, vel à voce, quæ Græce γῆρυς dicitur, tonitrus videlicet nubium & ventorum quæ Hercule, id eſt, ſole, vt diximus, diſſipantur, diſſoluunturque. Aëris enim tria interualla & ſpatia Philoſophi faciunt. Sedenim quoque Græci poetæ tonitrus à boum mugitu μυκηθμὸν appellauere, vnde & boues Geryonę Hercules abegiſſe dictus eſt. Palæphatus exiſtimat Geryonem tricipitem dictum, quod ab Euxini ciuitate originem duceret, quæ Tricarina diceretur, hoc eſt, vt ſic dicam, tricipitina. Eſt inter prouerbia, Triceps Geryone, in eos qui ſunt moribus efferatis & indomitis. Hecatæus verò Geryonem loca prope Ambraciam & Amphilogos tenuiſſe ſcribit, quæ paſcuis optimis referta ſunt, eúmque ibi ab Hercule victum: vnde & cum bobus in Epiro, mox à Larino paſtore ſuſceptus eſt, à quo poſtea Larinorum boum memoria ſit facta, quod ſcilicet fuerint formoſiſſimi. Quidam ab eodem Larino abactos, ſeu quod Proxenus ait, Hercules ipſe in Dodona Ioui conſecrauit. Alij non à Larino cognominatos putant, ſed à narium latitudine. Græci quippe λα particula vtuntur in huiuſmodi ſignificatu, vt Laſtaurus is qui æquo eſt membroſior, ac pronior in venerẽ, qua de voce Græci grammatici, & ab aliis Latini multa. De Laſtauro quidem illud notat Phrynichus, quod ea dictione recẽtiores non vtuntur vt antiqui, ſed pro homine nequam, quaſi σαύρῳ digno. Eſt verò tauros pars mẽbri virilis, vt eſt apud F. Quintilianum, & Diomedem grammaticum. Euſtathius partem ſub oſcheo poſitam ait. Meminit & Suidas & Athenæus: à qua certe particula vocantur hypotaura ab Aetio, vbi de pudendorum morbis agit, quam dictionem interpretes parum nouiſſe viſi ſunt. Dicitur & virgo intacta à Græcis ἀταύρωτος, ab eadem particula facto vocabulo. Sed nos ad Larinos potius redeamus, quos alij appellatos volunt ab eo quod frumento ac pabulo paſti ac ſaginati eſſent, hoc eſt, ἀπὸ τοῦ λαρινεύεσθαι, vt ſcribit Athenæus: nam & ſues eadem ratione larini dicuntur. & Larinum epos dixit Ariſtophanes. Quidam & hos boues ceſtrinos vocauerunt, quidam à Larino pago vocatos autumant, alij à Laro prædone, de quo apud Græcos extant prouerbia: alij à pago Epiri. Nauigaſſe verò Hercules dicitur aheneo lebete in Erytheam inſulam, quam Gades Pherecydes dixiſſe videtur: vel vt alij, ærata naue, vſus pro velo leonis pelle, pro malo claua, pro rudentibus loris pharetræ, pro remo arcu. Hinc frequens illud Græcis dicterium, ἄλλο τὸ γένος κώπης. Cum enim inſuetam hanc nauigationem homines indigenæ ſpectarent, clamabant, aliud hoc genus remi, vt eſt à Plutarcho relatũ. Alij po-

culo nauigaſſe perhibent: quam rem ad hiſtoriam refert Macrobius, vt nauigio videlicet eo nauigauerit cui nomen ſcypho. Alij quod Hercules ipſe biboſus eſſet, & immanibus vteretur poculis, vt eſt pluribus diſputatum apud Athenæum, & nos hac de re aliquid infra dicemus. Sunt qui fabulam aliter recitent, ipſum cum ſui itineris terminum columnas ponere ſtatuiſſet, & meridie ſolis æſtu affectus eſſet, in deum telum conieciſſe: deum admiratum herois robur, eiq; aureum poculum dediſſe, quo in Erytheam ad Geryonis boues ille enauigauit. Alij eo in Pergen perueniſſe aiunt, inde per Oceanũ ad Prometheum nauigaſſe, ac illum, vt diximus, è Caucaſo liberaſſe, à quo edoctus eſt, ne ad mala aurea ipſe accederet, ſed ad ea accipienda Atlantem mitteret, ipſe Atlantis tantiſper vices ſubiret, dum rediret. quod vbi factum eſt, ne Atlas cœli onus iterum ſubire cogeretur, ſe tria illa mala ad Euryſtheum allaturum recepit: verum à Prometheo præmonitus Hercules, Atlantem hac arte fefellit. Suſtine, inquit, donec peram capiti componam, vt facilius humeris onus incumbat. ille poma deponens, cœli onus ſubiuit: Hercules poma colligens vale dixit Atlanti, ac ad Euryſtheum ea ipſe detulit. Quidam & mala dicunt à Bœotiis ſacrificari Herculi: vnde Herculis ſimulachra nonnulla ab antiquis fingebantur tria mala ſiniſtra geſtantis, cuius ſignificationem ſuperius adſcripſimus: triplicem ſcilicet illius virtutem fuiſſe, non iracundum, non auarum, non voluptuoſum. Eſt adhuc videre in Capitolio Herculis coloſſus aheneus malum manu porrigentis, quem ſuperioribus annis effoſſum audiui, vbi olim fuerat ipſius Herculis ara maxima, ad forum boarium. Sed ne hiſtoriam mittam, ſunt qui Herculem ipſum, non Atlantem, ad hortos Heſperidum profectum aiunt, draconémque peruigilem domuiſſe, quem nonnulli ex terra natum, quidam ex Typhone, & Echidna, centúmque capita, centúmq; voces habuiſſe. Alij volunt id paſtoris fuiſſe nomen, nec poma; ſed oues fuiſſe, quæ aureæ ideo appellatæ ſunt, vel propter earum decorem, ſiue quod ex pecoribus antiquis diuitiæ conſtabant, vnde etiam aurea vellera dicta ſunt. Nec deſunt qui in Chemicam artem hæc vellera referant, vt Euſtathius & Suidas, id quod in noſtris annotationibus clarius oſtendi. Huic quoque fabulæ locum dedit vocabuli ambiguitas, Græci enim & pomum & pecus eadem dictione ſignificant, hoc eſt, τὸ μῆλον. Solet à doctis quæri vnde Hercules Melius dictus ſit. Quidam non à pomis, de quibus modo egimus, neque ab ouibus, ſed aliam quampiam afferunt hiſtoriam. Bos, aiunt, cum eſſet Herculi immolandus aufugit: cum verò nihil eſſet quo res ſacra deo fieret, malum, quatuor ſuppoſitis ramis pro pedibus, & duobus pro cornibus, in formam bouis, illi in ſacrificium oblatum eſt. Vnde in tenues & frugales, qui nomen quidem magnificum gerunt, at nullis opibus pollent, prouerbium factum eſt, Melius Hercules, hoc eſt malo factus Hercules. Dicitur & malũ Herculis, vt ex Apollodoro Zenobius tradit. At Pollux in primo ab his euariat. Ait enim in Bœotia de malis fructibus Herculi rem ſacram fieri, idq; ea cauſa contigiſſe, quod cum forte aries ei in ſacrum adduceretur, Aſopus fluuius adeò excreuit, vt adduci non poſſet, tum qui ſacrum procurabant, malum maturum & pulchrum pro ariete accipiẽtes, ei quatuor feſtucas pro pedibus, & duas pro cornibus infixerũt, atq; eo modo rem ſacram peregiſſe: vnde poſtea apud Thebanos & Bœotios id moris permanſit, vocantes μῆλον ἡρακλῆς. Sed his miſſis Heſperidum ſequamur fabulam, quam Heſiodi expoſitores ita interpretantur, vt per eas, veſpertinas horas, per poma aurea, ſtellas atque aſtra intelligãt. Herculem verò iam ſolem appellari non ſemel diximus. Surgente autem ſole aſtra rapi videntur, hoc eſt occultari, & idcirco Herculem τρυγῆσαι, hoc eſt, poma aurea abſtuliſſe dicimus. Alij à Nereo Herculem monitum ſcribunt, eum nõ poſſe Heſperidum mala colligere, niſi Atlantis ope iuuaretur, atq; ideo ad Atlantem iuiſſe, cœlúmq; pro eo tuliſſe. Quidam Heſperidas puellas ab Hercule liberatas tradunt, cùm forte ludentes à piratis in littore ra-

ptæ fuiſſent: quas cum patri reſtituiſſet, ab eo aſtrologiam ac ſphærarũ rationem edidicit: vnde eſt poetis anſa fabulandi præſtita, vt Herculem canerent humeris cœlum ſuſtinuiſſe magiſtro Atlante firmius. Xenagoras putauit Atlantem primum fuiſſe qui ſyderum rationem excogitarit, à quo id ſit edoctus Hercules; & ita poſt Atlantem ſecundas tuliſſe: verum mox grauioribus ſtudiis operam cum daret, aſtronomiam ipſam Atlanti reliquiſſe. Alij Herculem cœlum ſuſtinuiſſe volunt, cum bello giganteo dei omnes fermè in quodam cœli angulo delituiſſent: quod non ſine ratione factum nos putamus. Nam cum gigantes, qui impij fuerunt, deorum immortalium religionem cultúmq; penitus tollere tentarent, eum Hercules ſemper incolumem ſeruauit, qui vt à diligentiſſimis rerum ſcriptoribus obſeruatum eſt, maxime religioſus fuit, atq; perinde ad iuramenta minime procliuis, quippe qui ſemel tantum toto vitæ ſuæ tempore iuraſſe perhibetur: idq; Phyleo Augiæ filio. Qua cauſa factum arbitror, vt inter gentium iuramenta ipſius Herculis nomen ſit longe frequentiſſimũ. Torridam zonam, & Libyæ æſtuantes harenas incolumis pertranſiuit, quod olim miraculo adſcribebatur, nunc vero minimè, vt tot noſtrorum temporum nauigationes oſtendũt. Inſuper Hercules Breuia & Syrtes naue amiſſa pedes ſuperauit. Sed quoniã incidimus in Lybiæ mentionem, hoc loco addendum eſt quod ab Alexandro polyhiſtore traditur & Ioſepho, cum de Africa vterq; loqueretur. Filiis autẽ Abrami auxilium præbuiſſe Herculem in Libya, & duxiſſe vxorem filiam Iaphran nomine Hecæam, & genuiſſe ex ea Dodorim filiũ, cuius fuit filius Soron, ex quo barbari Sorophaci nominantur. Ibidem Græci fabulantur ab Hercule Antæum Neptuni & Terræ filium palæſtra deuictum, coronatúmq; à Mercurio poſt certamen: cuius quidẽ Antæi ea vis erat, vt quoties matrem Terram attingeret, eò fortius & acrius hoſti inſtaret, atque ea de cauſa illum ſublatum brachiis & pectore nitens Hercules compreſſit, vt adhuc in ſtatuis antiquis marmoreis præclarè cum Romæ, tum alibi cernit. Sunt qui fabulam interpretentur, quod Antæus in palæſtra eſſet in ſupplantandis hoſtibus, implicandíſq; & explicandis humi nexibus, peritiſſimus. Sed de Terræ filiis qui dicuntur, qui Iouis, qui Neptuni, alibi plura. nunc ideo reliquam huius hiſtoriæ partem proſequemur.

Columnas in occidente, quæ de eius nomine Herculeæ dictæ fuerunt, erexit, de quibus inter alios longa eſt Strabonis diſputatio. Has certe Pindarus in Olympiis poſuiſſe videtur, pro eo quod eſt ſummã attingere, ita vt interpres obſeruat, prouerbij vice vſurpet, Herculis columnas attigit. Has verò colũnas Briarei quidam vocauere. Inuenta eſt item Herculis columna in Italia, vt Ariſtoteles ſcribit. De ijs verò quæ in Africa ab eo poſitæ fuerunt, ſuperius diximus. Mediterranei maris oſtia obſtruxit, ne cete ac immaniores oceani belluæ in ipſum influerent. Alij rem ita factã volunt: Calpen & Abylen montes prius iunctos fuiſſe, mox ab Hercule patefactos, appellatóſq; Herculis colũnas. Quidã hos ipſos montes procul ſpectantibus geminas columnas videri dicunt. Alij in Tyrios, et eis datum oraculum, quòd coloniam deducerent ad Herculis columnas. Referunt nonnulli à columna poſita in templo Herculis Gaditani, in qua templi ſumptus deſcriptus erat. Alij quoq; alia dixerũt. Sed & præter Herculem, Bacchum quoq; & Alexandrum in ſuarum expeditionũ terminis columnas poſuiſſe memoriæ proditum eſt. Hercules præterea ipſe à balæna aliquando deuoratus fuiſſe dicitur, ex qua tamen incolumis emerſit, niſi quod eſt omnibus pilis exutus, ob ſcilicet internum belluæ calorem. res quidem vt hiſtoria à Græcis traditur, quam & in Ionam repetit magnæ apud Chriſtianos autoritatis Theophylactus. Eandem & Lycophron attigit, & Zezes Iſaacius interpres explicat. Buſirin Aegyptium regem, hoſpites necantem, occidit, & cũ eo eius filium Ithidamãta, & Calbin præconem, vt Pherecydes prodidit. Sint licet inter ſcriptores, inter quos Eratoſthenes, qui dicant, nullũ vnquã fuiſſe hoc nomine regẽ, ſed huiuſce crudelitatis nomen illi irrogaſſe Oſiridis ſepulchrũ, ad quod homines rufi neca-

bantur, quod eo colore Typhon Oſiridis occiſor fuerat: deinde boues rufæ, vnde conflatum ſit βουσιείδος nomen, & aræ Buſiridis. Conſtans tamen ſcriptorum opinio eſt, illum Neptuni filium fuiſſe & Libyæ Epaphi, licet Agathon Samius Aganippes filium dicat, tyrãnidémq; apud Aegyptios exercuiſſe: de cuius crudelitate in annotationibus noſtris multa diximus, déque illius monitore Thraſyllo, qui primus Buſiridis imbuit aras, vt Ouidius & Claudianus poſt Græcos canunt. Domaſcũ de rupe præcipiti deiecit: & Termerum, hominũ capita quaſſantem verberibus, Hercules interemit: vnde & Termerũ malum, cuius in Theſeo meminit Plutarchus. Aemathionẽ Aethiopum regem bello ſuperauit. Cretam inſulam, quod ibi Iupiter natus eſſet, quódq; Cretenſes ingenti illum honore affeciſſent, à feris immunem reddidit. Idem & in Libya feciſſe dictus eſt. Tempe locũ amœniſſimum in Theſſalia, vt multorum eſt opinio, aperuit patefactis montibus. Eſt quoq; in Græcorum fabulis traditũ, ipſum Herculem Mycaleſſi mare aperire ſolitũ ſingulis noctibus, rurſusq; claudere. Minei fluminis alueum in Bœotia effodit. Olbio itẽ fluuio per Pheneatarum campum alueum fecit longitudine ad quinquaginta ſtadia. Hunc Arcadum quidam Arianium, non Olbium vocant. Illud quoq; miraculum traditur, quod cũ ſitiret Hercules in Theſſalia apud Anticyran, fluuium emerſiſſe, ad ferendam ipſi ardenti opem. flumini nomen inditũ Dryas, qui à Sperchio XX. ſtadiis diſtat. Myriagadan vrbẽ tunc opulentiſſimam in ſeruitutẽ redegit. Celtas Gallos à mactandis humanis victimis abſtinere coegit, Alexiámq; apud eos vrbem condidit, quæ earũ mox gentium metropolis facta eſt. Albionem & Beergionẽ Neptuni filios deuicit. Cum verò inter pugnãdum telis fortè deſtitutus eſſet, patrem orauit, qui illi lapideam è cœlo pluuiam demiſit, vnde ſunt ei tela ſumminiſtrata. campo adhuc nomẽ lapideo. Germani quoq; Herculem ſuas regiones luſtraſſe in ſuis annalibus tradidere. quod & Britanni. Quin & ab Albione, de quo modò meminimus, Britannia inſula prius Albion nuncupata eſt. Veniſſe poſt hæc in Italiam Herculem ferunt, montiũq; iuga & Alpeis patefeciſſe, viámq; ſtrauiſſe, quæ & à ſuo nomine Herculea dicta eſt. Sũt & qui Tauriſcum ab Herculis tauris vrbem ibi nominatã velint. Deſcendit deinde in Latium, vbi á Potitio & Pinario benignè eſt hoſpitio ſuſceptus: quibus & quo ſacrificãdi ritu ſe coli vellet, mane videlicet & veſperi, monſtraſſe literarũ monumentis relatum eſt. Sed enim cũ primũ res diuina mane facta eſſet, veſperiq; pro inſtituto repetenda foret, Potitius prior aduenit, Pinarius verò ſerior, extis iam redditis. Vnde iratus Hercules ſtatuiſſe dicitur, vt Pinariorũ familia tantũ miniſtra eſſet epulantibus Potitiis: ex qua re et Grammatici à fame pinarij vocabulum deexũ arbitra ſtur. Eſt quoq; in hiſtoriis proditum, quod Appius Claudius cenſor cum aduerſus reſponſum ad ſeruos publicos ſacra Herculis tranſtuliſſet, luminibus eſt orbatus, & Potitiorum gens quæ prodidit, intra vnius anni tempus extincta eſt. Decima quoq;, vt quidam putãt, ab his honoratus fuit. Manſerunt Romæ longo tempore Pinariorũ & Potitiorum familiæ. Creditum eſt antiquis, qui Herculi decimam vouerent, ditiores & locupletiores fieri: eam probat Plutarchus opinionẽ, quod Hercules ipſe boum Geryonis decimam immolarit, vel quod Romanos ab Hetruſcis decimari ſolitos liberauerit. Sunt qui putant eo moriente prædixiſſe, qui facultatũ decimam conſecraſſent, eos demum locupletes futuros. Quinimò & Hercules ipſe diuitiis præeſſe creditur. Vnde, diues amico Hercule, vt ait Horatius, & dexter Hercules erat in votis. Tametſi hoc ipſius vocabulum in cuiuſdam mercenarij ſomnium ab aliis refertur, quo Hercules occultũ theſaurum ſomnianti oſtendit. Celebratur & illud M. Octauij Herennij ſomnium, quo Herculis victoris illi cognomen eſt additum. Cum enim Octauius mercaturam exercere, idq; illi pro animi ſententia ſuccederet, decimam Herculi non dedit. Accidit autem cum nauigaret, vt à piratis circumueniretur: ille, vt erat animo intrepido & forti, ſtrenuè ac animoſe pugnauit, atq; ita piratarum manus euaſit: in ſequenti verò nocte ei

viſus eſt

viſus eſt adeſſe Hercules in ſomniis, qui illum moneret, eum ſeruatũ ſua opera. Qua de re Octauius tanti beneficij haud immemor, area impetrata à magiſtratibus, Herculi Victori ædem poſuit, appoſita in rei teſtimoniũ & monumẽtum ſtatua cum inſcriptione. M. tamen Varro Herculem ideo victorẽ nuncupatum aſſerit, quod omne ferarum & noxiorũ animalium genus ſuperauerit. Fertur & aliud Sophoclis poetæ ſomnium, quo deum videre viſus eſt prodentẽ ſibi, quinam graue aureã pateram ex ęde ſurripuiſſet: quod vbi compertũ fuit, ab Areopagitis phanũ indicis Herculis eſt conſtructũ. Sed cum de Hercule ſomnia narrarẽ, cur non & quæ de interpretatione ſomniorũ ſcribit Artemidorus hoc loco afferã? Is igitur lib. 2. Onirocriticῶn ad Caſſium Max. ſcribẽs ait: In ſomniis Herculem vel ipſius ſtatuam videre, omnibus bene inſtitutis & ſecundum legem viuentibus bonum ſignificare, & præſertim ſi aliqua ſint iniuria affecti. Nam & hic deus cum inter homines degeret, affectis iniuria defenſor fuit ac vindex: iis verò qui præter leges viuerent, aliiſq; iniurias inferrent, & iniqua agerent, iniquus fuit deus ac malus. Atq; adeò hac ratione bonus eſt iis qui certamen ineunt, vel iudicium, vel pugnam: hinc & καλλίνικος Διὸς vocatus eſt. Qui autẽ cum Hercule verſari videntur, aut cum eo aliquid efficere, aut ſimul cibum capere, eiúsve aliqd habere, aut ab ipſo leonis pellẽ, clauámve, aliúdve ex ipſius armis ſumere, obſeruatum eſt id malum ſignificare & abſurdum, & longa experientia didici. Quàm verò decens eſt, & rationabiliter contingit & rectè, vt quã deus vſus eſt vita ipſe dum inter mortales eſſet, hac eadem & ea per ſomnia intuentibus præbeat? Hæc fermè Artemidorus. Sed iam miſſis ſomniis, reliquum fabulæ agamus. Hercules cum adhuc in Italia eſſet, Euandrum literas docuit, vt autor eſt Iuba, à quo & diuino honore affectus eſt. Nec deſunt qui autore Polybio, Pallanta, qui à poeta Euandri filius dicitur, Herculis filium dicant, ex Dyna Euandri filia. Ab Euandro mox ara maxima eſt Herculi dicata, quã ei ſtatuendam Delphicus Apollo multò antè prædixerat: vel, vt alij tradunt, Euandro à matre Carmente, quæ & Nicoſtrata, & Themis dicta eſt. Ara verò hæc maxima conſtructa fuit in foro boario, quod & ab Herculis bobus mactatis dictum ſcriptores volunt. Traditum eſt cum hæc ara aliquando incenderetur, à Pinariis ſeruatam fuiſſe, id quod & Vergilius ſubinnuit, cum ait:

Et domus Herculei cuſtos Pinaria ſacri.

Quã circum aram lectiſternia fieri religio fuit, ſacerdotéſq; aperto capite ibi, & populeis coronis euincti tempora, prius rem ſacrã faciebant, quas quidem coronas in laureas poſteà commutauere. Illud obſeruat Varro, nefas fuiſſe canem intra muros apparere, dum Herculi ſacra fierent. Quidam conſuetudinem hãc ex Cerbero emanaſſe volũt: alij in hiſtoriã Lycimnij pueri auguris à cane occiſi referũt, cuius cauſa ab Hippocoontib. pręlia multa decertare coactus fuit, in queis multos ex amicis amiſit, atque inter cæteros Iphiclum fratrem. Nam id quod à nonnullis ſcribitur, Herculem odio ſemper canes habuiſſe, parum conſtare videtur: comitem enim canem Græci ſcriptores Herculi attribuerunt, id in primis afferentes: Cum Tyri, aiunt, Hercules deambularet, canis illi comes ex vetuſta heroum lege aderat: qui cum fortè mordicus muricem fregiſſet, conchylij cruore os infecit: quam rem cum vidiſſet Nympha Tyros, quæ perditè ab Hercule amabatur, ſi vis, inquit, Hercules noſtri tibi copiam fieri, iſtius mihi coloris veſtem infectam afferas: quam rem ſecum altius veſtigans Hercules (quæ enim amantis maior eſt induſtria?) purpuræ cruorem tandem cognouit, vnde & eius infecturam excogitauit. Quidam ad Phœnicem regem eam purpuram delatam ab Hercule tradunt, qui primus eam geſtauerit. Muſcas prætereà legimus Romæ in eadem Herculis æde, de qua modo meminimus, non intraſſe, vt obſeruauit Plinius. Verum & à Gręcis talis fabula narratur, quod cum in Olympia rem diuinam faceret Hercules, & muſcæ illi valde moleſtæ eſſent, Ioue oraſſe ferunt, quem à re Apomyion vocauerunt, atq; ita muſcæ omnes vltra Alpheũ amnem

euolauere: quare ab eo tempore Elienſes Iouem Apomyion muſcas abigẽtem, multa veneratione coluerũt. Solinus id accidiſſe Romæ tradit ea ratione, quòd muſcarum deum Myagrum rogauerit. Canes verò, propter clauam templi foribus appoſitam. At ne hiſtoriæ textũ mittamus, cùm in Italia eſſet Hercules, Italos ab humanis victimis reuocaſſe dicitur: & ne rei nouitate turbarentur, mutato ritu patrio, hominũ ſimulachra ac ſcirpeas effigies XXX. exturbari ex ponte ſublicio in Tiberim inſtituit. Eas verò imagines Argeas dixere, ab Argiuis ſcilicet Herculis ſociis. Cacum mox prædonem Vulcani filium, ore ac oculis ignem efflantem, quod vaccas abegerat in monte Auentino occidit, qui ab Herculis filio, vt multi tradunt, cognominatus fuit. Cernitur, vt credit vulgus, hodie quoque eius ſpeluncæ pars. Caca Caci ſoror, quod Herculi indiciũ feciſſet de boum furto, diuinitatem eſt conſecuta, quæ dea à Romanis colebatur, à quibus & Faula quoque dea, quam Herculis ſcortum fuiſſe ex Verrio ſeu Ennio Lactantius docet. Hæc verò de Caco Solinus: Cacus, inquit, habitauit locum cui Salinæ nomen eſt, vbi trigemina nunc porta: hic, vt Cælius tradit, cum à Tarchonte Tyrrheno, ad quem legatus venerat Marſiæ regis, ſocio Megalæ Phrygi cuſtodiæ foret datus, fruſtratus vincula, vnde venerat rediit, præſidiis amplioribus occupato circa Vulturnum & Campaniam regno, dum etiam ea attrectare auderet quæ conceſſerant in Arcadum iura, duce Hercule, qui tunc fortè ad aderat, oppreſſus eſt. Hactenus quidẽ Solinus. Charybdim anum voraciſſimã, quæ ipſi boues abegiſſe fertur, in mare deiecit, nomẽq; dedit periculoſiſſimo maris Siculi loco. quidam ab Ioue fulminatam tradunt. Celebratur & illud Herculis factũ: nam cũ prope montem Cimim eſſet Hercules, à populis prouocabatur, vt virtutem ſuam oſtenderet. Ille autam vectem ferreum quo exercebatẽ, terræ infixit: qui cũ à nullo poſſet auferri, rogatus ipſe abſtulit: ex quo loci foramine & hiatu ſubitò tanta vis aquæ effluxit, vt lacũ ibi monti cognominem effecerit. Cum verò per Italiam Siciliam verſus cum bobus Hercules proficiſcerẽt, nimióq; ęſtu ſitiret, à muliere aquã petiit, illa ſe non poſſe prębere, reſpondit, quod is dies Bonæ deæ ſacer erat, quo nephas ſit virum quenquam guſtare, quod ſit à muliere paratum. Iratus hac de re Hercules, ipſe quoq; ſuis ſacris mulieres interdixit, Potitióq; ac Pinario vt eas arcerent imperauit, atq;, vt puto, non aliam ob cauſam mulieres etiam ab Herculis iuramento abſtinebant. Hanc rem de Hercule ſitiente Alcimus Siculus diuerſe retulit, vt eſt apud Athenęũ: ea enim cauſa factum ait, vt Italicæ mulieres vino abſtinerent, & aquã biberent. Cum apud Crotonem cuiuſdam vxor illac Herculi iter facienti, potúmq; petenti, viro perſuaſiſſet, iniquum eſſe ſi quod conditũ haberet vinum dolio, illud effoderet hoſpitis eius gratia, atq; ideo aquam iubebat afferri: verum cum in porta eſſet Hercules, mulieríſq; verba audiuiſſet, virum quidem ipſum laudauit qui eum ingredi iuſſerat vt dolium conſpiceret, quod lapideum factum inuentum. Atque hac cauſa, inquit Alcimus, factum eſt vt Itali æ mulieres perpetuò aquam biberent, quod hac noſtra ætate minimè verũ eſt: plurimæ enim bibaces ac ebrioſæ ſunt. Apud Phlegræum montem, quem ob incẽdia multi Veſuuium eſſe putant, Gigantes vicit, id quod tamen apud autores eſt in ancipiti. Huic monti ſuppoſitum fuiſſe Alcyoneum gigantem traditum eſt, qui cum aliis ab Hercule deuictus fuit. Ibidem & Herculeum oppidum fuiſſe accepimus. Gręci nonnulli Pallenen Thraciæ potius Phlegram nuncupatam volunt, quæ à gigantibus incoleretur, ad quos vbi Hercules appulit, cum eis pugnauit: cúmq; fortè in ea pugna multa fulmina decidiſſent, finxere poetæ deorum bellum cum gigantibus fuiſſe. Phlegram verò ob id quidam dictam volunt, quod Hercules ibi gigantes à ſe deuictos combuſſerit. Gigantes autem M. Tullius & Macrobius aliud nihil ſignificare contendunt, quàm impiam quandam hominum gentẽ deos negantem, & ideo exiſtimatam deos de cœleſti ſede pellere voluiſſe. Horum quidam gigantũ pedes in Draconũ volumina deſinere dictos, quod ſignificat, nihil eos

rectum

rectum,nihil cæleſte cogitaſſe, totius vitæ eorũ greſſu atq; progreſſu in inferna vergente. Baias quoq; in Italia ab Herculis ſocio,vel vt alij, Vlyſſis,dictas fuiſſe legimus. Viam alteram atq; aggeres prope Auernum ſtruxit de ſuo nomine. Eſt in Cãpania in Stabiano, quæ vocatur Herculis petra. Apud Locrenſes cicadas precibus ſuis mutas effecit: alij apud Rhegynos, qua de re variè à ſcriptoribus traditur, vt in noſtris annotationibus collegimus. Erythræos à beſtiola vineis infeſtiſſima,quam illi ipon vocant,liberauit,vnde & ab ijs Ipoctoni nomine colitur: vti etiã ab aliis Conopionis, quod eos à culicibus,quos illi conopas vocãt, tutatus eſt. Reperias aliquos qui cornopiona nõ conopiona legant, quòd cornopas fugarit, hoc eſt, locuſtas, quas alij πάρνοπας vel ἀκρίδας vocãt. Baulis nomen dedit,quod ibi boues ipſius ſint ſtabulatæ: nã & primũ Boalia dicebantur. Pompei quoq; oppidũ in Campania ab Herculis triumphali pompa dictũ eſt. In Siciliam cũ bobus traiecit, eo cornũ bouis vnius innitente,vbi à Nymphis calidis aquis eſt refotus. Eſt ab autoribus Græcis proditũ,poſt labores Herculi calida ſubminiſtrata balnea à Pallade fuiſſe, ad ſudores videlicet & ſcabies abſtergendas,quas ex laboribus cõtrahebat, quod non ſine ratione factum quiuis iudicare poteſt. Viro enim forti & ſapienti,poſt labores ſua ipſius virtus quietẽ ac tranquillitatẽ affert. Inoleuit inter Græcos prouerbiũ, Herculea lauacra, & Herculea ſcabies. Sint licet qui dicant non à Pallade, ſed à Vulcano ea balnea primum feruentia ſubminiſtrata, & deinde calida, cuius ſententiæ eſt Ibycus Lyricus poeta. Erycen Buræ,qui monti in Sicilia nomẽ dedit, palæſtra vicit, regnóque priuauit. Deinde Leucaſpim,Peudicratem,Buphonum, Glycatan,Buten, & Crytiden Siculorum duces interfecit. Proſerpinæ ac Cyanæ Nymphæ,Proſerpinæ nutricis ſacra inſtituit. Cum illi boues in Sicilia ſublati fuiſſent,Motye mulier eos indicauit Herculi,vnde ab ea Motye ciuitas in Sicilia eſt nuncupata,vt ſcribit Hecatæus. Ab Agyrinæis diuinis honoribus ſe coli paſſus eſt, lacúmque pro mœnibus,vt eis gratiam referret,de ſuo nomine effodit. Templum Geryoni in Sicilia poſuit. Legimus quoque oraculum & ſortes Geryonis, ſed vbi locorum eſſent, haudquaquam integre ſcitur. quidam prope Patauium arbitrantur. Iolao ſacra inſtituit,quæ Iolaia dicuntur,ab aliis Heracleia. Item certamẽ Iolaium. Qui verò Iolaiis initiabantur, nutrire tantiſper comas opus erat, quoad optimis victimis deum placaſſent: ſi qui ab iis inſtitutis defeciſſent pueri, muti atque imbecilles euadebant, nec liberari aliter poterant, niſi votis eiſdem deo conciliato,veniam impetraſſent. Lacinium prædonẽ interemit. Iunoni Laciniæ templum erexit,vbi & eodem nomine promontoriũ. Solunta malum hoſpitem & ferum deuicit,à quo, vt Hecatæus & Stephanus putant, ciuitas Σολοῦς in Cilicia eſt nominata. Crotonem incaute occidit,à cuius nomine vrbem ædificãdam prædixit: qua de re ita à Poetis traditur,quod cum Hercules rediret ex Hiſpania cum bobus, à Crotone eſt hoſpitio ſuſceptus, cui prædixit ibi futurum, vt aliquando ciuitas conderetur, id quod poſtea euenit. Nam cum Mycilus Argolicus in ſomnis ab Hercule monitus fuiſſet,vt patriam relinquens ad Aeſaris fluminis oſtia proficiſceretur: id verò Micylus facere adortus à ſuis ciuibus captus eſt, quod contra patrias leges migrare voluiſſet: id enim per leges erat prohibitum. Cum autem de capite ferenda eſſet ſententia, ſortéſque educerentur, orauit Herculem Micylus, cuius monitus ſequi voluiſſet, vt ſibi eo caſu adeſſet: tum dei numine factum eſt, vt ſortes quæ atri coloris erant, in candidum verſæ ſint,vnde eſt Micylus abſolutus, qui mox oraculum Herculis ſecutus,ad Aeſarem fluuiũ peruenit,ibíq; vrbem condidit, quã de nomine ibi ſepulti Crotonis. Crotonem vocauit. Inferos deinde Hercules adiit,quem quia Charon portitor territus Stygem paludem tranſuexerat, per annum in compedibus fuiſſe, Græci poëtæ fabulati ſunt. Sunt & qui Plutonem vulneratum tradant. Pindarus quidem immotam eum tenuiſſe virgam ait, qua mortalium corpora ad inferos deducit, id quod in allegoriam ab aliis refertur. Hercules verò ab inferis

Theſeum abduxit. Fabulam quidam ſic interpretantur, quod Theſeum Hercules è manibus Adonai Moloſſorum regis eripuit, à quo in carcerem coniectus fuerat, quod ipſius regis filiam vnà cum Perithoo rapere voluiſſet, quem iam à regijs canibus lacerari idem rex iuſſerat. Amicitiam vero cum Theſeo habuiſſe Herculem ab ea vſq; pugna legi, quæ cum Lapithis & Centauris fuit: cœpiſſe autem incrementum in Amazonum bello, in quo ab Hercule Antiopa Amazone donatus fuit Theſeus. Cerberum dein Plutonis tricipitem canem, vel ſi Heſiodum audiamus, πεντηκοντακεφάλους, hoc eſt, quinquaginta capitum, ab inferis traxit. Sunt & qui ei draconis caudam attribuant, dorſumq; varijs ſerpentum capitibus refertum, quo monſtro viſo poetæ ſolem obſcuratum prodidere, hominemq; ibi in proximo præ timore in ſaxum obriguiſſe. Sunt qui ſcribant non ꝓpter Cerberum hominem ſaxum factum, ſed cum is ſuapte natura timidior eſſet, nomen Herculis vſque adeo formidabat, vt ſe in ſpeluncam abdiderit. At cum forte contigiſſet Herculem illac iter facere, caput è ſpelunca exeruit, Herculemque proſpexit: quo viſo in ſaxum diriguit, atq; inde factum volũt prouerbium, Timidior proſpiciente, quod in timidos & ſtupidos dicitur. Ex Cerberi canis ſpuma aconitum venenorum præſentiſſimum proueniſſe ferunt, idque factum prope Heracleam Ponticam: quidam in Tænaro Laconiæ promontorio. Qui in Argonautica ſcripſerunt commentaria, promontorium eſſe aiunt prope Heracleam, Acheruſium nuncupatum: vnde ab Apollonio littus maris Acheruſias dicitur. At vero Herodorus & Euphorion ibi fellem Cerberum euomuiſſe tradunt, ex quo ſit aconitum procreatum. Andron Teius Acheronta regem fuiſſe ait eorum locorum, cui filia fuit Dardanis, ex qua Hercules Pœmena filium ſuſtulit, à quibus forte per ea tempora ibi defunctis, loca quæ vrbi Heracleæ circumiacent, Dardanis & Pœmen nominata ſunt. Sed vt ad Cerberum reuertamur, ij qui in poetica theologia excelluerunt, per Cerberum interpretantur cupiditates, vitiaq; omnia, quæ (vt diximus) Hercules ſuperauit: nonnulli terram, quæ voret & conſumat omnia: quidam infectos ac peſtilentes terræ vapores, qui ab Hercule, id eſt, ſole diſſipantur diſcutiunturq;. Alij per Cerberum veritatem intelligi voluerũt, quam in profundo quaſi puteo, vt Democritus dicebat, latitantem in apertum Hercules, & apud homines produxit. Cerberum vero ait Palæphatus tricipitem vocitatum ab vrbe, de qua etiam ſuperius, Tricarina, à qua & Geryonis fabula. Poſſidebat, inquit, Geryon & canes ingentes cum armentis, vni quidem nomen fuit Cerberus, alteri Orthus. tametſi male Orus à multis legitur, quem Hercules interemit in Tricarina vrbe quam diximus, nõdum abactis bobus. At vero Cerberus vnus boues conſectabatur cuſtodiebatque, quem Moloſſus Micenæus habere optabat: ſed cum id fruſtra tentaſſet, à paſtoribus impetrauit vt in cauernis Tænari occultato cane, illuc fœminas ad coitum mitteret, vt ſaltem ex eo ſobolem acciperet. Hoc tempore Euryſtheus Herculem ad canis inueſtigationem ire iuſſit, qui tota ferè luſtrata Peloponneſo, tandem in Tænarum, vbi canis latitabat, peruenit, ex cuius ſpecu eum abduxit: ex qua re confictum eſt, Herculem ex Tænari antro Cerberum ad auras traxiſſe. Atque hactenus ferè ille. Sed & alij ita de Cerbero ſcribunt, inter quos Hecatæus Mileſius: Serpentem, inquit, in Tænaro fuiſſe, qui Plutonis canis ea de cauſa eſt appellatus, quod eius ſerpentis tantulo morſu homines interirent, eum ſerpentem, id eſt Cerberum, Hercules ad Euryſtheum detulit, & mox rurſus ad inferos reduxit, vt ſcriptum comperi in græco XII Herculis laborum libello, qui ſine autoris nomine apud me eſt, & in quo non vulgaris gentilium rerum eruditio. Homerus quidem primus canem Plutonis vocauit, ſed non qualis eſſet oſtendit. Poſt Homerum alij Cerberum nominauerunt, & tricipitem eſſe dixerunt. Populea vero corona cum ad inferos deſcenderet velaſſe caput perhibetur, cum iam ex itinere laſſus eſſet: vnde foliorum pars quæ illius temporibus adhæſerat, candida, quæ exterior fuerat ex atro inferorum

colore nigra permanſit. Sed et ij colores in ea arbore adhuc cernuntur. Quidam ad naturalem cauſam referunt. Nam et phyſici quidam Herculem tempus ſignificare autumant, ideóq; illi populum attribuunt, quę bicolor eſt: temporis enim partes, hoc eſt, diei & noctis bicolores ſunt, vt in Cleobulinæ ænigmate clarius à nobis exponitur in noſtris ad Picum ænigmatum interpretamentis. Aliam hac de re interpretationem apud Græcos ſcriptores inuenio, quod ſcilicet Hercules ex Theſprotide regione iuxta Acherontem fluuium eam regionem alluentem, populum ad Græcos tranſtulerit, atque inde factum vt ex inferis eam aduexiſſe dicatur, quòd Acheron fluuius inferorum quoq; eſſe perhibetur, & ad hoc alludens Homerus, Acheroida populum vocat. In ludis quoq; Herculi inſtitutis populea corona, & illius ſacris coronari ſolitos victores, Pindarus & Vergilius teſtes ſunt. Alceſtin Admeti regis vxorem ab inferis liberauit: vel vt fabulæ tradunt, cum Hercules mortem obuiam habuiſſet, eam catenis adamantinis colligauit, nec prius ſoluit, quàm Alceſtin in vitā reuocaſſet. Alij quod ab Acaſti manibus liberatam Admeto reſtituerit, fabulæ locum datum putāt. Fabulam hanc ſubobſcurè Claudianus in victoria contra Alaricum attigit, cùm cecinit:

Creditur Herculeis lucem renouaſſe lacertis
Fœmina, dilecti fatis impenſa mariti.

Lycum regē cū ab inferis eſſet reuerſus interemit, quòd humili loco natus Megaræ nuptias optaſſet. Furore quoq; percitus filios ac coniugem necaſſe perhibetur, qua de re Tragœdiæ extant: liberatum verò furore elleboro, à quodā viro Anticyræo legimus. Sunt qui Iolao Megarā conceſſam ſcribant, qui Iphicli fratris fuit, & quo Hercules aliquando auriga vſus eſt. In cōmentariis in Pindarum legi Iolaum natum ex Hercule fuiſſe. Sed vereor ne parum, vt multis aliis in locis, Græca ea ipſa commentaria emendatè legantur. Expiatum verò Herculem Athenis à filiorum nece, tradit Sozomenus in hiſtoria, in ſacris Eleuſiniæ deæ Cereris. Menecrates autem à Sibalo ſcribit. Octo tamē filios ab Hercule interfectos canit Pindarus, quorū hæc nomina, Therimachus, Creontiades, Ariſtodemus, Deicoon, Deion, Antimachus, Clymenus, Glenus. A Bato verò & Pherecyde hi numerantur, Polydorus, Anicetus, Męciſtophorus, Toxoclytus, Patroclus, Manebrontes, Cherſibius. Quidam duos tantum ſcribunt, Therimachum & Deicoonta. Euripides his addit Ariſtodemum. Sunt etiam qui non ab Hercule hos pueros interfectos aſſerant, ſed vel à Lyro rege, vel dolo interceptos ab Augia, vel ab hoſpitibus quibuſdam, vt eſt à Lyſimacho proditū. Menecrates hos non Heraclidas, ſed Alcidas appellatos ait. Hippocoonta Hercules Tyndarei fratrem Sparta expulit, eiúſq; filios bello deuicit, Tyndareo in regno reſtituto. Odium autem Herculis in Hippocoonta ita conflatum aiunt. Cum Hippocoon cum filiis Herculem Iphiti cæde pollutum expiare abnuiſſent, & Oeonum adoleſcentem Lycimnij Alcmenæ fratris filium fuſtibus interfeciſſent, qui cum Hercule Sparten profectus erat, & Hippocoontis ædes ſpeculans canem allatrantem percuſſerat: quare in eos Hercules concitatus, patrem & filios interfecit, inibíque Palladis Axiopœnæ templum in rei memoriam conſtruxit. Antiqui enim ποινὰς vltiones vocare, vt & nos, conſueuere. Hiſtoriam pluribus Pauſanias eſt executus. Acheloum fluuium Deianiræ nuptias optantem ſuperauit, qui varias ſubinde figuras induebat: tandem taurus factus, altero eſt ab eo cornu priuatus, quod fortunæ & diuitiis ſacrum eſſe voluit, ex quo Diuitiæ familiæ tuæ nomen, & inſigne deductum putatur: tametſi variè de hoc cornu à ſcriptoribus refertur. Quidam enim eius fluuij caput, vnum excluſiſſe tradunt, cuius irrigatione ea tota regio eſt facta fertilior, atque idcirco cornu ipſum diuitiarum appellatum. Alij per cornu laborem Herculis intellexere, quo loca illa multa vbertate excelluerunt. Nonnulli in capram Iouis nutricem referunt, quæ Amalthæa dicebatur. Alij rem hanc ita interpretantur. Ammonem, aiunt, Libyæ regem vxorem Rheam cum duxiſſet,

regnúmq;

regnumq́ circuiret, Amalthæam inſigni forma virginem conſpexiſſe, cuius amore captum, ex ea filiam non matre indignam ſuſcepiſſe, ex quo rex Amalthææ ami regioni cuidam præfecit, quæ bouis cornu erat perſimilis, vnde & occiduum cornu dicitur. Cum vero ea regio vineis ac pomarijs, cæteriſq́ eiuſmodi locis eſſet referta, ab Aphris cornu Amalthææ nuncupata eſt, vnde & prouerbiũ emanatum quidam putant. Alij rem ipſam ita tradunt, vt Herculem ſecum aſſerant ſemper & vbiq́ habuiſſe cornu, per quod quæcunque volebat aſſequebatur. Verum, ait Palæphatus, hiſtoriæ veritas ita ſe habet: Amalthæa, inquit, hoſpitata eſt Herculem, cum per Bœotiam ad Iolaum proficiſceretur in Theſpias: cuius mulieris contubernio & ſpecie cum delectaretur Hercules, id Iolaus iniquo ferens animo, pecunias quas mulier illa in cornu quodam occultas habebat, clàm auferre tentauit, quod ijs mulier opportuna & neceſſaria Herculi ſubminiſtraret: vnde factũ eſt vt ab aduenis Hercules Amalthææ cornu habere diceretur, quod ea mulier cuncta Herculi neceſſaria proprijs ſumptibus compararet. Sicut & maiores tuos ANGELE audiui olim non vni Herculi, ſed toti Biblennæ oppido aliquando annonam in eius maxima caritate diſtribuiſſe: quare beneficij haud immemores ciues, publico edicto tuam familiam deinceps Diuitiam vocari ſtatuerunt. Sed hæc in præſenti parcius, aliàs plurib. nunc reliquã Herculis hiſtoriã proſequar. Phyleum Theſprotiorum regem poſt hæc deuicit, ex cuius familia filium Tlepolemum ſuſtulit. Eurynomum puerum Architelis filiũ, quem Cyathum aliqui appellant, Oenei pocillatorem, ſeu, ſi liceat dicere, pincernam, vino madefactus, condylo, id eſt, digiti nodo ſeu articulo confecit, dum fortè miniſtrans parum neſcio quid incautus puer deliquiſſet: quam ob rem dolore confectus, Calydone vnà cum Deianira aufugiſſe dicitur. Puerũ hunc Hellanicus Archiam vocatum ſcribit, alibi vero Cheriam. Sed Herodorus in XVII. de Hercule ſermone, Ennomon, & Cyathum Pyletis filium, fratrémq́ Antimachi, cui & ab Hercule ara conſtructa fuit, vt Nicander ſcripſit. At vero Athenæus Rhananta puerũ vocatum ait. Poſt hæc cũ ad Euenũ fluuium perueniſſet, Neſſum Cẽtaurum Deianiram violare tentantẽ ſagittis confecit. Phyllantum Dryopũ regem, qui ſacrilegio impius Delphici Apollinis templum violauerat, contudit, ex cuius filia Antilochus ei natus eſt. Fuerunt vero Dryopes populi ad Parnaſſi radices, qui vel à Dryope Lycaonis & Diæ filio, vel à Dryope Penei & Polydoræ, cognominati ſunt, vel vt alij, à Nympha eius nominis Eurypili filia: qui populi cùm latrocinijs & immanitate notarentur, eos Hercules ſedes mutare coëgit. Sunt qui putant quod contra Herculẽ à Thiodamante acciti fuiſſent, quo tempore ab ipſo Thiodamante ſpretus Hercules ei bouem abſtulerat: quare Deianiram quoq́ armatã tum temporis ab Hercule fuiſſe accepimus, quæ ſit nihilominus in mamma vulnerata. Coronum dehinc Lapitharũ regem mactauit. Dorienſes tutatus eſt. & Ormenium regem interfecit, ex cuius filia Aſtydamia Cteſippum procreauit. Cycnum Martis filium ipſe primo in fugam verſus, dein reparatis cõpijs confecit. Hic quidem, vt Pindari interpretes ſcribunt, in Theſſalia prætereuntibus inſidias parabat, vt ex interfectorum capitibus templum Marti parenti conſtrueret. In Herculis vero ſcuto græci expoſitores Martem ipſum aiunt, cum filium protegeret, ab Hercule fuiſſe in femore vulneratum. Fuerat autem hic Cycnus Ceycis gener. Meminit & Cycni huius Diodorus. Sed in Codicibus vulgaris pro Cycno, Cyonum legitur. Boliẽ quoque puellam compreſſit Hercules, ex qua natus eſt Olynthus, à quo Olynthiacus fluuius prope Apolloniam Chalcidicã fluens, vt eſt ab Hegeſandro & Athenæo traditũ: cuius quidẽ Olynthi ſepulchrum apud fluuium fuiſſe idem ſcriptores prodidere. Olynthum vero ciuitatem Thraciæ Stephanus ab Herculis quidem filio denominatam ſcribit, ſed matrem nõ nominat. Vndecim etiam Nelei filios Hercules occidiſſe dicitur: cum enim duodecim eſſent, omnes præter Neſtorem contra Herculem dixerant, vel, vt ab alijs traditur, boues Erytheas

Diuitia familia.

abegerant.

abegerant. Neſtor verò eo tempore puer admodũ apud Gerenios populos alebatur, vnde & illi cognomen Gerenij, quem poſtea miro proſecutus eſt amore Hercules, vt nobis ſuperius eſt proditũ: ei verò peperciſſe Iſocrates in quadã oratione oſtendit, cũ Meſſenem expugnauit. Sed inter hos Nelei filios mira de Periclymeno narrantur, qui vt Proteus & Metra, in varias ſubinde formas conuertebatur, idꝗ illi conceſſum ab auo Neptuno, vt Apollonius & Heſiodus canunt: ipſum tandem Mineruæ conſilio Hercules in muſcam conuerſum, vel, vt alij tradunt, in apem, claua cõfecit. Inter ſcriptores Latinos ſunt qui aquilam factum nõ claua, ſed ſagittis confectũ aſſerant. Heſiodus vtiꝗ & in ſerpentẽ, & in formicã quoꝗ, ac alia mutari ſolitũ dicit, id quod & in commentariis in Apollonium legimus. Icarum quoꝗ Dædali filium in mari ſummerſum, ſepulturę tradidiſſe prodit. Oechaliam inſuper regionẽ euertiſſe legimus, eiuſꝗ loci regem Eurytum mactaſſe, quòd ei primum quidem Iolen filiam deſponderat, deinde verò ſe daturũ negarat. Quidam eius tantummodo equos, & filiam Iolen, quã ardentiſſime amabat, abduxiſſe ferunt, cuius certe puellæ iuſſione pro claua & leonis pelle, colum & penſa tuliſſe dicit. Alij fabuloſius rem ſic tradiderunt, quod Hercules in Liberalibus cũ Iole veſtem mutauit & habitũ: vnde Faunus exiſtimans Herculem puellam eſſe, vęſte deceptus, ab Hercule fuit pede percuſſus in vẽtre, adeò vt procul illum proiecerit, atꝗ vt canitur, omnibus ad lunæ lumina riſus erat: quam tamen Iolen ferunt cum eſſet moriturus, Hyllo filio vxorem reliquiſſe. Iphitum præterea de altiſſima turri pręcipitauit, quod Thebas ſpeculatũ veniſſet, exploraturus an Euryti equos vſpiam videret: cuius cædis immanitate in eam ægritudinẽ incidit, vt liberari nõ poſſet, niſi venderet ipſe, precciũmꝗ Iphiti filiis pro patris vita redderet: vnde aiunt in Aſiam ipſum migraſſe, paſſumꝗ ſe vendi Iardanæ Omphales parẽti, cui aliquandiu ſeruiuit. Alij ſerpentem interfeciſſe ferunt apud Sangarim fluuiũ, eam regionẽ latè vaſtantem. Cercopas quoꝗ latrones, à quibus & in malos verſipelléſꝗ homines prouerbia facta ſunt, Omphales iuſſu vinxiſſe prodit. Sed hanc Cercopũ fabulam cõmodius & latius retro proſequemur. Itonas Omphales patriam infeſtãtes ſua virtute compeſcuit. Ex Omphale verò, quæ eũ libertate ob præclara illius geſta donauit, Lamum, quem & Lamonem vocatũ legimus, procreauit, cum antea ſeruus ex ſerua Cleolaum progenuiſſet. Apud ſcriptores aliquos inuenio Hyllum ex Omphale filiũ fuiſſe, eóꝗ nomine ab Hercule nuncupatũ à flumine, cuius oſſa in Phrygia fuiſſe Philoſtratus autor eſt. Sunt inter ſcriptores qui Omphalen & Iolen eandem putent. Palæphatus antiquiſſimus apud Gręcos fabularũ interpres, de Omphale in hunc fermè modum tradit: Omphale, inquit, Iardane (Iordanem licet perperàm quidam ſcribant) regis Lydorũ filia fuit, quæ Herculis fortia facta ac nomen audiens, ad eum amandum trahebatur, cuius Hercules formam cõtemplatus, pari illius amore correptus eſt: vnde cum illa miſtus Laomedontem, quẽ Lamonem alij vocant, vt diximus, filium genuit, à quo, vt Sempronius ait, cãpi Lamones appellati, in quibus lapides compluti. Adeò verò puella ipſa Omphale delectatus eſt Hercules, vt pro ſe eam imperare permitteret: quare, inquit Palæphatus, eſt à fatuis confictum, Herculem Omphalæ paruiſſe. Legimus præterea & illud quoꝗ ei memorabile propter Iphiti cædem, cuius modo meminimus, quod cum Delphos ad oraculum profectus eſſet, Xenocleã, quæ tũ ibi forte vates erat, propter eiuſmodi cædem oraculum & vaticiniũ ei dare ſpreuiſſe: quare iratus Hercules, ſublatũ tripodem vaticinij ex phano aſphortauit: tunc Xenocleam dixiſſe ferunt, alius vtiꝗ Hercules Tirynthius quàm Conopius. Nam & Aegyptiũ, alij quempiam Herculem, prius quàm Thebanum fuiſſe volũt, quod ſuperius attigimus: tum Hercules iis verbis motus tripodem reſtituit, atque à Xenoclea oraculũ tulit de iis quæ ſcire volebat. Hinc opinor illud à poetis confictum eſt, Herculem & Apollinem de tripode certamẽ habuiſſe. Poſt hæc Hylleum qui ad vineas agróſꝗ colendos viatores cõpellebat, ligone peremit. Deos

quoꝗ

quoq; æternitate ſua inuiolabiles, ab Hercule vulneratos proditum eſt: nam tricipiti telo ab eo Iunonem vulneratam legimus, Plutonem vero cum eſſet apud inferos. quæ non ſine myſtica ratione facta quiuis cognoſcere poteſt, qui Herculem ſolem, ſolisq; virtutem apud phyſicos ſignificare meminerit, Iunonem vero aëra, Plutonem terrarum abdita. Pæona tamen deorum medicum poetæ aiũt ſanitatem reſtituiſſe. Sed quis inter Herculis labores non illum maximum putet, quo Theſpij Athenienſis virgines 50. omnes vna nocte mulieres fecit, atq; ex ijs 50. filios procreaſſe dicitur, quos Iolao duce, præter duos qui Thebis remãſerant, à quibus Heraclidarum nomen propagatum eſt, in Sardiniã dimiſit, quæ & à Sardo eius filio ſic eſt nuncupata. Alij 49. tantum vitiatas ferunt, vnámq; ſeruatam, quæ virgo mox in templo Herculis apud Theſpias rem ſacram faceret. Alij maximam natu & minorem geminos peperiſſe prodiderunt. Herodorus tamen illas ſeptem diebus compreſſiſſe & violaſſe ſcribit: tametſi apud Athenæum in XIII. perperam Theſtij filias legimus, pro Theſpij, quæ turba Teuthrantia ab Ouidio nuncupatur ab auo Teuthrante, vt ex Stephano & Euſtathio didicimus, id quod nec Politiano fuit incognitum. Herculem quoq; Herodotus ait cum ſemiuipera muliere concubuiſſe, ex qua natus ſit Agathyrſus, Gelonus & Scythus, à quibus maxima orbis regio Scythia dicta eſt, & ſimul Agathyrſi & Geloni. Fruſtra vero Herculem legimus Petram Aornon in India aggreſſum fuiſſe, cum tamen illud ab Arriano dicatur, quod quæ ardua ſunt & difficilia, ne ab ipſo quidem Hercule fieri poſſe. Fuere apud græcos ſcriptores qui exiſtimarent non adeò inuictum Herculem, vt etiam ipſum aliquãdo valde timuiſſe monumentis tradiderint. Nam cum poſt Troianã cladem in inſulam Coon delatus eſſet, omnibus rebus ferè amiſſis, in ea innumerabiles pecudum greges offendit, à quorũ paſtore ouem rogauit. Erat fortè paſtor Antagoras vir fortiſſimus, qui Herculem ad luctam prouocauit: conditionem ſumpſit Hercules ea lege, vt ſi vinceret, arietem auferret. Inita pugna Antagoræ Meropes auxilio affuere, Herculi vero Græci: verùm longa defeſſus pugna, Hercules ad Threſſam quampiam mulierem aufugit, apud quam habitu muliebri delituit: ſed ſuperatis tandem Meropibus, eſt à cæde expiatus. Hiſtoriam ſcribit Plutarchus. Meminit F. Quintil. de hyperbole loquens: exquiſitam, inquit, figuram huius rei deprehendiſſe apud principem Lyricorum Pindarum videor in libro quẽ inſcripſit hymnos. Is nanq; Herculis impetum aduerſus Meropas qui in inſula Coo dicuntur habitaſſe, non igni, nec ventis, nec mari, ſed fulmini dicit ſimilem fuiſſe, vt illa minora, hoc par eſſet. Poſt hæc vero Hercules Alciopi filiam duxit vxorem indutus anthina veſte, hoc eſt, vt ego interpretor, purpurea ſeu violacea: vnde & apud Coos poſt pugnam eo habitu Herculi ſacrificatur. Eodem pariter habitu in nuptijs à viro ſponſa ſuſcipitur. Eſt apud Athenæum in Dipnoſoph. XII. qui Herculem vt mollem & effœminatum vituperet, adeò vt ſtragula & ſtromata Herculis, de mollioribus & delicatis lectis intelligi etiam prodatur. Poſt hæc & Philo Alcimedontis herois filiam compreſſiſſe dictus eſt, vnde natus ſit is qui ab Arcadibus Archemagoras dictus eſt. Expoſita verò fuit Philo, vt Pauſanias ait, vnà cum infante, quem fortè vagientem pica audiens, pueri vagitum æmulata, vt earum auium eſt natura, Herculem inde tranſeuntem morata cantu detinuit, qui auem puerum exiſtimãs, matrem religatam & puerum reperit: quibus liberatis, fonti ibi proximo nomen indidit Ciſſa, hoc eſt, pica, quod per ipſam, matrem puerúmq; repertos ſeruauiſſet. Illud præterea legimus, Herculem ex Iouis Chij ſententia triplicem habuiſſe dentium ordinem, & propterea multi cibi ac potus fuiſſe, vnde illi apud Græcos facta cognomina Polyphagus, Addephagus, & Philopotis, item Buphagus & Buthinas, quod integrum Thiodamantis bouem comederit. Orpheus quoq; inter reliqua in eius hymno cognomina Pãphagum vocat, quæ omnia referri ad ſolem & tempus poſſunt, à quibus omnia abſumuntur. Nos tamen his miſſis nunc ſequamur fabulam. Non aliam ob cau-

ſam

ſam Herculi apud Athenæum auis ab antiquis eſt attributa, quæ tum λάρος tum κέπφος græcè, latinè modo fulica, modo gauia dicta eſt, niſi quod ſit, vt ille, voraciſſima. Prætetea & ſcyphum Herculi dicatum volunt, quòd bibax fuerit, tametſi hac de re aliæ afferuntur rationes. Nõnulli ſcyphum ipſum in Italiam ſeruatum affirmant, pice obductum contra vetuſtatem. Bouem inſuper integrũ voraſſe dicitur, atq; inde vetus illud verbum manauit, Hercules hoſpitatur, cũ conuiuia, comeſſationeſq; diutius producũtur, vel cum tarditatẽ, cunctationemuè alicuius ſignificamus. Proditũ quoq; Herculem aliquando certaſſe cum Lerpeo Pyrgei filio homine voraciſſimo, vt Pauſan. ait, vel vt alij, Cauconis & Aſtydamiæ, quẽ Mitris in Herculis laudatione bibaciſſimum dixit, eúmq; multis poculis ſuperatũ ab Hercule, quam rẽ multis verſibus deſcribit in X. Athenæus. Hanc vero bibendi conſuetudinẽ Græcis olim frequentiſſimam, Germani Galliq; omnẽ ferè ad ſe tranſtulerunt. Cæterum vſq; adeo viribus Herculem valuiſſe ac robore, inter omnes conuenit, vt de illo ſit Græcis frequentiſſimũ illud, ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς, quod ipſum fruſtra quis calũnietur. Itẽ illud, Hercules & ſimia, & quod huic proximum eſt, Herculis perſonam vel cothurnos infanti adaptas, quæ de ijs adagia dicuntur quæ parum conueniunt. Tanti etiam ſpiritus fuiſſe dicitur, vt ſine ſpiratione vlla ſtadiũ vnum currẽdo conficeret. Cognominatus eſt præterea à vi lacertorum, lacertoſus. Prouocatum tamẽ ferunt, quamuis adeò robuſtus, olim à Pygmæis in cauernis Libyæ degẽtib. hi cum Antæi ab Hercule deuicti fratres eſſent, iſq; ex labore feſſus ſomno ſe dediſſet, ipſi vt fratrem vlciſcerentur, fundis arcubúsq; Herculẽ aggreſſi ſunt, ille experrectus eos fudit, & eorum aliquos leonina pelle inuolutos in aera iactans vẽtilabat, qua de re pulchrè ſcriptum eſt in imaginibus apud Philoſtratum. Vnde & illud apud Ammianum Marcellinũ vice prouerbij vſurpatum, vt Pygmæi vel Thiodamas agreſtis Herculem prouocat, de ijs qui maiora viribus aggrediuntur, aut imparia. Fuit vero Thiodamas agreſtis homo ex Lindo Rhodi ciuitate, cui aranti Hercules vnà cũ ſocijs boues ſurreptos abſtulit. Philoſtratus vnum tantum iugulaſſe tradit, eũq; adeò integrè comediſſe, vt ne quidem oſſa ſuperfuerint. Interea Lindius Thiodamas Herculem conuicijs inceſſebat, ſed mox cognito Hercule, Lindij ei aram ſtatuerunt, quam ex re βουζύγοις appellauerunt: ſacráq; Lindia, quæ conuicijs ac maledictis celebrabantur, adeò vt in prouerbium vſq; res ſit deducta. Fuit alter Thiodamas, vt puto, Hylæ pater, quem alij Thiomenum vocant, de quo ſuperius meminimus, qui Dryopas in Herculem concitauit, quod ei bouem ſurripuerat. Sed de hoc plura tum Pherecydes, tum Apollonij commentatores. An vero duo fuerint vel vnus, mihi incompertum. Solitum etiam Herculem poſt labores accepimus puerorum luſibus animum remittere, vnáq; cum ijs colludere, ac ſæpius: quod à viris doctis illo Euripidis comprobatur: Ludo, mutationes enim laborum ſemper amo. hoc eſt, ſi græcè mauis, παίζω, μεταβολὰς γὰρ πόνων ἀεὶ φιλῶ. quæ verba aſſiſtente puerulo ab Hercule dicuntur. Ipſum vero Herculem diem obijſſe, eſt literarum monumentis traditum, infelici quodam ac tetro mortis genere. Nam vt ſcribit Euſebius & Iſidorus in Chronicis, cũ in morbum inciſſet peſtilentem, ob dolorum remedium ſe iecit in flammas, anno ætatis ſuæ LII. Manethon idem ſcribit. Quidam autem anno XXX. alij vero ante etiam XXX. Sunt qui ita rem prodant: cum ipſe Euryti liberos Iolis amore percitus necauiſſet, vt antè diximus, idq; eſſet Deianiræ à Licha delatum, ea furore ac zelotypia, quam dicunt Græci, impatiens vltura amoris iniurias, tunicam Neſſi Centauri veneno infectam (à qua eſt illud deductum, Ardens tunica, de ijs qui ſeditionem mouent) Herculi marito per Licham ipſa miſiſſe traditur. Licham vero Hercules antequam moreretur in mare abieciſſe dicitur, atque in eius nominis ſcopulum Licham obduruiſſe: mox Hercules ſagittis Philoctetæ Pæantis filio, qui tum forte illi comes aderat, legatis, ſe in Oeta monte, veneni vi percitus, in ardentiſſimam pyram coniecit, vbi cum cremaretur nube obſeptus, &

ingentiſſimo facto tonitru, eſt in deorum numerum receptus: vnde eſt in frequenti ſermonis vſu apud Græcos, Dæmon Oetæus. Illud quoq; proditum eſt, Herculi oraculum aliquando apud Dodonam datum fuiſſe, quòd viri mortui manu eſſet moriturus.

Dextra (inquit) peremti victor Alcide viri
Olim iacebis, hic tibi emenſo freta,
Terraſque & vmbras, finis extremus datur.

Scribit Artemidorus Daldianus, ſeu potius Epheſius in libro de ſomniorum iudicijs quarto ad filium, quod ex hiſtoria aliquando ſomnia interpretanda ſunt: vt de muliere quapiam quæ in ſomnis putauit ſe Herculis certamina perfeciſſe, quæ non multo pòſt incendio perijt, quoniam, inquit, Hercules igne corpus abſumpſit. Quibus cura & ſtudium fuit fabulas colligere, tradunt, poſt Herculis mortem Iunoni Iouem perſuaſiſſe vt Herculem adoptaret, quod ipſa cum ſe facturam recepiſſet, effinxiſſe in cœlo ſe illum parere, feciſſeq; ea omnia quæ parturientes facere ſolent, vnde & illum mox generum ſibi deſumpſit, ei vxore Hebe iuuentutis dea data, quę illi poſt huius vitæ labores ſecretiore quadam ſignificatione meritò & iure conuenit. Quidam Herculem in aſtra repoſitum ferunt, Engonaſinq; vocari. Sunt qui Martis ſtellam Herculis nomine appellent. Alij ideo Herculem ſemet occidiſſe tradiderunt, quod cum optimus eſſet aſtronomus, ſolisq; defectiones præuideret, id eum aiunt videre noluiſſe. Non mea quidem ſententia à recta nimis aberrarit, qui ea id cauſa factum crediderit, quod atra bile ageretur, nec ſatis ſui compos eſſet, quod & Ariſtoteli diligentiſſimo philoſopho placuiſſe video: nam & comitiali morbo laborauit, vnde & ab eo Herculeus eſt appellatus. Aphri tamen Herculem in Aphrica interijſſe putant, cum illuc exercitum egiſſet. Scribit Athenæus, cum in Libyam proficiſceretur à Typhone occiſum fuiſſe, reuocatum verò ad vitam nidore coturnicis naribus eius admotæ ab Iolao, atque ob id ei Phœnices de coturnice rem ſacram faciunt. Hinc factum eſt prouerbium, quoties ab ijs à quibus minime ſperamus auxilium ferimus, Coturnix fortem Herculem liberauit. Vulturibus delectatum Herculem accepimus, quod inter cæteras aues quæ carne veſcuntur, eæ animatum nihil vorant, ſed cadauera potius conſectâtur. Vnde Romanos quidam arbitrantur in augurijs ideo vultures cæteris auibus præpoſuiſſe: quod tamen in Romulum nonnulli referunt, qui auguſto earum augurio fauſtè Romam condidiſſet. Poſt Herculis verò mortem Athenienſes primi diuinos honores illi attribuerunt. Sunt ex Græcis qui ſcribant, interrogatum oraculum quo honore ac cultu coli deberet Hercules, ſic reſpondiſſe, νῦν μὲν ὡς ἥρωα, τῇ γὰρ ὑστεραίᾳ ὡς θεόν. Quibus autem in locis cultus, quotúe illi aræ & templa fuerint erecta, non puto præſenti negocio conducere: vbique enim ſumma veneratione cultus, communisqúe deus appellatus eſt. Nolim tamen id te fugiat quod in Muſis olim adòleſcens retuli, Herculem cum reliquis deis non habuiſſe ſacra, præterquam cum Muſis, eiusqúe & Muſarum Romæ in circo Flaminio ædes fuit à Fuluio Nobiliore facta, quod eſt pluribus in Muſis ipſis à nobis proditum. Quin & Muſageten deum vocatum à ſcriptoribus, ſeorſum ab Apolline. M. quoque Philippus, vt Ouid. & Sueton. tradunt, eiuſdem & Muſarum ædem conſtruxit: primumqúe Philoſtratus ait pòeticam circa vaticinia & oracula atque Herculem ipſum verſatam fuiſſe. Statura vero habitúque corporis maiorem fuiſſe Herculem quam hæc noſtra ferat ætas, Pythagoram collegiſſe ex ſtadio olympico, Plutarch. & Gell. memorant. Quin illud Herodotus apud Scythas memorabile fuiſſe prodit, veſtigiũ Herculis apud ipſos oſtendi petræ impreſſum virili veſtigio ſimile, bicubitali magnitudine, iuxta fluuiũ Tiren, quæ vtiq; magnitudo admiratione digna eſt. Eundem inſuper dentiũ triplicẽ habuiſſe ordinẽ, Ion poeta ſcripſit. Fuiſſe quoq; Herculẽ legimus admodũ hiſpidũ, atq; in primis circa nates, vnde & illi cognomen inditũ Melãpygos, hoc eſt, vt video quibuſdam arri-

dere,

dere, cluniater, quam rem ex tali fabella collegimus. Paſſalus & Alcmon, ſiue, vt alij ſcribunt, Alcimon, fratres fuere, Memnonis filij, omni ſcelere & facinore inquinati, quibus olim mater Memnonis prædixerat vt à Melampygo cauerent: illi nil magis ab inſtituto deſtiterunt. Accidit forte cum Hercules ſub arbore feſſus recubaret, vt ij fratres Herculi inſidias tenderent: quod præſentiẽs Hercules ambos cepit, ligatóſq; per pedes à tergo ſuſpenſos claua geſtabat: qui cũ demiſſis capitibus Herculis nates viderent nigras, maternę monitionis memores, inter ſe tacitè ſummurmurabant: quos audiens Hercules, re intellecta, eo fertur cognomine vſqueadeo delectatus, vt ſtatim vinculis ſolutos impune abire permiſerit. Locus vbi id contigit Melampygos vocatus eſt, iuxta Cercopon hedras, hoc eſt, Cercopum ſedes. quam hiſtoriam cum parum Valla intelligeret, ei cauſam dedit vt illud apud Herodotum male exponeret. Non enim Melam pygum nigrum fontem, ſed cluniatrum, id eſt, nates habentem nigras, vertendum fuerat. Hos igitur fratres, ſunt inter autores qui Cercopas nuncupatos tradant, vt ſuperius meminimus, vnde ſit verbum κερκωπίζειν, quod doloſe & aſtutè agere, alij blandiri ſignificare exiſtimant à vulpe. Xenagoras in ſaxa, & inſulas mutatos ait. Alij filios Theæ & Oceani dixerunt, nomine Atlantis & Canduli. Quidam Oli & Eurybati, qui Epheſi Ioui inſidias tetenderint, atque propterea in ſimias mutatos, vt Ouidius cecinit. Septuaginta filios Hercules reliquit, vel vt Ariſtot. ſcribit, LXXII. eo loco quo aliquos eſſe parentes ait, qui non niſi mares filios procreant, vt, inquit, de Hercule proditum eſt. qui inter duos & LXX liberos fœminam vnam tantummodo genuit, ex quo & illius in nuptijs omen felix. Sextus quoq; Pomp. cingulo, inquit, noua nupta præcingebatur, quod vir in lecto ſoluebat factum ex lana ouis, vt ſicut illa in glomos ſublata coniuncta inter ſe ſit, ſic vir ſuus ſecum cinctus vinctúſq; eſſet. Hunc Herculano nodo vinctum, vir ſoluit ominis gratia, vt ſic ille felix ſit in ſuſcipiendis liberis, vt fuit Hercules qui LXX. liberos reliquit. Hæc Feſtus. Porrò Herculis filiorum nomina ſingula recenſere difficillimum: inter eos tamen hi reponũtur, vt ex varia lectione collegimus: Hyllus, à quo eſt Euryſtheus interemptus, Sardus vel Sardon, Cyrnus, Gelonus, Olynthus, Scythus, Galathus, Lydus, Pœmẽ, à quibus locorum nomina deducta ſunt. Celtus quoq; & Iberus vel Iberes. his addũtur ab Euſtathio, Cleolaus, Diodorus, Tlepolemus, à quo Tlepolemia ludi apud Pindarum & alios. Hunc Tleptolemum Pauſanias videtur vocare. Telephus, Lamyrius, Antilochus, Gleneas, Diopites, Cteſippus, Lamõ, Oxeas, Gentiades, Therimachus, Deicoon, Chromis, Agiles, Ithomeus, Polydorus, Anicetus, Rhopalus, Patrocles, Meciſtophonos, Manebrontes, Cherſibios, Ariſtodemus, Azõ, Philactes, Phæſtus, Tyrſenus, quem Pauſanias primum tubam inueniſſe ſcribit, quam Tyrrhenis Latini aſcribunt. Theagenes quoq; Herculis filius, qui mille & CCCC. coronas adeptus fuit, cuius ſimulachrum, quod forte hominem oppreſſiſſet, in pelagus deiectum, mox Phœbo iubente expiſcatum, & expoſitum eſt eodem quo fuerat loco, diuinos ipſe honores adeptus, non in Gręcia modo, ſed & apud barbaros, vt pluribus Pauſanias exequitur. Fuerunt & Herculis filij Antonus & Auentinus & Dodoris. Fuit & Macaria ex Deianira Herculis filia, quę & fonti in Marathone nomen dedit, ſéq; pro Athenarum ſalute deuouit. Ex filijs Herculis alij parum celebrati. Ab Hercule ſunt quoque herbæ nonnullæ repertæ, earúmq; virtutes ab eo mortalibus proditæ, vnde & ab eius nomine quędam vocitatæ. Nymphæam ſcribit Plinius herbam eſſe natam à Nympha zelotypia erga Herculem mortua: quare, inquit, & Heracleon vocant aliqui, alij rhopalon, à radice ipſius clauæ ſimili. Ciuitates item multas condidit, in quibus illa quæ Hecatompyle vocata fuit. Nonnullæ inſuper ab ipſius nomine nuncupatę, vt ea quæ in Ponti regione celebrata eſt apud Euxinum. Quin & Euxinum ipſũ pelagus, cum Axenon antea eſſet, hoc eſt, inhoſpitale, propter latronum & prędonum frequentiam, ab ipſo ijs interfectis, Euxinum, id eſt, hoſpitale red-

ditum eſt,vt ſcribit Theophilus alijq;:vbi & Cylicranorum populi,qui ab Herculis vaſe nominati ſunt. Altera Heraclea fuit ad radices montis Oëtæ,alia in Aegypto,in qua Ichneumon colitur,vnde & præfectura Heracleotica, & Nili etiam oſtium. Alia ciuitas fuit in Italia,alia in Sicilia quæ Minoa dicta eſt, item apud Gades altera,in Gallijs alijsq́ue locis nonnullæ, adeò vt Græcis quibus ocium non defuerit,viginti quatuor & eo amplius eius nominis colligere minime operoſum fuerit. Sed quod de Gadibus meminimus,hiſtoriam in memoriam reuocauit Theronis regis Hiſpaniæ citerioris,qui cum ad expugnandum Gaditani Herculis templum,Gades claſſe ageretur, contra eum Gaditani ex aduerſo prodierunt,longiúsque prouecti nauibus prælium committitur. Verum adhuc æquo Marte conſiſtente pugna, in fugam ſubitò Theronis naues verſæ ſunt,ac ſimul improuiſo igne correptæ conflagrauerunt: pauciſſimi qui ſuperfuerant hoſtiũ capti,indicauerunt apparuiſſe ſibi leones in Gaditanę claſſis proris ſuperſtantes. ſubitóq; ſuas naues immiſſis radijs,quales in ſolis capite pinguntur,exuſtas. Miraculum hoc quidem proditum quoque eſt,apud Gades Herculis fontem fuiſſe,cuius aqua contra maris refluxum creſcere atq; decreſcere dicitur:cuius rei cauſam naturámq; referre cum laboret Polybius,ab Artemidoro inceſſitur ex Sileni hiſtorici ſententia. Duos autem puteos eos potius eſſe ratus eſt Poſſidonius philoſophus. Fuerunt & alij fontes reperti ab Hercule, vt ille apud Trœzenios. Duo præterea in Italia portus eius nomine vocitati ſunt,alter quidem in ora Liguſtica Monœci,ſic quidem nuncupati,quod ibi fugatis omnibus ſolus habitauerit,vel quod ipſius Herculis templis ſolus coleretur. Alter portus fuit in Brutijs. Riuus etiam Herculanus prope Romam à ſcriptoribus celebratur. Fuerunt & inſulæ ab Herculis nomine nonnullæ denominatæ,vna quidem in Carpathio pelago,altera in Atlantico. Sunt etiamnum lapides aliqui ab Hercule,vt Lydius ille,qui & Heraclius dictus eſt,ad exploranda & tentanda metalla,quiq́ue ferè in prouerbium exijt. Quidam & Magnetem eo nomine nuncupant. Eſt item Herculeus,vel Herculanus nodus,de quo apud ſcriptores frequens mentio. Tranſiuit enim in vulgatiſſimum prouerbium, de arctiſſimis atq; admodum indiſſolubilibus amicitijs,qualis quidem mihi tecum futura(auguror) ANGELE ſuauiſſime. In caduceo hunc nodum Herculis,& in curru Gordij fuiſſe legimus. Hoc nodo & in nuptijs vſi ſunt antiqui,vt antè tradidimus. Eſt & à peritis medicinæ ſcriptoribus mentio facta de huiuſmodi nodo in obligandis vulneribus:ſed quo nexu fuerit non exploratum ſatis eſt apud eos. De hoc ſic certe Plin.lib.28. Ac vulnera,inquit,nodo Herculis præligare,mirum quantum ocyor medicina eſt:atq; etiam quotidiani cinctus tali nodo vim quandã vtilem habere dicuntur. Tantæ vero apud veteres æſtimationis nomen Herculis fuit,vt ſummi quidam Imperatores non modo eo nomine vocari voluerint, ſed & ipſius etiamnum inſignia geſtauere,inter quos Alexander Macedo,Commodus,Maximianus,Heraclius,alijq́ue nonnulli. Narrat & hiſtoria Themiſonis Cyprij, qui in delicijs ab Antiocho rege habitus eſt,& Hercules dici & haberi volebat,rémq; ſibi ſacram fieri patiebatur leonis pelle indutus, arcum Scythicum gerens & clauam. Nullius certe dei vel mortalis vnquam imago toties efficta fuit,tot etiam modis. Nam vt cætera mittam,Romani rerum domini in triumphis Herculis ſigna habebant,vnde & triumphalis ille Hercules in foro boario poſitus(vt creditur)ab Euandro,qui per triumphos triũphali habitu induebat. In ea quoq; quæ immodica cũ difficultate fiunt,Herculis laborẽ vel ærumnã dicere ſolemus,vel ab ipſo vix Hercule fieri potuiſſe,vt inquit Arrianus de petra Aorno,quã ab Hercule fruſtra tentatam ait. Fuit enim & Hercules in India vt Bacchus,vt idẽ tradit Arrianus,qui & ipſum Herculem margaritum inueniſſe prodidit,quod Pandanæ filiæ Indorum reginæ dono dedit. Hercules etiã iampridẽ in virtutis nomẽ,& in iuramẽtũ inductũ eſt,idq; multis modis, tantáq; veneratione,vt eo mulieres,vt diximus,abſtinuerint. Quin pueri cum

Herculem

Herculē iurabant,id ſub tecto facere prohibebantur,id quod ſub dío feciſſe nō fuit religio.Scribit Philoſtratus,cum nondum per Herculem homines iurare cōſueuiſſent,primum id inſtituiſſe Neſtorem,ijſq; qui ad Troiam oppugnandam venerant tradidiſſe. Aelius & Varro Dium fidium aiunt Diiouis filium,vt Græci Διόσκορον Caſtorem, & hunc eſſe qui eſt Sanctus vel Sancus à Sabina lingua, à Græca Hercules. Hinc eſt & Mediusfidius.In gymnaſijs quoq; Herculem vnà cū Mercurio atq; Cupidine antiqui ſtatuēre,ea videlicet cauſa,quod amor cum ratione & robore in ijs eſſe conuenit. Obſeruat apud Demoſthenem Vlpianus, quod & Herculis nomen apud antiquos inuocabatur in ijs rebus quæ valdè ac maxime pernicioſæ & malæ videbantur,vt dei amouentis, & malorum depulſoris.Theologi quoq; gentium,vt antè diximus,Herculē tum ſolē tum tempus exiſtimauerūt,alij virtutē ac fortitudinē,& ꝓpterea apud Aegyptios eius multiplici actu,multiplicē dei ſignificari affirmāt poteſtatē.Ex noſtris vero quidam & Martē ſignificāt,vnde & illi à Vergilio Salij in ſacris adhibentur.Fuit & ſaltationis genus Herculi dicatum Tetracomus,bellicoſum & Martiale.Sed & Briareus Herculis nomine dictus eſt:quare & inter Græcos quidā columnas Herculis Briarei(vt diximus)vocauere. Quoniā vero diutius ac multum Hercules peregrinatus eſt,ideo ei qui peregrinabanť rem ſacram facere ſoliti erant. Illud quoq; addamus,Herculē cognominatū eſſe,præter ea quæ ſparſim retulimus cognomina,Hippodetam,cui & templū ſtruxere Bœotij,ea videlicet ratione, qđ cum Orchomenij aliquando vſq; ad eum locū veniſſent, Hercules noctu equos qui ad eorū currus erant vincti,colligauit,vnde illi Hippodetæ inditum eſt cognomentū Legimus & ipſum Buraicū vocitatum,ab vrbe Bura Achaiæ, apud quā in ſpecu vaticinia in tabellis & talis reddebat,ſic:primùm videlicet preces pro ſimulachro fundebanť,deinde tali quatuor in menſa iaciebantur (ibi enim permulti erant)in quibus ſingulis figuræ ſubſcriptæ erant.Figurarum verò interpretatio in ipſa tabella inueniebatur,atq; ita vaticinium habebatur.Thebani quoq; inter cætera illius cognomina Rhinocoluſtem fecerunt:nam cum ab Orchomenijs,de quibus paulò ante meminimus, præcones Thebas veniſſent ad exactionem quāpiā,ijs Hercules nares abſcidit.Huius certe rei nō procul à Dirce indicium longo tempore fuit.Ea quoq; cognitione digna, quæ à Plutarcho de Phabola,ſeu potius Flauia Larētia proditur hiſtoria.Aedituus quidam,inqt, Herculis otio ſuperfluens,teſſeris & id genus luſionis diem terere ſolebat. Sed cum fortè aliquando colluſores deeſſent,deum Herculem vt colluderet ea lege prouocauit,vt ſi deus vinceretur,boni aliquid elargiretur:ſi vero æditiuus, deo cœnam ſe præbiturum,puellámq; inſuper formoſam cum qua deus miſceretur. Tali propoſita conditione,teſſeras ęditiuus pro ſe & deo iecit:iactu à deo victus eſt zacoros,id eſt,æditiuus,qui ideo cœnam apparauit,& Larentiam famoſum ſcortum conduxit:in templo diſcubuēre,poſt cœnam puella clauſis foribus in templo eſt relicta.Feruńt autem noctu cum Larentia non humanitus congreſſum, puellæq́ue iuſſiſſe,vt manè in forū prodiret,& cuicunq; primo occurriſſet, illum ſibi amicum pararet:id cum feciſſet puella,Tarruntio homini prædiuiti & iam natu grandi & cœlibi obuia facta eſt,cui matrimonio iuncta,ei viuens poteſtatem fecit Tarruntius omnis ſuæ rei familiaris,moriénsque hæredem teſtamento inſtituit.Hanc vero propterea multo honore Romani coluere, aliam ab Acca Laurentia Romuli nutrice,quod deo Herculi miſta fuiſſet.Sed vt iam tandē ſermonem hunc de Hercule concludamus,multi apud antiquos de Hercule ſcripſere,vt minus mirum ſit,ſi nos quoq; id tuo monitu ANGELE fecerimus. Inter Græcos Panyaſis Halicarnaſeus poeta,qui Heracleia præclarū opus carmine compoſuit.Itē Piſander Camiręus.Legimus itē Heſiodi ſcutum Herculis, quod an Heſiodi tamen ſit,multi in dubiū vertūt. Caucalus etiā Rhetor Chius Theopompi hiſtorici frater,Herculis encomiū ſcripſit.C.quoq; Cæſar verſu laudes Herculis cōplexus eſt,quas publicari vetuit Auguſt. Verū de his in dialo-

gis de poetis copioſe ſcripſimus, déq; alijs nonnullis. Quid enim dicam hoc loco Herculem nunquam vituperatum fuiſſe? vnde illud eſt notiſſimum, cum à quodam laudaretur, quis, inquit alius, vituperat?

Hactenus tecum ANGELE de Hercule potius indice dicenda monſtraui, quàm aliquid lectione dignum me ſcripſiſſe video: quicquid tamen hoc eſt, quando tu tale eſſe voluiſti, tibi habeto. Vale. Romę ex Vaticanis Pontificis Max. ædibus, menſe Octobri, M. D. XIIII.

LILIVS faciebat.

LILII GREGORII GYRALDI FERRARIENSIS, AD D. HERCVLEM II. ESTENSEM FERRARIENSIVM PRINCIpem, in librum de re nautica

PRAEFATIO.

Collegeram, Illuſtriſs. Princeps, annis ſuperioribus quandam quaſi vaſorum congeriem, & ex ijs confuſum incompoſitumq; velut aceruum accumulaueram: viſum mihi poſtea eſt nõ ingratum ſtudioſis fore, ſi in proprias partes & in volumina diſtinguerem, hoc eſt, vt ſuis quæque miniſterijs redderem, idq; inprimis feceram de vaſis, quæ ad deorum ſacrificia, eorúmque ceremonias pertinere videbantur: tum de ijs quæ ſepulchralia nuncupaui. Nunc non diuerſa modò totius rei nauticæ & nauigiorum vocabula, ſed & eorum membra ac ſymmetrias, armamentaq; omnia, quantum in me fuit, ſum executus, idq; ſummorum virorum autoritate & exemplo, & in primis Apollodori, qui apud Græcos eam rem diligentiſſimè pertractauit, & nonnihil Iulius Pollux in Onomaſtico: autores item qui de Architectura, quiq; de re militari perſcripſerunt, vt hiſtoricos mittam. Extat & Alberti Leonis nauis. Audio & nonnullos hodie idem conari, ſed, quo ego modò, neminem. Ardua profectò prouincia, et quæ minimè fuerat imbecilli ac parum firmo tentanda. Sed cùm collegiſſem, quid facerem? fueràtne, quæ tanto labore et ſtudio fuerat comparata, tineis et blattis mittenda? aut igne aquisúe abolenda? minimè. Præſtandũ quod poſſumus. Bene quoquo modo merendum. Etenim ſi non coryphæos, et emeritos, candidatos ſaltem demerebimus: nec talentum ingratus infodiam. Quare te Princeps opt. max. oro, vt oram ſoluenti adſis, et tuo fauore protegas, quæ tuo nixi præſidio in lucem damus. Sed iam inſtituti operis initia paulò altius repetam, vt in re tam humili varia ſaltem lectione te, vel per te potius lectorem detineam, atque in primis, quæ de inuentoribus diuerſa traduntur, quam breuiſſime potero in medium proferam.

AD EVNDEM.

IAM claſsis bene nauibus referta eſt,
Inſtructi ſimul ordines, & ipſa
Armamenta parata machinæq;,
Vt fluctus ferat impetumq; venti.
Adhuc ſed tamen artifex veretur,
Ignem ne patiatur et procellas,
Quòd nondum datus imperator illi.
Si DVX magne voles nouæ præeſſe
Inſtructæ ſimul & fauere claſsi,
Non ignem patietur & procellas.

LILII

LILII GREGORII GYRALDI FERRARIENSIS, DE RE NAVTICA LIBELLVS, ADMIRANDA QVADAM & recondita eruditione refertus, nunc primum & natus & æditus.

Varia de nauium earumq́ armamentorum inuentione, et qui primum in re nautica, ſydera, Magnetisq́ pyxidem excogitauere.

CAPVT I.

IGITVR, vt ab hoc incipiam, Neptunus nauigandi artem inueniſſe, claſsémq́ inſtituiſſe à Cretenſibus dictus eſt: quin, vt ait Diodor. à Saturno patre claſsi maritimę prętectus eſt, eáq́ in primis ratione maris deus habitus eſt. Alij Mineruam primam nauem molitam eſſe tradunt, quod cum poętis Tertullianus, in eo qui eſt de Corona militis, prodidit. Ethicus tamen Hiſter, qui in latinum ſermonem ab Hieronymo conuerſus creditur, Pyrrhonum inquit magum antiquiſſimum ratem primam in Lydia fabricaſſe. Idem & Iſidorus, ſed Pyrrhoni non meminit. Euſebius Pamphili ex Phœnicum theologia, Vſonem ait arboribus amputatis ambuſtísq́ primũ mare ingreſſum. Subiungit idem, Samothracas primos naues conſtruxiſſe. Clemens vero Alexandreus, Atlantem in Libya naues excogitaſſe ſcribit. Pomponius Mela, Phœnicas ait maria adire inſtituiſſe. quod & Tibullus eo verſiculo teſtatur, Prima ratem ventis credere docta Tyros. Dionyſius Punicus, Aegyptiorum inuentum naues arbitratur. Nam & ex Aegypto Danaum in Gręciam veniſſe legimus, cum Aegyptum fratrem fugeret, vnde & nauis ab eius nomine δαναΐς nuncupata eſt. Sunt inter Græcos qui eam pentecontoron fuiſſe affirmẽt, ſic à numero filiarum appellatam. Heſiodus poeta Myrmidonas in Aegina inſula primos nauigaſſe putauit. Thucydides Corinthios ait naues ad eam formã excogitaſſe, quà ſuo tempore Athenienſes vtebantur. quo loco idem ſcriptor colligit, qui in tota Græcia primi nauigare cœperunt. Sed & Plinij hac de re verba meo arbitratu interpolata ſubſcribam: Primus, inquit, nauem in Græciam ex Aegypto Danaus aduexit, antè ratibus nauigabatur, inuentis in mari rubro inter inſulas ab Erythra rege. Reperiuntur qui Myſos & Troianos priores excogitaſſe in Helleſponto putent, cum tranſirẽt aduerſus Thracas. Paulò mox ſubdit: Longa naue Iaſonem primum nauigaſſe, Philoſtephanus autor eſt. Charax vero non vna ſolum naue, ſed claſſe Iaſonem nauigaſſe ſcriptum reliquit. Diodorus tamen Siculus, Seſoſtrin Aegyptiorum regem longa naue primum nauigaſſe prodidit. Idem & Herodotus, qui ait Erythræos ab eo rege longis nauibus ad deditionem redactos. Celebratur & illa eiuſdem regis nauis ex cedro CC. & LXXX. cubitorum, quæ exterius vndiq́ inaurata, intus vero deargentata fuit, deóq́ maximo Thebarum oblata. Egeſias Parrhalum longæ nauis inuentorem ſcribit, Cteſias Samyram, Saphanus Semiramin, Archimachus Aegeonem. Biremem Erythræos feciſſe Demaſthenes ſcribit. Triremem Amoclem Corinthium Thucydides, ni potius Aminoclen ex græco Thucydidis codice legamus. Quadriremem Carthaginenſes feciſſe Ariſtoteles prodidit, autore, vt ait Clemens, Voſporo. Quinqueremem inſtituit Neſichthon Salaminius. Sex ordinũ nauim Zenazoras Syracuſius. Ab eo numero ad decíremem Neſigeton. Alexandrum magnum ferunt inſtituiſſe ad XII. ordines. Demetrium Antigoni ad

XXX. Ptolemæum Philadelphum ad XL. Ptolemæum Philopatorem, qui & Tryphon cognominatus eſt, ad L. Onerariam nauim Hippius Tyrius inuenit, lembum Cyrenenſes, cymbam Phœnices, celocem Rhodij, cercyram Cyprij, quę & cercuros vocatur, alia licet ſit opinio, eam ſcilicet à Corcyreis inuentam. Scapham Illyrici excogitarunt. Ventorum vero rationem Aeolus Hellenis, vt Plinius: vt poetæ, Hippotæ filius inuenit. Syderum obſeruationem in nauigando Phœnices, nonnulli Thaleta Mileſium vnum ex ſeptem inueniſſe prodiderunt. Diogen. Laertius Phœcium Samium ait. Callimachus ſuo quodam iambico minoris vrſæ inuentionem illi attribuit, qua Tyrij nauigationem ſuam dirigunt. Nuper quidem Luſitaniæ & Hiſpanæ claſſis gubernatores Itali, auſtralis poli ſtellis conſpectis, nauigationes regere cœperunt, quibus tot iam regiones parum antiquis ſcriptoribus cognitas ſubinde adeunt noſtri, vt nouum iam orbem vulgò inueniſſe dicantur. Sed & non multis retro ſeculis Amalphis in Cãpania oppido, antiquis nauigãdi vſus incognitus per magnetem & chalybem, quorum indicio nautæ ad polos diriguntur, à Flauio quodam excogitatus traditur, quæ res nunc vulgari voce, nautarum pyxis, ſeu pyxidicula magnetis appellatur, qua cum tabula, in qua orbis deſcriptio eſt, nautæ curſus metiuntur, & facillimè quantum nauigationis peractum ſit, intelligunt. Qua re cum carerent antiqui, difficillimè nauium curſum metiri poterant. Longè enim difficilior eius nauis ratio eſt, quam tradit Vitruuius in ſuæ architectonicæ decimo: ſint licet qui apud Plautum verſoriam exiſtiment nauticum eſſe inſtrumentum, haud fermè huic pyxidiculæ magnetis abſimile, ex quo ſoluturi nautę cognoſcerent, vnde flarent venti, & an mare nauigationem admitteret. Sed nos iam reliqua proſequamur. Remi latitudinem inuenere, inquit Plinius, Platææ, atq; ob id ego puto Plateenſium nauigationem à Strabone celebrari. Remum Copæ, vela Icarus inuenit, ait Plin. vt vero Diodorus, Aeolus. Sunt qui Iſin putent, vt latius cum de velis agemus docebimus. Malum & antennam Dædalus. Hippagũ Salaminij, aut Pericles Athenienſis. Tectas naues longas, hoc eſt, cataphractas, Thaſij: antea ex prora tantum & puppi pugnabatur. Roſtra naui addidit Piſęus, & Tyrrheni anchoram. Eupalamius eandem bidentem, vel vt Strabo ſcribit, Anacharſis Scytha. Idem Anacharſis harpagonas, & manus ferreas Pericles Athenienſis, adminicula gubernandi Tiphys adinueniſſe fertur. Claſſe princeps depugnauit Minos. Ethicus vero Hiſter roſtratas naues ait in oceano ſeptentrionali à Gryphone quodam fabricatas, qui apud Scythas artifex exortus, multarum artium, & præcipuè naualium & fornacum fuit, atque ideo ab indigenis magus ipſe Grypho in deorum ſuorum numerum relatus eſt. Hactenus de nauium inuentoribus, earúmq; armamentis, de quibus etiam nonnullis latius ſuis locis agemus. In præſentia mittam quæ de naue Nochi in ſacra hiſtoria traduntur, qua ex aquarum alluuione, non humanum modo, ſed animantium genus omne reparatum legimus.

Quæ ex nauigatione vel commoda vel incommoda habeantur.

CAPVT II.

QVum ſatis multa, vt opinor, de nauigandi & nauium inuentiõe attulerim, priuſquam ad cætera me conferam, nonnihil etiam de nauigationis cõmodis & incommodis, tibi quàm potero breuius ſubiũgere par viſum eſt, ne quod potiſſimum in re qualibet cenſeri ſolet, præteriſſe tibi videri poſſim. Illa igitur nauigationis præcipua vtilitas, illud eſt commodum, quòd vix ſine ipſa poſſet hominum vita ſubſiſtere. Neq; enim vlla regio, non prouincia, nedum ciuitas ſibi ſola ad omnia ſufficit, ſed altera alterius & ope & auxilio indiget: hæc tritico & fruge, illa vino, alia paſtione, hæc auro & argento cæteriſq; metallis, alia materijs alijſq; rebus abundat: contrà, alia frugibus, vino, opib. vacat, vel horum

aliqui-

aliquibus. At non omnia hæc per nauigantium commercia communia fiunt? non omnibus quantumuis longinquis nationibus nauigijs importantur? Quāti ergo momenti eſt in vita nauigatio, quantęque vtilitatis, cum tot commoda ex ea comparentur? cum nulla vel regio vel prouincia, nec quidem ciuitas, alterius opibus non indigeat. Exiſtimauit philoſophus Ariſtoteles, vrbibus ac regnis expedire, vt promptam paratámque haberent nauigationis commoditatem, ſi libera eſſe velint, alijsque præeſſe. Illas nos certe videmus cum in præſentia, tum apud antiquos etiam vrbes excelluiſſe, quæ nauigationem paratiorem habuere, vt Alexandria, Carthago, Athenæ, Byzantium, Genua, Venetiæ, & cæteræ. Adde quod ex nauigatione, ventorum, turbinum, & tempeſtatum ſigna certiſſima colliguntur. Adde & illud quod nauigatio multis morbis medetur, vt docent Medici: nam & affectis phthiſi ſuccurrit, & egerentibus ſanguinem, ſicuti Anneo Gallioni poſt conſulatum, vt ſe meminiſſe in xxxi. prodit Plinius. Alij addunt & multa alia, quæ fortaſſis ipſe omitto. Iam vero tibi quæ ex nauigatione incommoda proueniāt vel inſint, ex plurimis pauca proferam. Sunt in primis pericula, quæ tot ſunt & tanta vt vix enumerari queant, naufragia, latrocinia, prædones, piratę, tempeſtates, cæca ſaxa, Scyllę, Charybdes, breuia, Syrtes, ſcopuli, bellue, et marina ipſa monſtra humani ſanguinis auidiſſima, & eorum pleraq; nauigantibus & nauibus inſidiantia. Quid? ſi cętera deſint, nonne tribus tātum, aut ad ſummum quatuor digitis, vt ait poeta ſatyricus; ſi ſit latiſſima teda, ſunt à mortis diſcrimine remoti qui nauigant? vt rectè Bias, qui inter ſapientes numeratur, nauigantes, nec inter viuos, nec inter mortuos reponendos cenſuerit. Sunt & qui ventorum & nauium quibus imperant nauigantes ſeruos putent. Plautus certè non minus verè quàm falſe illud ait, Negocij ſibi qui volet vim comparare, Nauim & mulierem, hæc duo compatato. Nullæ enim res negocium maius habent, & vt Phocylides ait, ἐπεὶ πλοῦς ἐστὶν ἄδηλος, quoniam, inquit, nauigatio eſt immanifeſta. Scribit in Phędro Plato, quod qui in nauibus verſantur, rudes ſunt, & à moribus alieni: ne tibi nunc recitem nautas infames à legibus taxatos. Deniq;, vt ſemel finiam, qui mare nauigant, vt ait Sapiens, pericula narrant. Mitto quę Plinius, & quę à poetis traduntur: ipſam enim nauigationem, & qui primus nauigare cœperit, deteſtantur: vt ad alia commodùm me conferam.

Cur nauis inuenta, & quæ oneri aut curſui aptior, deq; earum ſymmetria nonnihil. CAP. III.

RAtium vſum primū fuiſſe diximus: deinde maior hominum induſtria naues excogitauit, quib. nos noſtráq; tranſueheremus: hinc ad varios vſus, piſcandi, peregrinandi, bellandi, ludendi, translatæ ſunt. Nauibus quidam ſe vti dixere quaſi aquatico quodam elephanto, quem ſuis frenis moderent, & quò velint agant. Alij contrà, nauim affirmant eſſe haud aliud quidpiam, quàm arcem quādam per maris æquora ambulantem. At nos iſta mittamus. Nauis fabricandæ exempla veteres à piſcibus duxiſſe legimus: nam ab illorum dorſo carinam, à capite proram, à cauda temonē, à branchijs remos formauerunt. Quidam non à piſcibus, ſed potius ab auibus id factum arbitrati ſunt, vnde & poeta, velorum alas vocat. id qđ & Heſiod. νηὸς πτερά, vbi & Proclus id ab auib. deſumptū ait. Temonē quidē in naui ab auiū cauda formatū pleriq; credidere: ſed & ab auib. nūc quoq; ſeruant roſtra vocabulū. Nauiū vero in primis duo genera tradunt, onerarię & curſorię: ſic em̄ potius quàm fugaces, vt quidā bene docti, quę curſui aptæ ſunt appellarim. His lōgitudo aptior, illis latitudo. Hæ minus temonis imperio, illę magis parēt. Onerarię longitudo ad latitudinē nō minus tripla proportione eſſe debet. Curſorię nō plus nona parte. Illud tamē vtriq; obſeruatū, vt quò latior onerariæ carina fuerit, eò firmiorem fore ſuſtinendis ponderibus. Ita Curſoriæ,

ſoriæ, quo arctior carina, eo curſui agiliorem eſſe: quæ tamen ni ſaburra compleatur, minus ſtabilis vt ſit neceſſe eſt, magiſq; fluctibus vacillabit. Carina ampla vadoſis locis, gracilis alto mari tutior. Cui naui fuerint latera & prora celſa & ſublata, aduerſus quidem impetentes fluctus magis peruicax, verùm eſt magis ventis obnoxia. Proræ ductus quo fuerit argutior, eo curſui promptior expeditiorq;. Puppis verò quo gracilior, eo ſulcando mari aptior: quo vero latior, eo pigrior. Nauiũ vmbones ac pectora, valida & robuſta, pauloq; prõptiora eſſe oportet, vt remorũ velorumúe appulſu fluctus propellant. ſubinde tamẽ ad puppim paulatim gracilis conſtruenda nauis eſt, vt veluti ſpõte ſua lubrico curſu elabi videat̃. Temonũ numerus nauigio firmitatẽ robúrq; auget, curſum vero & velocitatẽ minuit. Malo nauis, quẽ arborem quotidiano ſermone vocamus, æqua ac naui longitudo dari conuenit. Scribit Corn. Tacitus, breues naues à Germanico conſtructas, anguſta puppi, proráq;, & lato vtero, quo facilius fluctus tolerarent: quaſdam planas carinis, vt ſine noxa ſiderent: alias appoſitis vtrinq; gubernaculis, conuerſo vt repente nauigio, hinc vel illinc appellerent: multæ pontibus ſtratæ, ſuper quas tormenta veherentur, ſimúlq; aptæ ferendis equis. Sedenim huiuſmodi conficiendarum nauium artificium ac ſymmetriam planius percipies ex libello Leonis Alberti Florentini, qui Nauis inſcribitur. Nos noſtrum inſtitutum exequamur.

Ex qua materia naues confici, & quo tempore cædi debeat, vtq́; ea non incendatur.

CAPVT IIII.

NVnc ex qua materia conficiendę naues ſint expediam, non ignarus ex multiplici & varia eas conſtrui ſolere, vnde & prouerbium inoleuit apud antiquos, Nec in naui cadentem lignum attingere, cum in ea omnia fermè ſint ex ligno. de ijs videlicet, quę paſſim & vbiq; occurrant, cuius & Lucianus meminit. Qui igitur de re nautica præcepta tradiderunt, has præcipuè arbores probauere. Cupreſſum, ex qua apud Aſſyrios naues fabricari teſtis eſt Ariſtobolus, & ab eo Arrianus. Theophraſtus quoq; hanc diuturniorem cæteris arboribus tradit, id quod ex valuis Dianæ Epheſiæ comprobat. Eius autem diuturnitatis rationẽ Vitru. in 2. lib. oſtendit. Pinus etiam domeſtica ſiue ſylueſtris commendatur adeò, vt plerunq; pro naue ipſa pinus à poetis accipiatur. Notiſſimũ eſt Catullianum illud, Peliaco quondam prognatæ vertice pinus Dicunt̃ liquidas Neptuni naſſe per vndas. Sed & Artemidorus lib. Onirocriticõn 2. ipſam & ſtrobilos, hoc eſt, eius nucleos in ſomniorum interpretatione capiendos eſſe, & nauigantibus omnibus ad naues, quod ad ipſas præparandas pinus idoneę ſint, & pix & reſina, quæ ex ijs arboribus proueniant. Picea quoq; ad nauium vſum apta eſt, ſed putreſcere celeriter incipit. Illud hoc loco monere par eſt, quod πίτυς à Gaza & Hermolao picea transfertur, & πεύκη pinus, cum alij plerique confundant: id quod diligentius examinaui ex capite Dioſcoridis de picea lib. 1. quo loco Marcellus hallucinari ipſe videtur, cum alios taxare velit. Laudatur item abies, quæ ad plurima vſum præſtat, quippe quæ operib. omnibus, vt ita dixerim, ędificatorijs aptiſſima eſt: ſed nauibus quidem propter flexum humidior capiatur neceſſe eſt, nam ad conglutinationem ſiccior aptior eſt. Nauis enim compacta vt extra mare fidelior conſtat, ita & in mare pertracta, humore imbibito ſe vndiq; protinus comprimit, atq; rimis coniunctis omnibus continuat, niſi quicquam penitus exaruerit: tunc enim gluten aut omnino aſpernatur, aut nõ ęquè recipit. Hæc Theophr. ſed plura Vitruuius. Abies quoq;, vt pinus, à poetis interdũ pro naue ſumit̃. Robur etiã ad fluuiatiles naues & lacuſtres vtile, quòd in eiuſmodi aq̃s ſit à putredine immune: ſed in maritimis minus eſt idoneũ, quod facile in mari putreſcat. Probat & Theophraſtus ſpinam nigrã ad coſtas & ventris

tris

tris cõpages, quod ea robuſta ſit & incorrupta. Sed cur nõ hoc loco græcam diligentiã adſcribam: ita em̃ hanc partẽ eſt executus Theophraſt. vt iure illum agnoſcas Ariſtotelis & ſcholæ & doctrinæ meritò ſucceſſorẽ. Abies, inquit, pinus, cedrus, vt ſummatim agam, nauib. aptiſſimæ ſunt: triremes em̃ & longa nauigia leuitatis gratia faciũt: rotundas vero naues ex pinu, quoniã non putreſcit. Sunt & qui ex eadẽ triremes faciãt, quod ſcilicet abiete carẽt. Qui aũt Phœniciã Syriámq; colunt, cedro magis vtunt̃, quod pino egent. Cypri picea naues conſtruunt, ea em̃ eſt in ipſa inſula frequens, videtúrq; etiam pino præſtantior: & cęteras quidẽ partes ex ijs conficiunt. carinã vero triremib. ex quercu ſubdunt, ea ratione, vt cum ſubducitur in terram, queat reſiſtere. Nauibus onerarijs pineam atq; etiam quernam ſubijciunt, minoribus ſciſſimam, quam ὀξύην vocant, attribuunt: atq; in totum ex hac teſtudinẽ condere ſolent. Sciſſimam tanta proceritate apud Latinos proueniſſe ferunt, vt cęſa pro carina Hetruſcis nauibus ſufficeret. Sanè pino atq; abieti quercus conglutinari non valet: altera enim ſpiſſa, altera rara, & altera ſimilis, & altera minus. Affectus autem ſimiles eſſe eis oportet, quæ ſociari conflaríque debeant, non contrarij: ceu ſi ligno lapidem coniungere velis. Tornatus nauibus rotundis ex moro, fraxino, vlmo, platano: lentitiam enim firmitatémq; adeſſe oportet. Sed deterrimus qui ex platano fuerit, celeriter enim putreſcit. Sunt qui triremibus vel ex picea leuitatis cauſa tornandum ſtatuunt firmamentũ, teſtudinem & auriculas ex fraxino, moro, vlmóq; fabricant: valida hæc em̃ eſſe oportet. Sed vtiq; quod ab initio de cupreſſo & pinu diximus, comprobat Traiani nauis, quæ demum ſuperiorib. annis inuenta eſt, & eruta ex Nemorenſi lacu, cuius alio iam loco memini. At vero ficus videtur minus idonea nauigijs, atq; inde emanauit vetus adagium, Nauis ficulna, quod in contemptũ & irriſionem dicitur, qualis fuiſſe fertur Mandronis nauis, qui cum nauta eſſet Imperator euaſit: vel ſic dicta, quod ficulna, quęcunq; vilia & inutilia ſunt, appellantur, vt ἄνθρωπος σύκινος, & ἐπικουρία συκίνη, & alia, vt Theocriti & Ariſtophanis interpretes obſeruant: vel, quod potius exiſtimo, quòd ex eius arboris ligno minus naues ædificant̃. Alij ad hoc opus parandarum nauium omnem materiẽ probant, id quod & Claudianus poeta quadam ſua comparatione oſtendit, cuius verſus quoniam lepidi ſunt, adſcribere placuit. Sic qui vecturus lõginqua per æquora merces, Molitur tellure ratẽ, vitámq; procellis Obiectare parat, fagos metitur & alnos, Et variũ rudibus ſyluis accommodat vſum. Quæ longa eſt, tumidis prębebit cornua velis: Quę fortis clauo potior, quæ lęta fauebit, Remigio, ſtagni patiens aptãda carinæ. Hæc quidẽ ille cecinit. Sed autores eã video omnino probare materiem, quæ nec fiſſilis ſit, nec fragilis, nec putredini obnoxia, tũ eam etiã quæ minus ſidat. Verumenimuero certo & ſtato anni tempore pleriq; omnes cædendã materiẽ autumant, quorũ omnium rationes hic tibi cõplecti ſi voluiſſem, iuſtum volumẽ confeciſſem: quædã tantũ afferam, quæ mihi potiora viſa ſunt. Heron græcus ſcriptor diligens, vt qui ex vtriuſq; linguæ autoribus libros XX. de re Ruſtica ſcripſit, & quem eſt imitatus, vt puto, Conſtantinus ille Imperator, qui locupletius eandẽ rem ruſticam totidem libris, & totidẽ plerunq; verbis, ijſdémq; fermè ex autoribus complexus eſt, ambo lib. tertio, materiam ad ædificationem cædi præcipiunt, in primis menſe Decembri & Ianuario, Luna ſeneſcente & ſub terra exiſtente. Lunæ enim lumen ligna molliora facit, quæ vero tunc cæſa ſunt minus putreſcunt. Vegetius cum de nauigijs præcepta tradit, à ſolſtitio æſtiuali ad Calend. Ianuarias, & à XV. ad XXIII. lunã cædi præcipit. Columella vero à XX. ad XXX. lunã prodidit. Idem, vt paulò pòſt oſtendemus, C. Plinius. At Pollio Vitruuius cum de eadẽ re ſcribit, materies, inquit, cædenda eſt à primo autumno ad id tempus, quod erit antequã flare incipiat fauonius. Eius rei reddit & cauſam, quod veluti prægnantes ſint & fœtę arbores. Tum & ſubdit: Ergo ſi ea ratione & eo tempore, quod ſuprà ſcriptum eſt, cæditur materies, erit tempeſtiua. Quibus verbis liquet, cur in Georg. poeta

poeta dixerit, Aut tempeſtiuam in ſyluis euertere pinum. Idem & M. Cato: Materies, inquit, vbi ſolſtitium fuerit ad brumam, ſemper tempeſtiua eſt. Heſiodus quoq; poeta eadem penè in ἔργοις docet, atq; eo etiam clarius, ſi diligentius obſerues, quæ eo loci à Proclo interprete ſcribuntur. Alia tamen eſſe videtur Theophraſti præceptio, quæ tamen ſi rectè examinetur, conueniat cum Plinij & aliorum ſententia: qui lib. xvi. rem totam hanc eſt executus, cuius quantum ad hãc rem pertinent verba ſubſcribam. Infinitum, inquit, refert lunaris ratio, nec niſi à xx. in xxx. cædi volunt. Inter omnes conuenit vtiliſſimè in coitu ſterni, quẽ diem, alij interlunium, alij ſilentis lunæ appellant. Sic certè Tiberius Cæſar con cremato ponte naumachiario, larices ad reſtituendum cædi ex Rhetia præfiniuit. Quidam dicunt, vt in coitu & ſub terra ſit luna, quod fieri non poteſt, niſi nõ ctu. At ſi computant coitus in nouiſſimum diem brumę, illa æterna ſit materies proximè cum ſupradictis ſyderibus. Quidam & canis ortum addunt, & ſic cæſas materies in forum Auguſti. Nec nouellæ autem ad materiem, nec veteres vtiliſſimæ. Circuncisas quoq; ad medullam alij non inutiliter relinquũt, vt omnis humor ſtantibus defluat. Mirum apud antiquos primo Punico bello claſſe Duillij Imperatoris ab arbore exciſa LX. die nauigaſſe. Contra verò Hieronem regẽ ducentas viginti naues effectas diebus quadragintaquinq;, tradit L. Piſo. Secũdo quoq; Punico bello Scipionis claſſis quadrageſimo die à ſecuri nauigauit. Tempeſtiuitas etiam in rapida celeritate pollet. Hactenus Plinius. Sed nec illud hoc loco omiſerim, quod eſt à Theophraſto proditum, viſco illitam materiem non ardere. Q. etiam Claudius in annalibus, quod & Gellius repetit, turrim ligneam ad Piræum Athenienſium portum, quam Archelaus Mithridatis præfectus multo alumine obleuiſſet, Sylla oppugnante minime arſiſſe. Vetus quoq; opinio fuit laricem igni non cedere, & propè cõtra eum illæſam perſiſtere. quin & aſſeres obijciendos aduerſus ignis pericula, antiquorum quidam iuſſere. Verum enimuero hoc tempore vſu comprobatum eſt vri quidem, ita tamen vt ab ſe diſcutere & repellere illum velle videatur. flammam enim nõ recipit, nec carbonem remittit, ſed ſpatio longiore vix comburitur, quod minima ſit ignis & aeris temperatura. Cognitum id ſumma Cæſaris admiratione apud Larignum oppidum ex arboris copia nuncupatum, quando ignibus obuallata turris ſuperfuit citra nocumentum. Totam hanc hiſtoriam pluribus lib. 2. recitat Vitruuius. Laricem vtiq; Plin. in maritimis nauibus teredini obnoxiam ait exiſtimatam. Sed de huiuſmodi iam ſit modus, ad alia properemus.

Piſces quoſdam eſſe qui naues imitantur, et qui nauigia remorentur: deq; gemma Agada, ſeu potius Sagda: quæ item ædificiorũ naues.

CAPVT V.

SVnt etiam quædam inter piſcium auiúmq; genera, quæ nauigia imitari videntur, ſi non potius nos ab illis nauigandi rationem didiciſſe videri poſſimus, vt quæ de piſce Nautilo produntur, a qua re nomen habere creditur. Huius quidem Aelianus & Oppianus hiſtoriam in ἁλιευτικῶν ingenioſe deſcribunt, & vtroq; prior Plin. in nono nat. hiſt. cuius verba ea tibi ratione recitabo, quod Plinium ſecutus videtur Oppianus, niſi quod ipſe poetice illud addidit, quod ego totidem verſibus exprimere tentaui, ne te, quod multi hodie faciunt ad oſtentationem, vt puto, græcis identidem allegationibus faſtidiam.

Plauſtra maris naues qui primus repperit, ille
Siue Deus, ſeu mortali de ſemine natus,
Audax orauit fluctus tranare marinos,
Nauigium ſpectans piſcis: dum robora nectit
Fecit opus ſimile, hinc & ventis vela tetendit
Funibus, aptauit retro dehinc frena carinæ.

Plinij vero verba hæc ſunt:Inter præcipua autem miracula eſt,qui vocatur Nautilus,ab alijs Pompilus:ſupinus in ſumma æquorũ peruenit,ita ſe paulatim ſubrigens,vt emiſſa omni per fiſtulã aqua,velut exoneratus ſentina,facile nauiget. Poſtea duo prima brachia retorquens, membranam inter illa miræ tenuitatis extendit,qua velificante,in auras cæteris ſubremigans brachijs,media cauda vt gubernaculo ſe regit:ita vadit alto liburnicarum gaudens imagine.Si quid pauoris interueniat,hauſta ſe mergens aqua. & quidem ſic Plinius.Nec multo ab his diuerſa in ſeptimo Athenæus. Extat & græcum epigramma Callimachi de hoc eodem Nautilo deæ Veneri oblato,quæ in Zephyrio colebatur,in quo & ipſius piſcis hiſtoria perſcribitur.Sed aliqui hoc quod ex Plinio de Nautilo recitauimus,diuerſum exiſtimant ab eo quod Ariſtoteles in nono de animalium hiſtoria tradit:videlicet quia Plinius Nautilum,Pompilum ait ab aliquibus vocari,cum & ipſe Plinius,vt Ariſtoteles & Aelianus,in polyporum genere Nautilum reponat,niſi quod hoc amplius addit,Ab alijs Pompilus vocitatur. Neq; enim hoc loco de Pompilo intelligit,de quo in thynnorum hiſtoria agit, & de quo Aelianus & Oppianus multa, & plura ex varijs ſcriptoribus Athenæus, qui & ſacer piſcis vocatus eſt.

Sedenim iam ad nauigeram aliam ſimilitudinem,peneq; eãdem tranſeamus, quam in Propontide à ſe viſam prodidit Mutianus. Concham eſſe ait Achatæ, ſeu vt caſtigat Hermolaus,Acatij modo carinatam,inflexa puppe,prora roſtrata:in hanc condi Nauplium animal ſepiæ ſimile,ludendi ſocietate ſola. duobus hoc fieri generibus:tranquillo enim vectorem demiſſis palmulis ferre vt remis. Si vero flatus inuitent,eaſdem in vſu gubernaculi porrigi, pandiqúe concharũ ſinus aura.Huius voluptatem eſſe vt ferat,illius vt regat:ſimulqúe eandem deſcendere incluſo ſinu,fluctu hauſto,territam viſu forte triſti:id enim conſtat rumore nauigantium.Et hæc quidem de Nautilo & Nauplio legimus. Nautilum quidem,hirundines,aliáſq; nonnullas aues in maris tranſitu imitari didicimus. Neritas quoque quas vocant,in concharum genere nauigare ſcribit Plinius,teſtarum quidem alteram vento pandere,ipſam vero in altera reſidere. Narratur & de draconibus Aſachæorum Aethiopum, qui maximi ſunt in maritimis eorum,quaternos quinóſue inter ſe cratium modo implexos,erectis capitibus velificantes,ad meliora pabula Arabiæ vehi per medios fluctus. At non etiam illud eſt miraculi ſimile,quod de echeneide traditur,piſciculo illo quidẽ, qui ingentes tamen naues in medio mari ſiſtere ac remorari dicitur? vnde & illi nomen latine remora,vt græcè, παρὰ τὸ ἴσχειν τὴν ναῦν,à retinenda ſcilicet naue. Audi quæſo de eo ita Plinium lib.xxxij.elegantiſſ.diſſerentem.Quid,inquit, violentius mari,ventiſúe,& turbinibus ac procellis? quo maiore hominum ingenio in vlla ſui parte adiuta eſt,quàm velis remiſq;? addatur his & reciproci æſtus inenarrabilis vis,verſumqúe totummare in flumen:tamen omnia hæc pariterque eódem impellentia,vnus ac paruulus admodum piſciculus Echeneis appellatus in ſe tenet.Ruant venti licet,& ſæuiant procellæ, imperat furori, viréſque tantas compeſcit,& cogit ſtare nauigia, quod non vincula vlla, non anchoræ pondere irreuocabili iactæ.Infrenat impetus. & domat mũdi rabiem nullo ſuo labore,non retinendo,aut alio modo quàm adhærendo. Hæc tantilla ſatis eſt contra tot impetus,vt vetet ire nauigia.Sed armatæ claſſes imponunt ſibi turrium propugnacula,vt in mari quoque pugnetur,velut è muris. heu vanitas humana,cum roſtra illa ære ferróque ad ictus armata,ſemipedalis inhibere poſſit ac tenere deuincta piſciculus.Fertur Actiaco marte tenuiſſe prætoriam nauim Antonij properantis circuire & exhortari ſuos,donec tranſiret in aliam: ideóque Cæſariana claſſis impetu maiore protinus venit:Tenuit & noſtra memoria Caij principis ab Aſtura Antium remigantis,(vt res eſt,etiam auſpicalis piſciculus,ſiquidem nouiſſime tum in vrbem reuerſus ille Imperator, ſuis telis confoſſus eſt)nec longa fuit illius moræ admiratio,ſtatim cauſa intellecta,cũ è tota

claſſe quinqueremis ſola nō proficeret,& exilientibus protinus qui id quęrerēt circa nauim,inuenere adhęrētem gubernaculo,oſtenderuntq; Caio, indignanti hoc fuiſſe quod ſe reuocaret, quadringentorúmq; remigum obſequio contra ſe intercederet. Conſtabat etiā peculiariter miratum, quomodo adhærens tenuiſſet,nec idem polleret in nauigium receptus.qui tunc,poſteaq; videre eum,limaci magnæ ſimilem eſſe dicūt. Atq; hæc quidem totidem verbis Plinius,qui & libro 9.qua forma eſſet prodidit,quod idem & Aelianus & Oppianus, Ariſtoteléſq; ſecundo de hiſtoria animalium libro meminit,& in ſexto Lucanus:

Non puppim retinens Euro tendente rudentes
In medijs Echeneis aquis.

Meminit & in Sympoſiacis Plutarchus. Mutianus quoq; muricem eſſe latiorem purpura,neq; aſpero neq; rotundo ore,neque in angulos prodeunte roſtro, ſimplice concha, vtroq; latere ſe colligente, quibus inhærentibus plenam ventis ſtetiſſe nauem portātem nuncios à Periandro, vt caſtrarentur nobiles pueri, concháſq;, quæ id præſtiterunt, apud Gnidiorū Venerem coli. Idem & Plinius 32.Huius etiam conchæ Caſſiodorus libro primo Variarū, his verbis meminit: Meatus, inquit,nauium Echeneis morſus inter vndas liquidas alligauit:aut Indici maris conchæ ſimili potentia labris ſuis nauium dorſa defixerunt, quorum quietus tactus plus dicitur retinere, quàm exagitata poſſint elementa compellere:ſtat pigra ratis tumentibus altè velis, & curſum non habet cui ventus arridet,ſine anchoris figitur, ſine rudentibus alligatur, & reliqua. Qui tamen ad hanc diem Echeneida, vel concham hanc viderint, neminem comperi vel nautam vel piſcatorem.Nauem etiam tardius incedere quidam prodiderunt,in qua fortè teſtudinis pes dexter vehatur. Sed næ miraculoſum æque illud videri poteſt, quod à Solino eſt traditū. Agadan lapillum eſſe, qui ſpiritum habeat,nauibúſq; qui ita adhæreat, vt niſi ſuccidatur auelli nequeat. Hæc ſunt Solini verba: Agada lapillus à Chaldęis ad nos vſq; fluit,haud facilis repertu,niſi vt perhibēt, ipſa ſe capeſſendam daret: nanq; ingenita ſpiritus efficacia ſupermeantes naues à profundo petit, & carinis ita tenaciter adcorporatur, vt niſi abraſa parte ligni ſeparetur. Ea Agada apud Chaldęos propter effectus, quos ex ea ſciunt,habetur in loco principe, cæteris propter gratiam magis cōmplacet iucūdiſſimè virens. Hęc quidem Solini verba. Sed ſi Plinium & emendatos codices attendere malumus,Sagdam,nō Agadā legemus. Sagdam,inquit Plin.in vltimo,Chaldæi adhæreſcentem nauibus habēt, inuenitur praſini coloris. Hæc ille. Sed huiuſmodi miracula minus mihi rata, ergo notiora alia attende,& in primis quod de agreſtium ædificiis Numidarum, quæ Mapalia, Magaliáve illi vocant, vt eſt apud Salluſtium: Oblonga,inquit,ſunt,incuruíſq; lateribus tecta, vt quaſi carinæ nauium videantur.Cum enim illuc Perſæ nauibus appuliſſent, incultáq; foret regio, nauium illi carinis domicilia ſtruxerunt: vnde & eorum vſus apud illos ita ſeruatus eſt.Meminit & Probus Valerius,in Vergilium,& Seruius,grāmatici.Eſt & hodie in vernaculo quotidianóq; ſermone,vt maiorum templorū, ſacrarúmq; ædium partes nauium nomine nuncupentur. Fuit & Romæ locus Carinę dictus,vt in nauiū partibus planius oſtendemus.Fuere item roſtra in curia,à nauium roſtris dicta:& Vellabrum Romæ locus,à vehendis nauibus.

Miraculoſa quædam in re nautica videri, quæ, naturalia cùm ſint, à philoſophis anxiè quæruntur: tum de nauigijs ex arida viridiq; materia confectis.

CAPVT VI.

ILlud in re nauali diligenter accuratéq; iampridem à philoſophis obſeruatum eſt, tardius pigriúſq; naues hyeme per flumina procedere, & grauiora deferre onera,per mare vero pari curſu.quam rem in aerem referunt ij qui phyſici appellantur, quod eo ſcilicet tempore fluuiorum aqua craſſeſcat, & denſior ideo

fiat:

fiat:qua de re & Plutarchus in cauſis naturalib.Sunt & in nauium ratione quædam quæ naturali quadam obſcuritate recte percipi non poſſunt, vt illud, Remum videri inflexum in aqua.Item,nauem in alto videri ſtare ijs qui ſunt in littore:qui autem in mari vehuntur,videri moueri eos qui in littore conſiſtunt,cum tamen contrarium id ſit. Quanam vero naturali ratione id accidat,multis quidem difficillimum videtur,atq; idcirco philoſophorum pleriq; ſuper hoc laborarunt.Ridiculum illud à pleriſq; exiſtimatur,quod eſt à Plinio lib.xxviij. nat. hiſt.proditum,in nauigando tempeſtates abigi muliere denudata, etiam ſine menſtruis:cum eis vero,grandines turbineſq; auerti. Quærit & anxiè Ariſtot. cauſam,cur nauigia interdum dum curſum agunt in quieto & tranquillo mari, repente abſorbentur,in præcepſq; trahuntur,totáq; ita pereunt,vt ne naufragij quicquam fluitans vſquam appareat:id ille pluribus in quæſtionibus abſoluit. Sed & hoc experientia cognoſcitur,vt quæ ex humida materia nauigia conſtruuntur,non eundem celeritatis vſum habere,quàm quæ ex arida fiunt, id quod contra Cæſarianos milites Maſſilienſib.beneficio fuiſſe,in 1.bellorũ ciuil.Cæſar ipſe prodidit.Sanè & illud diligenter obſeruarunt rerum naturæ ſtudioſi, vacuum nauis corpus tantum ponderis ſuſtinere,quantum ſit aquæ pondus,qua poſſit ad iuſtum impleri. Vnde & tot amphorarum naues non antiquis modò, ſed & noſtris temporibus appellantur. Verum hæc tibi in præſentia ſignificaſſe ſatis fuerit.Nunc quæ miraculoſa ſunt reliqua, his ſubſignabo.

Miraculoſa multa de nauigijs, necnon de diuerſis eorum generibus, deq; Vitilibus,& quæ Vitilia dicuntur.

CAPVT VII.

NAuium vel admirandas amplitudines,vel portentoſas ſpecies mihi tradere volenti,longiore orationis filo opus foret:quamobrem,ſi pauca tãtum è multis,quæ cogitanti mihi ſuccurrunt,adſcripſero,hac tibi parte feciſſe ſatis videri potero,atq; adeò in primis fabuloſa quædam recenſebo.Argo græci poetæ fabulantur vocalem fuiſſe,idq; ex tabula Dodonæa,eius à Pallade carinæ affixa:dictam vero ab artifice Argo,teſtis eſt Apollonius:tametſi non ab Argo,ſed à Glauco fabricatam,Poſſis Magnes apud Athenæum prodidit. Dictam alij à celeritate,quæ ἀργὸς interdum græcè dicitur.Noſter M.Cicero ab Argiuis innuit denominatam,quia Argiui in ea delecti viri vecti petebant pellem inauratam arietis.Pherecydes ab Argo Phrixi filio dictam exiſtimauit,primámque hanc ipſam Argon longam nauem fuiſſe.atq; de Argo ſatis.Phæacum naues Homerus cecinit nullis inſtrumentis & nautis indiguiſſe:ex ſe enim & hominum mentes,& locorum ſitus cognouiſſe. Quid?nónne & idem Homerus ab Alcinoo rege Vlyſſi datam nauem ait,quæ mox in ſcopulum à Neptuno mutata ſit? Idẽ Ouidius & Procopius,idem & Solinus teſtati ſunt.Sed & apud Athenæum ſcribit Apollonius Rhodius vel Naucratites,cum Ocyroen puellam ab Apolline amatam Pompilus rapuiſſet,eius nauis in lapidem conuerſa eſt, & raptor ipſe in piſcem mutatus eſt:à quarum fabularum ſimilitudine potuit commodè Vergilio præſtari occaſio,vt Aeneæ naues Berecynthiæ matris beneficio in Nymphas mutatas finxerit.quod eſt à Criticis improbè Vergilio obiectum, vt impoſſibile:cum ea in poetis damnare non ſoleamus,quæ etſi ſupra naturæ uires, arcano tamen quodam ſenſu aliud innuunt,vel lectorem in miraculum impellunt:eoque magis ſi id antiquorum exemplo fiat,& eo præcipuè Homeri. Sed quàm non damnabile ſit quod Maro finxit,poetarum ingenioſiſſimus Naſo declarat,qui ab eo in ſua Metamorphoſi totam hanc fabulam deſumpſit, dignũ ſcilicet ratus vt ſuo carmini inſereret. Subit hoc loco memoriæ,miraculoſa de nauigijs cogitanti,quod eſt à Plinio proditum: Nauem à Myrmecide tam ſubtiliter fabricatam,vt ab apicula pennis abſconderetur. Sed hæc mittamus, ad

eáq; quæ ab hiſtoricis produntur, accedamus. Ptolemæi Philopatoris nauē Plutarchus tantæ magnitudinis & apparatus fuiſſe ſcribit, vt ad oſtentationem potius quàm ad aliquem vſum eſſet. De eadem naui & longe plura ex Callixeno hiſtorico Rhodio Athenæus lib. V. dipnoſoph. commemorat, quo ſimul loco et eiuſdem regis fluuiatilem nauem, Thalamegon vocatam, celebrat, quam cum in Nilo nauigaret in delitiis habuit: longitudo eius DC. pedum, latitudo quinque & XL. Reliqua idem Athenæus exequitur, qui & Hieronis regis nauē adeò mirabili artificio conſtructam deſcribit, vt nihil in ea deeſſet, quod ad rationem & proportionis & commenſus conueniret, atque adeò de ea Archimedes Syracuſius, tantus eius ætatis artifex, librum ſcriptum reliquit. Nauis quidem artifex fuit Archias Corinthius, intra verò annū fabricata eſt. Materies ad eā conficiendam ex Aetna cæſa tāta, vt LX. triremibus conſtruendis ſatis eſſe potuiſſet. Fabri CCC. præter miniſtros. Verum cum tanta eſſet moles, Archimedes eam, vt in mare facilimè deduceretur, curauit. Claui in ea ærei denarum librarū, XX. fuerunt remigij ordines, triplici fuit ædificij cōtignatione. Infima pars oneri & mercibus data, ad quam multis ſcalis deſcenſus: media pars XXX. cenationes habebat ad vtrunq; latus conſtructas, in his lecti quaterni: item naucleri cum conclaue quinq; lectorū capax: ad hæc thalamitas, & culina, tum pauimentum ſtructum opere vermiculato omnis generis lapidum, in eo pauimento bellum Troianum depictum. In ſumma parte nauis gymnaſiū, ambulationes, cum omnis generis ſtirpium & arborum hortis, tum Aphrodiſium conclaue ſtratum achate, aliiſque ex Sicilia lapillis. Parietes nauis ex cupreſſo, fores ex ebore, & odorata materia. Fuit & exedra & bibliotheca, inſuper & balneum, vt reliqua mittam, quæ potius ad ſtabile ædificium, quàm ad nauigium pertinere viderentur. Nam & in ea etiam equorum ſtabula, & militum habitationes, & prę terea turres octo, & militaria inſtrumenta, & machinæ Archimedis opera, tum demum ad armamenti omne genus loca idonea, quæ exequi nimis longum. In hanc nauim cū Archimelus poeta XX. verſuū epigramma condidiſſet, ab ipſo rege donatus eſt mille frumenti medimnis, quos ex Sicilia in Piræum vſq; deduci iuſſit. Extat & hodie epigramma ipſum: quod ſi emendatius nactus eſſem, his adſcripſiſſem. Sed quanquam miranda & inſolita arte Hieronis hæc nauis fuit, ipſam tamen cùm magnificentia, tum reliquo omni apparatu Thalamegus, cuius modo meminimus, Ptolemæi Philopatoris exceſſit. Celebrantur quoq; Poliorcetæ Demetrij naues duæ, quæ & machinis ac tormentis ad expugnandas vrbes magnificè inſtructæ fuerūt, vt Lyſimachus rex, Demetrij licet hoſtis, cum eas vidiſſet, maxima ſit admiratione affectus. Lege in ipſius Demetrij vita Plutarchum. De Seſoſtris Aegyptij regis naui iam ab ipſo libri initio locuti ſumus. Id verò quod de Caij Cæſaris naue à Plinio ſcribitur, hoc loco non eſt omittendum. Abies, inquit, admirationis præcipuæ in naui, quæ ex Aegypto Caij principis iuſſu obeliſcum in Vaticano circo ſtatutum, quatuórque truncos lapidis eiuſdem ad eum ſuſtinendum adduxit: qua naue nihil admirabilius viſum in mari certum eſt. CXX modij tunc lentis pro ſaburra ei fuere. Longitudo ſpatium obtinuit magna ex parte Oſtienſis portus latere læuo: ibi nanque demerſa à Claudio principe, cum tribus molibus turrium altitudine in ea exędificatis, obiter Puteolano puluere aduectis, quæ arboris craſſitudo quatuor hominum vlnas complectentium implebat. Atque hæc quidem Plinius, qui & alio loco de eadem naui meminit. Et Suetonius, qui de eiuſdem Caij Caligulæ liburnicis ita fermè ſcribit, adeò vt videatur imitatus eſſe Hieronis nauem. Fabricauit, inquit, & de cedris liburnicas gemmatis puppibus, verſicoloribus velis, magna thermarum, & porticuum, & tricliniorum laxitate, magnáque etiam vitium & pomiferarum arborum varietate, quibus diſcumbens de die inter choros ac ſymphonias, littora Campaniæ peragaret. Nec nauis eius deſcriptionem omiſerim, quę à Max. Tyrio ſermone XXXI. deſcripta eſt, regis cuiuſ-

cuiuſdam ſupra Phœnicem (neq; enim ille nomen apponit) qui ex Aegypto ſol uens, nauigaturus ad Troiam, latiſſimam nauem comparauit, quæ amplitudine ſua ſatis eſſet ad vniuerſas ſimul voluptates deportandas. Eius enim vna pars aſſurgebat in regiam, in qua conſpicui thalami lectis inſtratis, et geſtationes pul cherrimæ viſebantur. Egreſſis autem ad limen, pomaria occurrebant longe latéq; porrecta, malis conſita punicis, pyris, vitibus, pomiferiſq; plantariis. Aliam verò nauis partem balnea cum gymnaſio occupabant. Erat præterea hic popinam cernere, illic concubinarum luſtra, illic cœnacula. Nullas præterea deeſſe luxurioſæ vrbis turpiſſimas officinas. Sed & eadem ipſa nauis iucundis coloribus vndiq; depicta, gratiſſimum aſpectum præferebat, aurum atque argentum permultum oſtendebat. Subdit mox idem: Cum portum nauis illa tã vaſta egrederetur, inſulæ fluitantis ſpeciem præ ſe tuliſſe, & nidore ac odoramentis, tum ſimul tibiarum fiſtularúmque ſymphonia ac celeumatis concentu omnia compleſſe. Et paulo poſt vrbem vocauit. His & ea ſubiungam, quæ de Traiani naue ſcriptum legi. Hæc paucis ante annis, quibus hęc ego prodebam, reperta fuit atque eruta ex lacu Nemorenſi in Latio, quo loco annos plus M C C C. demerſa iacuerat, vt conіectari potuimus. Qui verò ædificandarum huiuſmodi nauium peritiam habent, ſe eam ita conſtructam campactámq; animaduertiſſe prædicabant, pini videlicet materiam & cupreſſi in ea egregiè vetuſtatem viciſſe. idque extrinſecus pice atra & tela lino agglutinata, ſupérque id chartam, vel lamellas potius plumbeas clauis quibuſdam ęneis confixas comperiſſe. Eſt enim vſu cõprobatum æs multo quàm ferrum ad vetuſtatem magis durare, quod & Vitruuius & Vegetius affirmant. Hanc Traiani nauem Græci ſcriptores triremis longitudine fuiſſe prodiderunt, latitudine verò holcadis, quod & ex eruta cognitum eſt. Cleopatræ luxurioſam admodum claſſem, potius quàm rectè inſtructam, rudentibúſq; & velis ſericeis, hoc loco non plus quàm cæteri autores recenſebo. Locupletiſſimi enim ſcriptores, vt alios mittam, Plutarchus, Dion, & Appianus eam deſcribunt.

Vitiles quoque naues fieri ex corio circũſutas, Plinius autor eſt: ita enim ſcribit in iiij. Timęus, inquit, hiſtoricus à Britannia introrſus ſex dierum nauigatione abeſſe dicit inſulam Metterin, in qua candidum plumbum proueniat: ad eam Britannos vitilibus nauigiis corio circunſutis nauigare. Idem in ſeptimo: Etiam nunc in oceano Britannico vitiles corio circunſutæ fiunt, in Nilo ex papyro & ſcirpo, & arundine. Hæc ille. Feſtus quoq; Auienus in iambico ad Probum:

Sed rei, inquit, *ad miraculum*
Nauigia iunctis ſemper aptant pellibus,
Corióq; vaſtum ſemper percurrunt fretum.

Arrianus etiam in Alexandro de iſtiuſmodi nauibus meminit, vt alios mittam. Gręcè verò ex corio naues βυρσοπαγεῖς vocant, quales & nos nonnullas vidimus à Gallis confectas, dum in Italia cum Venetis bellum gererent. Vitilia autẽ appellantur, quæcunq; ita lenta ſunt, vt commodè in volucrum flecti poſſint, à viniendo, vt quidam arbitrãtur, appellata: vnde & naues ipſæ vitiles ſic dictæ, & vitiles vaginæ. Eaſdem & plicatiles idem Plinius dicere videtur, cũ de Aethiopiæ nauibus agit. Nanq; eas, inquit, plicatiles humeris trãsferunt, quoties ad cataractas ventum eſt. Plicatiles ętiã apud Strabonem vertit Tiphernas Gregorius, quæ διάλυτα Gręcè πλοῖα ille ſcripſerat. Sutiles etiam naues ab antiquis factitatas, cum Homerus & Vergilius canunt, tum Plinius lib. 24. lino conſutas, non ſparto teſtatur. Quo loco dubitat, cum Homerus ait, καὶ σπάρτα λέλυνται: hoc eſt, vt ipſe interpretatur, & nauium ſparta diſſoluta, an de geniſta intelligẽdum ſit, de qua lineam piſcatoriam apud Gręcos fieri alio quodam loco oſtendit. Super hac re tamen eſt Gellij ex Varrone diſputatio: eo enim tempore ſparti vſum non fuiſſe, pręter hos, & Plinius nõ ſemel declarauit. Atq; ideo σπάρτα, id eſt, ſata interpretãtur. Ex cannabe nanq; & lino quæ ſeruntur, Gręci ſuas naues con-

ſuere ſoliti fuerant. Vnde Verrius homo eruditiſſimus appellari exiſtimauit hiſtrica & liburnica nauigia ſerilla, propterea quod lino & ſparto cõſerta eſſent. Meminit verò de ſerillibus ita in nuptiis Pacuuius: Nec vlla ſubtus cohibet & cõpagem aluei, ſed ſuta lino & ſparteis ſerillibus. Sextus tamẽ Põpeius funiculis interpretatur. Illud vtique Homeri quod diximus, ita enarrat non indoctus Euripidis ſcholiaſtes, vt σπάρτος neutro & fœminino genere funem ſignificare aſſeueret, ex quo & prouerbium illud doricum, cuius à magno Baſilio fit mentio, καὶ λίθον ποτὶ ταὶ σπάρταν ἄγοντες: dirigendum videlicet lapidem ad filũ. Vel, vt alij verterunt, ad amuſſim, quod ita Chryſoſtomus in priore ad Corinth. epiſt. enunciat, πρὸς τὴν σπάρτην τὸν λίθον ἄγειν. Non plura attinet me hoc loco de ſcirpo ſpartóque afferre, cum de funibus agam reliqua dicemus. Naues inſuper & ſcaphas teſtaceas factas in Aegypto, teſtis eſt Strabo, hoc eſt, ὀστράκινα πορθμεῖα. Matteas quoque, hoc eſt, iunceas & ſparteas, & ex papyro legimus. Quin et ex libro papyri vela et tegetes factas noſter prodidit Plinius, & Annæus etiam Lucanus, vt pòſt oſtendemus. Theophraſtus de hiſt. plantarum lib. iiij. Papyrus, inquit, ad plurima vtilis: ex eo enim nauigia faciunt, & è libro vela tegetéſq; texunt: funes inſuper ac ſtragula, & veſtes, atq; alia. quę eadem verba repetit Plinius lib. 13. qui & ait Antigonum regem eo in naualibus vſum rebus, nondum in Syria ſparto communicato. Nunc demum hac noſtra etiam tempeſtate compertum eſt à Luſitanis & Hiſpanis nautis, qui diuerſas ac incognitas orbis partes nauigando luſtrarunt, populos eſſe Indiæ, qui nauibus nullo ferramento cõpactis, ſed palmarum foliis conſutis vtantur, quorum vela rotunda ſint, & hæc etiam ex palmarum vimine contexta, quod genus nauium nunc iuncas appellare. Verum & apud antiquos ex vimine factas naues compertum habemus, quales à ſe factas prodit C. Cæſar in commentariis, cum apud Ilerdam fluuiis intercluderetur, quarum vſum bello Britannico ipſe perceperat. Idem & ſcribit poeta Lucanus in 4. ſuæ Pharſaliæ, cuius verſus apponam.

Primum (inquit) *cana ſalix madefacto vimine, paruam*
Texitur in puppim, cæſóq; induta iuuenco,
Vectoris patiens tumidum ſupernatat amnem.
Sic Venetus ſtagnante Pado, fuſóq; Britannus
Nauigat Oceano. ſic cùm tenet omnia Nilus
Conſeritur bibula Memphitis cymba papyro.

Sed quoniã miraculoſa conſcribimus, addendum & hoc loco quod de arundinibus agens ſcribit Plinius, déq; earum panniculis. Aut enim, inquit, pro pluma ſtrata cauponarum replet, aut vbi limoſiore callo induruit, ſicut in Belgis cõtuſa & interiecta nauium commiſſuris ferruminat, textus glutino tenacior, rimiſque explendis fidelior pice. Hæc Plinius. Herodotus quoq; in hunc propè modum: Babyloniorum, inquit, nauigia quæ per flumen commeãt, orbiculata ſunt omnia, atq; coriacea, quæ pecuarij Armenij, qui ſupra Aſſyrios incolunt, ex cęſis ſalicibus faciunt inſtruúntq; pellibus, nudo illarum extrinſecus poſito in modum ſoli ſeu pauimenti: neque puppe diſcreta, neq; prora acuminata, ſed in ſpeciem clypei magis orbiculata. Tale nauigium ſtipula refertũ fluuio deferendum permittunt cùm aliis rebus, tum verò doliis è palmarum vino onuſtum: & cætera quæ in primo, hoc eſt, in Clio autor ipſe exequitur. Quo loco cum alia malè, vt mihi quidem videtur, tum illud Valla interpretatur, doliis è palmarum vino: ita enim Græcè Herodotus, μάλιστα δὲ βίκους φοινικίους κατάγουσι οἴνου πλέους: hoc eſt, præcipuè verò bicos palmaceos vino plenos. Sunt autem bici inter vaſorum genera, vt planè in vaſis retulimus. Erant igitur bici, quæ Valla eſt dolia interpretatus, vaſa ex palma confecta, non vinum ex palma, niſi fortaſſis ipſe aliam lectionem habuerit. Nam non me præterit & vinum ex palmis confici ſolere, cum in India, tum aliis præterea regionibus, ipſo vel Plinio non ſemel

referen-

referente. Rotundas etiam naues Alexādrum Macedonem habuiſſe ab Arria-no proditum eſt in 6.hiſt. quas quidem naues minus quàm lōgas paſſas eſſe diſcrimen ait,ea Hydaſpis fluminis parte qua cum Aceſine coniungitur:propterea quod eo loco maximi fiant aquarum vortices, ex multarum aquarum cōcurrentium colliſione. Sed nos noſtrum ſequamur de nauium Miraculis inſtitutum. Scribit Ethicus Hiſter ſcaphas vimine contextas vndiq; bitumine perlitas. Celebrat et portentoſa nauigia Strabo pactonas in Aegypto viminibus conſutas, de quibus ſuo loco agemus.Sedenim quod ex viminibus ſalignis,aliiſq; eiuſcemodi nauigia contexantur,etiam prouerbio inde ducto patere poteſt,quod eſt, ἐπὶ ῥιπὸς διαπλεῦσαι: hoc eſt, in vimine nauigare, id eſt, in naue viminibus contexta. Meminit Ariſtophanes & Lucianus,& Suidas. Eſt autem rhips virgulti genus flexibile, vel ſalignum vimen, ad conſuenda contexendáq; aptum nauigia. Vnde nos adoleſcentes in monoſyllabis ita luſimus:

Et qui nauigium connectit flexibilis rhips.

Naues etiam Indicas autores pleriq; tradunt ex arundinum internodiis,quæ nonnunquam hominum XII.capaces perhibentur, quarum ad quatuor millia Semiramin reginam habuiſſe in expeditione contra Indos,proditum eſt.Quæ verò tradantur hoc tempore Indorum nauigia,cùm magnitudine penè incredibili,earúmve ſtructura,tū de glutine ad ea picanda confecto miraculoſa,legito eos qui non multo antea orbis itineraria conſcripſerūt.Illud quoq; à Strab.tradit̃ de nauiculis,quas ille calaminas vocat ſchedias, hoc eſt,rates,quo loco de aſphalto agit. Idem & Diodor.lib.ſuæ bibliotheces vndeuigeſimo: Calamorū hic,inquit,faſcib9 homines per aſphalti lacū nauigare ad effodiendum bitumen,idq; non ſine diſcrimine fieri. Vnde,inquit,duo ex vectoribus nauigant alligatis faſcibus remis,& eorū tertius arcu & ſagittis armatus ad hoſtes propulſandos intendit:itaq; ſecuribus effoſſo bitumine, cōplent arundineos faſces.Hanc rem pluribus ille enarrat. Ad hæc & naues ex teſtudinū cōchis fieri ſolitas legimus,ab iis in primis populis,qui,quod teſtudinibus veſcant̃, Chelonophagi vocati ſunt, quarū nauiū etiā Plinius noſter in nono meminit,qui & Germaniæ prædones ait naues ex ſingulis arboribus conſtruxiſſe, triginta interdum hominum capaces. Scribit & Liuius Gallos ex ſingulis arboribus cauaſſe.Deinde,inquit,& ipſi milites ſimul copia materiæ,ſimul facilitate operis inducti,alueos informes,nihil, dummodo innare aquæ,& capere onera poſſent, curātes raptim faciebant. Vocantur quidem huiuſmodi nauigia monoxyla,de quibus agemus.Relatum eſt à Plinio in Thylo maris rubri inſula, ab Alexādri comitibus naues tali materia factas,quæ CC annis & amplius perſeuerarent:& ſi mergerentur,incorruptas manere.Idem ſcribit & Theophraſtus,qui & hoc ait,eaſdem naues extra aquam diuturnas quidem eſſe,ſed nō tantundem. Suionum, qui Germaniæ populi ſunt, naues hoc modo deſcribit Cor. Tacitus:Forma,inquit,nauium eo differt,quod vtrinq; prora paratā ſemper appulſui frontem agit, nec velis miniſtrantur, nec remos in ordinem lateribus adiungunt,ſolutum,vt in quibuſdā fluminum,& mutabile,vt res poſcit,hinc vel illinc remigium. Hæc Tacitus. Fuerunt & naues quædam turritæ,quæ machinationibus quibuſdam in maritimas vrbes arcéſq; armatos milites inferre ſolebāt. His autem in naualibus prælijs vſi ſunt antiqui, quas deſcribit Heron in libro de machinis bellicis, & Athenæus antiquiſſimus earum machinarum ſcriptor, in libro quem ad M.Marcellum dedit, earúmq; nauium vnà cum deſcriptione ſchematiſmum effingunt. Sunt & apud Vegetium Renatum,ſed non tales, & ab illis valde diſſimiles.De turritis huiuſmodi nauibus extat & apud hiſtoricos non modo mentio, ſed & apud poetas.Cæſar in 3.bellorum ciuilium,naues,ait, in quibus ad libram fecerat turres.Plinius lib.32.cum de echeneide agit: Sed armatæ,inquit,claſſes imponunt ſibi turrium propugnacula. Vergilius de Actiaca pugna:

—Credas innare reuulſas

Cycladas, aut montes concurrere montibus altos,
Tanta mole viri turritis puppibus inſtant.

Dion hiſtoricus eadem de re: Hi quidem, inquit, turres & armamenta in mare proiecerunt. Appianus Alexandreus de bello ciuili: Et turres, inquit, in nauib. habebant, & ad proram & ad puppim. Certe & Pollux quoq; in deſcriptiōe rerum nauticarum, & turres & turriculas commemorat, vt ſuo loco oſtendemus. atq; de his hactenus. Nunc ad ſacra nauigia accedemus.

De nauigijs ſacris, deq; Saturni, & cœleſti nonnihil, quodq; in ſepulchris etiam inſcalptæ naues, & quod crux Chriſti in re nautica ſit.

CAPVT VIII.

SEd nec illud tibi prætereundum, quod & in ſacris nauium vſus apud antiquos fuit, varieq; & ad ſuperſtitionem vſq;, afferamus: in primisque quod de naui Aegyptia legimus, quam βάριν illi & ἐπίβαθρακας nuncupant, licet in Diodoro pperam nomina hæc legantur. Fuit autem baris nauigij genus, quod Iſidi ſacerdotes quotannis dicabant. Nam cum mare verna temperie tranquillum eſſet, Charon (ſic enim nauis portitorem vocant) per paludem Acheruſiam tranſuehebat, obolum, quem danacen Græci vocant, à vectoribus accipiens, vnde eſt à Vergilio & Apuleio alijsq; imitatio ſumpta: quam rem in ſepulchralibus diligentius tractauimus. Herodotus quoq; autor eſt bares ab Aegyptijs naues appellatas, quæ ex ſpino & iunco ſint circumſutæ, quas & deſcribit. Iſidis etiam nauem Lactantius Firmianus in primo ſic celebrat: Certus, inquit, dies habetur in faſtis, quo Iſidis nauigium celebratur: is vero dies in menſe Martio commemoratur, vt ex vetuſta menſium ratione collegimus, in eo quem de annis & mēſibus libro compoſuimus. Huius nauis Lucianus in dialogo cui eſt titulus πλοῖον ἢ εὐχαὶ, meminit. At ſimul ipſa, inqt, puppis paulatim aſſurgit inflexa, aureo cheniſco impoſito, è regione vero proportione quadam prora in longum producta eminet, habens hinc inde ſignum deę Iſidis nauis cognomentum. Eiuſdem meminit Apuleius in hunc propemodum, innuens & ipſe hunc menſis Martij diem, quem modo diximus, quo nauigabile ſedatis tempeſtatibus fit mare, qua de re mox planius. Apul. ergo: Diem, ait, qui dies ex iſta nocte naſcetur, æterna mihi nuncupauit religio, quo ſedatis hybernis tempeſtatibus, & lenitis maris procelloſis fluctibus, nauigabili iam pelago rudem dedicantes carinam, primitias commeatus libant mei ſacerdotes. Idem ibidem, inquit, ſimulachris rite diſpoſitis, nauem faberrimè factam, picturis miris Aegyptiorum circunſeptus variegatam, ſummus ſacerdos tèda lucida, & ouo & ſulphure ſolenniſſimas preces de caſto præfatus ore, quàm puriſſimè purficatam deæ nuncupauit dedicauitq;: & cætera. Meminit & huius Iſidis nauis Placiades Fulgentius in mythologico his verbis: Europam Iupiter in tauro rapuiſſe fertur, hoc eſt, in naue tauri picturam habente, & Iſidem in vacca ſimiliter nauim huiuſmodi picturæ: denique vt hoc certius eſſe cognoſcas, nauigium Iſidis Aegyptus colit. Solis pręterea imaginē, vt Porphyrius ſcribit, theologi Aegyptiorum in naui collocabant, quæ crocodilo ferebatur, id ſcilicet ſignificantes, vt per nauim motum in humido, per crocodilum potabilem aquam, in qua ſolem ferri contendunt, intelligerent. Sed hæc mittamus. Athenienſes & ipſi nauem ſacram habebant, quam Theſei fuiſſe credebant, & quotannis in Delon inſulam mittere ſolebant, atq; ideo Deliam vocabant: eam Suidas alijq; theorida appellant. quæ quo tempore Delum mittebatur, nullus interea capitali ſupplicio afficiębatur, donec ea redijſſet: qua cauſa factum eſt, vt diutius in carcere Socrates ſit detentus, vt Plato in Phædone & Suidas tradunt. Hanc eandem nauem celebrat Pauſanias, nullamq; illi ſimilem ſcribit fuiſſe. Laudat & quam in Panathenæorum pompam ijdem Athenienſes habebāt ſeruatam in Areopago. Vlpianus Demoſthenis enarrator duas Athenienſium

nienſium ſacras naues ait fuiſſe, Salaminiam videlicet & Deliam vocatã, & Paralon, quæ ad ea tantum quæ ad religionem pertinebant ferenda mittebatur, de qua ſuo loco agemus. Hac eadem, quam Salaminiam diximus, vſi ſunt Athenienſes ad eos vehendos qui in iudicium citabantur. Hanc ad Alcibiaden agendum miſſam prodidit Thucydides. Hinc & prouerbium factũ, *Salaminia nauis*, in eos qui ſumma celeritate aliquid conficiũt. Meminit triremis Salaminiæ Plutarchus in Pericle, vt eius in qua vltimum eſſet præſidium, idq; etiam Critolai aſtruit autoritate. Scribit idem Vlpianus alias tres naues ab iiſdem Athenienſibus factas, Antigonida, Ptolemaida, & Ammoniada. Plutarchus verò quã Theſei nauem antè diximus, ait vſq; ad Demetrij Phalerei tempora ab Athenienſibus conſeruatam, eiq; feneſcenti vetera ſubinde ligna ablata, & robuſta & valida adiecta fuiſſe. Narratur & Triptolemi nauis à Philochoro. Longa, inquit, naui Triptolemum ad vrbem accedentem frumenta diſtribuiſſe, & ob id ſuſpicionem dediſſe quod nauis eſſet eius ſerpens pennatus, vnde eſt poetarum figmentum. Fuit & theoris ſacra Lemniorum, qua Lemnus ipſa quotannis expiabatur ob ſceleratũ facinus in viros cõmiſſum à mulieribus, & in nonũ diem ignis qui in ea erat extinguebat̃, delatus ex inſula Delo: & ſi priuſquã inſula expiata eſſet acceſſiſſet, nulli inſulæ regioni appellabat, ſed ſuſpẽdebatur, donec fas eſſet adnauigare, quo tempore terreſtres deos & arcanos inuocabant, ignémq; qui in naui fuerat cuſtodiebant. Cum autẽ nauis acceſſiſſet, ignem diſtribuebant, omniáq; ſua in melius mutabant, reliquáq; peragebant, quæ Philoſtratus in heroicis exequitur. Suidas tamẽ, vt antè dixi, Deliam nauem hoc nomine θεωρὶς nuncupare videt̃. Romani pręterea vſqueadeo Saturni nauim, qua ad Italiam delatus eſt, coluere, vt ea nummos ſignarent. Hinc Lactantius, Saturnum, inquit, errantem atq; inopem Ianus excepit, cuius rei argumenta ſunt nummi veteres, in quibus eſt cũ duplici frõte Ianus, & in altera parte nauis, ſicut poeta Ouid. canit:

At bona poſteritas puppim formauit in ære,
Hoſpitis aduentum teſtificata dei.

Idem & Plutarchus, & Plinius, & Probus in Perſiũ. Et Macrobius in primo Sat. his verbis: Hic igit̃ Ianus cum Saturnum claſſe peruectum excepiſſet hoſpitio, & ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum & rũdem, ante fruges cognitas, victum in melius redegiſſet, regni eum ſocietate munerauit. Cum primus quoque æra ſignaret, ſeruauit & in hoc Saturni reuerentiam, vt quoniam ille naui fuerat aduectus, ex vna quidem parte ſui capitis effigies, ex altera verò nauis exprimeretur, quo Saturni memoriam etiã in poſteros propagaret. Aes ita fuiſſe ſignatum, hodiéq; intelligitur, in aleæ luſum, cum pueri denarios in ſublime iactãtes, Capita aut nauim, luſu teſte vetuſtatis, exclamant. Et hæc quidem Macrobius, aliiq;. Extant vetuſta huiuſcemodi nomiſmata pleraq; rudibus impreſſa imaginibus. Iidem Romani, autore Sexto Pomp. & Plinio, trientes ac quadrantes rate ſignare ſoliti fuerunt, vnde & ratici nominati ſunt: aſſes vero naue. Nec hoc præterierim, ſepulchra etiam nonnunquam nauibus inſcalpta fuiſſe, vt eſt apud Philoſtratũ in hiſt. Tyanei Apollonij. Cum enim Erythræos quoſdam Ciſſiam Mediæ regionem habitare tradat, ſubiungit, ſepulchra etiã Græcis literis inſcripta, & nauibus inſcalpta fuiſſe, vt quiſq; eam artem exercuiſſet. At verò quod in ſepulchris quam quiſque artem in manus haberet, effingeretur, ne in re nota laborem, ſit ſatis Vergilium attuliſſe, qui de ſepulchro Miſeni ita canit in VI:

At pius Aeneas ingenti mole ſepulchrum
Impoſuit, ſuáq; arma viro, remúmque tubámq;
Monte ſub aerio. &c. ne tibi grãmaticos, tótve nunc marmora ſepulchrorum noſtratium & peregrinorum commemorem: ſed & ipſe in ſepulchralibus aliàs plura. At verò nec cœlum ipſum nauigiis vacat: quippe opinio eſt, Argo in cœleſte ſydus conuerſam, vnde & Flaccus cecinit:

Et ituram in ſydera puppim.

quam

quam & loquacem, vt diximus, & fatidicam poetæ vocant. Huius quidem nauis effigies non integra inter aſtra cernitur: à puppi enim vſq; ad malum diuiſa eſt, hominibus videlicet ſignificans, ne fractis nauibus nauigantes penitus deſperent, deinceps etiam ſperandum. Lucere verò XXIII. ſtellarum ſplendore Higinus putat, alij XXVI. Sed de hac cœleſti naue Aratus & expoſitores, aſtrologiq; ſcriptores plura: nos ideo ſatis ſupérq;, id tãtum tibi afferentes, quod in libro de Iſide & Oſiri Plutarchus ſcribit, nauim hãc cœleſtem ab Aegyptijs, non Iaſonis, ſed Oſiridis vocatam. Eſt & apud T. Liuium inter prodigia ſecundi belli Punici, nauiũ ſpeciem de cœlo affulſiſſe. Nec id te lateat velim, morem Romanis fuiſſe ſacrum expiandi ac purgandi claſſem, cũ quid aduerſi vel prælio, vel tempeſtate claſſi accidiſſet, aut immineret, id quod Appianus Alexãdrinus lib. bel. ciuil. V. hoc fermè modo declarat: In littore, inquit, maris altaria poſita marinis vndis alluunť, omníſq; circunſtat multitudo è nauibus linguis fauens: tum ſacerdotes in mari ſtantes ſacra faciunt, térq; per claſſem ſcaphis circunuecti ſacra piamina ferunt, ducibus vnà annauigantibus, ipſaq; piamina attollentibus, vt ab exercitu totáque claſſe infelicia cuncta auectentur depellantúrq;. Diuidentes deinde ea, partem in mare porriciunt, partem altaribus impoſitam flammis adolent, ac protinus multitudo omnis ea benedicit, & bene precatur. Sic Romani claſſem expiare & purgare ſoliti. Hæc fermè ille. Quam religionem & poeta ſecutus Maro.

Sed age, nunquid fas minus fuerit homini Chriſtiano de re nautica agenti illud adſcribere, quod à viro ſanctiſſimo Ambroſio eſt traditum: in re videlicet nautica crucis ſignum inueniri, quo à labe primorũ parentum omne genus humanum expiatum eſt. Ambroſij hæc ſunt verba ex oratione de Cruce ſecunda. Grande ergo, inquit, crucis eſt ſacramentum, & ſi intelligamus, per hoc ſignum etiam mundus ipſe ſaluatur: nam cum à nautis ſcinditur mare, prius ab ipſis arbor erigitur, velum diſtenditur, vt cruce domini facta, aquarum fluenta rumpantur, & hoc dominico ſecuri ſigno portum ſalutis petunt, periculum mortis euadunt: figura enim ſacramenti quædam eſt, velum ſuſpenſum in arbore. Hæc quidem diuus Ambroſius. Eadem penè à Septimio Tertulliano in libro aduerſus Marcionem ſcribuntur: Nam, inquit, & in antenna quæ crucis pars eſt, extremitates cornua vocantur, vnicornis autem medius ſtipitis palus &c. quæ ille ait. Nos iam ad nauium tutelas & picturas accedamus, miſſam hoc loco facientes penè nunc fluctibus obrutam Petri cymbam.

Nauium tutelæ deis attributæ, quæve nauigationi ſydera ſecunda, quæve aduerſa, deq; pictura & rubrica nauium, & de augurijs.

CAPVT IX.

NAuigationis & nauium tutelam ſuis numinibus gentes attribuebant, vnde illud Poetæ:

Et aurato fulgebat Apolline puppis. Et illud Naſonis:

Eſt mihi, ſitq; precor, flauæ tutela Mineruæ
Nauis, & à picta caſſide nomen habet. Item Perſius:

Et vnà *Ingentes de puppe dei.* Et alius: *Tritonia nauis.* quòd eius Pallas eſſet præſes. Alij Neptuno, alij Nereo, alij Palæmoni nymphiſque attribuerunt. Nota nauis illa Alexandrina in Actis apoſt. cui erat inſigne Caſtorũ. Sed illud obſeruãdum, quod felix Caſtorũ nauigationi ſydus antiqui exiſtimauere, quos πολυδευκία Græci vocant, & ἀνάκους & ἀνάκας, & cum afflatu ἀνάχας, quòd tempeſtates è ſublimi propellant, παρὰ τὸ ἀνέχω καὶ ἥκας, ἢ ἔχω. Vel vt Suidas ait & grammatici, παρὰ τὸ ἀγάσω ἀγακοί, vti eſt à φυλάσσω φυλακοί. Alij alias horum nominum interpretationes afferunt, quas aliàs cõmodius retulimus, & in Numa Plutarchus recenſet. Ab his vtiq; celebritas illa quæ τὰ ἀνάκεια dicebatur, quaſi depulſoria dicas.

dicas. Scribit Annæus Seneca in natural. quæſt. libro primo de Caſtore & Polluce: Argumentum, inquit, tempeſtatis nautæ putant, cum multæ tranſuolant ſtellæ: quod ſi ſignum ventorum eſt, ibi venti ſunt, id eſt, in aere, qui medius inter lunam & terram eſt. In magna tempeſtate apparent quaſi ſtellæ velo inſidentes, adiuuari ſe tunc periclitantes exiſtimant Pollucis & Caſtoris numine. Cauſa autem melioris ſpei eſt, quod iam apparet frangi tempeſtatem & deſinere ventos. Hæc quidem Seneca. At Plinius 2. nat. hiſt. libro: Vidi, inquit, in nocturnis militum vigiliis inhærere pilis pro vallo fulgurum effigies, eæ & antennis nauigantium aliiſque nauium partibus, ceu vocali quodam ſono, inſiſtunt, vt volucres ſedem ex ſede mutantes. Graues cum ſolitariæ venere, mergentéſque nauigia: & ſi in carinæ ima deciderint, exurentes. Geminæ autem ſalutares, & proſperi curſus prænunciæ: quarum aduentu fugari diram illam ac minacem appellatámque Helenam ferunt: & ob id Polluci & Caſtori id numen aſſignant, eóſque in mari deos inuocant. Hæc Plinius. Xenophanes Colophonius huiuſmodi ſplendores naturales, vt etiam Seneca exiſtimauit, non ſtellas, ſed videri ait, eſſe autem paruulas nubes, quæ neſcio quo modo ſplendeſcant. Metrodorus verò & ipſe ſplendorem eſſe dixit ſpectantium oculorum cum timore & percuſſione quadam. Sed enim & hoc tempore hoc luminis vel ſplendoris nautis etiã apparere tempeſtatibus deprenſis audiuimus, inter procellas, quo conſpecto incipiunt nautæ bene ſperare, idq; vel diuo Nicolao, vel diuæ Hermiæ, vel alij cœlitum adſcribere conſueuere, diuinũ id rati auxiliantis numinis præſagium. Sed vtcunq; hoc, Fulgentius tamen quod de Caſtorum ſydere diximus, ſecus ac alij exiſtimare videtur: nam eos periculum creare ait, non eruere. Artemidorus quoque libro 3. Onirocriticôn: In ſomniis, inquit, Dioſcuros (ſic enim Caſtores Græci vocant) nauigantibus hyemes ac tempeſtates ſignificare, quæ citò tamen in melius mutentur: nam σωτῆρες, hoc eſt, ſeruatores dei ſunt. Scribit & Porphyrion in Horatij carmine: Conſtat autem, inquit, hodie inter nautas, Caſtoris & Pollucis ſtellas plerunque nauibus infeſtas eſſe. At verò illam quam Plinius diram & minacem Helenam vocat, Statius Papinius illo carmine innuit in Thebaide:

Cum iam damnata ſororis
Igne Therapnæi fugerunt carbaſa fratres.

Quo loco Lactantius grammaticus Helenam Vraniam vocari ait: cui quidem tanta vis ineſt incendij, vt malum & nauis ima pertundat, vt etiam ſi æs ſit eius calore ſoluatur. Ergo ſi hæc ſtella naui inſederit, ſciunt ſe nautæ ſine dubio perituros. Hactenus Lactantius ſeu Lutatius, vt vocatur ab aliquibus. Meminit & huius ſtellæ Solinus his verbis agens de muliebri menſtruo: Habet, inquit, planè id ſalutare ſolum in ſe, quod auertit ſydus Helenæ pernicioſiſſimum nauigantibus. Nec illud hoc loco de typhone, id eſt, vortice, vt interpretatur Plinius, reticuerim, qui pręcipua nauigantium peſtis eſt, non antemnas modo, verum ipſa nauigia contorquens rapida vertigine frangit. tenue illi remedium, acetum in aduenientem effuſum. Reliqua de typhone Plinius in ſecundo, qui etiam typhonis nomine cometæ ſpeciem vocat viſam Aethiopiæ & Aegypto, à regis nomine ſic nuncupatam. Sunt qui coralia typhonibus remedio eſſe prodant. Sed de typhone, hoc eſt vortice, & alia in Meteoris Ariſtoteles, & in libro de mundo ad Alexandrum, ſi modo is eſt legitimus Ariſtotelis liber, vt video pleroſque dubitare. Typhonum meminit & Gellius cap. primo, 19 libri his verbis: Qui turbines etiam crebriores, & cœlum atrum, & fumigantes globi, & figuræ quædam nubium metuendæ, quas τυφῶνας vocabãt, impendere imminereq́; ac depreſſuræ nauem videbãtur. Meminit & in 17. Marcellinus. Alia ſunt & multo plura quæ de Typhone à Græcis ſcribuntur. Mythica enim phyſicis coniunxere, multáque de centum capitum Gigante ab Ioue fulminato cum ſcribant, tum & ſubiungunt inter cætera, procelloſos quoque ventos typhonas vocant, quibus

quibus nigrum agnum iugulari præcipiunt (vnde etiam fortè Vergilius:

Nigram hyemi pecudem.)

vt is ſpiritus deſinat: & hoc in Aeſchylum referunt. Quare cum de typhonibus apud Græcos tam multa legantur, miror in commentariis in Aratum, qui Theoni adſcribũtur, cum de tempeſtatum ſignis ageret, mendum pertinax irrepſiſſe, cum de typhonibus mentio, & quidem locuples fiat, σίφωνας ſemper legi pro τυφῶνας. A typhone quidem typhonicum ventum Lucas in Actis apoſt. dixit, qui vocatur εὐροκλύδων, quem Latinus interpres vertit Euroaquilo. Porrò nec illud te lateat volo, Apollinem diuerſis cognominibus nuncupatum ex re nautica fuiſſe: nam ἐμβάσιος dictus eſt ab ingreſſu, cui Iaſon cum nauem eſſet conſcenſurus rem ſacram fecit, vt pluribus in primo cecinit Apollonius. Idem quod & in littore coleretur, & ἄκτιος & ἐπάκτιος, hoc eſt, littoralis dictus. Eidem quoque cum è naui exirent ſacrificabãt, qua ex re ἐκβάσιος eſt cognominatus, vt idem docet Apollonius. Nam cum Argonautæ è naui deſcendiſſent apud Cium Myſiæ vrbem, & Arganthonium montem, vt neceſſaria nauigationi è cõtinenti acciperent, cibaria, oues, vina, ligna &c. ἐκβασίῳ Apollini, hoc eſt, egreſſori rẽ ſacram fecerunt. Sed & à deorum nominibus, in quorum tutela nauigia eſſent, plerunque nuncupabantur, quique in illis depicti eſſent, vt eſt illud Ouidij:

Eſt mihi, ſitque precor &c. Item illud,

Pictos verberat vnda deos.

Quæ res cum notiſſima ſit, non eſt cur aliorũ autoritatibus comprobem. Nam & quòd variis picturarum imaginibus pingerentur, clariſſimum eſt, vnde & fabulandi multiplex poetis eſt occaſio præſtita, veluti Europæi tauri, & vt modo dicebamus, Iſiacæ vaccæ, Dædaleique volatus. Etſi vſu etiam indies id fieri cernimus, plurimorúmque autoritate eſt notum, vnius tamen Valer. Flacci ex primo Argonauticôn ſuper hac re carmina, ne rem penitus omiſiſſe videamur, citabimus: is enim vbi Argo arte Palladia fabricatam ceciniſſet, ita mox de eius pictura ſubiunxit:

Conſtitit vt longo moles non peruia ponto
Puppis, & vt tenues ſubiere latentia ceræ
Lumina, picturæ varios ſuperaddit honores:
Hic ſperata ſedens Tyrrheni tergore piſcis
Peleos in thalamum vehitur Thetis, æquora Delphin
Corripuit, ſilet hæc deiecta in lumina palla
Nec Ioue maiorem naſci ſuſpirat Achillem.
Hanc Panope, Dotóque ſoror, iactatáque fluctu,
Proſequitur nudis pariter Galatea lacertis,
Antra petens Siculo reuocat de littore Cyclops.
Contra ignis, viridíque torus de fronde, dapéſque,
Vináque, & æquoreos inter cum coniuge diuos
Aeacides, pulſátque chelyn poſt pocula Chiron.
Parte alia Pholoe, multóque inſanus Iaccho
Rhœtus, & Athracia ſubitæ de virgine pugnæ,
Crateres menſæque volant, aræque deorum,
Poculáque, inſignis veterum labor, optimus haſta
Hic Peleus, hic enſe furens agnoſcitur Aeſon.
Fert grauis inuito victorem Neſtora tergo
Monycus, ardenti peragit. clarus Antora quercu,
Nigro Neſſus equo fugit, accliuíſque tapetis
In medijs vacuo condit caput Hippaſus auro.
Hæc quanquam miranda viris ſtupet Aeſone natus.

Atq; hactenus quidem Flaccus. Sed quoniam de pictura nauium egimus, non incongruum quoq;, vt quod ab Herodoto ſcribitur & Plinio, hic tibi ſubnotemus. Naues, inquit ille, veteri inſtituto ſolere rubrica depingi, notiſſimum eſt. Plinius vero: Iam enim, inquit, Troianis tẽporibus rubrica in honore erat, Homero teſte, qui naues ea commendat, hoc eſt, μιλτοπαρείας. Idem & in ix. Odyſſeæ ipſius poetæ commentatores, idem & Suidas prodiderunt. Certe & oraculum, vt ſcribit Herodotus, delphicum Siphnios ita eluſit, cùm eis cauendum cecinit ab agmine è ligno legatóq; rubenti. Quod vtiq; oraculum non antè Siphnij intellexerunt, quàm fuſi fugatiq; à Samijs exulibus fuiſſent, qui ad eos naue rubricata peruenerunt. Lege tertium hiſtor. Herodoti. Antiquitas inſuper excogitauit eam rationem pingendarum claſſium, vt eis neq; Sol, neq; ſal, ventusq; noceret. Hanc breuiſſime Plin. xxxv nat. hiſt. attigit, ita enim ſcribit: In encauſtice pingendi duo fuiſſe antiquitus genera conſtat, cæra & ebore, ceſtro, id eſt, viriculo, donec claſſes pingi cœpere. Hoc tertium acceſſit reſolutis igni cæris penicillo vtendi, quæ pictura in nauibus nec ſole, nec ſale, ventisq; corrumpitur. quæ Pliniana verba exponuntur à Perotto in commentarijs Cornucopię, & ab Hermolao Barbaro in caſtigationibus: atq; idcirco ego ea nuda retuli. Meminit & eiuſdem voluminis alio loco idem Plinius, cum ait, Ceruſſa cęræ tinguntur ijſdem coloribus ad eas picturas, quæ inuruntur alieno parietibus genere, ſed claſſib. familiari: iam verò & onerarijs nauibus (quoniam & pericula expingimus) ne quis miretur & rogos pingi. Iuuat quoq; pugnaturos ad mortem, aut certe cædem ſpecioſè vehi. quibus omnibus Annæi Senecæ verba ex libro de beneficijs ſeptimo, quàm à caſtigatoribus, melius intelligentur. Nam cum Seneca ita ſcribat: Cui triremes & cæratas non mitterem, luſorias, & cubicularias, & alia ludibria regum in mari laſciuientium mittam? Quo loco doctiſſ. ſanè caſtigator pro cæratis, æratis, repoſuit. Quod vero cęra naues pingerentur, præter ſuprà dicta Plinij verba id palàm teſtantia, & Pollux innuit in primo. Hoc picturæ genus κηρογραφία à Græcis dicitur, vt eſt apud Callixenum & Athenęum. Et poetarum quoq; frequens autoritas hoc idem oſtendit, vt cuius modo verſus adſcripſi Val. Flacci.

Et in tenues ſubiere latentia cæræ
Lumina, picturæ varios ſuperaddit honores.

Non me fugit à ſemitarijs grammaticis exponi ſolere cęram pro pice, quod congruè an aliquando poſſit, nunc non ſtatuo. Sed quod pice naues illinantur, notius eſt quàm vt expoſitione indigeat. Sanè ab ijs qui Indica perſcripſere proditum eſt, naues & quidem onerarias, & ingentes ac portentoſę propè magnitudinis, ad conuehenda mercimonia ab Indis conſtrui, quę non pice, ſed quodam ab ipſis confecto bitumine illinũtur, quod maiorem quàm pix firmitatem pręſtet nauigijs. Illud ſic conficere accepimus: Canabum minutiſſimè terunt, dein calcem atq; oleum cuiuſdam arboris, quantum ſat eſt, accipiunt, miſcent, & eouſq; tundunt quoad lentorem viſco ſimilem contrahit, atq; ita tum demum eo vtuntur, nauésq; illinunt. Sed iam de cæra & pictura nauium ſatis, vt puto. Nũc iure illud quoq; in re nautica obſeruandum, quod ad auguria pertinet, quę ornithogonia dicitur, in qua inter alia nautis expetita auguria cygni laudantur, ex qua diſciplina Vergilius poeta finxiſſe creditur:

Aſpice biſſenos lætantes agmine cygnos.

& quæ ſequuntur reliqua. Verſus vero ex ipſa ornithogonia hi ſunt:

Cygnus in augurijs nautis gratiſſimus ales,
Hunc optant ſemper, quia nunquam mergitur vndis.

Eadem de anſeribus à Græcis traduntur, vnde & cheniſcus nauibus additur, de quo ſuo loco dicemus. Sunt qui tradant Vergilium cygnos in carmen induxiſſe, vt Aeneæ augurium facerent, quoniam vnà cum columbis Veneri dicatos putarunt antiqui. Ab augurijs certe bonis & ſecundis, ſecundam etiam Latini

nauigationem & proſperam dicere conſueuere. At non ſic Gręci, quippe qui δεύτερον πλοῦν, Pauſania & Euſtathio teſtibus, dicant, cum non vento agitur nauis, ſed remorum conatu: atque ea cauſa cum laborioſe aliquid moliuntur, δεύτερον πλοῦν, hoc eſt, ſecundam nauigationem prouerbio dicunt. Et è contrario ἐξ οὐρίας πλοῦν, cum ex voto & animi ſententia res ſuccedunt: & vt illa ſecunda nauigatio vocatur, ita hæc prima dici ſolet, quæ tamen ab augurali diſciplina quidam deducere conati ſunt. Sed his miſſis ad huiuſcemodi reliqua pergamus.

Quatenus aſtrologis in re nautica credendum, & prognoſticis, & de nauigationis tempore, & Veneris ſtella Troianæ nauigationis duce, alijsq́ue. CAP. X.

ASTrologi præterea magnam ſibi in re nautica, vt alijs omnibus in rebus, partem vendicant, atque ex Saturno in primis, & Orione, & Arcturo, & Pleiadibus, & hœdis, & Helena, alijsq́ue ſignis futuras tempeſtates prænunciant, quos vt mendaces & falſiloquos vterque Picus conuincere nititur. Non enim, aiunt, ex Ioue, Saturno, Venere, Marte, Mercurio præuident tempeſtates, ſed de nube, de ventis, de omni aeris conditione: atque eorum hæc ſolers diſciplina experimentis vbique confirmata. Reliqua quæ ab ijs ſcribuntur hoc loco miſſa fiunt, teq́ue ad ipſorum volumina relego: illius contra aſtrologos, huius de rerum prænotione. At ſicut illa damnantur, ita quę prognoſtica vocantur à Gręcis, & à noſtris præſagia ac ſigna, non impugnari à bonis videmus, quando ea præcipuè ex aeris qualitate, non ex aſtrorum ortu, vel occaſu, traiectúve fieri appareant. Traduntur vero ea ab Heſiodo, Arato, vtriuſque interpretibus, tum à Vergilio, Lucano, Plinio, Varrone, Columella, Conſtātino, Vegetio, alijsq́ue ſcriptoribus tum rei ruſticæ, tum rei militaris, vt nunc mittam philoſophos qui meteora, & naturales aſtrologos qui ea prodiderunt. Illud certe non prętereundum, ſtata eſſe nauigationis tempora, quæ tum in temporum & anni, tum in aeris diſpoſitionē referuntur, quæ vulgares nautę, & agricolę etiam norunt: ſiquidem ea habentur circa autumnale ęquinoctium, & vernum, ita vt ab hoc aperiri, ab illo claudi mare dicatur. Placet quæ Heſiodus pluribus verſibus in ἔργοις ſcripſit breuiſſimè hic afferre. Poſt ſolſtitium ęſtiuum, ait, per quinquaginta dies optima nauigatio, quando ſpirant eteſiæ, & vernæ cum ficus folium iam cœperit cornicis pedi par eſſe. In quibus verbis Proclus obſeruat, per ęſtatem & ęſtus medios non ſatis tutam eſſe nauigationem, id & experientia ipſa cernimus. Plinius vero inquit, Ver aperit nauigantibus maria, quę hyberno tempore hyemant, & tempeſtatum ſęuitia concluduntur. Sic etiam L. Apuleius, vt antè ſcripſimus, ſignificat, die ſcilicet qui nauigio Iſidis ſacer eſt, quando menſe Martio mare ipſum aperitur. Exiſtimauit quo loco, vir ſanè doctiſſimus Apuleij interpres, hilaria eo die deſignari, Apuleij verbis hallucinatus. Hæc vero breuiſſimè collegimus, qui ſine riſu meminiſſe non poſſumus, quę ijdem aſtronomi confingunt, ſub ariete nautas gigni & helcyarios, nauiumq́ue fabricatores, & eiuſmodi genus opificum, ac ſi nulli ſub ariete naſcantur ijs in regionibus vbi nullus eſt nauigiorum vſus: etſi ijdem id afferant, & domos naues eſſe. Sed hęc ridicula nimis, vt miranda illa quę Plinius in VI. de Taprobane agens prodit. Syderum, inquit, in nauigando nulla obſeruatio. Septentrio non cernitur, ſed volucres ſecum vehunt emittentes ſępius, meatumq́ue earum terras petentium comitantur. Nec minus mirandum viſum eſt, quod à M. Varrone lib. rerum diuinarum ſecundo traditum, nauiganti Aeneę à Troia in Italiam ad agrum vſq; Laurentum, Veneris ſtellam ſemper illuxiſſe, eoq; loco vlterius haud viſam fuiſſe. Quam rem etiam multis in locis Vergiliū poetam innuiſſe Seruio grammatico videt. quod tamen vt ego minus credam, multa ſūt in cauſa, atq; illud in primis, ne id minus miraculoſum, quod in Euangelica hiſtoria de

in media naui.Hinc etiam,vt puto,zygodeſma,de quibus Pollux: Zygodeſma, inquit,dicuntur,quibus iugum temoni coniungitur.Clauus autem cui zygodeſmon inuoluitur,heſtor vocatur.De heſtore Homerus in ix.Iliad.meminit,ſuper quæ verba varia Græci tradunt,quæ non ſunt noſtri inſtituti.Colũbaria in ſummis nauium lateribus loca concaua eſſe grammatici quidam ſcribunt,quod ſint ſimilia columbarum latibulis,in quibus nidificant.meminit Feſtus. Priſcianus vero,columbar,inquit,vinculi genus eſt,idque Plauti verſiculo ex Rudente cõprobat:nam,in columbari,inquit,collum haud multò poſt erit. Idem Feſtus in nauali ſcriba:Plautus inquit,non ego te noui naualis ſcriba in columbari impudens.Siue ait quod in naui columbaria appellabantur in quibus remigent, ſiue quod columbariorum quæſtus temerarius incertusque.Porrò Vitruuius in x. cum organa ad aquam hauriendam deſcribit,columbaria vocat caua ſeu foramina,per quæ aqua concepta in tympano educitur.ita enim ſcribit, ſecundum axem columbaria fiunt excauata in ſingulis ſpatijs.Et paulò poſt ſubdit: Reddit eam,ſcilicet aquam per columbaria ſecundum axem.Echetlion locus eſt in naui,in quo piſces reponuntur.vtitur Nicander in Theriacis.Quo loco qui grę cè ſcholia ſcripſerunt idem affirmant: niſi quod & illud addunt, quod ab aliquibus pro piſcium viuario,hoc eſt,ζῶγρα capitur. Ego nauiculam eſſe puto clauſam vndiq; & obtectam,multis pertuſam foraminibus,qua viuos piſces cũ alibi,tum hic Ferrariæ piſcatores ſeruare conſueuere,quo modo & apud Nicandrum intelligi poteſt.Clauus nauis eſt gubernaculum.Ennius:

Vt clauum rectum teneam,nauemq; gubernem.

M.Tullius in Fam.Sedebamus in puppi,clauúmq; tenebamus,nunc autem vix eſt in ſentina locus.F.Quintilianus videtur clauum per translationem pro adminiſtratione poſuiſſe in ſecundo.Gubernator dicet notum illud,Dum clauum rectum teneam.Sed qualis eſſe debeat gubernator clauum tenens, legito argutam Senecæ ſententiam libro epiſtolarum xij.Gubernacula etiam guberna vocata oſtendit Nonius.Lucillius lib.xx.ſatyrarum:

Proras deſpoliate & detondete guberna.

Seruius grammaticus clauum putat eſſe fuſtem gubernaculi,hoc eſt, lignũ oblongum,quo flectit ac reflectit gubernator nauim,anſa appellatur à Vitruuio, vt protinus oſtendam.Diſtinxit & Cicero,vt cum pro Seſtio ait, clauum tanti imperij tenere,& gubernacula reipub.tractare. Exiſtimauit Poſſidonius gubernaculum inuentum eſſe exemplo à piſcibus ſumpto,qui cauda reguntur; & leui eius in vtrumque momento velocitatem ſuam flectunt.Idem ſcribit & Seneca.Clauus vero græce vocatur οἴαξ & οἰήιον, totum vero gubernaculum πηδάλιον:antiquiores autem Græci ἐφίλκιον vocabant.Tranſiuit quidem in prouerbium πηδάλιον, de puris minúsque ſordidis rebus,ἁγνότερος πηδαλίου,hoc eſt gubernaculo caſtior.Meminit Suidas,qui ait ipſum ſemper in aqua eſſe, propterea que minus ſordidum. Ammonius alijque inter Græcos nonnulli differre tradunt πηδάλιον à πληθρίῳ,quod pedalion nauium,plethrion vero ratium: quidam & forma diminutiua πληθρίδιον vocant.Sed quod de οἴαξ dicimus, Vitruuius anſam tranſtulit,ita enim ſcribit:Quemadmodum etiam nauis onerarię gubernator anſam gubernaculi tenens,qui οἴαξ à Græcis appellatur. Thomas magiſtri οἴαξ inquit non modo anſam ſignificare,ſed & totum gubernaculum. Porrò hæ gubernaculi partes dicuntur,media φθὴρ ἢ ῥίζα,id eſt,pediculus vel radix, & ὑπόζωμα vocatur:extremitas πτερύγιον,tu alam dicas:reliquum αὐχὴν,id eſt,ceruix.Locus vbi gubernator reclinatur,enclima dicitur. Sentina pars eſt inferior nauis, vbi ſordes defluunt,atque ideo quod ibi teter odor ſentiatur,ſunt qui dictam arbitrentur. Val.tamen Maximus libro ſecundo,capite de diſcipl.militari, pro ipſis ſordibus accepiſſe videtur,cum ait,Hac turpi & erubeſcenda ſentina vacuefactus exercitus noſter. Per tralationem enim & pro conſortio malorum ſumitur.Cic.pro leg.agra. Hoc enim verbo eſt vſus,quaſi de aliqua ſentina, ac nõ

de optimorum ciuium genere loqueretur. Idem in Catil. Siquidem hanc ſentinam huius vrbis ciecerit. Frequens eſt & pulchra dicendi figura: vnde & ſentinare verbum, quod ſatagere, & periculum vitare ſignificat, vt eſt apud Feſtum. Cumbam quidam nuncupant, ſed certe nauis locum denotat imum, quod ſcilicet aquis incumbat, quo fit vt opiner nunc vulgo à nautis columbam vocari. Quidam tamen dryochon, de quo mox ſtatim. Modium præterea in naui appellant, cui malus inſiſtit, verum hæc noſtris parum approbata. Hanc partem quæ continet malum, Græci tũ hiſtodocen, tũ hiſtothecen vocant, quod ſcilicet ἱστὸν contineat. Hanc partem μεσόδμης vocaſſe videtur in primo Argonaut. Apollonius. ἱστοδόκης tamen ab ἱστοπέδῃ differre ait Ammonius. Hiſtodoce quidem vbi malus inclinatur. Homerus: ἱστὸν δ' ἱστοδόκῃ πέλασαν. Hiſtopede vero locus cauus in medio nauigij. Nonnulli quoq; ληνίδα vocant locum vbi malus imponitur. Vnde & Artemidorus libro 1. ὀνειροκριτικῶν ἱστοκεραίας, pro antemna ponere videtur, quod & alibi. Nauium vtriq; partes Græci diligentius tractant quàm Latini, quãdo & minimis ij quibuſq; particulis ſua indidere vocabula, quorum plurima hic ego tibi à prædictis ſubiungam. δρύοχος igitur & τρόπις, & τροπίδιον, & στεῖρα, carina à Græcis vocatur: & dryochus quidem lignum eſt, in quo nauis carina configitur. Apollonius in 1.

Pallas cum primum dryochos immitteret Argûs.

Quod verò carinæ eſt affixum, phalcis, inde lesbion, & chalcenes, & clitopodion. Id vero quod carinam terminat in proram, προέμβολις, & τὸ προέμβολον nuncupatur, quod ſubtus eſt embolon: vnde & nauis quæpiam velociſſima ἔμβολος vocata eſt, cuius Græcis frequens mentio, & niſi perperam legatur illud in primo codicis Iuſtiniani de ſacroſ. eccleſ. quod etiam repetitum eſt in xi. eiuſdem: Iubemus nullam nauem vltra duorum milium modiorum capacem ante felicem embolum, vel publicarum ſpecierum &c. Hinc & τρίμβολον apud Suidam inſtrumentum nauticum, quod ſcilicet facile iaci queat. Eſt & nauis ſpecies quæ ſæpe impellatur, dicta τρίμβολος, quod hæc particula τρὶς, pro augmento & magnitudine capiatur, non Græcis modo & Latinis, ſed & vulgò Gallis. Vnde etiam triembolum pro virili membro aliquando capitur, eadem ratione, quod in coitu frequentius impellatur inijciatúrq;. Ab embolo quoq; Neſtoris nauis decembolon dicta eſt, vt eſt apud Aeſchylum. Sed & emboli alia ſignificata colligit Hermolaus. Quod igitur medio proembolidis & emboli eſt, ſtera propriè dicitur. Sub embolo eſt delphis, cum nauis eſt delphinophoros: ſed quid ſit delphis mox ſignificabimus. Id quod eſt inter embolon & proembolida, ſtolos vocatur & pericephalæa, tametſi στόλος etiam tam claſſem quàm nauis commeatum curſúmq; ſignificat. Idioſtolon tamen nauigium Athenæus vocat, quod ſibi quis conducit, lib. xij. Sequitur quæ ptychis & ophthalmus appellatur Polluci. Didymus vero πτυχὴν eſſe ait, vbi oculi pinguntur, & nauis nomen inſcribitur, qđ & in commentarijs in Apollonium legitur. Acroſtolion Theophilus vocat lignum, quod eſſe ait erectum, modo in prora, modo in puppe, in quo nomen ipſum nauis ſit inſcriptum: tametſi quidam pro nauis extremitate interpretati ſunt. Et fori ſummitatem quidam roſtra non commodè ſatis interpretantur. Sũt qui ἀκρωτήρια, & ἀκροστόλιον, & ἀκροκόρυμβα idem eſſe affirment, vt in corymbis latius oſtendemus. Scribit enim Theophilus ἐπωτίδες ligna eſſe, quæ tanquam auriculæ quædam vtrinq; nectantur in prora. Appianus de bello ciuili: Mox, inqt, naues ipſæ inter ſe cõcurrêre: hæ quidem in obliqua, illæ ad epotidas, aliæ in embolos. Idem & illum impetens ad epotida nauem conquaſſauit. Maſchala etiam ab Heſychio proræ pars vocatur, quæ terthron (funis nautici hoc genus, vt oſtendemus) continet, ſiue artemonem. Alij maſchalam machinam eſſe tradũt, qua ſarcinæ deponuntur in naues, vel eximuntur. Alij alia, quorum nonnulla à Suida referuntur in prouerbio, Maſchalam tollis, quæ ad nauigia non faciunt. Phalcidis autem quod vtrinque interius eſt, epholcis & rhinoteria vocantur:

ria de tribus Magis traditur, videatur, qui ſtella duce ex orientis partib. ad Chriſtum adorandum profecti ſunt. Legimus tamen & ſimilis ſtellę ducatu diui magni Antonij corpus inuentum, vt in noſtris annalibus continetur.

De nauium membris ac partibus, tum Græcis tum Latinis nominibus. CAP. XI.

SEd cum fortè tibi videri poſſim non accuratè modo, ſed curioſe etiam de rebus ſcripſiſſe quæ circa rem nauticam ſunt, nunc his miſſis ad nauium partes & membra non minore cura deueniam: quæ vt diuerſa, ita diuerſis ſunt nuncupata vocabulis, in primiſq; à græcis ſcriptoribus. Omnia vero, vt potero, breuiſſime colligam, ne tibi ſcilicet legendo, & mihi ſit ſcribendo negocium. Quã rem antequam aggrediar, Lucretij poetæ verſus adſcribam, quos pro re dignos iudicaui vt memoriæ mandarentur. Hi vero in ſecundo de rerũ natura legũtur;

Sed quaſi naufragijs magnis, ventiſq; coortis
Diſiectare ſolet magnum mare. tranſtra, carinas,
Antemnas, proram, malos, tonſaſq; natantes,
Per terrarum omnes oras fluitantia apluſtra:
Vt videantur, & indicium mortalibus edant
Infidi maris inſidias, vireſq; dolumq;
Vt vitare velint, neue vllo tempore credant,
Subdola cum ridet placidi pellacia ponti.

Et quidem hæc Lucretius: ne græca, quod iſti faciunt, plurima inculcem, quæ Heſiodus in Georgicis, & epigrammata afferam. Sed nos iam ſeorſum nauium partes deſcribamus. Prior ergo nauis pars prora græca voce dicitur, quæ etiam eſt à Latinis vſurpata adeò, vt eorum pleriq; dictam exiſtiment; quod prior ſit, putantes vocem eſſe latinam. Verum & Herodianus & Theon tradunt; prora nuncupata eſt, quod reliquam nauis partem præcedat, quaſi πρώϊρα. Quidam παρὰ τὸ προϊέναι: ſunt qui dictam exiſtiment ἐκ τοῦ πρόορᾶ. hoc eſt, quod ex ea antè cernamus, & per craſin, πρῶρα. Qui proræ præeſt, πρωρεὺς & proreta vocatur. Eius varia apud antiquos forma fuit, nunc qualis eſſe debeat, à principio libri oſtendimus. Puppis quæ & puppes, nauis pars eſt poſterior, πρύμνη à Græcis dicta, vnde prymnetes, & prymneſium funis nauticus, vt commodius ſuo loco dicetur. Ab his potiſſimum nauis partibus prouerbium ductum eſt, Prora & puppis; cuius ad Tyronem M. Tullius meminit, quoties negotij alicuius ſummam ſignificamus. Græci aliter efferunt, quæ à prora & puppe pereunt, hoc eſt, τὰ ἐκ πρώρης, καὶ τὰ ἐκ πρύμνης ἀπόλλυται. quod in malum frequentius dicitur. Eſt vero honeſtior in naui locus puppis, quod ibi ſedeat gubernator clauo regens nauigium. Innuit hoc nec ſemel in epiſtolis Cicero. Sedebamus, inquit, in puppi clauumq; tenebamus. Idem ad Cornificium: Quamobrem mi Quinte conſcende nobiſcum, & quidem ad puppim. Hinc & Græci mouere puppim vſurpant, hoc eſt, τὴν πρύμνην κινεῖν. Meminit in Baſilij monodia Greg. Nazianz. Prouerbium eſt in eos qui iter retractant iam cœptum, ex nauigantium, vt ait, ſimilitudine, qui cum ſe ad iter aliud conuertunt puppim agitant. Sanè & illud obſeruandum eſt, puppim à Græcis interdum ab animalium cauda οὐρὰν appellari, quod cum alij tum Moſcopulus annotauit, qui ait & à poetis οὖρος ventum ſignificare qui à puppi nauem impellit, & οὔριον communiter vocari: & ἐξ οὐρίας πλεῖν, quod eſt nauigare vento ad puppim flante: & quod paulò antè dicebamus, ἐξ οὐρίας πλοῦς. Meminere præterea Libanius & Suidas. Eadem ſententia Latini ſecundum ventum, & ſuum ventum Cicero. Horatius & Ouidius dixere.

Proſequitur ſurgens à puppi ventus euntes.

Et hodie vulgò ventum in puppi habere dicimus, cum ad vota res ſuccedunt. Porrò ab his duabus nauis partibus nauis appellatur δίπρῳρος & δίπρυμνος, vt eſt apud Callixenum & Athenæum de Philopatoris naue. Extremum autem illud in quod deſinit prora, ab auium ſimilitudine roſtrum vocatur, vnde roſtrata nauis, vt inferius dicemus. Hinc & roſtrata corona, de qua Gellius lib. v. Naualis corona eſt qua donari ſolet maritimo prælio, qui primus in hoſtium nauem vi armatus tranſiliuit, ea quaſi nauium roſtris inſignita eſt. Idem paulò poſt ſubdit, quòd ex auro fieri ſolebat. De hac eadem apud Plinium eſt illa in xvi. exclamatio, cum de ciuica corona, id eſt, querna ageret. Cedunt, inquit, & roſtratæ, quamuis duob. maxime hoc ad æui celebres, M. Varrone è piraticis bellis, dante magno Pompeio, itémq; M. Agrippa, tribuente Cæſare è Siculis, quæ & ipſa piratica. Fuere antea roſtra nauium tribunali præfixa foro decus, erant veluti pop. Rom. ipſi corona impoſita. Poſtquam vero tribunitijs ſeditionibus calcari ac pollui cœpit, póſtq; vires ex publico in priuatum magis, ſingulisqúe ciuium quæri, & ſacroſancta omnia profana fecere, tum à pedibus eorum ſubiere in capita ciuium roſtra. Dedit hanc Auguſtus coronam Agrippæ, ſed ciuicam à genere humano accepit ipſe. Hæc Plin. qui & lib. xxxiij. ait notam aeris fuiſſe, ex altera parte Ianum geminum, ex altera roſtrum nauis. Carina nauis eſt pars infima, τρόπις à Græcis vocatur, à facili curſu quaſi currina dicta. Totius nauis compagem carinam quidam eſſe opinantur. Cæſar in primo bell. ciuil. Carinæ primum ac ſtatumina ex leui materia fiebant, reliquum corpus nauium viminibus contextum corijs integebatur. Capitur etiam carina pro infima trabe qua nauis fundatur, vt eſt illud Ouidij:

Dum mea puppis erat valida fundata carina.

Per tralationem etiam putamina nucum bifida, carinas Plin. vocat in xv. Carinari verbum antiqui dixere pro conuitiari, & calumniari. Carinatum verò inflexum & curuum, & carinatim à ſimilitudine. Carinas quoq; M. Varro & P. Victor vrbis Romæ locum eſſe tradidere. vnde & illud Vergilij,

Raucis mugire carinis.

Tametſi grammatici ædificia interpretentur in modum carinarum ſtructa. Huius loci & hiſtorici meminere. Fori ſpatia ſunt in nauibus apertiora, alij latera concaua interpretantur, à ferendo onera dicta. Vergil.

Impleſſemq́; foros flammis.

Seruius Honoratus nauium tabulata exponit, ab eo quòd inceſſus ferant. Idem tamen alio loco ſpatia eſſe ait in nauibus aperta, velut in gladiatorijs ludis: nam & T. Liuius ait foros appellatos, vbi ſpectacula ſibi quiſq; faceret. Sextus quoque Pompeius inter multa fororum ſignificata: Fori, inquit, ſignificant & circēſia ſpectacula, ex quibus etiam minores forulos dicimus. Stega nauis eſt proſcenium, id eſt, tabulatum ſuper quod nautæ ambulant. Alij locum nauis contectum, & perinde etiam tugurium, παρὰ τὸ στέγω, τοῦτ' ἐπιστεγάζω. Vtitur hac voce apud Latinos in primis Plautus cum alibi, tum in Bacchidibus & Epid. Meminit & Fulgentius ad Chalcidium, vnde & triſtega, quam & ſic diuus Hieronymus tranſtulit in libris Moſis. Agea in naui dicta eſt, quod in ea, vt putat Feſtus, quæq; res maxime agi ſoleat, quo vocabulo vſus eſt Ennius.

Multa foro ponent, ageaq́; longa repletur.

Nonnulli eam viam autumant, per quam ad remiges hortator accedit. Tranſtra ſunt tabulæ in quibus remiges ſedent, dicta, vt ab aliquibus traditur, quod in tranſuerſum diſpoſita ſint. Vergilius:

Conſidunt tranſtris. Vulgò banchi dicuntur à nautis, & traſti. Poetæ & iuga vocant. Idem Vergil. in vi. Inde alias animas quæ per iuga longa ſedebant. idqúe à Græcis ſumptum, qui ζυγὰ tranſtra vocant, vt ſtatim dicemus. Feſtus tabulas nauium tranſtra appellari putat. Porrò quòd diximus zyga à Græcis tranſtra appellari, ab ijs fiunt zygij remiges eiuſdem trāſtri, & zygites qui ſedet in media

ſcipit,λιμὸν,hoc eſt,lacum vocat Aſclepiades Myrleanus apud Athenæum. At quod ei annexum eſt, pternam Pollux,quam partem Vitruuius in x. mali calcem vocat:etſi,vt puto,paternam quidã,alioqui docti, veli inferiorem partem vocitant,decepti,vt reor,Macrobij codice lib.Sat.5.parum caſtigati,quæ ea ratione hic adſcripſimus hæc ſunt:Myrleanus,inquit,Aſclepiades vir inter Græcos apprime doctus ac diligens,carcheſia à nauali re exiſtimat dicta. Ait enim naualis mali partem inferiorem pternam vocari, at circa mediam ferè partem τράχηλον dici:ſummam vero partem carcheſium nominari,& inde diffundi in vtrunque veli latus ea quæ cornua vocantur.Extremum autem mali ante antennam elacate eſt,quam Eratoſthenes ſummam mali partem eſſe prodidit. Et apud Athenæum Aſclepiades thoracion,quod quadrilaterum ſit. Extrema igitur mali pars carcheſion eſt.Cinna poeta:

Lucida cum fulgent alti carcheſia mali.

quod carmen Non.Marcellus Catullo Veronenſi adſcribit, niſi quod Splendent,loco Fulgent legit.Lucillius:

Tertius hic mali ſuperat carcheſia ſumma.

Neſcio an perperam carceria à nonnullis etiam antiquis dicuntur,qui illud Cinnæ ita legunt:

Lucida cum fulgent alti carceria mali.

De carcheſio vaſe nihil hoc loco dicimus.Ponuntur & in mali ſummitate corbes,vnde corbitæ naues,vt Feſtus ſcribit,quæ vulgò caueæ vocantur.Pars quæ ſub antemna eſt atractos græce dicitur.Scribit Iulius Pollux in x.quod orthiax id nuncupatur,quod eſt in mali parte inferiori,veluti quod in ſuperiori eſt carcheſion.Meminit vero ὀρθιάκος Epicharmus in fabula Nauages. Conſueuere quoque antiqui in ſummis nauium malis galeæ neſcio quid ſimile addere,vnde quidam vulgò hodie galeas triremes vocari arbitrati ſunt:Sed ab ea vtique galea, quæ græcè κυνῆ dicitur,prouerbium deductum eſt, Aut nauigium, aut galea, hoc eſt,ἢ πλοῖον,ἢ κυνῆ.quod de re dubia dici conſueuit.Meminit eius Ariſtophanes.Sunt qui exiſtimant Ouidium hoc galeæ nomen innuiſſe eo carmine:

Eſt mihi,ſitque precor,flauæ tutela Mineruæ,
Nauis,& à picta caſſide nomen habet.

Sanè quod ſcripſimus in ſummo malo ſolitos antiquos inſigne aliquod addere, id quidem innuit quod de corbe Feſtus ait,nóſque paulò antè meminimus.Et certe Pelopōnenſes petaſum Mercurij præferebant:nam πέτασον κυνῆν ἀπὸ κυνός, id eſt,à cane vocabant,quod hoc genus galeri primum è pellibus canum fieri conſueuerat.Quæ igitur bello paratæ erant naues,galeam inſigne habebant: quæ vero ad celeritatem,Mercurij petaſum vt caduceum pacificatoriæ.

Antemna eſt quæ velum ſuſtinet,quaſi tranſuerſa pertica,dicta quod ſit ante amnem porrecta.Alij ab am,& tendo,hoc eſt,circuntendo: quidam & gemino nn ſcribunt,cuius quæ media ſunt,ambola & ſymbola vocantur. Vtrinque vero extremitates ἀκροκέραια, quæ & à noſtris cornua nuncupata ſunt. Tertullianus quidem tertio libro aduerſus Marcionem : Nam in antemna, inquit, quæ crucis pars eſt,extremitates cornua vocantur.Et poeta ait,Cornua velatarum obuertimus antemnarum.Sed & Græci ipſi eadem ratione κεραῖον antemnam vocauere. Sunt & qui ἴκριον, vt ſuprà oſtendimus. Vocantur & ceruchi,quod ſcilicet cornua habeant, quorum Lucanus & Valerius Flaccus meminerunt. Sunt & qui in Apuleij xi.libro parum ſcitè ita legant: Puppis intorta cerucho. cum antea rectè legeretur,puppis intorta cheniſco,quam vt futilem & illiteratam lectionem obelo fodiendam autumarunt viri alioqui bene de re literaria meriti,tanto minus vt futiles ipſos ego vocem,qui tam aſſeueranter dictionem Græcis ſcriptoribus frequentem tollendam cenſuerint.Grammatici igitur Græci cheniſcum ſcribunt lignum eſſe in puppi ſeu prora, ex quo anchoræ ſuſpendantur.Sed enim hoc loco placet,quod ex antiquis ſcriptorib.collegit Phauori-

nus

nus afferre. Cheniſcus, inquit, pars eſt cui appenduntur anchoræ, quæ & carinæ nauis eſt principium. Sunt & qui puppis potius principium dicant, ad quam epotides nauis connectuntur. Sed vtcunque ſit, cheniſcus dictus eſt, quoniam nauium artifices eam partem in anſerini capitis formam effingunt, ponuntque in ſummo nauis, forte quod vel nauigium in eius ſpeciem & ſimilitudinem formant, vel potius boni augurij cauſa, tanquam immerſibilis nauis ſit, vt auis illa quæ fluctus enatet. Hæc fermè ille. quæ eo pluribus tibi recenſui, quo eſt hactenus res noſtris parum comperta. Cheniſci meminit Artemidorus libro 2. ὀνειροκριτικῶν, vbi cheniſcon ait in ſomnis ſignificare nauis gubernatorem. Meminit itẽ Lucianus in dialogo cui titulus πλοῖον ἢ εὐχαί. Vt autem inquit, puppis ſenſim conſurgit aureo inflexa cheniſco. Idem Lucianus in fine veræ hiſtoriæ, vt tota eſt ridicula narratio, ita ſeriò de cheniſco nauis meminit. Cheniſcus em̃, inquit, q ad puppim erat ſubitò pẽnatus apparuit, & exclamauit &c. Vt mirũ ſit Cælium Rhodiginũ virũ multæ lectionis, planè hoc & ipſum ignoraſſe, vt qui nauẽ eſſe cheniſcũ putarit, non nauis partem. Verum vt ad propoſitum redeam, cornua interdum à poetis per ſimilitudinem brachia vocantur, vt in illo Val. Flacci,

Pallada veliſero quærentem brachia malo.

Trochleæ ſunt quæ quaſi Θ literæ, hoc eſt, Thetæ forma confectæ videntur: dictas putant nonnulli quod trochis, id eſt, rotulis circum voluuntur. Fiunt vero in primis ex ligno, ſed & interdum ex ferro & ære. Lucill.

Multaq; per trochleas & tympana pondere magno
Commouet, atq; leui ſuſtollit maxima niſu.

De trochleis longè plura Vitruuius & Iſidorus. Dicuntur & trochilia. Eſt & trochleæ genus artemon, de quo mox agemus. Anchora dens eſt ferreus ad ſiſtendas naues. Quidam ineptè dictam autumant quaſi χειρός, hoc eſt, manus, cũ integrũ ſit vocabulum, per antiſtichon ab incuruitate dictum, quaſi ἀγκύλην, quam ob rem iure caret aſpiratione, noſtri licet ex vſu ei addere conſueuerint, vt Seruius notat. Anchorã, vt inquit Athenæus, Sophocles iſchada vocauit, quod ſcilicet naues contineat, διὰ τὸ κατέχειν τῶν ναῦν. Inter anchoras, inquit Pollux, vna eſt quæ ſacra anchora dicitur, quam non niſi coacti nautæ expediunt neceſſitatis cauſa. Sunt qui eius quoq; vocabulo, hoc eſt ἱερά, extremum nauis ſubſidium dictum exiſtiment. Tranſiuit & in frequens apud Græcos prouerbium, cum ad vltima remedia confugimus, quomodo ſæpe vſus Lucianus alijq;, inter quos Euripides. Ego quoq; in parodia in amici Turcij Alphonſi funere ita flens cecini:

Tu tot fluctibus vna affueras meis
Alphonſe anchora, tu ſacra mihi anchora,
Et ſpes vnica, tu ſidere naufragæ
Illuxti gemino rati.

Ridiculum mihi viſum eſt quod aliqui ſcripſerunt, ſacrã appellatã anchoram, q̃niam nautæ qui in periculo fuiſſent eã Neptuno ſacrabant. Capitur etiã anchora nonnunquã pro firmamento, vt ſi dicamus, anchora domus ſeu familię. Ea figura vſi ſunt Sophocles & Euripides, Ariſtideſq; rhetor, alijq;. Sunt etiam qui duas vel tres anchoras pari figura dicãt, vt ſi dicas, duabus nixus anchoris, quo modo Pindarus canit, bonas eſſe anchoras duas hyemis nocturnæ tẽpore. Sed enim in ſacris Aegyptiorum literis anchora pro cunctatione ſumitur. At vero in ſomnijs, quod opportunum eſt & ſecurum, earum rerum quæ neceſſariæ ſunt, ſignificat, teſte Artemidoro: peregrinari enim prohibet, quod ſemper in nauium detentione ponitur. Anchoram quidam à Tyrrhenis inuentam ferunt, at bidentem eam ab Eupalmo, alij à Mida, quam ad ſua vſque tempora in Iouis delubro pependiſſe prodit Pauſanias, vnde & nomen vrbi Ancyra, aliter licet ſentiat Stephan. in lib. de vrbibus, quo loco aliam recitat hiſtoriam ex Apollonio in Caricorum xvij. qui & ipſe ab anchora Ancyram vrbem denominat. Vt etiam Ancyron Aegypti, quod ex proximis lapicidinis marmora ad ancho-

vnde & holcas nauis nuncupatur, quæ poſt ſe paruulam trahat nauem. Quidam onerariam interpretantur, vt ſuo loco palàm faciemus. Dicitur & nauicula ipſa epholcis & epholcion. Sciendum tamen ἐφολκαίους ſignificare temonem. Illud certe quod eſt annexum ne carina teratur, chelyſma dici videmus. Nauis pauimentum cytos & amphimetrion, aliqui gaſtron vocant. Sed qui diligentius rē ſcrutati ſunt, id quod eſt in naui concauum ſcapham dixere, & vulgo gaſtran, quaſi nauis venter. id quod Suidas obſeruauit. Eſt & thalamus, vnde & thalami, & Thalamaces remiges. Thalamian vocare videtur Herodotus foramen per quod remus extat, hinc & Thalamegus nauis, de qua alibi. Alij foramen quod modo dixi nauphracton vocant. Eſt item thranos ſedile, vnde & thranitæ, qua dictione Græci autores vtuntur, & in primis Thucydides. ἑδώλια quoque eſſe ait Theophilus remigantium ſedilia. Gellius edolia foros tranſtulit, cum Arionis fabulam ex Herodoto recitat. Dicitur vero ἑδώλιον παρὰ τὸ ἕζω ἑζώλιον, & dorice ἑδώλιον: & ἑδωλίζω dixit Lycurgus, pro eo quod eſt conſidere. Σέλματα quoque nauis ſedilia ſignificant, vnde eſt nauis euſelmos apud Homerum, quæ firma habeat ſedilia. Selma enim ad nauis latera ſedes, quod ζυγὸς & σανὶς etiam vocatur. Sunt qui σελμίδας funes interpretētur, & inde euſelmos nauis: ſunt qui tabulas. Sunt item qui σελιδώματα, vt apud Apollonium grammatici obſeruant, omne latum lignum, quod & ſelma vocatur, vnde & σελίδες dictę tabellæ ſeu paginæ, & librorum margines. Sed nunc ſelma pro nauis ſedili capimus, quo modo & Apollonius alijque. Scalmus eſt in naui qua parte remi effunduntur, vel lignum ad quod remi alligantur: inde & nauis dicitur decaſcalmus, & hypoſcalmus, vbi ſcalmus fulcitur, & triſcalmus. Scalmus vero à nautico vulgo nunc furcula vocatur. Vitruuius in primo interſcalmium interuallum ſcalmorum dixit. Eſt deinde epiſcalmis quod ſub ſcalmo eſt. Scribit Græcus Heſiodi interpres Byzantios & Chalcedonios propter nauigij ſcalmon decertaſſe nauali pugna apud Boſphorum. ῥαφὶξ vero ſignificat nauis labrum in quo pedes ponimus, tametſi etiam tabulam qua panes in clibanum deferuntur. Sunt & partes nauis τρήματα & ὑπηρέσιον: hoc remis ſubiacet, per illa vero, id eſt, per tremata, hoc eſt, foramina, extolluntur. Hypereſion etiam interdum remum deſignat. Via autem quæ eſt circum remigantes, parodos & parathranos vocari ſolet: quidam nauis aditum latine tranſtulere. τὸ ἐγκώπιον pars nauis qua remi ſunt diſpoſiti, à nonnullis traditur. Nauis latus quam & ſpondam & coſtam noſtri, Gręci πλευραὶ nuncupant. Item dextrum & ſiniſtrum parietem, hoc eſt, τοίχους. Quidam ſelida ſellam eſſe opinati ſunt, quę in proris nauium erigi ſolet, vnde & apud Zenobium eſt prora ſelis: hoc eſt, κίνδυνος ἐν πρώρᾳ σελίς, de re admodum periculoſa. Eſt & inter nauis membra κληΐς, quam quidam ſedile interpretati ſunt, quidam tranſtrum, Apollonij interpres in iij. Argonauticôn ζυγά, hoc eſt, iuga in quibus remiges ſedent. Sunt & prorę vtrinque partes quaſi genę, hoc eſt, παρειαὶ & πτερά. Quę vero circa puppim eminent ligna, peritonęa vocantur. Illic & tabernaculum, hoc eſt, ſcena, id ſcilicet pro duce & trierarcho affixum eſt. Sedenim & ἀσπιδεῖα partes ſignificant quę ad nauis puppim tendunt: medium quidem eius ἀσπίδιον, cuius quod intus eſt οἰκήμιον vocitatur, inde ἐπισεῖον. Summitates autem puppis ἄφλαστα dicuntur, quorum Homerus & Apollonius variè meminere. Prymneſia vero à Theophilo interpretantur, quod idem legi in commentarijs Phauorini. Sed de aphlaſtis ex Didymo Pauſanias plura, & commentatores in primo Apollonij. quorum vtrique non eadem eſſe cum acroſtolijs, multis argumentis oſtendunt. Lignum rectum in aphlaſtis connexum, στηλίδα Gręci vocant, cuius quod in medio ſuſpenſum eſt cingulum, tęniam. At vero peritonęum, quod ſuperius continet vtraque latera vel parietes. Loca vbi remi aſſeruantur, κωπωτήρια vocātur, Latini caſteriam, vt dicturi ſumus in capite ſtatim quod ſequitur. Dein parexereſia, quæ pars eſt inter puppim & remiges. Parexereſię fit in iiij. à Thucydide mentio, quo loco in hunc propè modum ſcholiaſtes: παρεξειρεσία eſt, in-

quit,locus qui eſt extra nauis remigium,iuxta quam partem non eſt remorum vſus:hæc autem eſt pars ſublimior puppis & proræ.Tum & in naui eſt antlon, vnde & hyperantlon nauigium,quaſi dicas quod ſuperhauriatur.Sunt qui ſentinam nauis ἄντλον nuncupent,& ἀντλίαν vas ipſum ad aquas è nauibus exhauriendas,vulgò ſeſſolam nautæ noſtrates appellant.Martialis.

Curua laboratas antlia tollit aquas.

Quæ vero feneſtella aperitur ad aquarum fluxum εὐδίαιος vocatur.Æreum autem nauis roſtrum chalcembolus vocatur.Dicitur & neutro genere chalcembolon nauigij genus.Vergilius chalcembolon innuit cum cecinit:

Fremit ictibus ærea puppis. Idem:

Quot prius æratæ ſteterant ad littora proræ.

Porro pars illa nauis in qua inſigne cõſueuit apponi,id quod fermè in prora fit, licet & nonnunquam in puppi,παράσημον Græci vocauere,vt in Actis apoſt Lucas oſtendit,qui de naui Alexandrina,qua Paulus Romam profectus eſt,In naui,inquit,Alexandrina quæ in inſula hyemauerat,cui erat inſigne Caſtorũ: hoc eſt,ἐν πλοίῳ ἀλεξανδρίνῳ παρασήμῳ διοσκούροις.Vtitur & Plutarchus, alijq́. Legimus & protomas in ſummis nauium roſtris,confictas animalium ſpecies vocari. Sed & arietis bellici prior pars προτομὴ dicitur.Eſt vero protome,vt paucis abſoluã, id in animalibus,quod in homine eſt proſopos,id eſt,os.Et hæc de nauium partibus ſatis,ſi non ſupra modum.Sed nihil vetat,& me religioſum eſſe in ijs pręcipuè in quibus & Græcos ſuperſtitioſos fuiſſe videmus.

Quæ nauium ſint inſtrumenta armamentáue. CAP. XII.

CVm de nauium membris partibúsq́, quæ cognitione digna viſa ſunt adſcripſerim,nunc non incongruum videtur,armamenta & cætera inſtrumẽta,hoc eſt.quæ tum σκεύη & κατασκευή,tum ὅπλα à græcis vocantur, vnde & naues σκευοφόροι,καὶ ὁπλιταγωγοὶ dictæ ſunt.In pręſentia ſepoſitis remis,funibus,velis,cæteriſq́ ornamentis.in alijs locis,in quibus de ijs ſigillatim agemus.Inſtrumentum autem vt Caſſij fuit ſententia,quod & Vlpianus lib.xxxiij. π̂ ſcribit,id eſt quod ad tutelam rei pertinet,& vt Pomp.lib.vij.epiſtolarum placuit, inſtrumentum cuiuſq́ rei neceſſe eſt alterius generis eſſe,atq́ ea quæq́ ſit,quod & Iabolenus affirmat.quo argumento probat ſcapham nauis non eſſe inſtrumentũ. Hæc vero non adeò religioſe,vt ab iuriſperitis,à nobis tractabuntur, qui de inſtrumentis illud in vniuerſum prius præcipiendum monemus, vt ea omnia in ſuis nauium receptaculis diſpoſitione quadam & certo ordine cuſtodiantur, quo facilius,vt veriſſimè Columella ſcribit,cum quid expoſtulabit vſus, præſtò ſit.Nam vbi tempeſtas aliáue neceſſitas imminet, & ita fuerit ritè diſpoſitum nauigium,ſuóq́ ordine quodq́ locatum armamentum,tum ſine mora etiam & trepidatione miniſtri depromunt,quod eſt à gubernatore poſtulatum:eadémq́ ſimul ratione & maris & hoſtium pericula facilius vitantur.Sed iam nos ipſa cõſcribamus,malúmq́ ipſum in primis,qui erectus velut arbor quædam vela ſuſtinet,ſic dictus,vt putatur,quod inſtar mali habet in ſummitate, vel quod quaſi quibuſdam malis ligneis cingitur,quorum volubili agitatione vela facilius vel panduntur vel demittuntur.Nauium,inquit Plinius,malis antemníſq́ propter leuitatem præfertur abies.quod & ante illum Theophraſtus annotauerat libro de planta.hiſt.v.Malus græcè ἱσὸς vocatur.Scribit Artemidorus in ſomnis malum videre,dominum nauis vel familiæ ſignificare.Mali vero partes Eratoſthenes in architectonico has eſſe à t:Pterne,thoracium,elacate,carcheſion,antenna,icrion,quod mali eſſe partem, alij antennam ſic appellatam prodiderunt.Dicuntur & icria ſanidomata nauium,id eſt, ligna oblonga: nam & lignum erectum icrion eſt,quale alicubi in ſepulturis mos eſt erigi. id quod & in theatris fieri ſolitum Græci annotauere ſcriptores.Lenas,ait Pollux,eſt quod malum ſuſcipit,

ſcipit,

anchoras exciderent, vt in Aegyptiacis eſt ab Alexandro proditum. Amphibolon anchoram, hoc eſt, bicipitem, Tarræus διπλῆν, hoc eſt, duplicem vocat. Inuentam ab Anacharſi Scytha philoſopho, ſcribit Ephorus, repetit Strabo in vij. Ridetur tamen Ephorus à Lucillio Tarræo in primo Apollonij Rhodij, quoniam, inquit, Anacharſi antiquiores argonautæ, qui ea anchora vſi dicuntur. εὐναίας quidem anchoras vocat Apollon. in primo. Diuerſas quoque anchorarum ſpecies legimus. Alia enim ἀμφίβολος eſt, id eſt, biceps: alia ἀμφίστομος, alia ἑτερόστομος. eſt & quæ ancyrobolion nuncupatur. Anchoram Marcelius putauit vinculum eſſe quo antemnæ tenentur, quo loco Lucillij verſus affert, qui ſunt:

Armamenta tamen, vela omnia ſeruo,
Funis enim præciſus citò atq; anchóra ſoluta.

Quo loco anchora quum media intenta efferatur, diligentius inquirendi occaſionem præſtat: & propterea rectius apud Nonium, non anchoram, ſed anquinam, vel ancilam reponerem, de quibus inter funes agemus. Ab anchora anchorale deducitur, quod aliquando funem ſignificare videtur quo anchora religatur. Liuius: Alij reſoluunt oras, aut anchoram vellunt: alij, vt ne quid teneat, anchoralia incidunt. Ammianus Marcellinus: Per anchoralia quadrupedo gradu incedunt. lib. xiiij. Apuleius tamen in vltimo, adiectiui forma vſus eſt: ſtrophia enim anchoralia appellat. Plinius vero in xvi. anchorale ponere videt̃ pro eo ligno ad quod anchora religatur: ita enim de ſubere loquens ait: Vſus eius in anchoralib. maximè nauiũ. Tonſilla palus eſt dolatus in acumẽ, & cuſpide præacutus, q, vt Feſtus ſcribit, nauis religandæ cauſa in littore figitur, & quẽ idẽ Feſtus alibi prymneſium vocat, tametſi id parũ emendatè in exemplarib. vt planè docebimus inter funes & rudentes. Tonſillã vero Iſidorus vncũ ferreum, vel lignũ ait ſignificari, ad quem in littore defixum nauium funes illigentur. Ennius:

Tonſillas rapiunt, configunt littus aduncas. Accius:
Tacete, & tonſillas in littore edite.

Tonſillæ deduci exiſtimantur à tonſis. Sex. tamen Pompeius, Toles, inquit, tumor eſt in faucibus, quæ per diminutionem tonſillæ dicuntur. Sunt & in hoc genere nauticorum palorum, qui à Græcis λογγῶνες dicuntur, ex lapidib. quibus nauium retinacula religantur. Hæc & λογγασία dicũtur, ſi Phauorino credimus. Porticulus, vel vt rectius legitur in caſtigatis Feſti & Nonij codicibus, portiſculus, vt ſcribit Aelius Stilo, dicitur qui in portu modum dat claſſi: id autẽ eſt malleus, cuius meminit Cato in diſſuaſione de lege Attali & vectigalibus Aſiæ, C. Lucio prætore remiges ſcripti ciues Ro. ſub portiſculum ſub flagrum conſcripti vænire paſſim. Meminit & Plautus cum ait: Ad loquendum atq; ad tacendũ tute habes portiſculum. Meminere & alij nonnulli inter grammaticos. Portiſculus ab aliquibus dicitur & nunc perticam ſignificare, nunc remigantium hortatorem. Ennius in annalib. Portiſculus cum ſignum dare cœpiſſet. Sed de hortatore ſuo loco agemus, id eſt, celeuſte. Cælius Firmianus Lactantius Placidus ſuper ea comparatione Statij lib. vi.

Sic vbi longa vagos laſſarunt æquora nautas,
Et ſigno de puppe dato poſuere parumper
Brachia, vix requies, iam vox ciet altera remos.

De puppe inquit à gubernatore. Nam pertica eſt quædam in naui quam hortator remigum tenet, quam ſi incuſſerit, remiges non deſinunt: ſi depoſuerit, conquieſcunt à labore. Hanc caſteriam Plautus nominat in Aſin. Quin pol ſi depoſui remum ſola ego in caſteria. Non. tamen Marcell. caſteriam locum eſſe inquit, vbi cũ nauigatio conquieſcit, remi & gubernacula reponunt̃: & citat eũdem locum Plauti. Sæpe putaui apud Iſidorum carceriã legi pro caſteria, cuius paulò antè meminimus. Fiebant in nauibus tectis, quas Græci cataphractas vocant, pyrguchi, qui turriculas duas paruas ſuſtinebant hinc & inde, turriculæ vero pyrgidia dicebantur: quod earum mediũ fuerat, cataſtroma nuncupabatur,

cuius in ſequentibus meminerimus. Liuius de turrib. in apparatu bellico nauali Syracuſarum ita meminit: Naues iunctæ, inquit, aliæ binæ ad quinqueremes, demptis interioribus remis, vt latus lateri applicaretur, cum exteriore ordine remorum velut naues agerentur, turres contabulatas, machinamētáq; alia quatiendis muris portabant. Ligna autem ſuper quæ aſſiculæ, quæ ſanides dicunt̃, mouent̃, à Græcis καιόνια καὶ σαθμίδες vocitant̃. Ad hæc & puluini machinæ ſunt quibus naues, vt ait Iſidorus, in portum deducuntur, vel ſubducuntur: vnde puluinarium è Plauto in Caſſ. Vt ſubducam nauim in puluinarium, etſi ab arena q-dam exiſtimant puluino. At vero phalanges fuſtes ſunt, per quos nauibus ſubditos, in aquam naues vel impelluntur vel ſubtrahuntur. Palangas Ionicus ſine afflatu potius ſcribere videtur, vnde ſint palangarij vocitati. Sunt & ergatæ machinæ tractoriæ, quas vulgares artifices arganos vocant, quæ machinarum genera in x. à Vitruuio deſcribuntur, qui & hæc ſubdit: Harum, inquit, machinationum omnium quæ ſuprà ſunt ſcriptæ rationes, non modo ad has res, ſed ad onerandas & exonerandas naues ſunt paratæ, aliæ erectæ, aliæ planæ in carcheſiis verſatilibus collocatæ. Non minus ſine tignorum erectionibus, in plano etiã, eadem ratione, & temperatis funibus & trochleis, ſubductiones nauium efficiuntur. Pons nauis is vocatur, quo veluti ſcalis vel in nauigium aſcendimus vel deſcendimus. Vergilius:

Interea Aeneas ſocios de puppibus altis
Pontibus exponit.

Ἀπόβαθρα Græci ſcalas interpretantur per quas è naui deſcendimus. vtitur in iiij. Thucydides, quo in loco ſcholia, apobathra, aiunt, vocantur ἡ ἀπὸ τῆς νεὼς ἐπὶ τὴν γῆν ἔξοδος, id eſt, in terram è naui exitus. διαβάθρα etiam vocatur teſte Polluce. Apobathra quidem & alia plura ſignificat, quæ huius non ſunt inſtituti. Sunt & in naui qui cycli vel circli, vt Pollux ait, dicuntur: nam cricli potius poeticũ eſt, quàm vel hiſtoricum vel oratorium, per quos funes diuiduntur. Sunt & hermata ligna quæ nauibus ſubijciuntur, ne dum ſubductæ ſunt, humi marceſcant. Vnde & hermatiſmene nauis, id eſt, ἡρματισμένη ναῦς, & αὐτοματίσιος. Cadus quoque vas nauticum teſte Polluce, qui & ad alia munera aptus eſt. reliqua in vaſis contulimus. Sunt & antlia, ad exhauriendam ſentinam inſtrumenta idonea, tametſi ſentinam quoque ſignificet, vt antè iam meminimus. Eſt & ferrum nauis quod rhomboïdes vocatur à forma, quæ vox, teſte Suida, & alia ſignificat. Delphis etiam nauticum eſt inſtrumentum, cuius meminit & Ariſtophanes, variè tamen à grammaticis exponitur. Quidam ex ferro, alij ex plumbo exiſtimant ad delphinis imaginem. Meminit & Pherecrates. Thucydides ideo delphinophoron nauem appellat, quidam & κόρακα vocatum autumant. Pauſanias delphin inſtrumentum putat eſſe bellicum in naualibus prælijs. Idem in lexico aſtruit Thomas magiſtri. Alij ad peſſundandas naues, alij contra ventorum impetum, cuius & alibi meminimus. Eruditi quidam verſoriam apud Plautum exiſtimant poſitam pro nautico inſtrumento, quo ſoluturi nautæ, vnde venti flarent, explorare ſoliti eſſent, cuius à libri principio meminimus. Molorchum præterea inſtrumentum nauticum apud Statium Papinium in Syluis grammatici obſeruant. Alij molorthum legere malunt, dictúmq; quaſi μόλιβδον ὀρθὸν, hoc eſt, plumbum rectum, & perpendiculum interpretantur. Alij inſtrumentum ad tentandam aquæ altitudinem. Sed cum vtrunque parum ſit cognitum, eſto nominaſſe nobis ſatis. Certè in hoc Græci βολίζω verbum habent, vnde in Actis Lucas, καὶ βολίσαντες εὗρον ὀργυιὰς εἴκοσιν, quo loco interpres latinus, ſummittere bolidem interpretatus eſt, vt βολὶς eò loco molorthum ſignificet. Erant præterea & inſtrumenta alia, quibus in bellis duntaxat naualibus vtebantur, & quorum apud autores vtriuſque linguæ crebra fit mentio, vt harpagones, quos ab Anacharſi Scytha inuentos ſcribit Plinius. Sunt & manus ferreæ, quæ χεῖρες σιδηραὶ dicunt̃. T. Liuius in Syracuſarum nauali oppugnatione ab Archimede eluſa, Ferrea,

inquit,

inquit, manus firmæ catenæ illigata, cum iniecta proræ eſſet, grauiq́ libramento plumbi recelleret ad ſolum, ſuſpenſa prora nauim in puppim ſtatuebat. Memini & alicubi me legere apud Appianum non modo manus, ſed etiam manicas ferreas inter hæc militaria inſtrumenta. Videtur & catharrhacta ab eodem Appiano in quinto bell. ciuil. accipi pro ponte, qui in pugna nauali in hoſtium naues inijcitur dum pugna conſeritur. Appiani hæc ſunt verba: Catarrhactas proiecere è nauibus per vim inſcenſuri. Menodori itaque naue eminente altius, catarrhactæ ad imum proræ faciliorem audacibus ad conſcendendum præbebant aditum. Deductæ autem hæ videri poſſunt à portarum catarrhactis, quarũ mentio ab hiſtoricis & Liuio in primis facta eſt. Sunt & harpaga, non eadem, vt puto, cum harpagone, quæ inuenta dicuntur non ab Anacharſi, ſed ab Agrippa, vt Appianus libro v. bell. ciuil. memoriæ mandauit. Sunt & κόρακας, id eſt, corui, de quibus cum alijs tum Polybius, qui & eos elegantiſſ. deſcribit. Sunt & δρέπανα, id eſt, falces, in apparatu nauali, quarum hiſtoricus Appianus & Pollux meminere. De his verò ſic legimus: Fuit & falx non modo terreſtris militiæ, ſed & naualis inſtrumentum. Erant enim Romanis inaudita magnitudine falces, quas cùm artificioſo quodam impulſu rudentibus hoſtium inieciſſent, nauigio remis in aduerſum acto, & rudentes velut cultri acie tonſoris ſcindebantur, & antemnæ ſimul, ac ſuperba ruebant armamenta. In hoc falcium genere reponuntur quæ Plato δορυδρέπανα vocat, qui Steſileum ait in naui cum hoc militari inſtrumento contra aliam nauem ingentem decertare ſolitum. & cætera quæ de eo milite cõtra oſtentatores diuus Philoſophus narrat. Plura poſſem de hoc belli naualis apparatu afferre, quæ conſultò prætereo: vnum duntaxat annotauerim, apud Iureconſultum exarmare nauem dici, pro eo quod eſt armamentis ſuis ſpoliare. ad legem rhodiam de iactu. Græci id ἐξοπλίζειν dicunt, nam & armamenta iam diximus τὰ ὅπλα vocari.

De remis & tonſis, & his ſimilibus. CAP. XIII.

NOſtri inſtituti ordo expoſcit, vt remos & huiuſmodi reliqua quib. nauigia impelluntur, commodum exequamur: nam & nauigiorum ipſorum ratio eiuſmodi eſt, vt ijs recenſitis quæ de nauium inſtrumentis generatim dicenda videbantur, nunc ſpeciatim, & quæ magis ſingularia ſunt referamus. Sunt igitur remi perticæ ſeu conti, quæ veluti in palmam deſinunt, vnde fit vt interdum à poetis palmę & palmulæ vocentur, quibus naues & rates impellimus agimúſq́. Optimi verò ex ijs arboribus fieri traduntur quæ ad ſeptentrionem vergunt, quod rectæ ſcilicet naſcantur & procerę, tum ſimul enodes & denſę. At quo pacto rectè ex arbore dolentur, docet Theophraſtus in quinto de hiſt. plant. Nec illud ignorandum quod ſcribit Vitruuius, quod ſcilicet remi circa ſcalmos ſtrophis religati, cum manib. impelluntur & reducuntur, extremis progredientibus à centro palmis in maris vndis ſummam impulſu vehementi protrudunt porrectam nauem, ſecante prora liquoris raritatem. Sed iam ad particulares voces veniamus. Seruius grammaticus remum etiam ſignificare ſcribit lorum quod tubam continet: dictus quidem remus, vt quidam putant, ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, ſed à remouendis potius & decutiendis fluctibus, ſicuti & tonſæ à tondendis & feriendis procellis. Feſtus tamen, quod ferro tondeantur, idque Ennij autoritate comprobat. Sunt qui remorum palmulas tonſas eſſe exiſtiment: à tonſa verò tonſilla vocat, palus ad religandas naues, Actius:

Tonſillas in littore edite.

Tonſillæ quoque morbus in faucibus. Dicuntur & remitrudes, à trudendo, vt pleriq́ exiſtimant. quidam perticas interpretantur, & contos eſſe volunt ad trudendas & impellendas naues. Meminit poeta:

Ferrataſq; trudes,& acuta cuſpide contos Expediunt.

quo tamen loco in caſtigatis codicibus ſudes,non trudes,legitur. Sunt qui trudes inſtrumenta eſſe putent, quibus ſaxo inhærens nauigium, trudi vel reduci ſoleat. Reponitur & in hoc genere contus,de quo ſic Donatus:Contus pertica oblonga in capite ferrum habens,qua nautæ vtuntur ad exploranda loca nauibus opportuna: vnde & prouerbium,Conto nauigare, vt eſt apud Suidam: hoc eſt, rebus ſic vti quo pacto conuenit,vel qui eam vitæ rationem ſequitur, quæ ſuo ingenio congruit. Alij rectius de ijs interpretantur,qui tentim & cunctanter admodum rem quampiam aggrediuntur: vnde etiam conta & contor & percontor deducta ſunt. Sunt qui à cuncta, id eſt,mora deriuent. Græcum verò vocabulum contus eſſe videtur, id quod facilè ex Græcis auctoribus colligitur,qui vt ſuum illud vſurpant, atque in primis Iul. Pollux, niſi forſitan, vt alia pleraque, è noſtris ad Græcos migrarit. Hinc & κοντωτὰ nauigia, quod ſcilicet contis impellerentur, quorum mentio fit ab Appiano & Diodoro. Noſtrates nautæ paluſtres his contis ſæpe impellunt ſuas cymbas.Eſt & contus haſta militaris Vergilio in x. Duris detrudere contis. Idem notat & Marcellus. vnde contati,vt haſtati milites apud Vegetium. Et item palmula remus, ſeu, vt dicebamus, extrema remi latitudo. Græci remi partes has faciunt: Enchiridion, hoc eſt, manubrium, qui & capulus. Vracos, quæ media eſt pars. Pteram & tarſum, quæ palmula eſt, vnde & remorum ordines ταρσώματα vocantur. Hanc quidem remi partem Apollonius in quarto Argon. πηδὸυς vocat, vt etiam interpres notat. Theophraſtus tamen πηδὸυς ligni quoddam genus ſic vocat.Eſt quoq; inuenire γύνιους pro parte remi, quæ à ſcalmo intus in naui eſt. Eſt & hypereſion remi genus, vt quidam interpretantur.Sunt qui eum eſſe credant,quem vulgus nauticum tertiarolum vocat.Alij partē eam quæ remis ſubiacet. Remus vtique à Græcis multis vocabulis appellatur: nam & ἐρετμὸς vocatur,vnde dicti ἐρέται & αὐτερέται remiges.Dicitur & ἐλάτης, & πλάτη, & κώπη. vnde nauigium quod xx. remis agitur εἰκοσάκωπος vocatur: & qui remigant nautæ ἑλίκωπες, vt eſt apud Theophilum: tametſi & ἑλικῶπις epitheton ſit eius qui in ſe hominum conuertat oculos,vel nigra oculos:alij alia,quæ nihil ad nauigia.Reponuntur etiam inter remorum genera qui κῶπαι θρανιτικαὶ dicuntur, qua dictione vſus Callixenus Rhodius,& Athenæus in Philopatoris nauis deſcriptione.Sanè quoniam in re nautica viliſſimum eſt remigātium miniſterium, de ijs prouerbium factum eſt qui ex humili & vltima ſorte ad aliquod dignitatis faſtigium aſcenderunt, à remo ad tribunal.Syrianus:Illotis,inquit, manibus à remo ad tribunal aſcendit. Remum quoq; ad laborem referimus, vt cùm Plutarchus ait,oportere addiſcentem remos impellere. Notiſſimum & Latinorū illud,remis veliſq;,cum aliquid nauiter & ſtrenuè agendum eſt. Marcellinus verò,contis & remis.Non contis(inquit)nec temulo, vt aiunt.id eſt, non flexiloquis ambagibus & obſcuris,ſed velificatione plena in rempub.ferebat. Porrò ne quid deſideres à me quod ſuccurrat, dicimus elegāter pro eo quod eſt remos collidere vel cōfringere,remos detergere vel defringere,& quod Græci ταρσοὺς θραύειν, vel συντρίβειν, vel παρασύρειν.Cæſar de bello ciuili:Aut remos tranſcurrentes detergere ſi poſſent contendebāt.Idem alibi, hoc eſt,de bello Alex.Nullius remi detergerentur.Liuius:Alterius remos deterſit. Idem alibi:Aut proram lacerabat,aut remos detergebat.Idem quoque: Et primum ab vtroque latere remos defringunt.

Vela & eorum, partes & quibus vocabulis nuncupata. CAP. XIV.

REmis vela ſubiungimus,vtpote vtraque ad nauium celeritatem reperta, remis quidem quaſi pedibus quibuſdam, velis verò vt alis:iiſq; exemplo à volucrum alis deſumpto:& proinde poeta videri poteſt dixiſſe:

Velorum

Velorum pandimus alas.

Sunt qui velorum inuentionem in Icarum Dædali filium, alij in parentem referunt, vnde eſt & fabuloſus eorum volatus. Alij in Aeolum, quidam in Iſin Aegyptiorum deam. Vela, inquit Caſſiodorus in libro variarum v, Iſis rati prima ſuſpendit, cum per maria Harpocraten filium ſuum audaci fœmina pietate perquireret: ita dum materna charitas ſuum deſiderium feſtinat explere, mundi viſa eſt ignota reſerare. Hæc quidem ille. At verò Græci ſcriptores quidam, Dędalus, aiunt, parua primus ſtruxit nauigia, quibus & vela excogitauit, quæ nondum antea fuerant, quo Minois nauigationem præueniret, cum ex Creta fugeret, cuius filius Icarus incautius & imprudentius nauiculam qua vehebatur dirigens, naufragium feciſſe dicitur, qui in Pergami inſulam iam tum etiam ignobilem tempeſtate delatus, ab Hercule ſepultus eſt, de cuius nomine tam inſula, quam mare vicinum, cognominata ſunt. Triplici quidem forma vela fieri conſueuere. Nam alia triangula, qua plurimum figura nunc vtimur: alia quadrata, vt in minoribus nauigijs & amnicis fieri videmus: alia rotunda, qualia ſe conſpexiſſe nautæ Luſitani affirmant apud Indos. Quin & in eorum maioribus nauibus ad duodecim vela habere traduntur. Vela verò, vt in x. ſcribit Vitruuius, & ratio palam facit, cum ſunt per altitudinem mediã mali pendentia, non poteſt habere nauis celerem curſum: cum autem in ſumno cacumine antemnæ ſubductæ ſunt, tunc vehementiori progrediuntur impetu, quòd non proxime calcem mali, ſed in ſummo longius, & ab eo progreſſa recipiunt in ſe vela ventum. Igitur cum vela per medium ſunt temperata, minorem habent virtutem. Quæ autem in capite mali ſummo collocantur, diſcedentia longius à centro, non acriore, ſed eodem flatu preſſione cacuminis vehementius cogunt progredi nauem. Hactenus ille. Idem & Anneus Seneca: Nulla enim inquit, res æque adiuuat curſum, quam ſumma pars veli, illinc maxime nauis vrgetur: itaq; quoties ventus increbuit, maiórq; eſt quam expedit, antẽna ſubmittitur, minus habet viriũ flatus ex humili. Quibus ſanè verbis facilior fiet Ariſtophanis verſus ex Ranis, ἄκροισι χρώμενος ἱστίοισιν. hoc eſt, ſummis vſus velis. Et itẽ Pindaricum illud in Nemeôn: Surſum, inquit, extende vela ad carcheſij iugum. hoc eſt, ἀνὰ δ᾽ ἱστία τεῖνον πρὸς ζυγὸν καρχησίου. Vela verò confici ex diuerſa materia, nam & ex lino, cannabe, ſcirpo, ſparto & corio non modo vſus comprobat, ſed & autores receptiſſimi. Theophraſtus & Plinius etiam ex papyro fieri prodidere. Iulius quoque Cæſar in commentarijs belli Gallici, Venetos Gallicã gentem ait ex pellibus alutis vela conficere ſolere. Sanè vela gręcè ἱστία dicuntur, vnde ἱστιοῤῥάφος, qui vela conſuit vel conficit. Vocant & nonnunquã vela othonę. Lucianus in dialogo Epiſcopuntes, τότε ὑμεῖς ὑπ᾽ ἀγνοίας κελεύετε τὴν ὀθόνην στεῖλαι. id eſt, tunc vos per inſcitiam iubetis vela contrahere. Idem in Ioue Tragœdo: Tunc, inquit, ventus incidens in velum. hoc eſt, τότε ἄνεμος ἐμπίπτων τῇ ὀθόνῃ. Licet & hac voce omne linteum vocari videamus. In Euangelio certè Ioannis Chriſtum ſcribitur othonijs inuolutum cum aromatibus: hoc eſt, vt gręcè legitur, καὶ ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις μετὰ τῶν ἀρωμάτων. Pollux othonem apud Homerum ex vellere & lana, quàm ex lino fuiſſe mauult. Paulus Aegineta & Græci alij medici othonia pro linteis lineis accipiunt, quibus excipiuntur medicamenta. ἄρμενα demũ & vela maiora vocant, vnde τριάρμενα nauis. Vela tria facit Iul. Pollux, maiꝰ quod acation appellat: quod à tergo eſt, epidromon: quod minimum, dolona. Pollucẽ ſequitur Iſidorus. Acatiõ, inquit, velum maximum eſt in media naui conſtitutũ. Epidromos ſecundæ amplitudinis, ſed ad puppim. Dolon minimum, & ad proram defixũ: Hinc ergo eſt τριάρμενος nauis, quæ tria habeat vela, cuius apud autores eſt mentio, vt fuit nauis Antigoni. Porrò epidromos alio loco Pollux vocat funiculos plagarum diſcurrẽtes, quib. retia panduntur & contrahuntur. Eoſdem & epidromides & prodromos appellat. Sanè & dolonis eſt mentio apud Latinos, vt apud Liuium, dolonibus erectis altum petere intendit. Idem: Sub-

latis dolonib. effuſe effugere contendit. Procopij tamen interpres eo vocabulo vocari vela maiora credidit, id quod & grammaticus Theophilus. Vulgus certe nautarum hoc tempore medianum velum vocat, quod in puppi erigitur, trenchetum quod ſupra artemonem. Porrò dolon etiam genus eſt teli, cuius Vergil. meminit:

Sæuosq́ue gerunt in bella dolones.

quo loco Seruius: Eſt autem, inquit, dolo flagellum intra cuius virgam latet pugio, aut ſecundum Varronem, ingens cõtus cum ferro breuiſſimo. Dolones autem à fallendo, id eſt, à dolo dicti ſunt, quod decipiant ferro, cum ſpeciem præferant ligni. In hoc quidem ſignificatu etiã capiunt Iureconſulti, quod Beroaldus & Budæus ante me annotarunt. Vtitur & Suetonius in Claud. & Plutarchus in Graccho, ξιφίδιον λῃστρικὸν ὃ δόλωνα καλοῦσι. Sanè pro velo, dolo græca eſt dictio, pro telo, latina. Dicitur & veli pars λοίπαδος, vt Iulius Pollux notat. Aliquibus verò acatius videtur. Iſidorus etiam artemonem veli partem exiſtimat. Nec enim, quod celebres quidam ſcriptores faciunt, hac in re Iul. Pollucem citauerim, qui in partibus nauium nullam artemonis mentionem facit. Neſcio vnde Sipontinus eduxerit antemonem pro velo per n, quaſi ante amnem vocatum eſſe. Nam antemon, inquit, velum eſt quod poteſt facilius obliquari, quo nautæ in ſummo tempeſtatis diſcrimine vtuntur. Ad dirigendam verò potius nauem artemonem, quàm ad celeritatem eſſe, docent cum alij, tum ſacrarum literarum interpretes. Meminit & Iabolenus Iuriſconſultus his verbis in ff. de verborum & rerum ſignific. Malum, inquit, nauis eſſe partem, artemonem autem non eſſe, Labeo ait. Et verius eſt quod pleræque naues ſine malo inutiles eſſent, ideóque pars nauis habetur. Artemon verò magis additamentum, quàm pars nauis. Quæ verba recitaui vt in antiquo exemplari habentur, quo ſanè loco præclarè Alciatus. Vnde mirum eo magis hominem eiuſdem profeſſionis hallucinatum, cum eadem Iuriſconſ. verba inter nauigia exponeret, vulgus nauticum ſecutum eſſe, vt putarit velum maius eo nomine appellari. Qua enim de cauſa malus in naui niſi vt vela ſuſtentet? Vela igitur non additamentum, ſed artemon additamentum. Eſt ergo artemon minus illud velum, quod velis maioribus appendi ſolet, vnde & illi nomen. Ex hoc anſa eſt præſtita ignaræ plebi, vt velum artemona vocet. Porrò & quidam Labeonẽ & Iabolenum trochleam intellexiſſe volunt in lege ſuperius citata, quæ trochlea etiam nauibus conueniat, vt & nos ſuperiori capite ſcripſimus, & Vitruuius lib. x. docet, cum de machinis tractorijs ageret, quo etiam loco ita ſcribit: In radice, ait, locatur tertia trochlea, eam autem Græci ἐπάγοντα, noſtri artemonem appellant. Quibus planè verbis videmus artemonem genus eſſe trochleæ, quæ in radice machinæ ſcanſoriæ, vt Fr. Iocundus ait, ponitur. Vnde & nonnulli duo ſignificare artemonem putant, velum illud minutum quod diximus, & hoc latinum nomẽ eſſe, dictumq́ue quaſi arrectum temonẽ: illud verò græcum παρὰ τὸ ἀρτάω, quod appendo & apto ſignificat. Artemonis meminit & Lucas in Actis apoſt. cap. XXVII. καὶ ἐπάροντες τὸν ἀρτήμονα τῇ πνεούσῃ κατεῖχον εἰς τὸν αἰγιαλόν. hoc eſt, leuantes artemonem ſecũdum flatum ad littus appellebant. Eius etiam mentio eſt apud Sid. Apollinarem, ſi interpreti ſtandum. Sunt qui vnam tantum ſignificationem artemonem habere exiſtiment. Quidam vir ſanè doctus artemona eundem cum acatio eſſe oſtendere conatur, parum videns minus quæ attulit hoc probare. Qui verò antemnam interpretati ſunt, nihil tum planè videbant. Eſt etiam artemon nomen proprium: eo enim nomine pleroſq́ue vocatos legimus, pictorem vnum, ſcriptorem alium, & alium quẽdam molliorem, qui inde quod lectica circũferretur, περιφόρητος cognominatus eſt. Sed & herbæ nomen proprium apud Dioſc. Suppara quoq́ue inter velorum genera reponuntur, vt apud Lucanum.

—Imaq́ue pandens
Suppara, velorum perituras accipit auras.

Seneca

Seneca in xi. epiſt. multa de ſupparis nauium Alexandrinarũ. Supparum verò ſic deſcribi video. Genus aiunt veli, vnum habens pedem quo iuuari nauigia ſolent in nauigatione, quoties vis venti langueſcit. Puellarem quoq; veſtem lineã ſupparum Varro, Feſtus & Nonius faciũt, dictã quod ſuprà appareat, vel ſuper alias veſtes paretur: atq; hinc quidã propterea ſupparum nõ velum propè interpretantur, ſed veli ſinum. Donatus & ſuppara ſcenarum vela vocat, quæ alij ſiparia vocãt. Sextus Pomp. Siparium, inquit, genus eſt veli mimici. Alij ſupparium vocant, vt in poetis ſcenicis retulimus. Manſarium inſuper, ſcribit idem Pomp. velũ [illegible]ici, quod in prora ponit̃, quod in caſtigatiorib. codicibus mẽdicum vocatur, aſtipulante etiã Iſidoro in lib. etymologiarum. Sunt qui putant eam eſſe quæ [illegible]ochina v[illegible] dicit̃. Sed & carbaſus figuratè velum ſignificat. Verg.

Vocat iam carbaſus auras. Idem:

Tumidoq; inflatur carbaſus auſtro.

à lini, vt ait Seruius, genere, ex quo præcipuê vela fieri conſueuerunt. Dicimus autem carbaſus & carbaſum, hoc eſt, fœmineo & neutro genere. A cabarſo carbaſeus deflexit Verg. appellauere & vela carbaſina antiqui, quibus & fora & theatra obtegerentur: id primus Romæ Q. Catulus cum Capitolium dedicaret præſtitit. Vocantur & velaria à poetis præcipue, & à Græcis peripetaſmata. De carbaſinis quidem Plin. lib. xix. Carbaſina, inquit, vela primus in theatro duxiſſe traditur Lentulus Spinther ludis Apollinaribus: mox Cæſar dictator totum forum Romanum intexit, viámque ſacram à domo ſua ad cliuum vſque Capitolinum, quod munere ipſo gladiatorio mirabilius viſum tradunt. Deinde & ſine ludis Marcellus Octauia ſorore Auguſti genitus, in ædilitate ſua auunculo XI Cos. calendis Auguſti velis forum vmbrauit, vt ſalubrius litigantes conſiſterent. Mox ſubiungit idem: Vela nuper colore cœli ſtællata per rudentes Nero princeps exhibuit. At nos his miſſis quæ ferè ſunt præter inſtitutum, redeamus ad nautica. Vocantur & vela à græcis varijs vocabulis, & in primis ἱσία ab ἱσὸς, qui nauis malum ſignificat, & ideo ἱσοδόκην inter nauium partes connumerauimus. Hac occaſione lapſum facilem illis fuiſſe crediderim, qui cum ex græcis mali partes ad latinos conuerterent, veli vertere, inter quos Macrobius, vt cum de carcheſio ageremus oſtendimus. eius verò erroris cauſa fuit, quod in exemplaribus non caſtigatis aliquando pro ἱσίῳ, ἱσὸς legitur, vt etiam in Polluce offendimus. Sunt & inter vela λαίφια quæ vocantur, & ἀρμαλία, & quæ ἄρμενα. vnde vetus illud, κατὰ ναῦν ἄρμενα, hoc eſt, iuxta nauem vela, de ijs quæ inuicem & ſimul congruunt: neq; enim cuiq; nauigio omne veli genus conuenit: vnde et triarmenos nauis, vt ſuprà meminimus. Sed de velis illa vtiq; nõ ſilenda Plinij exclamatio, quæ lib. xix. legitur, cum iam miraculum illud ſuſpiraſſet, herbam eſſe, linum videlicet, quæ breuiſſimo temporum ſpatio Aegyptum Italiæ admoueret, in tãtum, vt à Siciliæ freto Alexandriam ſeptima die quandoq; perueniatur, & ſexta nonnunquam, & à Puteolis nona die: à columnis verò Herculis ſeptima die Hoſtiam vſq; aliquando, ne omnes nauigationes quas ille, & noſtra etiam tempeſtate pernicius factas, hoc loco commemorem. Illa certè eius eſt exclamatio: Audax vita, ſcelerum plena, aliquid ſeri, vt ventos procellasq; recipiat, & parũ eſſe fluctibus ſolis vehi. Iam verò, inquit, nec vela ſatis eſſe maiora nauigijs, ſed quãuis amplitudini antemnarum ſingulæ arbores ſufficiant, ſuper eas tamẽ addi velorum alia vela, prætereq; alia in proris, & alia in puppib. pandi, ac tot modis prouocari mortem. Hactenus Plin. Nunc de velis cætera proſequamur, quę & colorib. varijs antiquitus tingebantur, nec minus hoc tẽpore. Et vt fabuloſa mittamus, nigra Theſei, Alexander certè verſicolorib. vſus eſt Indo amne nauigans. Velo purpureo ad Actiũ cum M. Antonio Cleopatra cum Auguſto certatura, nauali prælio veniſſe proditum eſt, eodémq; fugiſſe. Eſt & apud Plin. libr. 35. alius inficiendorũ velorum modus. Candida, inquit, vela poſtquam attriuere illinentes non coloribus, ſed colorem ſorbentibus medicamentis. Hoc cum fe-

cere infectores,non apparet in velis,ſed in cortina,hoc eſt vaſe,pingi.In feruentes aquas merſa,poſt momentum extrahuntur picta:mirúmque cum ſit vnus in cortina color, ex illo alius atq; alius fit in veſte,accipiẽtis medicaminis qualitate mutatus,nec poſtea ablui poteſt.

Porrò vt & loquendi figuras aliqua ex parte attingamus, dicimus vela contrahere, quod Cicero & Horatius: vela legere,quod Verg.in iij.quo loco Donatus:Lego,inquit,verbum nautis familiare:nam funes & vela cum colligunt, vel aliqua loca cum tranſeũt,legere appellantur.Dicimus item vela dare, quod idem & Cic.& vela facere,& vela pandere:vt,velis paſſis apud Cic. & apud eundem velificor,& velificatio,& velificantes naues.Tum etiam & vela ducere vel 1
ſubducere,vt eſt apud Cæſarem in comment. Emanarunt & à velis prouerbia, vt,remis veliſq;,quo non ſemel vſus eſt M. Cic. Qua figura Plautus etiam, Remigióq; velóq; quantum poteris feſtina,dixit in Aſin.Item,velis equiſq;, ad conatum ſignificandum.Idem in Offic.Cum his equis veliſq;, vt dicitur, decertandum eſt.Idem ad Q.Fratrem:Corrigam tarditatem tum equis,tum velis.quibus in locis inter eruditos fit digladiatio,quod in antiquis codicibus equis viriſq; legatur:nam & in octaua Philip.Putabam fore vt omnes inflammati odio,excitati dolore,armis,equis,viris.quo loco paſſim viribus legitur.Huiuſmodi verò colores ac figuras loquendi interſperſiſſe non iniucundum fuerit. Deinceps porrò ad funes & rudentes me conuertam. 2

De funibus & rudentibus, cæteriſque nauigiorum reſtibus, & quæ eorum appellationes. CAP. XV.

IGnorat nemo, puto, quam ſint in re nauali neceſſarij funes, tum ad vincula, tũ ad nauium tractus & retinacula, vt eos non immeritò hoc loco connumerare, & à præſenti negocio nihil alienum eſſe videatur.Sed primum videamus ex qua materia conficiantur.Fiunt verò in primis ij ex cannabe,lino,ſparto. Iunco, ait Plin.græcos ad funes vſos, nomini credamus σχοῖνος, quo herbam eam appellant.Ex palmæ quoque folijs in oriente validos funes fieri,eóſq; in humore vtiliores,móxq; & ex philyra manifeſtum eſt. Sed & ex arborum quoq; corticibus,ſcribit Theophraſtus in iiij.de hiſt.plant.fiunt,vt ex ceraſo, detracto cortice:ex vite & tilia.Idem in v.Habet etiam corticem funibus cuiuſq; percommodum acer & carpinus.Fiunt & in orientalibus ad ſeptentriones vbi proceræ naſcuntur arundines,nauigia,& quidem ampla,ijs connexis & colligatis trahi lõgis CCC.interdum paſſibus: vt minus mirum ſit noſtra in Pado molendina retinaculis ex perticis confectis ad amnis ripas contineri. Sed & nonnunquam lintres ex ripa longurijs impelli agíq; vidimus. At nos inſtitutum ſequamur. Funes igitur in primis & reſtes,rudentes appellamus, à nimio, vt grammatici aiunt,ſtridore,à Græcis νῆα vocata:vnde prouerbium æditum eſt, νῆα καὶ κώπας ἀνθ' ὅπλων ἠλλάξαντο. hoc eſt,rudentes & remos pro armis permutarunt. Dicimus & rudens numero ſingulari. Cicero de Diuinat. ſed eſt quaſi rudentis explicatio. Dicuntur & funes κάλους, at certè κάλως omnis funis intelligitur. Vulgus nauticum per antiſtichon nunc cauum appellat: vnde καλώδιον paruus funis, & καλωστρόφος qui latinè reſtio vocatur, qui & σχοινοπλόκος, vt paulò poſt dicemus. Grammaticus Moſcopulus illud de hâc dictione κάλως obſeruat, quod in genitiuo κάλω facit, per ablationem σ, vt μενέλεω. Dicimus & κάλος κάλου per ο paruum. & κάλως κάλωος, vt eſt illud poetæ, ῥοχθεῦσι δὲ κάλωες, id eſt, reſonántq; rudentes. Extat de hoc prouerbium, πάντα κάλων κινεῖν. id eſt, omnem mouere funem: quod aliqui ſic proferũt, πάντα κάλων σείειν, hoc eſt, omnem concutere funem: de his qui rectè aliquid non inſtituunt. metaphora ſumpta à nauigantibus, 5
qui in nauigationibus reſtes omnes mouent. Omnem igitur funem mouet, pro eo quod eſt, omnem machinam. Hæc ille. Quæ ideo adſcripſimus, vt ijs adiungas quæ

gas quæ prouerbiorum autor collegit. Funes verò quib. velum ſubducitur meſurias uocant: & quibus ex vtraq; parte proræ malum conſtringitur, protonos: quibus à laterib. pedes: & quod reliquum eſt eorum, propedes appellant: cum quibus etiã ij ſunt qui terthrij vocitant: & poſt eos, quos μέσους, i. medios appellari video. Sed ſeorſum hęc videamus. Pes, nauticus funis eſt, cui⁹ Verg. meminit:

Vnà omnes fecere pedem.

quo loco Seruius grammaticus podiam interpretatur, etiãnum hodie ſic vocitatam, hoc eſt funem quo velum tenditur. Quidam tamen extremum veli angulũ eſſe opinantur. A pede propes dictus, funis quidam quo pes veli alligatur. Meminit eius Turpillius poeta:

Quaſi inquit, cum ventus fert nauem in mare ſecundus,
Si quis propedem miſit in veli ſiniſtrum.

Pedem & propedem innuit Catullus poeta, cum ait:

Siue vtrunq; Iupiter Simul ſecundus incidiſſet in pedem.

Item Plinius: Iiſdem, inquit, ventis in contrarium nauigatur prolatis pedibus. quo loco innuit Plinius, quod indies fieri videmus, vt vno eodémque vento per maria in contraria nauigetur. Pedem & Gręci πόδα vocant, vt apud Euripidem, Plutarch. & Lucianum. Eſt quoq; prouerbiũ in eos, qui quæ magis ſunt opportuna negligunt, & leuiora quædam ſectantur, ἀφεὶς τὴν ὑπέραν τὸν πόδα διώκει. hoc eſt, Hyperam dimittens pedem ſequitur. Huius meminit Hyperides orator. Hypera verò funis eſt nauticus à ſummo propendens, quo antemnarũ cornua traducuntur. Sunt & peſmata propè funes quib. anchoræ ligant, quorũ Pollux & Suidas, aliiq; meminere ſcriptores non pauci. Quidam prymneſia eſſe arbitrati ſunt, de quib. paulò poſt agendũ. Theophilactus ſacrę ſcripturę interpres, duob. in locis, hoc eſt, in Matthæi & Marci Euãgelio, camelũ tradit funem craſſum ſignificare, quo nautæ alligandis anchoris vtuntur. Idẽ & Suidas, qui & illud notat, ab aliquib. non per ἦτα, ſed per ἰῶτα ſcribi, hoc eſt, non κάμηλος ſed κάμιλος. Epitonus, ait Theophilus, lori eſt vel vinculi genus, quo antemna malo alligat. Eius meminit Ariſtophanes & Homer⁹. Alij ligaminis omne genus ἐπίτονον vocant. Protoni verò funes dicunt, qui ex mali vtraq; parte à prora & à puppe extendunt, vt in primo Apollonij Rhodij grãmatici obſeruant. Alij & genere neutro quoq; enunciari aſſerunt. Sunt & qui protonõ extentũ funem interpretent. leges in Phauorino plura. Cõnumerant & inter funes himonia, quę ex loris cõficeretur ad aquas hauriendas. Sunt & tropi, qui & tropoteres & epicopeteres vocantur, vincula, quib. ſcalmo remus alligatur. Sunt item qui primi & ſecundi vocantur, itẽ qui thalamius, vt notat Pollux. Tropi à noſtris ſtruppi (puto) dicũtur. Liuius: Tum remos religari ſtruppis. Vitruuius in x. ſtrophas hos appellare videtur, cum ait: Naues etiã remi circa ſcalmos ſtrophis religati cum manib. impelluntur. Quidam hinc vernaculum illud noſtrũ deductum affirmãt, quo paſſim in tota Aemilia vtimur & Venetia, ſtroppæ, quæ flexilia ſũt vimina ad quæcunq; colligãnda idonea. Hinc perplexa & inuoluta verba, tum facta etiam, ſtrophas dicimus. Hinc & ſtrophea, hoc eſt, στροφεῖα Lucianus vocaſſe videtur in eo dialogo qui πλοῖον ſeu εὐχαὶ inſcribitur. Item & Apuleius in xi. vbi de Iſidis naue agit. De ſtrophijs verò puellarum nihil eſt cur hic agamus. Sunt & qui terthron, tenuem quendam funiculum nauticum arbitrentur, quidam malo attribuunt, vt paulò antè meminimus. In hoc reſtium genere & quidam ſpiras addidere, quę propriè, vt ait Seruius, ſunt funium volubilitates, ſiue, vt Feſtus ſcribit, funis nauticus in orbẽ cõuolutus, vnde adagiũ eſt, αὐτὴ σπεῖρα σχοινίον. i. funiculus ad reſtim, cũ aſtus aſtui additur. Et alia ſignificat ſpira, quæ à grammaticis tum græcis tum latinis quærenda ſunt. Vergilius certè de ſerpentibus tantum (quod memini) vſus eſt, vt in illo:

Squameus in ſpiram tractu ſe colligit anguis. Et dè Laocoonte:

Spiriſq; ligant ingentibus. Item in xij.

Paribusq́ reuinxit Serpentum ſpiris. Eſt & tranſenna funis extentus, vt in quinto Aeneid. docet Seruius, in eos poetæ verſus:

Ingentiq́ manu malum de naue Sereſti
Erigit, & volucrem traiecto in fune columbam.
Quo tendant ferrum, malo ſuſpendit ab alto.

quo loco ait Seruius, traiecto, id eſt, extento, vnde tranſenna dicitur extentus funis. Salluſtius: Tranſenna demiſſum victoriæ ſimulachrum, &c. Hæc ille. Sed & Plaut. pro laqueo ſeu fune ad decipiendum accipere videtur, cum ait in Bacch. Nunc è tranſenna turdus lumbricum petit. Idem in Rud. Plurimæ fiunt tranſennæ vbi decipiuntur dolis. Sed enim & aliquando ponitur tranſenna pro clathris & cãcellis, quo modo vtitur Cic. in primo de Orat. Tum etiam quidam tormentum in funes commemorant, funémque eſſe contendunt, quo prora ad puppim conſtringitur, quod quale ſit mihi non ſuccurrit. Addunt & ijdem ſaphonem, cuius ita Cæcilius meminit:

Venerio curſu veni prolato pede vſq́ ad ſaphonem.

Addunt & opiferas, quib. cornua antemnæ dextra ſiniſtráq; tenduntur: alij opiferos vocant, funes ſcilicet. Addunt item & mitram, qua nauis media vincitur. Item anquinam, qua ad malum antemna conſtringitur. Cinna poeta:

Atq́ anquina regit ſtabilem fortiſſima curſum.

In hoc genere quidam ἀγκύλας reponunt, vnde etiam anquina deducta videri poteſt. Scribit Non. Marcell. anchoras eſſe vincula quibus antemnæ tenentur, idq; Lucilij carminibus probare nititur, vt ſuprà docuimus cum de anchora ageremus, monuimúſque mendum ſubeſſe, & ex Iſidoro reponendum anquina. Sunt & qui helcyon funem eſſe dicant tractorium, à quo ſit helcyarius, vt ſuo loco dicemus. Helcyon nunc vulgus noſtrate nauticum helcyanam appellat. Apuleius tamẽ lib. ix. per tralationem vocauit helcyon, id quod ante pectus equorum, & id genus animalium, ab armis pendens inſtrumentum, quo & molæ per machinulam innexæ verſantur, & currus per temonem trahuntur, vnde & nomẽ accepiſſe poteſt. Apuleij verba: Helcyo ſparteo dimoto. et idem paulò poſt: Helcyo tandem abſolutus. Rhymata quoq; reponi videmus inter funes tractorios à Polybio, παρὰ τὸ ῥύω, vt puto, τὸ ἑλκύω. Polybius in primo: Ad hæc inſtituerunt hippagos, rhymata dantes ex ijs tertię claſſis nauib. Vel, vt vertit Perottus: Poſt tertiam claſſem ſigillatim ordinatæ erant naues quibus equi vehebantur, hæ tertiæ claſſi funem præbebant. Græcè verò ſic habet: ἐπὶ δὲ τούτοις ἐπέταξαν τὰς ἱππαγοὺς, ῥύματα δόντες ἐξ αὐτῶν ταῖς τοῦ τρίτου στόλου. Xenophon in primo Hellanicôn παραῤῥύματα vocauit. Non me fugit & alia ῥυμὰ ſignificare, inter quæ impetum & propugnaculum. Sanè à rhymate verbum deducitur ῥυμουλκεῖν, quod nos remulcare. Idem Polybius: τὴν μὲν ῥυμουλκοῦντες τὰς ἱππηγοὺς ναῦς. Diodorus Siculus: ἐρρυμούλκουν στρογγύλα πλοῖα. Idem: καὶ τὰς ἱππηγοὺς ῥυμουλκουμένας ὑπὸ τῶν ἐρεσσομένων. Latini tamen remulcare à remulcendo deflectunt, vt Non. ſcribit. Sanè remulcus funis ab aliquibus appellatur, quo deligata nauis remi vice trahitur. Valgius antiquus poeta:

Hic mea me longo ſuccedens prora remulco
Lætantem gratis ſiſtit in hoſpitijs.

Obſeruauimus verò apud idoneos autores dici, remulco trahere, & remulco agi, & remulco abducere, itẽq; remulco abſtrahere. Sunt magni alioqui profeſſores, qui remulcũ paruam nauẽ ſiue ſcaphã interpretent. Promulco quoq; pro remulco dixiſſe, antiquos teſtis eſt Sex. Pomp. qui ita ſcribit: promulco agi nauis dicit cùm fune nauis ducitur. Sed de remulco & promulco ſatis. Sunt & inter nauticos funes ſerilla. vt antè diximus. Sunt & qui in hoc genere ſe midas connumerent, vnde & euſelmos nauis, qua de alibi, quæ tamen à ſelmate potius deducit. Cataprorates linea eſt cum maſſa plumbea, qua maris altitudo tentatur. Lucillius: Hanc cataproratem puer eodem defert. Prymneſium putat Theophilus, vt antè

vt antè diximus, & cum Theophilo Suidas alijq́, & vnà cum his Hiſpalenſis Iſidorus, funem eſſe, quo in littore nauis palo alligatur. Homerus:

> δὴ τότε κοιμήσαντο παρὰ πρυμνήσια νηός.

hoc eſt, vt & nos ludamus:

> *Tum prope concipiunt nauis prymneſia ſomnum.*

Apollonius in primo:

> *Illis Argus prymneſia ſoluit Littoreo è ſaxo.*

hoc eſt,

> πρυμνήσια δέ σφισιν Ἄργος Λῦσεν ὑπὲκ πέτρας ἁλιμυρέος.

At hoc non oſtentationis gratia, ſed vt falſam grammaticorum opinionem mõſtraremus, qui Feſtum ſecuti, prymneſium arbitrantur palum ſeu tonſillam ſignificare, ad quem in littore nauis religatur. At meo quidem iudicio Põpeij codex mendoſus eſt, & ita caſtigandus: Prymneſium funis nauticus, quo nauis ad palum religatur, quem alij tonſillam dicunt: ac ita ipſum Feſtum ſcripſiſſe crediderim. Sed quiſquis fuit ille Paulus qui Feſti volumina in compendium redegit, eius errati autor, non Feſtus, fuit: quem poſtea Paulum ſecuti ſunt alij alioqui eruditi, inter quos primus Sipontinus. Sed de prymneſio ſatis. Porrò funis quo nauis littori alligatur, ab ijſdem græcis ἐπίγυον & πεῖσμα vocatur. Oram etiam quidã apud latinos dicunt funem nauticum ſignificare, quo ad terram nauis ligatur. Fab. Quintil. Permittamus vela ventis, & oram ſoluentibus bene precemur. Et idem alibi: Sublatæ ſunt anchoræ, ſoluimus oram. Liuius: Trahunt ſcalas, oráſq; & anchoras, ne in molientib. mora eſſet, præcidunt. Vt idem ferè ſit quod græcè dicitur, τὰ ἀπόγεια λύσασθαι, & quod modo attulimus ex Apollonio, πρυμνήσια λῦσεν, hoc eſt, retinacula ſoluere. Literati tamen quidam oram negant pro fune accipi: & in Liuio quidem non oras, ſed lora reponunt, vetuſti, vt aiunt, exemplaris fide fulti. Fabium verò interpretantur, oram, id eſt, à littore ſoluentibus: cuius ſententiæ fuit Beroaldus & Calepinus. pro quibus facit Cic. qui ait, portum ſoluentibus. Dicuntur & hi funes retinacula. Liuius: Plurib. retinaculis validis parte ſuperiore ripæ religatum, &c. Verg.

> *Strictoq́; ferit retinacula ferro*

Idem & funem dixit:

> *—Non illa quiſquam me nocte per altum*
> *Ire, neq; à terra moneat conuellere funem.*

Sed & funis nauticus τὸ σπάρτον, & numero plurali τὰ σπάρτα, à geniſtæ genere notiſſimo vocatur, ex quo & apud antiquos & hoc etiamnum tempore funes & reſtes conficiuntur. Nota verò eſt Varronis, Plinij & Gellij, ſed & Homeri interpretum ſententia, ſparti vſum non fuiſſe ætate Homeri, cum cecinit, σπάρτα λέλυνται. Itemq́; an propriè ſit ſparton quam geniſtam vocamus, cum eius duę ſint ſpecies. At certè à ſpartis ſpartina piſcatorum funis dicta eſt, qua in Auibus fabula vſus eſt Ariſtophanes. Eſt & ſparte fabri lignarij linea, qua materiã dirigere ſolent, vnde & prouerbia quorum ſuprà meminimus. Sed de ſparto, & ſpartis hominibus qui dicuntur, aliàs in obſeruatis noſtris plura notaui. Eſt & napura funiculus ex ſtramento factus, vt in commentario ſacrorum reperitur: Pontifex napuras facito. quod & Pompeius ſcribit: quo modo & Græci merinthos, & merindos funes ſignificant, qua de re ex Gręcorũ cõmentarijs plura in Corollario Hermolaus. Exiſtimatur à quibuſdam & mataxa funis ſpecies, quę tũ ex ſparto, tum ex cannabe & lino conficitur, cuius Lucillius meminit,

> *Plumbi pauxillum rudis, liniq́; mataxam.*

Meminit & Vitruuius libro ſeptimo cum ait: Et mataxæ tomicæ ad iuſtam longitudinem vna craſſitudine alligationibus temperentur. Idem libro ſexto de paludibus inquit: Tenues colligantur mataxæ. Mataxam verò quaſi metaxam Iſidorus dictam opinatus eſt, à circuitu videlicet filorũ à meta, vel quod transferatur græca deriuatione. Iuſtinianus Cæſ. libro Codicis vndecimo faſcem interpretatur, vel congeriem penſorum lanæ, vel lini. Hanc nunc vulgò Hiſpani vna vel altera mutata litera, madexe dicunt. Quin & mataxam in quibuſdam

buſdã Hetruriæ urbib. hodie ex filo globum à vernaculis audiui. Vtitur quoque hac dictione inter antiquos medicos Theodorus Priſcianus in iiij. ſeu, vt alij putant, Octauius Horatianus. Sed certè ego vtrius ſit liber ambigo. Manardus Theodori quàm Horatiani eſſe mauult, vel Alexandri Tralliani autoritate, eo nomine ipſum citantis. Verba igitur vtriuſuis ſint, hæc ſunt: De capillis ipſius mulieris qui excidunt, quando ſe ornant cum mataxa. Sanè & medici quidam græci recentiores, mataxam ſericum crudum vocant, cuius eſt in medicina vſus: vnde & in ſcholio Horatiani, mataxa, inquit, ſericum dicitur. Apud verò Aetium & Actuarium cataxa vocari videtur, licet ego mataxam vtrobiq; legendum ſemper exiſtimarim, qua in re alioqui eruditi quidam ſunt decepti. At nos penè nauigijs egreſſi, ne periclitemur, ad ipſa cõmodum redeamus. Funes etiam græcè vt dixi, χοινία neutro genere dicuntur, vt eſt notiſſimũ illud ex Ariſtophane, χοίνιον μεμιλτωμένον, hoc eſt, miniatus funiculus, Item χοῖνοι maſculino, vnde ſunt deriuata χοινίσκοι & χοίνισμα. Hinc & σχοινοβάτης qui per funes graditur, quem Latini modo funambulũ, modo funerepum tranſtulerunt: vnde & σχοινοπλόκος, vt paulò antè diximus, funarius artifex. i. reſtio: omniáq; hęc deriuata videñ à iunco ſcirpóue, ex quo non modo funes, ſed & vela aliáq; fierent, qui græcè dicitur σχοῖνος, vt etiã ex Pli. recitauimus. Sanè ſchœnus etiam genus eſt mẽſurę terræ vel itineris apud Perſas & Aegyptios, quale eſt apud nos ſtadiũ vel miliariũ, apud Aſſyrios paraſanga & aſtarus; qua in re, ne te plurib. morer, Euthymus in pſalm. cxxxviij. quo loco noſtri verterunt, Semitã meam & funiculum meũ inueſtigaſti, quod erat græcè, τρίβον μου καὶ τὴν σχοῖνόν μου σὺ ἐξιχνίασας. Schœnus, inquit, apud Aegyptios atq; Perſas itineris menſura eſt, & idem ferè quod apud nos dicitñ ſtadium. Hæc ille. Hæc verò dictio in ſacra hiſtoria frequens. Plin. quidem lib. 5. ſchœnon facere ſtadia xxx. prodit. Lib. verò xij. nonnihil variare videñ. Grçcorum nonnulli L. ſtadia. Herodotus in ij. LX. ſtadia conficere prodidit, niſi codex ſit mẽdoſus. Significat & alia ſchœnus: nam Hippocrati, teſte Galeno, ſcillã cepam, alijs rei medicæ ſcriptoribus iuncum odoratũ. Eſt & loci & viri nomen. σχῖνος verò lentiſcũ denotat, quod multis cauſa fuit vt confunderent. Sed ipſi noſtra ſequamur. Dicuntur & funes quib. naues religantur, vt notat apud Lycophronẽ Iſaacius. οἶσα, vel vt Ionicè dicitñ οὖσα, παρὰ τὸ οἴω, quod defero & porto ſignificat. vel οἶσα dicitñ ἀπὸ τῆς οἰσύας arbore. i. ſalice vel vimine: nam & reſtes vimineos & antiquitus factos, & noſtra ætate aliquando fieri videmus. Alij œſam ἀπὸ τῆς οἰσύας dictam volunt, quo vocabulo græci viticem ſignificant, hoc eſt, agnum caſtum, qui &, quòd ex eo vincula & ligamenta fiant, teſte Polluce atq; Dioſcoride, λύγος vocatur: & ſi Dioſcoridi ipſi ſtandum eſt, ſalix amerina à Latinis vocatur. Confuſe vtiq; legas interdum œſya pro œſia, propter literarum affinitatem: ab hac enim œſinæ virgæ, ab illa œſynæ gerræ, hoc eſt, tuguriola, & gurguſtiola craticea, vnde œſyoploci, quos œſyurgos vocat Eupolis poeta, vt eſt apud Pollucem. Vocantur & οἴσυα funes. Sed enim & ex loris & ijs nonnunquam tortis, nauigiorum funes apud priſcos factitatos legimus, vt cum alibi, tum eo Homeri carmine, quod nos ita vertimus:

Candida vela trahunt contortis vndiq; loris. hoc eſt,

ἕλκον δ' ἱστία λευκὰ ἐϋστρέπτοισι βοεῦσι. Lorum tamen & himas dicitur, quanquam & λῶρος. Sunt & funes quos Græci vocãt thominges, & mermides, & merinthos. Non ſatis liquet an thominges ſint quos noſtri tomices vocant. Sunt enim tomices gręco quidẽ nomine appellatæ, ex cannabe impolito & ſparto leuiter tortæ reſtes, ex quo funes fiunt. Vitruuius lib. vij. Et binas inter eos perticas erigemus, tomicibus alligatas. Columella lib. xij. Deinde faſciculos tomice palmea aut iuncea ligato. Plinius lib. xvij. cap. x. Sic & ſpinas ſepis cauſa ferunt, tomice moris ſpinarum circumlita. Quo loco Hermolaus, tomicis nomen eſſe deflexum à gręco, ſed aſpirationem non retinuiſſe. Piſcatorius verò funis ex ſetis hormia vocatur. Hactenus de funibus. Nunc ne quid nauigio deſit, de ſabur-

ra agen-

ra agendum. Conſueuerunt nautæ ſaburra, quæ craſſior ac vilior eſt harena, naues onerare ad certam vſq; menſuram, vt ſtabili magis curſu agantur. Id cum poetæ, tum hiſtorici manifeſtè declarant. Verg. iiij. Georg. de apibus,

—Et ſæpe lapillos
Vt cymbæ inſtabilis fluctu iactante ſaburram Tollunt.

Liuius de bello Maced. Et onerarias ducere multa ſaburra grauatas. Sed de Saburra vide Hermolai lexicon. Saburra, inquit, propriè quidem nauium eſt, ex quacunque materia, ſed ſabulum ferè ſignificat. & reliqua quæ ad naues parum pertinent. Nunc verò iam contractis velis funibúſque reductis, nauium ornamenta explicemus.

De nauigiorum ornamentis. CAP. XVI.

EXcogitata, nec minus quàm in ædibus, ſunt nauium ornamenta, quæ vt hoc loco à nobis commemorentur, & ordo & tempus monet, etſi eorum pleraque ad aliarum quoque rerum ornamenta referuntur, quorum quædam in Ptolemæi & Hieronis nauibus antè retulimus, ſed quæ illic non attigimus, hic proferenda. Eſt ergo, vt ab hoc ordiamur quod ex Caſſij ſententia refert Vlpianus, inter ornamentum & inſtrumentum magna differentia. Inſtrumenta quippe ad tutelam pertinent, ornamenta ad voluptatem: quanquam hic non ita anxiè rem obſeruaui. Sunt igitur in primis & in vniuerſum apluſtria omnia nauium ornamenta, dicta, vt nonnulli volunt, ab α priuatiua particula, & πλέω, quod eſt nauigo: vel à πλοῦς, quæ vox nauigationem ſignificat. Sed ſi Sext. Pompeium audiamus, ampluſtria dicuntur, quod amplius ſint. Eius hæc ſunt verba, vt in caſtigatioribus codicibus legunt: Ampluſtria nauium ornamenta, quæ quia erant amplius quàm eſſent neceſſaria, vſu etiam ampluſtria dicebantur. Grammaticus etiam Priſcianus ampluſtria dicere videtur. Fuit cum ego apluſtra dicta crediderim quaſi aphlaſta, nunc temerè nihil ſtatuo, cum varia huius dictionis prima ſyllaba inueniatur, vt apud Lucretium, Ciceronem in Arateis, Silium, Iuuenalem, Manlium, Lucanum, Sidonium. Sanè ſciendum modo ampluſtra & ampluſtria, modo apluſtra & apluſtria, hoc eſt, trium & quatuor ſyllabarum, & quod magis mirum eſt, prima correpta, propter liquidam. Cicero:

Nauibus aſſumptis fluitantia quærere apluſtra.

Eodem modo Lucretius. Legi nuper in cõmentarijs neſcio cuius, apluſtra ſummas velorũ partes vocari: quod, cũ autoritate antiquorũ nõ fulciatur, parum mihi perſuaſum. Videntur & ἀμφιμήτρια ornamenta eſſe, quæ circum naues adhibẽtur, vti apud Artemidorũ in quarto de interpretatione ſomniorum ad filiũ. καὶ τὰ inquit, ἀμφιμήτρια τῆς νεὼς ἔσπασε. &, inquit, amphimetria nauis euulſit. Phauorinus putat eſſe quæ adhibentur vtrinq; nauis carinæ. Segeſtria, teſte Pompeio Feſto, pelles ſunt nauticæ, quæ δερρίδες dicuntur græcè, vt idẽ Feſtus & Pollux tradunt. Varro ſegeſtria dicta innuit à ſegete: ita enim ſcribit in libris de ling. latin. Quòd ferè, inquit, ſtramenta erãt è ſegete, ſegeſtria appellant, vt etiam nunc in caſtris, niſi à Græcis σάγαστρους. Meminit & idẽ Varro in libris de vita pop. Rom. vt eſt apud Non. Marcel. Aſcoma, pellis quę ſcalmo adhiberi ſolet. Theophilus aſſutam pellem ait ſcalmo, ad repellendam aquam maris. Meminit & Iulius Pollux. Suidas lorum putauit continens remum ſcalmo annexum. Diphteras etiam nauibus adhibet Pollux & Suidas, eaſdémque fermè facit quæ modo retulimus aſcomata, in quibus & ſcripſiſſe aliquando proditores thoracyõ ait & hermiona. Grãmatici quidam diphtheran paſtorale indumentum eſſe ſcribunt. Attici verò eam eſſe veſtem quæ & iſalce vocatur, qua quoniam magiſtri literarum vti conſueuerant, à Græcis aliquando diphtheralœphi nuncupati ſunt. Sed de diphthera loquens in primis audiendus eſt M. Varro, qui de re ruſtic. lib. ij. Coſſinium ſic loquentem facit. Vt fructum, inquit, ouis è lana ad veſtimẽtum, ſic

tum ſic capra pilos adminiſtrat ad vſum nauticum, & ad bellica tormenta & fabrilia vaſa: neque non quædam nationes harum pellibus ſunt veſtitæ, vt in Getulia & Sardinia, cuius vſum apud antiquos quoq; Græcos fuiſſe apparet, quod in tragœdijs ſenes ab hac pelle vocantur diphtheriæ. Et hucuſq; Varro. Quidã etiam βαίτην diphtherian vocant, pellémque eſſe ſcribunt Amaltheę capre, in qua res humanas ſcribere dicitut Iupiter. Diphtheræ meminit & Hammonius grammaticus, qui ait diphtheran à malote differre, quod hęc ſcilicet ſit ouis pellis, hoc eſt, μηλωτὴ, illa verò caprarum. Idem & Moſcopulus. Hãc quidem Verg. in Georg. deſcribere videtur, Varroniſq; locum vt plerunq;, æmulari: ita enim canit in iij.

Nec minus interea barbas incanaq; menta
Cinyphij tondent hirci, ſetaq; comantes,
Vſum in caſtrorum & miſeris velamina nautis.

Quo loco Seruius & Probus grammatici cilicia deſignari ſcribunt. Videtur verò diphtherę & cilicia idem eſſe: ſic & hodie ferè vulgus nauticum appellat. Cilicia Celſus ait retuliſſe Varronem ideo ſic appellari, quod vſus eorum in Cilicia ortus eſt. Idem ſcribit & Seruius. Varronis verba quibus id comprobatur, in calce ſunt ſecundi de re ruſt. dialogi: Quod magnis, inquit, villis ſunt capræ, ſcilicet in magna parte Phrygię, vnde cilicia & cætera eius generis ſolẽt fieri. Sed quod primum ea tonſura in Ciliciaſi t inſtituta noman id cilicas adieciſſe dicunt. Meminit & Aſc. Pędianus in Verr. & Vegetius in libr. de re militari. Addit amplius Suidas, quod ſint in Cilicia hirci; valde piloſi. Porrò ne quid omittamus, & ex diphtheris rates confectas fuiſſe, teſtis eſt Xenophon anabaſeos lib. ij. de Cęnis fluuio agens. ἐξ ἧς, ait, οἱ βάρβαροι διῆγον ἐπὶ σχεδίαις διφθέρων, ἄρτους, τυρόν, οἶνον. quæ verba amicus meus ita conuertit: Ex qua barbari coriaceis ratibus, panem, caſeum, vinum in caſtra conuehebant. Eſt & phormion nomen ſtraminis nautici, vt Donatus obſeruat, & ſignificat tegeticulam qua pauimentum ſternitur: vel lectum ſparteum, à quo nomine Apollodorus comicus, paraſitum, Terentius verò noſter fabulam nuncupauit. Phormionis certè proſtoria & tegete, & Vlpianus Iuriſconſ. vt Modeſtinus ait, meminit in ff. tit. de fund. inſtr. & inſtru. leg. Deducta hæc vox videtur à φορμῷ, quę ſpartam & ſtoriam ſeu tegetem ſignificat, qua de re multa Græci Suid. & Pauſanias. item Herodotus. A phormo, phormiõ & phormiſcus, diminutiuorum formã. Fiunt & ex papyro tegetes, vt alibi ſcripſimus, & ex iuncis, in vſum nauticum. Sed & ex palmarum folijs, earúmq; in primis quæ humiles dicuntur, & folio ſunt latiore, ac molliore, vt Theophraſtus ait. Proueniunt verò cum in Creta, tum plurimæ in Sicilia. Sunt & nauium ornamẽta pręterea aulęa, tapetes, periſtromata, peripetaſmata, eius generis cętera, quę ad alia quoq; referuntur. Cataſtroma quidem ſuperius eſt nauis tegumentum ſeu pauimentum, cuius apud Thucydidem mentio, vt alios mittam: vnde appellatæ cataphractæ & emphractę naues, quę tum à noſtris conſtratæ tum tectę vocantur: vt contrà apertę, quę à Gręcis aphractę dictę ſunt, de quibus alibi, hoc eſt, inter nauium vocabula. E cataſtromate propugnatores depugnare ſolitos, ex ſcriptoribus colligimus. Quidam (quàm ſanè neſcio) cataſtromata foros eſſe opinati ſunt. Corymbis etiam naues ornatas legimus, id quod vel ex his Flacci Val. facilè quimus cognoſcere:

Et auratis Argo reditura corymbis. Idem alibi:
Et extremis tamen increpuere corymbis.

etſi corymbon gręcè nauis roſtrum appellatur, vnde & acrocorymba ipſarum nauium ornamenta, vt in lexico tradit Theophilus. Corymbos verò Suidas interpretatur ramorum ſummitates & partes extremas, id quod & græco epigrãmate cõfirmatur. Alij corymba vocant acroſtolia nauium velut corymbas ideſt, vertices, quæ a ddi & adimi poſſunt. Legimus in græcorum commentarijs, corymba differre ab aphlaſtis, quorum in nauium mẽbris meminimus, quòd aphla-

ſta qui-

ſta quidẽ in puppi, corymba vero in prora: hoc eſt, ἄφλαστα μὲν λέγονται τὰ πρυμνήσια, κόρυμβα δὲ τὰ πρωρήσια. Sed enim & extrema, ac rerum ſumma, corymbs aliquando appellata videmus: nempe montis verticem & iuga corymbum Herodotus vocauit. Noſtri quidem corymbos hederarum baccas vuásve nuncupant, quibus Bacchus & Mænades coronabantur apud gentes, vt ex poetis liquet. Sunt qui corymbos nauium hederaceas coronas interpretentur, quæ nauibus adhiberi ſolerent, cum vela portum tenerent, vnde & illud poetæ:

Et nautæ læti impoſuere coronas.

vel cum ex nauali pugna victoria parta eſſet: qua ex re diuus Ambroſius in hexametro: Sed omnes, inquit, puppes quæ peruectæ fuerint coronantur, vbi palma merces ſalutis, victoria precium regreſſionis eſt. Coronatam inſuper nauem philoſophorum eximio obuiam miſiſſe Syracuſanorum tyrannum legimus. Ad hæc coronabantur naues apud Romanos menſe Iunio in Fortis fortunæ celebritate, & per medium amnem conuiuia ducebant, quod in VI. Faſt. oſtendit Ouidius:

Multa coronatæ iuuenum conuiuia lintres,
Multáq; per medias vina bibantur aquas.

Erant item nauales coronæ, quæ & roſtratæ dicebantur, de quibus iam egimus. Coronem quoq; & coronida pro nauis ornamento deſumi quidam arbitratur, quod roſtris adhiberi ſoleret, cum demum perfecta ac conſummata forent nauigia. κορώνης quidem Aratus meminit cum de Argo canit:

Cum iam nautæ conuertere coronem. hoc eſt,
ὅταν δὴ ναῦται ἐπιστρέψωσι κορώνην.

Verum coronidis nos ſeu corones varium eſſe ſignificatum comperimus, quod te ne lateat, hic breuibus ſubſignabo. Sunt quippe qui in arcu ſummum cornu, quod & tenus vocari è Latinis quidam tradunt, crenémve in qua neruus imponitur, vocari coronin velint: quam ob cauſam, ait Euſtathius, bonum rerum finem prouerbialiter aureã coronin dictã inuenimus. Sunt qui montis verticem, & ſummam in ædificiis ſtructuram ſignificare contendant. Alij nauis puppim, quod ſit in eius apice curuatum cornicis roſtrum; vt interdum anſerculi: vnde et Homerus σὺν νηυσὶ κορωνίσι, quod exponunt grammatici, cũ nauibus flexas habentibus ſummitates. Alij nigras, quod cornix auis ſit nigra. Inuenitur & coronis poſita pro extremo librorum ornamento, vnde & prouerbium factum eſt, ἐπιθεῖναι τὴν κορώνην, ἢ τὴν κορωνίδα, hoc eſt, imponere coronin: pro eo quod eſt, extremam manum admouere, ad quod Martialis libro X.

Si nimius videor ſeráq; coronide longus
Eſſe liber, legito pauca, libellus ero.

Hoc modo Plutarchus in libro de Alexãdri fortuna, de Philoxeno poeta agens, vſus eſt. Philoxenus enim Dionyſij tragœdiam non correxit, ſed totam circunſcripſit à principio ad coronida, hoc eſt, ἀπὸ τῆς ἀρχῆς μέχρι τῆς κορωνίδος περιέγραψεν. Alij coronida, vt eſt in commentariis Ariſtophanis, ſignum ac notã quampiam eſſe opinantur, quæ poni ſoleat in fine librorum, quæ in ſemicirculi ſpecie ſurſum ſit repanda, ◡. Alij lineam breuem ab inferiore parte inflexã huiuſcemodi ⌊. Hac etiam nota antiqui in fabulis, comœdiis & tragœdiis, vt Phauorinus docet, & lyricis etiam carminibus vſi ſunt poetæ, vt Hephæſtion ſcribit, vbi de ſignis agit. Sed & theologi, vt eſt apud Nazianzenum & Iſidorum, qui de huiuſmodi notis & poſituris, vt ipſe vocat, cæteris copioſius ſcribit. De notis quidem Iuriſperitorum, ¶ & ꝑ Alciatus doctiſs. annotauit. At ne à nautica arte recedamus, Theon, ſeu qui alius, qui in Aratum poetã Græca ſcripſit commentaria, κορώνην inflexũ illud interpretatus eſt, quod eſt in nauis puppi: vnde & Homerus, inquit, vocat naues coronidas, σὺν νηυσὶ κορωνίσι, vt antè diximus. Aratus verò, ὅταν δὴ ναῦται ἐπιστρέψωσι κορώνην. Apollonius in iij. δοιῇ συναρηρότε κορώνῃ ζεύγληθεν.

quamuis eo loco commentator annulum iugi interpretet. Euſtathius etiam coronidas vocari roſtratas naues ait. Sunt & qui ſcopon, & ſectæ alicuius finem ſic appellent, δι' κορώνη τῆς σοφίας. qua ſimilitudine & Plutarchus vitæ coronim dixit, in eo qui inſcribitur, An ſeni adminiſtrāda ſit reſpub. Sūt quoq; qui amplius ſcribant, κορώνην extremam pudendi virilis glandem ſignificare, & ianuæ inſuper annulum, quo & clauduntur & impelluntur fores. Eſt & κορώνη, id eſt, cornix auis notiſſima, cuius varia apud Ouidium fabula. Atque hæc de corone & coronide, quæ aliàs obſeruaram, quàm breuiſſime potui, hic tibi ſubſignare placuit. Vocant & Græci ζωμεύματα, quæcunq; naui conducunt & vtilia ſunt, ligna, cera, pix. Alij & hypozomata, quæ ligna nauium ſunt, atq; de his ſatis.

Reſtat in huius capitis calce duo præterea vt afferam, quid ſit pharus, & quæ eſſent leges Rhodiæ, quæ duo ad rem nauticam pertinent. Pharus igitur turris eſt quæ conſtrui ſolet in maritimis portuoſis locis, ad præſtanda nocturnis temporibus nautis lumina, vnde & nomē acceperunt. Scribit quippe Hegeſippus, à D. Ambroſio, vt creditur, latinitate donatus, in iiij. pharos quaſi phanos, n in r mutata, dictam. Grammatici verò in Homerum ita vocatam aiunt, ἢ αὐτὴ τ̃ ἡλίου ἔφαινεν, ἢ εἰς φῶς ἤγαγε, quòd videlicet pro ſole appareat, vel ad lumen agat. Deſcribitur pharus à Plin. & Herodiano hiſtorico in Antonino & Aegeta. Suidas genere maſculino etiam protulit, contrà cæteri ferè fœmineo. Propertius.

Et Ptolemææ littora capta Phari. Lucanus:
——*Pharos inſula quondam*
In medio ſtetit illa mari. Papinianus:
Lumina noctiuagæ tollit Pharus æmula lunæ.

Sedenim quoniam Pharus Aegyptia omnium celebratiſſima, plerique ab ea reliquas pharos nūcupatas autumant, vt vel ex vno Plinio facile cognoſcimus. Ea autem, vt plerią; omnes exiſtimant, ab inſula eius nominis nuncupata creditur, quæ ante Alexādriam poſita, quondam diei vnius nauigatione, vt ex Homero ſcribit Plinius, diſtabat, nunc, vt Strabo ait, peninſula, demum ab Iulio Cęſare colonia deducta, ſic Solino tradente: Eſt & Pharos, inquit, colonia ex Cęſare dictatore deducta, ex qua facibus accenſis nocturna dirigitur nauigatio: nam Alexandria inſidioſo acceſſu aditur, fallacibus vadis, cæco mari, tribuſque tantum canalibus admittit nauigantes, Tegamo, Poſſidonio, Tauro. quod idē ſcribit Plinius. Subiungit Solinus: Hinc igitur in portibus machinas ad prælucendi miniſteriū fabricatas pharos dicunt. Stephanus verò & Suidas pharon aiunt turrem conditam à Soſtrato Cnidio Dexiphanis filio, Ptolemæi regis tempore. Strabo diligētiſs. ſcriptor lib. xvij. Soſtratum ipſum quidem ait regum amicum pharum turrem poſuiſſe πολυώροφον, hoc eſt, multa tabulata habentem, & albo lapide conſtructam, cum hac inſcriptione: Σώστρατος Κνίδιος Δεξιφάνους θεοῖς σωτῆρσιν, ὑπὲρ τῶν πλωϊζομένων. hoc eſt, Soſtratus Cnidius Dexiphanis, deis ſeruatoribus, pro nauigantibus. Quæ congruunt iis quæ Plinius lib. xxxvj. natur. hiſt. ſcripſit. Magnificatur, inquit, & alia turris à rege facta in inſula Pharo portum obtinente Alexandriæ, quam conſtitiſſe DCCC. talentis tradunt, magno animo (ne quid omittamus) Ptolemæi regis, quod in ea permiſerit Soſtrati Dexiphanis architecti ſtructuræ ipſius nomē inſcribi. Vſus eius nocturno nautarum curſu ignes oſtendere ad prænuncianda vada, portúſq; introitum: ſicut iam tales compluribus locis flagrant, vt Puteolis, ac Rauennæ, ad vitādum periculum, & reliq. Dicta quidē inſula Pharos, præter id quod antè retulimus, vt Stephanus ait, à Pharo nauta Menelai, qui à ſerpente morſus ibi ſepultus ſit: ſicut & Canopus à Canobo eiuſdem ipſius Menelai gubernatore. Suidas quoq; & Homerus Pharon Protei inſulam nuncupant, quoniam ibi Proteus regnauit. Idem eſt ab Ammiano Marcellino proditum lib. xxij. hiſt. Inſula, inquit, Pharos, vbi Proteum cum Phocarum gregibus diuerſatum Homerus fabulatur. Mox & ſubiungit, eam fuiſſe

fuiſſe Rhodiorum obnoxiam vectigali, ſed fœminæ callidæ ſemper in fraudes miro artificio liberatam: nam cum nimium petituri publicani illuc acceſſiſſent, & ſolennes inſtarent feriæ, eos ſecum regina in ſuburbana perduxit, ſeptémque interea diebus ſeptẽ maris ſtadia, iactis molibus irrequieto labore inſulam continenti coniunxit, ita vt quâ mare fuerat vehiculo ingrederetur: atq; ita Rhodios fruſtrata eſt, inſularum, inquit, portorium flagitatis, non continentis. Sed de Pharo iam nimis multa. Fuit & altera Pharos in ſinu Adriatico, Straboni in iiij. Alterum quod polliciti ſumus, leges ſunt Rhodiæ, quæ de tota re nautica præcipiebant, de quibus ſic in decretis canonicis ſcribitur: Rhodiæ leges naualium commerciorũ ſunt ab inſula Rhodo cognominatæ, in qua antiquitus mercatorum vſus fuit. Harum meminit & Tertullianus lib. aduerſus Marcionẽ hæreſiarcham, qui ponticus nauta fuerat. Scilicet, inquit, nauclero illi non quidem Rhodia lex, ſed Pontica cauerat. Eſt & lex Rhodia περὶ τῆς ἐκβολῆς, hoc eſt, de iactu, vt eſt in ff. qua, vt Papinianus ait, cauetur, vt ſi leuandæ nauis gratia iactus mercium factus eſt, omnium contributione ſarciatur, quod pro omnibus datũ. Hanc verò iniquiſſimam legem hoc tempore etiam ipſi legum interpretes appellant. Quin & Canonici iuris ac pontificij periti eam diris proſequuntur. Extant & aliæ de re nautica leges, vt de nauiculariis, de vſuris nauticis, ſeu nautico fœnore, de naufragiis. Citantur & à rhetorib. Hermogene & Fortunatiano aliæ leges, vt illa, Qui nauim in periculo poſitam rexerit, eius ſit nauis cum onere. Et qui nauem reliquerit, is nauim & onus amittet. Item: Naufragia ad publicanos pertineant.

A quibus rebus ſint nauibus indita nomina. CAP. XVII.

PRiuſquam nauium multiplicem nominum ſyluam patefaciam, variáſq; earum appellationes, illud etiam obſeruandum occurrit, eas ab iis plerunq; in quibus exercentur officiis, vocabula ſortitas eſſe, vt ſunt ſpeculatoriæ, piſcatoriæ, mercatoriæ, & quæ apud Plaut. geraria vocata eſt. Nominantur et ſæpiſſime à locis, vel vbi ędificatæ vel inuentæ, vel in vſu frequẽtius habitæ, vt Aegyptiæ, Liburnicæ, Naucraticæ, Salaminiæ, Tudertinæ, & quarum modo meminimus, Rhodię. Sunt & Sidoniæ, & Punicę, ſunt Babylonię, Italiotides, & Samenæ. Sunt item Iſſiaci lembi, vt eſt apud Liuium. Sunt & Naxiurges, & Cnidiurges, & Cercuri, & aliæ penè innumerabiles, de quibus nonnullis ſuis locis agemus, (ſunt enim fermè quot loca maritima.) Eſt & quę à poetis pagaſea dicitur. Sunt & quę ab artificibus nomen duxerũt, vt Argo, Phereclea, Nicomedis, Paralus, alię. Sunt & quę à magiſtratibus, & ab iis qui pręſunt vocatę ſunt, vt prętoria, quę & nauarchis dicitur, & imperatoria, id eſt στρατηγίς. Appellãtur itẽ naues à remorum ordinibus, vt biremis, triremis, penteris, & hexeres, & hepteres, non Gręcis modo, ſed & Latinis autoribus & in primis Liuio. Vocitant & naues à nauigationis curſu, vt dromones, curſorię, celetes & celetia. Item à rebus quę in ipſis deuehuntur, vt hippagines, & hippagogę, quæ & hippagi Sex. Pompeio dicuntur, & ſitagogi, & ſaccariæ apud Fab. Quintilianum, & quæ annotinæ ab annona deuehenda nomen habere putantur, quarum mentio apud Cæſ. in comment. Hæ item frumentariæ appellatę. Alię vel à vaſis vel eorum forma nuncupatę, vt gaulus, cymba, corbita. Nonnullę à pictura vel inſigni vel παρασήμῳ, vt piſtris vel priſtis, centaurus, miltopatrię. Aliquę à forma & ſpecie, vt camerę, aulonę, thalamegi, & quas hoc tempore Sandalos vocant. Alię ab animalibus appellantur, vt crij, tragi, tauri. Quędam à materia, vt trabicę, monoxyli, alni, pinus. A deis etiam in iis pręſidentibus, vt Iſidis, Apollinis, Tritonię, quę inſignia tamẽ putarim, vt etiam crij & tragi. Sunt pręterea quę ab eius eminentiori parte nomen ſumpſere, vt roſtratę, coronides, turritę. Sunt & à numero, vt centenarię, myriaphori, myriagogi, εἰκόσορος ναῦς, cuius Theophilus pręter alios memi-

nit. Ab inſtrumẽtis demũ quibus muniuntur naues appellantur, vt turritæ, delphinophori, vt falcatæ, quales deſcribit Cæſar contra Venetos. Et trocheliophora nauis, quę vocari videtur ab Halicarnaſ. Dionyſ. lib. Rom. antiquit. iij. his verbis de Tyberis oſtio agenti: Naues, inquit, actuariæ quotcunque adeſſe aliquando cõtigit, atq; ex onerarijs vſq; ad trocheliophorã per oſtium eius intrãt. Sed cũ Græci exemplaris copia mihi ad præſens nõ ſuppetat, quid dicam aliud neſcio, niſi quod hoc nomen nõ ſuccurrit alibi legiſſe, niſi quis fortè trocheliophorũ legat à φοχίλῳ, de quo in mali partibus actũ eſt, & quod ϑοχαυτῆρσι partes ait ad nauis puppim Phauorinus. Fuerat quoq; animus hoc tibi loco adſcribere, quæ ſint nauigationi idoneæ tempeſtates, quæúe aduerſæ: ſed cũ eæ ſint nõ modo ab aſtrologis, ſed & rei militaris & ruſticæ ſcriptoribus literarum monumentis diligentiſſimè mandatæ, non hic ea repetere viſum eſt. Sed & illud fuerat in animo afferre, quatenus hominum notitiæ orbis ex nauigatione cognitus fuiſſet, eáq; pręſertim afferre quæ Plin. ad ſua vſque tempora lib. nat. hiſt. ij. cap. lxix. commemorat. Verum cum mecum reputo, plurima adeò noſtro tempore addita eſſe, vt ſi omnia quæ vel audiui ab iis qui interfuerę, vel quæ ab aliis ſcripto prodita ſunt referre velim, non iam libellum, vt nos meditamur, cõſcriberemus, ſed ingens et infinitum propè volumen, quod tamen etiam à pleriſq; factum eſt: quare vt ab illo, ita & ab hoc labore ſuperſedendum duxi, méq; potius ad ſingularia nauium vocabula conuertam.

Varia ac multiplicia nauigiorum vocabula. CAPVT XVIII.

NVnc, vt à principio ſtatim polliciti ſumus, iam varia nauigiorum vocabula colligamus, in quibus recenſendis id mihi ignoſcendum, ſi quid præteriiſſe viſus fuero, grauiſſimis, vt probè noſti, oppreſſus moleſtiis, atq; adeò, vt verendum ſit ne dum naues conſtruo, quaſi in portu, quod aiunt, naufragium vitæ faciam. Quare ſi priſcos accepimus cum nauigationem incepturi eſſent, deis ſuis vouere quæ cuiq; in mentẽ venerant, id quod manifeſte oſtẽdit Ariſtides Adrianeus orator in eius orationis exordio, quam de laudibus vrbis Romæ conſcripſit, & Apollonius poeta cum Iaſonem inducit preces & vota nuncupare Apollini ἐμϐασίῳ & ἐπακτίῳ cum nauim eſſet conſcenſurus, & ἐκϐασίῳ eidem Apollini deſcenſurus: cur nõ ego nunc CHRISTVM precer infirmus, vt bonã fauſtámq; mihi pręſtet nauigationẽ. Ergo adſis CHRISTE mihi pręſenti tuo numine, qui diſcipulorum nauiculas inter fluctus direxiſti, déſq; mihi ſuperata ignorantiæ caligine, in portum ſoſpitem incolumémq; claſſem deducere.

Acatus igitur, vt ab hoc incipiam, genus eſt nauigij, à verbo ἄγω ἀκτῆς, & α adiecta ἄκατος, vel, vt alij putant, quaſi ἀπ' ἀκτῆς, hoc eſt, quod circa littora feratur, vnde etiã ἐπακτὶς vocatur. Eſt aũt actos genus nauigij, vt ſcribit Theophilus: vnde & epactis, quæ & porthmis dicta eſt. Idem tamẽ alio loco πορθμεῖον ipſam appellauit, ad amnes traiiciendos idoneam, ex quo & naulum ipſum πόρθμιον dicitur. πορθμὸς verò fretum ſignificat, vt vel ex Mela Pomponio notum. Sunt qui eandem epactin & carabon dicant, vnde forma hypocoriſtica καράϐιον à Gręcis deducitur, ex quo nunc vulgò carabellæ vocitatæ. Sed & ab ἐπακτρὶς alia nauigij ſpecies facta eſt, quæ ἐπακτροκέλης vocatur, quæ latronum ac piratarũ eſſe traditur, quod idem Theophilus ſcribit & Suidas: duæ quippe in vnum nauiculæ epactris & celes iunguntur, vt etiã infra dicemus. Verum vt ad acaton redeam, cuius & Auſonius illo trimetro meminit,

Acatis, phaſelis, lintribus, ſtlatis, rate,

ab eo formatur diminutiuum acation, quod actuarij genus eſt nauigij, cuius & noſter Plinius in nono meminit, vt caſtigat Hermolaus. Meminit & Oppianus, vbi de nautilo piſce loquitur. Meminit & acatij Plutar. & Tertullianus in Marcionẽ. Suidas acation ait genus eſſe piſcatoriæ nauis. Acation Thucydides vocauit amphericon in iiij. Meminit ampherici & Suid. & Gręca in Thucydidem

didem ſcholia, quæ ſcribunt illud ideò dici, quod remigantium quilibet duobus remis vtereť: hoc eſt, ambireme, ſi Latinè liceat. Torquet me interdū ſcriptorum varietas, vt quo quanq; nauem nomine appellem, ambigam, & plerunq; neſciā, vt eſt de hoc acatio, de quo nobis in præſentia ſermo eſt: eo enim nomine Cæſaris nauem Plutar. vocat, cum apud Pharum Alexandriæ enataret. Tranquillus verò eandem hiſtoriam tractans, ſcapham, Hirtius nauigiū nominat: quo fit vt ſatius duxerim ſæpius Græcis vti vocabulis in tanta autorū varietate, & eò maxime, cū alioqui eruditos hac in re hallucinari videam, & Cimmeriis, quod aiūt, tenebris inuolui: atq; ideo hoc te loco monere volui, ne fortaſſis admiratione afficerere, ſi Græcis ipſis nominibus frequentius vtor. Ad inſtitutū redeo. Pollux & Iſidorus, vt pridem oſtendimus, nauis velum maximum acation vocant. Sed nec illud omittendum, quod Procopius lib. iij. achaten nauis genus facere videtur: quod cum ita ſit, non videtur antiqua Plin. lectio interpolanda, vt fit ab Hermolao, quæ ita habet: Concham achatæ motæ modo carinatam. Procopij hæc verba à me expreſſa: Naues quæ à Gręcis achatæ vocitantur, fabricatas, & eas quidem apertas, longuriis connexuit. Meminit idem autor & alibi.

Actuariæ naues celeres dicuntur, vt ait Nonius, quod citò agi poſſunt, vel vt alij, quod remis agātur. Iſidorus tamē & alij nonnulli grammatici, quod velis ſimul & remis aguntur. Meminit & Gell. Sunt qui περίπλους vel ἐπακτρίδας, vel vt alij legunt apud Gellium, ὡς παραλίους, quod ſcilicet propter littora agant. M. Tullius ad Atticum actuariolas vocat. Eſt & in hoc genere actuarium κωπήρης, quæ remo aguntur, quarum mentio eſt apud Plutarchum & Thucydidem in iiij. à remis nomen inflexum eſt. Dicuntur & actuaria genere neutro, vt ex Cicerone colligimus & Cæſare, qui ait in primo bell. ciuil. Atq; iis expedito loco actuaria nauigia reliquit. Cic. ad Atticū lib. x. Quid duro tēpore anni actuaria fore cēſes?

Alueus inter cætera quæ ſignificat, quæ à grammaticis collecta ſunt, à nobis inter vaſa repetita, interdum etiam pro nauigio rudi, & quocunq; modo confecto capiť. T. Liuius lib. i. de Romulo & Remo: Tenet, inquit, fama, cum fluitantem alueum, quo expoſiti erant pueri, tenuis in ſicco aqua deſtituiſſet, lupam ſitientē ex montibus qui circa ſunt, ad puerilem vagitum curſum flexiſſe. Quem alueum hoc loco Liuius, ſcapham Plutarchus vocat. Propertius poeta:

Aut quidnam fracta gaudes Neptune carina,
Portabat ſanctos alueus ille viros.

Salluſt. in Iugurtha: Hiq; alueos nauiū inverſos pro tuguriis habuere. Hinc pro monoxylo apud autores alueus deſumitur.

Aulonæ naues ſunt apud Ethicum Hiſtrum, quę in aulæ formam conſtructæ ſunt, non fortaſſis his diſſimiles, quas patrio ſermone noſtrates bucentauros vocant. Ethici verba ſunt hęc: Ob hoc, inquit, aulonas nuncupauit, velut maris, aut amnium palatia.

Autocabdalos nauis à Gręcis dicitur, & autoſchedios rudis, & quæ ſubitò & ex tempore facta eſt. Theophilus quidem & Suidas de polenta id vocabulum dici prodiderunt, vt primum ex farina confecta eſt. Idem repetit Phauorinus.

Barcas naues, lamiis nauibus nō eſſe ſimiles, Ethicus Hiſter autor eſt. Harum & Herodotus meminit in Terpſichore. Hodie quoq; hoc ferè nomine nūcupantur vulgò Gręcis ęquè atq; Italis. Sunt qui ab vrbe Barce cognominatas putēt. De his vtiq; ſic Iſidorus: Barca, inquit, eſt quæ cuncta nauis commercia ad littus portat: hanc nauis in pelago propter nimias vndas ſuo ſuſcipit gremio, vbi autem portui appropinquauerit, reddit vicem barca naui, quā accepit in pelago.

Baris nauigij genus apud Aegyptios, vt ſcribit Ammonius. Huius & alibi meminimus. A Gręcis etiamnum epibathra nominatur, etſi ſcalas etiā nauticas ἐπίβαθρα ſignificat. Sed & ἐπίβαθρον pro naulo & mercede aſcendēdę nauis capiť, quo modo apud Apoll. in Argon. interpretes & Phauorinus exponūt. De bari verò naui cū alij, tū Diodorus et Herodotus meminere, & Propertius illo verſu,

Báridos & contis roſtra liburna ſequi. In Græcis βάρεις & alia multa ſignificat, quæ non ſunt noſtri inſtituti.

Byrſopages nauis è corio compacta, cuius & alibi eſt facta mentio.

Cameræ genus nauigij, acation vocat in xj. Strabo, lembum vertit interpres. Arctæ verò ſunt naues & exiles, vt idem ſcribit. Iis vtuntur Heniochi populi, & Boſporani Cimmerij, vt plurimum latrocinantes. Capaces hæ ſunt XXV. hominum, & XXX. ad ſummũ. Deſcribuntur quidem cameræ à Cor. Tac. lib. hiſt. xix. Cum enim de Trapezunte vrbe pontica ab Aniceto liberto capta ageret, ita ait: Quin & barbari contemptim vagabãtur, fabricatis repẽte nauibus, quas cameras vocant, arctis lateribus, latam aluum ſine vinculo æris aut ferri connexam, & tumido mari provt fluctibus attollitur. Summa nauium tabulis augent, donec in modum tecti claudantur: ſic inter vndas voluuntur, pari vtrinq; prora & mutabili remigio, quando hinc vel illinc appellere indiſcretum & innoxium eſt. Atq; hæc quidem ille. Sed enim ab his fere diuerſam ſcribit Ethicus Hiſter cameræam, qui ob hoc eam ita nuncupatam ait, quod camelorum more in medio curuo colcherio (vt eius vtar verbò) quaſi cameli gibbum, feneſtras obliquas & modicas ad ventorum receptacula haberet, camera ſurſum conſuta, vnde nomen, coriis magnis coniunctis. Ea naui primum vſus eſt Cecrops, vt idem eſt autor, qui & alia pleraq; ſuperaddit, quæ hic ego breuitatis cauſa omiſi.

Carinam quoq; nauim idem Ethicus exiſtimat, dictámq; ait quaſi currinam: cũ alij ſcriptores non nauẽ eam eſſe, ſed nauis fundũ prodant, vt antè docuimus.

Cataphractarum nauium apud vtriuſq; linguæ ſcriptores crebra mentio: ita vero appellantur quæ in prælijs naualibus obteguntur obarmantúrq;, ne ab hoſtibus facile lædi queant. Has quidem Latini tectas vocant naues, quarum frequens mentio. Cæſar de bell. ciuil. Maſſilienſes vſi L. Domitij conſilio, naues longas expediunt, numero xvij. quarum erant xj. tectæ. Dicuntur & conſtratæ ab eodem Cęſ. & Cic. Hirtius: Magnóque, inquit, impetu quatuor ad eam conſtratæ naues & plures apertæ contenderunt. Et cum his emphracta nauigia reponemus, quæ & ipſæ quod vndique tectæ ſint, παρὰ τὸ ἐμφάττω deriuantur: ſicuti è contrario aphracta, quæ aperta à Latinis vocantur. Hoc nauium genere inprimis Rhodios vſos legimus. M. Cicero in epiſtolis ad Atticum: Nos Rhodiorũ, inquit, aphractis cæteríſque longis nauibus trãquillitates aucupaturi eramus. Meminit idem alibi, nec ſemel in eiſdem epiſtolis: ex quibus locis facile colligimus, minus eas maris proceloſi fluctus perferre poſſe. Pro aphractis tamen in quibuſdam vetuſtis exemplaribus acta legi conſpicimus, quam lectionem & fortaſſis aliquis non aſpernetur: ἄκατος enim nauigij genus pridem diximus. Emphractorũ verò Iuriſconſultus in tit. de exercitatoria act. meminit, quo loco paſſim emphatæ mendoſe legitur. Vlpiani verba hęc ſunt: Quędã enim naues onerariæ, quędam, vt ipſi dicunt, emphractæ ſunt. quo in loco, vt ſolent, delirant interpretes. Budęus tamẽ vir eruditiſſ. embatę vel epibatę reponi poſſe exiſtimat, ſed cuius id fulciat autoritate, ingenuè ſe nõ habere fatetur. Alius Budęi, vt puto, veſtigijs innitens, ὀχηβάδων ſeu ὀχηβατίδων caſtigat, vt vectoria nauigia ſignificet: verũ nec ipſe teſtes, vt ſolet, magnos hac in re affert, & perinde minus probat. Nec me quoq; fugit alios magna magnis voluminibus promittẽtes, adeò in hac Budęi voce embate deliraſſe, vt etiã Iuriſconſulti verba Plinio attribuerint. Iam ad noſtra redeo. Tectas naues longas à Thaſiis repertas antè diximus. T. Liuius, & Hirtius, alijq; ſcriptores Latini, tectarũ & apertarum nauium frequentius meminere. Hinc etiam Gręci nauphracton claſſem ad pręlium inſtructam appellarunt. Solent etiam in triremibus ampla quędam adhiberi foramina oculorum inſtar, quæ & nauphracta dicuntur, per quę remi inſeruntur, vt Suid. ait. Ariſtophanes in fabula Acharn. Tu per deos nauphracton inſpectas homo. hoc eſt, vt ipſe ait, πρὸς τῶν θεῶν ἄνθρωπε ναύφρακτον βλέπεις. Eſt enim ęnigma, nauphractũ vides, de ijs qui latè vident. vt planius in ęnigmatôn libello, ad Picum pridem ſcripſi-

ſcripſimus. Canea genus nauis apud Indos perexiguum, exciſum, cauatumque, ex vnico arboris trunco, duorum vel trium hominum capax. Sunt qui id quaſi ex caudice & factum & dictum autumant. Sed plane vox eſt Indica, ſicut & iunca, quod nauigium eſt ex palmarum foliis ſutum, vt diximus. Vtrǫque quidem Indicæ & barbaræ nationes hodie vti traduntur, quod Luſitani ac Hiſpani nautæ pari voce teſtantur. Quidam & canoam & caneam eandem ſtatuunt.

Cantharus genus eſt nauigij à vaſe, vt ego quidem facile crediderim, appellatum. Nauigij quidem Suidas & Ariſtophanis interpretes meminere. Suidæ hæc verba: Canthari nauigia naxiurges dicta, quod in Naxo facta ſint, vt nunc σίλφας vocant. Acatiorum verò ſpeciem quãdam habere Cratinus ait, eo quod aliquando mari Naxij imperitarunt, & ipſis vſi ſunt cantharis. Subdit idem, nauium appellationes factas ab iis in quibus repertæ ſunt vrbibus, vt quos nunc lembos, naxiurges vocitabant. Eadem & cauſa cnidiurges naues Cnidiæ, & cercyram à Corcyra, & à Paro paron. Hæc ergo ille, quem ſecuti ſunt Phauorinus & Ariſtophanis interpretes. Porrò & cantharus alia ſignificat, quæ tum Græci tum noſtri explicuere.

Chalcembolon nauigium vocant Græci cuius æratum ſit roſtrum, & quod purgationi aptum eſt. Roſtrum quoq; nauis maſculino genere interdum chalcembolus vocatur, vt antè diximus.

Cataplus genus eſt nauigij mercatorij. Val. Martial. in xij. Cum tibi Niliacus portet cryſtalla cataplus. & Auſo. de Narbone:

Per freta curſu Aduehitur, toto tibi nauigat orbe cataplus.

Ea voce vſus eſt & Sidonius Apollinaris. Iulius quidem Pollux pro nauigatiõne ipſa in j. lib. deſumere videtur, & cum eo Græci hiſtorici, inter quos Xenophon primo Hellenicôn, ne te pluribus onerem.

Capulicæ ſeu caupulicæ naues ſunt apud Gell. à capuli forma, vel à capiendo denominatæ. Cattæ, nuctatiæ, vel nuctuciæ, & mediæ, nauium genera apud A. Gellium, etſi in pleriſque Gellij codicibus perperàm legantur. Mediæ quidem à Medis populis inuentæ creduntur. Midion Pompeius in myoparone memorat. Videor operępręcium facturus, ſi verba Gell. hoc loco adſcripſero quo potero caſtigatiora, ne mihi ſæpius citanda ſint. Sunt ergo hęc ex lib. x. cap. xxv. Nauium autem, inquit, quas reminiſci tunc potuimus appellationes hæ ſunt: gauli, corbitæ, caudicæ, longæ, hippagines, cercuri, celoces, vel vt Gręci dicunt κέλητας, lembis, ὠκεῖαι (vel vt alij legunt oxiæ) remunculi (vel potius lenunculi, etſi alij remeculi legere malint) actuariæ quas Gręci ὁδόντας vocant (alij πρόσπλους vel ἐπακτρίδας. Sunt qui caſtigent, ἐπακτροκέλητας ϐαρέας) proſumię, vel Geſeoretę (aliqui Geſoretæ) vel oriolę (vel vt alij, orię vel orioles) cattę, ſcaphę, pontones, nuctucię, medię, phaſeli, parones, myoparones, lintres, capulicę (ſeu caupulicę) mareplacidę (ſeu marceplacidę) cydari (Pollux cydari & cydali) ratariæ (alij ratiarię) cataſcopium. Hęc ille totidem verbis, addita diuerſorum interpolatione.

Celox eſt nauigium breue, vt ſcribit Nonius, dictum à celeritate. Gellius celoces appellari ait, quas Gręci celetes, vt modo dicebam, vnde apparet error Sipontini qui celotin in nauigiis commemorat. Huius meminit & Iſidorus, etſi mendoſus ſit codex: nam celones, inquit, quas Gręci celenas vocant, cum celoces & celetes legendum ſit. Ennius:

Labitur vncta carina per æquora cana celocis.

Celetis verò meminit Pollux in primo. Dicitur & forma diminutiua κελήτιον, qua voce vſus Xenophõ & Appianus. Hinc & ἐπακτροκέλης nauis prædatoria Ariſtoteli & Suidę. Thomas verò Magiſtri, vbi de Atticis agit dictionibus: Celes, inquit, nauigiolum nauibus tractum, quod & celetion dicitur. Epactroceles aũt maleficũ eſt & prędatoriũ nauigium. hęc Thomas. Idẽ & pluribus Ammo-

nius.Meminit epactroceletis Aeſchines in oratiõe aduerſus Timarchum.Epactridos vero Xenophõ,qui & in primo Hellenicôn κέλητα ὑπηρετικὸν, quòd remis ageretur dixit. Verum vt ad celocem redeamus,hanc Plinius à Rhodijs inuentam ſcribit. Fulgentius: Celocem,inquit,genus nauiculæ modiciſſimæ,quod blannam dicimus.Fulgentij vetuſta exemplaria non blannam,ſed lembum habent.Apuleius in lib.de repub.qui celocem regere nequit,onerariam petit.Meminit & Plaut.Sunt qui celocem id genus nauigij exiſtiment,quod vulgato ſermone brigantinum,vel galeam ſubtilem vocitamus.

Cercurus nauis eſt Aſiana,vt legimus in caſtigatis Nonij exemplarib. in antiquis enim cercerus legebaẽ.Sanè cercurus nauis fuit prægrandis, cuius Plautus meminit in Sticho,dum inquit:Percunctor portitores ecquæ nauis venerit ex Aſia,negant veniſſe.Conſpicatus ſum interim cercurum.Item ibidem: In cercurum,in ſtegam.etſi exemplaria pleraq; cercerũ,non cercurum habent.Sed & Gellius in x.cercurũ agnoſcit.Non.ſuper hac re Lucilliũ citat. Meminit & T. Liuius.Cercyrã etiam vocari hanc nauem arbitramur,&,vt ſuprà notauimus, à Corcyræis inuentam,vt naxiurges,medias & parones,à locis. Cercyram quoq; Plin.in vij.vocaſſe videẽ,eámq; à Cyprijs inuentã ait. Ego ex Suida alijsq; ſcriptorib.nõ à Cyprijs,ſed à Corcyręis libentius legerẽ.Eo quidẽ loco & Hermolaus idẽ ſenſiſſe viſus eſt:cercurũ tamen ipſe legendũ probat, idq; ex Strabone, caudatámq; nauem interpretatur.Cercuri quidẽ & Suidas meminit, & Harpocration.Sed & Dinarchus rhetor in Tyrannico.Porrò ſi amplius quiſquam circerum legendum putet,à Circæis id deflectat,id quod aliquibus placet.

Cataſcopiũ apud Gellium ſpeculatoria nauis eſt. Eiuſdẽ meminit & Hirtius & Iſidorus.Quidam κατασκοπικὰ vocant, vt Plutarchus.M.Tull.ad Atticum alicubi epiſcopium vocauit.Conſcendens,inquit,ab hortis Cluuianis in phaſelũ epiſcopium.Idem in v.Habebam & aliud epiſcopium.tametſi quidam vtrobiq; ἐπικώπους legant,alij cataſcopium.Latini hoc omne genus nauium tum exploratorias,tum ſpeculatorias vocant.Has vero cõijcimus tales fuiſſe,quales quæ noſtra tempeſtate brigantini nominantur. Nauiũ vero hoc genus inuentũ ab ijs quidam ſcribunt,qui Diomedeas inſulas incoluere. Has etiam Græci μετεώρους vocant,vt eſt apud Thucydidem & Suidam.

Caudicariæ naues,quas codicarias etiam appellat conſuetudo,vt Marcellus ait,eò quod vſui ſunt in fluminibus,idq; ex Salluſtij hiſtorijs adſtruit. Varro vero,quòd,inquit,antiqui plures tabulas coniunctas codices dicebant, à quo in Tyberi naues codicarias appellamus. Has à Latinis quidam inuentas prodiderunt. Eæ quoq; caudicariæ vocantur,vt eſt apud Gell. quod caudicem & codicem dicimus:vnde & Caudex appellatus fuit Appius Claudius. Eadem ſcribit Seneca in lib.de breuitate vitæ.Sed hac de re memini me plura in annotationibus obſeruaſſe in libello,cuiuſuis ſit,virorum illuſtrium,in quo male legitur audax,pro eo quod eſt App.Claud.Caudex.Sed & Pomp.Feſtus caudicarias naues ex tabulis craſſioribus factas ſcribit.Sunt & qui caudicas vocẽt naues, quæ ex vno ligno cauatæ ſunt,quæ & quatuor ad decem vſq; homines capiunt. Caudecæ vero ciſtellæ dicuntur ex iunco,à ſimilitudine equinæ caudæ.Feſt.autor.

Corbita genus eſt nauigij tardũ & grande,dicta à corbe corbita, quod videlicet in ſummo eius malo veluti corbis pro ſigno ſuſpendatur, vt ſcribit Feſtus. Plaut.in Pœnulo:Tardiores quàm corbitæ ſunt in tranquillo mari. Meminit & Cic.in epiſtolis ad Atticum. Corbitam ab Hippio Tyrio inuentam tradunt,& eandem cum oneraria faciunt. Nam & Nonius onerarias ex oneribus tardas ſcribit,atque ab ijs appellatas.Corbitare Plautus in Caſſ.dixit pro eo quod eſt complere ventrem.Noui,inquit,ego illas ambas eſtrices,corbitant vbi comeſſe poſſunt.

Comiſtica nauigia à Græcis dicta,in quib.quæ ex hoſtib.capta ſũt ſpolia deportanẽ,vt eſt apud Hyperidem. id Suidas alijq;. Naues vero quæ in hominum

pote-

poteſtatē venerunt, vel depreſſæ cum ipſis hominibus, αὐταίδρους ναῦς vocat Pollux, & Diodorus in primis: tametſi & de aliis quoque rebus dicere poſſimus, veluti de curribus, vt apud Lucianum ἁμάξας αὐταίσρους. vocantur & ſimili figura αὐτοφόρθι νῆες.

Cymbam Phœnices inuenere, ait Plinius. Parua eſt nauicula, in medio latior. Eius nomen inter cætera nauigia cōmemorat Nonius, & ſuper id citat Ciceronem & Aphranium, vnde etiā vas cymbion, de quo plura inter vaſa. Feſtus quidem κύμβιον Grecè, dici Latinè cymbā exiſtimat. M. Tull. in iij. de officiis inter piſcatoria reponit nauigia. Iſidorus eaſdē exiſtimat, lembū & cymbā & caupiliū.

Chollones naues ſunt miræ magnitudinis, velociſſimæ, ſurſum erectæ in altum, ductiles, pellibus vrſarum & hircorum in altum quaſi colla, circundatæ, paruis feneſtellis. quæ ſunt verba Hieronymi tralatione Ethici Hiſtri. Sed nec huiuſmodi nauis mentionem alıubi factam reperi, niſi quod Iſidorus Hiſpalenſis chellonas vocat. Sed an chelones potius vtrobiq; legendum à teſtudine ſit, non ſtatuo.

Cybæa. Eſt & cybæa nauis nomen apud vnum Ciceronem in Verrinis. Nauem vero, inquit, cybęam maximam triremis inſtar, pulcherrimam atq; ornatiſſimam palàm ædificatam ſumptu publico. & reliqua quæ ſubiungit. Erat autem prohibitum, vt in qua quis prouinciā adminiſtraret, nauem fabricaret, id quod & idem ipſe Cic. innuit. Extant & hac de re leges. Græca porrò voce eſt κυβεία nuncupata, vt calliditatem vafriciémq; ſuam oſtenderet prętor Verres.

Dicrotæ & dicrota, hoc eſt, fœminino ac neutro genere, dicuntur non modo Latinis, ſed & Gręcis, quæ & διήρεις, hoc eſt, biremes, licet id quidam inficientur, dictæ, à duplici videlicet remorum ordine: ſint licet inter eruditos qui eas naues interpretentur, quæ duobus gubernaculis à prorá pariter & puppi regantur. Meminit M. Cicero ad Atticum: Nam & ipſe Domitius bona habet planè dicrota. Hirtius ſeu Oppius in quarto de bell. ciuil. Capit ex eo prælio pentiremem vnam, triremes duas, dicrotas octo. Vtitur & vtroq; genere Appianus, vt ait Mithr. ῥοδία δίκροτος ἐπ᾽ αὐτὴν ἀνήχθη. hoc eſt, Rhodia dicrotos in eam inuecta eſt. Neutro tantum Pollux, & Polybius, &c. Dicunt & μονόκροτα Græci, ab vno videlicet ordine, vt eſt apud Xenophontem in primis & Strabonem.

Dromones quoq; naues ſunt, vt Ethicus Hiſter ſcribit in v. quo loco nauium multarum nomina legūtur. Caſſiodorus in lib. Variarum, earum etiā meminit, vt opportunarum ad rem frumentariam conuehendam, & ab his dromonarios vocat earum nauicularios. Meminit & dromonum Procopius lib. iij. de bell. Gotth. qui & eis à Belliſario propugnacula addita ad arcendos hoſtes ait, cum obſeſſis Romanis à Totila opem ferret. Idem meminit in aliis hiſtoriis. Iſidorus dromones longas naues vocat, quæ quoniam fugæ curſuiq; aptiores ſunt, ἀπὸ τοῦ δρόμου dictæ videntur: nos curſorias interpretari poſſumus, vt nonnulli in vertendis Gręcis interpretati ſunt. At quidem dromades Iul. Pollux holcades vocauit, vt mirum ſit cur Fulgentius prodiderit lembum δρομάδα vocari, vt alibi dicam. Sanè & dromones piſces quoſpiam Plinius xxxij. nat. hiſt. vocaſſe viſus eſt, quos an eoſdem eſſe quos & δρομάδας, id eſt, curſiones, nunc nō ſtatuo, ſicuti & in genere camelorum. Liuius de bell. Maced. Dromades. ante hunc, inquit, equitatum falcatæ quadrigæ, & cameli quos appellant dromades. Ab his ego puto in ſacra hiſtoria dromedarios vocari.

Fluuiatiles naues, quibus in fluminibus vſus eſt, vt vel ex Liuio didicimus, qui ait Patauinos cōtra Cleonymū Lacedęmonium proceſſiſſe. Pars, inquit, fluuiatiles naues ad ſuperāda vada ſtagnorū aptè planis alueis fabricatas. etc. à Gręcis ποτάμια πλοῖα. In hoc genere lintres, cymbæ, pontones, et huiuſmodi multæ.

Geraria nauis à Plauto dici videtur quæ & oneraria, vel mercatoria vocatur: ita enim in Mercatore ſcribit: Ædificat nauim gerariam, & merces emit. Dicta verò videtur à gerendis & deuehendis mercibus, vt φορτὶς & φορτηγὸς à Græcis à deferen-

deferendis oneribus, vt alibi dicemus. Solinus vero gerulam nauem appellat cum ait: Nauis à Phrygia gerula ſacrorum, &c.

Gaulus genus eſt nauigij, vt ait Feſtus, penè rotundum, & vt Græci ſcribunt, γαυλὸς βαρυτόνως γὰρ εἶδός φασι πλοίου στρογγύλου. hoc eſt, gaulus cum graui accentu in fine, ſpeciem aiunt rotundi nauigij, cuius & apud Comicum vſus. Meminit & Gellius, & Pollux, qui & illum inter vaſa reponit: ſed & Suidas alijq́ꝫ, vt in vaſis retulimus. Sanè inter ſcriptores video non conuenire. Quidam enim inter Italos, gaulum inter parua nauigia connumerant. Galli nõnulli inter magna, quomodo Herodotus & Plutarchus. Porrò ne quid à me deſideres, γαῦλος cum circunflexo in priore ſyllaba, Phœnicum eſt nauigium. Callimachus poeta: κυπρόθι σιδόνιος με κατήγαγεν ἐνθάδε γαῦλος. Alij quidẽ nauigiũ ad deferẽda onera, hoc eſt φορτικὸν dicũt, alij triremis ſpeciẽ dictã πὰρ τὸ γῶ, qđ capio ſignificat, ꝙ ſcilicet multos capiat, vt in iij. hiſt. oſtendit Herodotus. Eſt etiam prædatorij nauigij ſpecies, quæ & liburnica vocatur, ait Phauor. Cætera in vaſis retulimus.

Halias nauis eſt maritima, apud Græcos notiſſima, ab ipſo vt liquet mari appellata, ſcapha ſcilicet. Sunt qui eandem cum piſcatoria faciant, hoc eſt, ἁλιευτικὸν πλοῖον. certe & à noſtris piſcatoria dicitur. In hoc genere reponuntur cymbæ, ſcaphæ, horiæ, lemunculi. Marcianus Iuriſconſ. de fund. inſtru. nauicellas piſcatorias, Liuius naues appellat.

Hemiolus, vel hemiolia nauis, hoc eſt, ἡμιόλος, ἡ ἡμιολία ναῦς apud Polybium & Appianum, vnde & trierhemioliæ, quarum Athenæus in v. & Polybius meminerunt. Quidam biremem hemiolum vel hemioliam interpretati ſunt. Sed certè hemiolius à mathematicis ea eſt proportio quæ à Latinis ſeſquialtera vocat, quæ videlicet totum & eius dimidium comprehendit, vt ad tria, quinq́ꝫ, xv. ad x, xxx. ad xx, vt Gellius & Boetius alijq́ꝫ docent: vnde fortaſſis potuit nauis hæc appellari. Hanc piraticam eſſe nauem docet Suidas. Phauorinus vero & δίκροτον καὶ λῃστρικόν.

Hiberiota nauis eſt oblonga, ſed arcta, vt his verbis teſtatur Ethicus Hiſter: Hiberiota, inquit, nauis qua Hyrcani vtuntur, longitudine prolixa, latitudine coarctata: hanc ego ab Hiberis Scythicis vocitatam autumo.

Hippagines latini, græca licet voce, naues vocant equis conuehendis aptas, vt docet Feſtus: meminit & Gellius. Græci ἱππαγωγοὺς, ἢ ἱππηγοὺς nuncupant, Pollux & Feſtus. Hippagogos etiam vocat T. Liuius, & Herodotus, qui & hippophoras eas in Erato dicere videtur. Sunt qui hippagũ ab hippagine differre exiſtiment, ſed parũ certis rationibus mouentur, quas ideo nec ego refero. Hippagum, ſcribit Plin. in vij. inuenere Salaminij, alij Athenienſes: eo licet loci libentius hippagon Hermolaus reponat. Eſt & apud Iſidorum mẽtio hippagogi, ſed perperàm in peruulgatis codicibus hippogagum legitur, pro hippagogo.

Horia nauis dicitur piſcatoria Nonio Marcell. quã & Gellius ὑποκοριστικῶς horiolã vocauit in ſcapharũ numero. Plaut. in Rud. Saluete horia in mari fluctuoſo. Idẽ ibidẽ: Mea opera, labore, & rete & horia. Sunt ꝗ apud Gelliũ quo loco ὠκεῖαι legit, horiã reponãt. Sipontin. oxyã, & longã nauẽ fuiſſe putat, ego celerem vel acutã potius, quo modo frequẽter apud Græcos inuenimus ὀξεῖα πλοῖα, id eſt, acuta nauigia, vt apud Appian. in Illyr. cũ ait: vnde & nũc Romani oxea dicrota liburnidas vocãt. ego tñ hic nihil ſtatuo. Fulgẽtius quidẽ ad Chalcidiũ: Horiam: inquit, dicũt nauicellã modicã piſcatoriã. Vnde Plaut. in Sticho: Malo hũc alligari ad horiam. Ex quibus omnibus apud Ammianum Marcel. lib. xviij. hiſt. melius legemus horiæ naues, quàm quod vulgò vſoriæ. Sunt & qui potius ſine ſpiritu afflatuq́ꝫ dictionem hanc ſcribant.

Iulopeza, nauis genus à Suida, aliiſque. Nihil præterea de ea comperi.

Lamias naues in directum prolixas deſcribit Ethicus Hiſter, eáſq́ꝫ nomen à velocitate ſortitas prodit, à fera videlicet lamia, vt reor, cuius Ariſtophanes & Suidas meminere.

Lembus

Lembus nauicula breuis piſcatoria, vt ſcribit Marcellus. Apud Liuiũ tamen & Polybium & Diodorũ, etiã ad belli vſus poſitam inuenimus. Fuit hæc inuenta nauis à Cyrenenſibus, vt prodit Plinius. Meminit huius Verg. lib. 1. Georg.

Non aliter quàm qui aduerſo vix flumine lembum Remigiis ſubigit.

Fulgentius: Lembus eſt, inquit, nauiculæ genus velociſſimæ, quam δρομίδην dicimus. Lembum & cymbam ſimul enumerat Iſidorus. Extat & Græcum epigramma Antipatri Theſſali in lembum cognominatum Soterichũ, in cuius nomine ludit, quod nemo in eo nauigans ſeruari poſſit. quod epigramma ex ij. lib. hic tibi vtcunq; exprimam:

Lembus erat nautæ Soterichus, at nec in illo
Seruari magnus Iuppiter ipſe poteſt.
Nomine nam ſolum eſt Soterichus, ingredientes
Namq; petunt terram ſeu mage Perſephonem.

Sanè veteres à lembo ſtlembum per contrarium tardum & grauem dixiſſe legimus, vt obſeruant grammatici, qui & lemnunculum, ſeu lenunculum (vtroque enim modo legimus) idem eſſe cum lembo tradunt, cuius Salluſtius hiſt. lib. ij. meminit. Primo indicit forte per noctem in lemnunculo piſcantis. Addit & alia Nonius. Ammianus lib. xvj. hiſt. Auidis, inquit, flatu ventorum lemnunculo ſe commiſiſſe piſcantis. Meminit idem alibi: Cęſar lib. ij. bel. ciuil. Pauci lemnunculi ad officium imperiúmq; conueniebant. Corn. Tacitus lib. xiiij. de Agrippina Neronis matre enatante: Nando, inquit, deinde occurſu lemnunculorũ Lucrinum in lacum vectam, villæ ſuæ inferunt. Non fortaſſis diſſimiles ſunt lemnunculi ab his quos patrio ſermone nos Ferrarienſes, ſandalos ſeu ſandaletos vocamus: nam & robuſtiores incòditóſq;, & maiores, ſuper quos in Pado aquatica molendina conſtruimus, ſandones quaſi ſandalones vocamus.

Liburnæ, vt Ethicus Hiſter (cuius antiquitatis hiſtorias ab Hieronymo ex Gręco conuerſas in hoc libello ſępe citauimus) ſcribit, naues ſunt negociatorũ. Idem & Iſidorus prodit. Citas verò & veloces, vt dromones, & inter maris procellas admodum neceſſarias, ijdem Hiſter & Iſidorus tradunt, in Libyáq; repertas: niſi potius legendum ſit Libyrnia: nã in Illyrico Appianus Alexandrinus à Liburnis ait populis inuentas, qui huiuſmodi nauibus latrocinia exercebãt: vnde, inquit, etiã nunc leuia & oxea, id eſt, velocia dicrota liburnides vocant. Idem & in iiij. de re milit. Vegetius, qui illas ea Dalmatiæ parte inuentas ſcribit, quæ Andecrinæ ciuitati ſubiacet: quo loco & idẽ ſcriptor eas copioſe deſcribit. Vocantur & hæ liburnicæ & liburnum, genere neutro. Lucanus:

Ordine contentæ gemino creuere liburno.

Hoc quidem nauis genere de M. Antonio & Cleopatra Aug. Cęſar victoriã eſt conſecutus. Harum verò mentio eſt frequentiſſima tam Græcis quàm Latinis ſcriptoribus. Liburnicæ, inquit Suidas, naues fuere, nõ ad triremium cõformatæ ſpeciem, ſed magis prędatoriæ, roſtratæ, & robuſtæ, & contectæ, quarum eſt velocitas incredibilis. Sunt etiam liberne apud eũdem & Phauorinum, ſed perperã vt puto, nũcupatę. Acron Horatianus interpres inepte has naues putat vimine cõtextas. Liburnus quidẽ apud Iuuen. p lecticario, vel lectica capi videt.

Lintres naues fluminales, vt ait Nonius, quas à Germanis inuentas legimus, qui Danubij ſint accolæ, eáſque ex integris arboribus cauatas. vnde Verg. Cauat arbore lintres. tametſi eo loci fortaſſis non pro nauigio, ſed pro alueo & vaſe commodius poſſit exponi. Sunt omnino lintres non ad longas nauigationes idoneæ, ſed, vt Liuij verbis vtar, ad vicinalem vſum paratæ, &, vt idem ſubdit, nouáſq; alias primum Galli inchoantes cauabant ex ſingulis arboribus, & propterea Plin. monoxylas lintres ait in vi. Tales certè feruntur Almadiæ quas vocãt, Nigritæ Aphricę populi. alij verò Caneas, quod noui orbis ſcriptores tradunt. Lintres quidẽ Iſid. carabos vocat, de quibus in acato iam diximus, & Suidas in

das in liburna. Hinc & diminutiuum carabion, & fortaſſe vernaculum nauigium carabella. Sed carabus, quod retro non retuli, vt Iſidorus ait, parua eſt ſcapha ex vimine facta, quæ crudo corio contecta nauigij genus præbet, qualibus, ait, vtuntur Germanorum piratæ in oceani littoribus, vel paludibus, ob agilitatem: de quibus hiſtoria, Gens, inquit, Saxonum myoparonibus, non viribus vtuntur, fugæ potius quàm bello parati. Hactenus Iſidorus. Sanè ſunt qui lintrem per ypſilon ſcribant, idq; ſe ex Priſciano grammatico colligere affirmant, à λυτὴρ, prima diphthongi abiecta vocali, & n litera interpoſita. Significat etiã linter interdum vas in vindemijs aptum, quam vulgò nauaciam vocant. Meminit & Tibullus cum ait:

Et mihi ſeruabit plenis in lintribus vuas,
Preſſaq; veloci pinguia muſta pede.

A lintre lintrarios deflexit Vlpianus.

Longæ naues quas Latini vocant, à Græcis μακρὰ πλοῖα, καὶ νῆες μακραὶ dicuntur. Has quidam ſcribunt à ſpina putrefacti piſcis in litore ad conſtruendas per imitationem doctrinam eſſe deſumptam. Longarum adeò crebra eſt mentio apud autores, vt autoritatibus id oſtendere ſit ſuperfluum. A quibus inuentæ tradantur, in prima libri parte monſtrauimus.

Marplacidæ, ſeu vt alij legunt apud Gellium, mariplacidæ, vel marceplacidæ, naues ſunt, quas à Siculis inuentas aiunt. de his nihil prǫterea.

Muſculum deſcribit Valturius in libris de re militari, curuum eſſe genus nauigij, quod apud Iſidorum corruptè reor mululculum vocari. Sed cum pro naue muſculum alibi me legiſſe non ſuccurrat, nihil decerno. Veget. quidem lib. de re milit. iiij. item Cæſar, & Ammianus, muſculum pro machina militari deſumunt, qua ad arces & mœnia demolienda milites plerunq; vtuntur.

Meliacum nauigium vocant Græci ſcriptores, rimarũ plenum: vnde & prouerbium vſurpatum, τὸ μηλιακὸν πλοῖον, quod ſumptũ videri volunt ex cuiuſdã Ariſtotelis hiſtoria Meliaci, qui cum deducendæ coloniæ præfectus creatus eſſet, & pleriq; cum eo ire detrectarent varia cauſantes, hoc eſt, vel vxores ægrotas, vel naues eſſe rimoſas ac fathiſcentes, & id ille animaduertiſſet, eis imprecatus eſt vt verè naues rimoſæ fierent, & vxorum imperia. Suidas hoc non Ariſtoteli, ſed Hippotæ attribuit, à quo prouerbium factum ſit: id quod miror latuiſſe Eraſmum, qui & in eo etiam decipitur, quod putat à μελία vrbe Cariǫ factum adagium, vel ab arbore μελία, hoc eſt, fraxino, cum potius à μήλῳ vna Cycladum deducatur, à qua μήλιος & μηλιεὺς, μηλιακὸς, vt notat Stephanus. res eſt notiſſima.

Monoxylon nauis ſpecies eſt ex ſolo ligno confecta, vt etiam vox ipſa indicat. Huius & Poll. lib. j. & Veget. lib. ij. de re milit. meminerunt. Hoc genus nauis ἄδρυον Cyprij vocant. Monoxylon quidem epitheton eſt aliquando, vt eſt apud Plin. monoxylis lintribus, vt iam meminimus.

Myoparo piratarũ nauis eſt, quod Nonius M. Tullij, Salluſtij, & Siſennæ autoritatibus comprobat. A Tyrrhenis myoparo inuentus creditur. Sex. Pompeius, Myoparo, inquit, genus nauigij ex duobus diſſimilibus formatum, nam & mydion & paron per ſe ſunt. Sunt quidem parones, quos & pirones vocat Ethicus Hiſter. His nauibus eodem autore Hiſtro, vtuntur Albani, Mæotæ, Mazetæ, Gangines. Hæ & alio nomine Tulchiǫ vocantur. Porrò Parones dictos Suidas innuit ab inſula Paro, cui & Ariſtophanis interpretes aſſentiuntur, vt alibi oſtẽdimus. Exiſtimat vir doctus myoparonem dictum à myunte & paro, poſthabita Feſti ſententia. Sed enim de Paronibus & Varro meminit. Iamque, inquit, duos parones habebant inſtructos. Feſtus alio loco, parones, ait, nauium genus, ad cuius ſimilitudinem myoparǫ vocatur. De eodem & Iſidorus, quem ipſe ſcriptorem, ſi caſtigatior habeatur, non vſqueadeo improbarim. Paro, inquit, nauigium piratarum aptum, & ex his ita vocatum. Cicero: Tunc ſe fluctifero tradit mandátq; paroni. Et alibi: Paruncculis ad littus ludit ce-

dit celeribus. Myoparo, quaſi minimus paro: idẽ & carabus, de quo repete quæ ante in lintre ſcripſimus. Ad hæc, maiores & minores myoparones aliquando apud autores obſeruauimus.

Nauſum, gallicum nauigij genus fuiſſe innuit Auſonius in epiſtola ad Paulinum. Vt nauſo, inquit, aliáve quauis naue vſq; ad oppidum præbita. Et idem ad eundem in iambico: Vt inde Nauſo deuehat.

Onerariæ, vt Marcellus ait, ex oneribus tardæ naues dicuntur, φορτηγοὶ, & φορταγωγοὶ, & φορτίδες à Græcis vocantur. Thucyd. etiam in vij. πλοῖον φορτηγικὸν dixit. Addit & Pollux, φορτὶς & φορτηγὸς, & βαρεῖα ναῦς. Notiſſimæ verò ſunt naues onerariæ. Vocantur & hæ holcades, παρὰ τὸ ἕλκω, vnde & lignum naui affixum ὁλκαῖον vocatum eſt, quo nauis trahitur, quod & poeta naui Argo attribuit. Thucydides mercatoriam nauem holcada facere videtur. Huius & Appianus meminit lib. ij. bell. ciuil. Meminere & frequentius poetæ, vt Nicander & Oppianus. Sũt qui exiſtiment has eas naues eſſe quas nauticum vulgus cochas appellat. Ab holcade aliud nauigij genus epholcion, & epholcias deducitur, quod maiorem nauem ſequi ſoleat. Meminit Theophilus, Suidas, Moſcopulus, alij: vulgò Ferrariæ battellum vocamus. Sanè epholcias per tralationem etiam cõuiua dicitur non vocatus, ſed à vocato adductus, qui & Latinè vmbra dicitur, & Græcè σκιὰ, vt Plutarchus in ſympoſiacis & Suidas teſtantur: qualem fuiſſe Aſcon. Pædianum cum Blæſo accepimus apud Apicium, & apud Horatium poetam Seruilium & Vibidium,

Quos Mecænas adduxerat vmbras. Item,

Locus eſt & pluribus vmbris.

qua eadem loquendi figura vernaculo ſermone vſurpamus, va col batello. Demum ne à propoſita nauium deſcriptione recedamus, onerariæ naues diuerſa ſortita ſunt vocabula, à rebus videlicet quæ in iis deferuntur, vt à re frumentaria σιτηγοὶ & σιταγωγοὶ νῆες, à noſtris naues frumentariæ, & annotinæ: ab armamentis conuehendis σκευοφόροι & ὁπλοταγωγοὶ, ab equis hippagines & hippagogę hippagiue, vt iam diximus: à militibus ſtratiotides, & vinariæ ab Iureconſulto, à vino & huiuſcemodi ſimilibus rebus, vt eſt à M. Tull. dictum, Nauis paleæ.

Ocyalus eiam nauis genus eſt velocis, à qua in mari præcipuè velocitate ei nomen Græci indidere, Theophilus & Suidas, alij. Eſt & ὠκύπορος velocis nauis epitheton.

Orthocretus quoq; nauis genus, quòd ſcilicet rectas habeat antennas: ſic enim vocatur ὀρθόκραιρος ναῦς, ἡ ὀρθὰς κεραίας ἔχουσα, vt ait Suidas. Alij quod τὰ κάρα, hoc eſt, capita erecta habeat: ſic enim Attici capita vocant. hinc & boues ὀρθόκραιροι eadem ratione vocantur. Eſt & ὀρθὰ ναῦς, hoc eſt, recta nauis, vt eſt apud Cic. in epiſt. ad Q. fratrem, & in familiaribus lib. xij. & item in epiſt. Senecæ libro xij. Videtur verò recta nauis vim prouerbij habere, ſicut apud Enniũ: Dum clauum rectum teneam nauémq; gubernem. vt etiam legimus apud Quintilianum in ij. Eadem fermè ratione Pindarus, rectum ſeu iuſtum gubernaculum dixit, δίκαιον πηδάλιον.

Pacton ſcaphę genus ex virgis ita compoſitũ, vt textile quiddam videatur, quod à Strabone ſcribitur in vlt. geogr. vt Latinè conuertit Greg Tiphernas: quod Græcè ita legit: ὁ δὲ πάκτων διὰ σκυταλίδων πεπηγὼς ἐστὶ σκαφίον, ὡς ἐοικέναι δικτυοπλοκίῳ. Similes ferè & Herodotus Babylonias naues deſcribit in Clio, hoc eſt, in primo hiſt. lib. quæ orbiculares ex ſalicibus fierent, corio circumtectæ, quas & multis verſibus exequitur, vt etiam à nobis antè relatum eſt. Ethicus quoque Hiſter & ipſe ſcaphas deſcribit vimine contextas, quę vndiq; bitumine ſint perlitę, vt etiã de carabo in lintre tradidimus. De vitilibus verò corio circunſutis, itẽ vimineis atq; ſalignis, iam à principio abunde ſcripſimus.

Paralus Athenienſium nauis ſacra dicta, vt Vlpianus rhetor in Demoſthenis oratione κατὰ μειδίου ſcribit, vel a Paralo Periclis filio, vel à Parolo quopiam heroe,

cuius & Phylarchus in xxx. meminit, & Harpocration in lexico. Hunc Paralum, vt puto, Plinius in vij, nauem longam reperiſſe ait. Huius verò cognominis fuit Periclis filius: vel dicta à denauigãda paralia, hoc eſt, Aſia & Helleſponto. Alij Paraliam quartam terræ Atticæ partem dixere, à Palante Cecropis filio. Nec deſunt qui dictam putent, quod iuxta mare agatur, vel quod apud alias eſſet poſita, hoc eſt, vt Grȩcè dicitur, παρὰ τὴν ἅλα, ἢ παρὰ τὰς ἄλλας κεῖσθαι. Fuerunt verò apud Athenienſes primo duæ triremes ſacræ, hæc ipſa Paralus, & Salaminia, quæ & Delia vocabat, cuius & ſuprà meminimus. Alij Paralon & Salaminiam eandem fecere, vt quodam loco ſcribit Suidas, cum rectè alibi diuerſas faciat. Sacræ quidem naues theores appellabantur, quibus Deliaſtæ & Theori ad oraculum ſciſcitandum mittebant, vt alibi dicemus. Sed enim poſteriore tempore ipſi iidem Athenienſes, & ſacras alias naues conſtruxere, Antigonida, Ptolemaida, & Ammoniada, quam ad Ammonem pro ſacris accipiendis miſerant, vt tradit Vlpianus. Suidas his adiũgit Demetriada. Porrò Parali meminit Demoſthenes in Philippicis, & Harpocration, et Plutarchus cũ aliubi, tũ in eo qui inſcribit, an à ſeniore regẽda ſit reſpub. A parolo naui, miniſtri parali vocitati ſunt, qui ob nauis miniſteriũ quatuor obolos pro mercede accipiebant, & domi per annũ plurimũ manebant, quibus & alia nõnulla ciuitas exhibebat. Sed iã de paralo ſatis.

Pentecontorus, πεντηκόντορος, nauis quinquaginta remigum. Hanc Græci ſcriptores à Danao inuentã prodiderunt, eóq; fuiſſe numero, quòd totidem eſſent Danai filiæ, hoc eſt, quinquaginta, cum ex Aegypto Argos in Græciam aufugit. A pentecontoro, pentecontarchus dictus, qui ei naui præeſt, vt eſt apud Demoſthenem ἐν τῷ περὶ τοῦ ἐπιτριηραρχήματος, & apud Harpocrationẽ, licet Phauorinus legat Diogenem, vt puto, perperàm. Sunt etiam eadem figura appellatæ naues, ἑκατόντορος, τριακόντορος, εἰκόσορος, hoc eſt, centũ, triginta, & viginti remigum actuariæ. Harum verò mentio ab Herodoto, Thucyd. Polyb. Diodoro & aliis facta eſt. Valla tamen apud Herodotum pentecontoron biremem interpretatus eſt, quàm recte, ipſe viderit. Celebrantur à Grȩcis Aetolorũ pentecontori, quorum cum decimã aliquando cepiſſent in Achaia Megarenſes, vel vt alij ſcribunt, Aeginenſes, eam Apollini Pythio dicarunt, & ſimul oraculum ſcitati ſunt quinam Grȩcorũ eſſent prȩſtantiſſimi: qui reſponſum illud acceperunt, ex quo Grȩcis celebre factum eſt prouerbium, in eos qui nullius ſunt precij ac numeri, ὑμεῖς δ᾽ ὦ μεγαρεῖς οὔτε τρίτοι, οὔτε τέταρτοι. hoc eſt, Vos Megarenſes nec tertij, ſed vos neque quarti. Integrum oraculum apud Stephanum leges, vel in commentariis Theocriti.

Phaſelus nauigium eſt Campanum, vt à Nonio ſcribitur, qui ſuper hoc Varronem, Salluſtium, & Siſennam citat. Meminit & Cic. ad Atticum. Sunt qui à leguminis ſpecie phaſelum nauem factam dictámq; putent. Sunt qui à Phaſelide loco deduci opinentur. Pictos phaſelos appellat poeta eo verſu:

Et circum pictis vehitur ſua rura phaſelis.

Legitur elegans Catulli epigramma, quo gemellis Caſtoribus phaſelum dedicat: ad cuius imitationem iiſdem penè verſibus poeta Maro Sabinum ſuum compoſuit, vt liquet. Alij phaſelum nauẽ oblongam eſſe ſcribũt, quali ſtagnante Nilo Aegyptij vtuntur, vt Vergilius. Horat.

Fragilémq; mecum ſoluat phaſelum.

Iſidorus verò in etymologico, Phaſelus, inquit, eſt nauigium quod corruptè baſellum dicimus, noſtro vero nunc tempore vaſellum apellamus.

Phylacides, & προφυλακίδες, & φρουρίδες, naues Grȩci vocabant, quæ ad præſidia & cuſtodiam mitterentur, quarum mentio cũ apud alios, tũ maxime apud Xenophontem, Diodorum, & Appianum: eas nos præſidiarias vocare poſſumus. Appiani quidem interpres cuſtodiarias fidelius quàm elègãtius repoſuit.

Piraticæ naues tam à Grȩcis quàm à Latinis vocãtur piratarum & prȩdonum nauigia: vtriſq; crebra eſt mentio. Eædem & prædatoriæ Liuio dicuntur & Plauto, &

to, & Græcè λῃςρικὰ πλοῖα, & λῃςρίδες νῆες; earum licet non vna ſit certa aliqua ſpecies,ſed varia ac diuerſa:modo enim liburnicas, modo celoces & myoparones,alijs deniq; nominibus apud autores vocitatas videmus.

Piſtris nauis genus eſt, ſeu vt doctiores autumant,priſtis,quod & conſonum magis videtur, ſi à ſecandis vndis & fluctibus nominatur, id eſt, vt ait Seruius, ἀπὸ τοῦ πρίζειν τὰ κύματα, πρίστης enim is eſt qui ſecat. Alij à piſcis genere formari contendunt,quod vtrunq; conuenire poteſt,hoc eſt,& nauis & piſcis,vt eãdem habeant originem:nam & longioris eſſe corporis,& anguſti eſſe feruntur,& idcirco facilè vndas ſecare queunt. Nauis vtique meminit Polybius, ſeu Brutus qui ex eo epitomen confecit, libro xvj. vbi de Philippi nauibus agit cõtra Attalum. Fuit,inquit(vt meis verbis exponam)earum quæ cum Philippo fuerãt nauium multitudo in certamen conſtituta,cataphractæ tres & L.cum his verò aphractę & lembi,cum πρίσται cētum & L. Idem alio locò,hoc eſt,lib.xviij. quinq; lembos habens & vnam priſtin, qua ipſe vehebatur. T.Liuius:Perſius poſt reditũ ab Eumone Erepontis ſpe deiectus Antenorem & Callipũ præfectos claſſis cũ XL. lembis, adiectæ ad hunc numerum quinq; piſtres erant, Tenedum mittit. Claudius rerũ Romanorum: Quicq; nauigiũ ea forma,marina bellua dicta eſt. Verg.

Velocem Mneſtheus agit acri remige priſtin. Idem:

Partem roſtro premit æmula priſtis.

Seruius Honoratus obſeruat in iij, Piſtrix per literam x,piſcem ſignificare, per s,nauim: quam regulam à doctis impugnari videmus, nam Plinius nunquam piſtricem dixit,ſed piſtres,vt lib.ix. Cęſar Germanicus in Arato,cum de ceto agit:

Piſtris agit duo ſydera. Idem:

Aequora piſtris adit.

Suidas, πρῆστις, ait, εἶδος κήτους θαλασσίου ἡ λεγομένη μάλθη, ὃ καὶ δυσκαταγώνιστόν ἐστι. hoc eſt, Priſtis ſpecies ceti marini, quæ vocata eſt maltha, & difficilis ad repugnandũ. Vbi notandũ per ἦτα ſcribi,quo modo & Oppianus poeta in primo, γνωτὰ δὲ φοινὴ πρῆστις. id eſt, hinc funeſtáq; preſtis. Sed & maltham eandem Suidas preſtenq; putat. Oppianus in eodem lib. diuerſam facit. Quare vt ad Seruiũ redeam, rectius ſtatuiſſet, ſi pro ceto dixiſſet apud Latinos vtroq; modò poſſe proferri. Quippe Cicero in Arateo carmine,cum de eodem ceto agit,ita ſcriptum reliquit:

Sparſam ſubter caudam piſtricis adhæſit. Idem:

Andromeden tamen explorans fera quærere piſtrix.

Idem & alibi in eodem poemate. Feſtus:Balænam marinam ipſam dicunt eſſe piſtricem, ipſum eſſe & cetum. Sed de hoc piſce præterea Ariſtoteles & Athenæus. Sunt qui hoc tempore priſtin vel malthan eam balænæ ſpeciem arbitrentur,quam vulgò nos ab olei copia capidolium vocamus.

Pontones genus nauigij Gallici, quorum mentio apud Cæſ.in iij. com.bell. ciuil. Pontones, inquit, quod eſt genus nauium gallicarũ, Lyſſi reliquit. Meminit & Gellius. Quidam naues arbitrantur in traiciendis amnibus idoneas. Apuleius: Et ſi vado non poterunt, pontonibus tranſibunt. quo modo caſtigandus eſt Paulus lib.ff. viij. quo locò de ſeruitutibus ruſticorũ prædiorũ agit: bis enim ibi, Potonibus traiiciatur, cum Põtonibus legendum ſit, quo in loco nihil ſapit interpres. Inuentum hoc nauis genus ſunt qui perhibent,ab his qui circa Circeios & Pontinam paludem habitant, & inde pontonis nomen. Alij nauigium tabulatum interpretantur coniunctum duobus lintribus,quomodo intellexiſſe in monoſyllabis Auſonius videtur,

Lintribus in geminis conſtratus ponto ſit,an pons.

Iſidorus neutro genere pontonium protulit, cum libro decimonono: Pontonium, inquit, nauigium flumini aptum, tardum & graue, quod non niſi remigio progredi poteſt. Hodie quoq; nauigij genus ad ſaxa & marmora conuehenda pontonem Ligures nominant. Sunt porrò qui quæ Græcè πορεία vocãtur na-

uigia, ad milites traiiciendos pontones interpretentur: rarum quidem vocabulum, vixq; apud alium, quàm Diodorum Siculum offendas. Cæteri enim ferè τὸ πορθμεῖον, vel πορθμεῖα, vocare conſueuerunt.

Proplus, πρόπλους nauigij genus apud Pollucem & Gellium, qui ait ita à Græcis aetuarias vocari, vt antè oſtendimus, varia ſit licet eo loco lectio. Vtitur hac dictione Thucydides libro vj. pro naui quæ præmittitur, vt etiam vox indicat. Vtitur & Xenophon v. lib. Hellenicon. Eſt & περίπλους nauis genus cuius Arrianus in ij. de hiſt. Alexandri meminit, cum inquit, decem triremes Rhodios miſiſſe Alexandro, quarũ vna periplus vocabatur. Sanè & περίπλους nauigationem & maritimam luſtrationem deſignat, cuiuſmodi Græcorum pleriq; ſcripſerunt, vt Poſſidonius, quem citat Plin. & Hanno Carthaginenſis, qui περίπλουν Libyæ ſcripſit, quem in templo Saturni conſecraſſe legimus. Scripſit & Arrianus ad Adrianum περίπλουν ponti Euxini, & item alterum maris Erythræi, qui ambo extant.

Proſumia genus nauis eſt, teſte Gellio & Nonio Marcello. Meminit Cæcil. vetus ſcriptor, cum ait: Cui gubernator propè euertit proſumiam. Idem: De nocte ad portum ſum prouectus proſumia. Pomp. Feſt. proſumiam genus eſſe nauigij putat paruum & ſpeculatorium: quo fit vt mirer quoſdam alioqui doctos hoc nauis genus ſumias appellare. Sunt & inter literatores primarij quidam nominis, qui à Brutiis proſumias inuentas affirmẽt, alióq; nomine geſeoretas vocari, quod id innuat Gellius. Iſidorus genus nauiculæ Syriacæ portemiam ſcribit, à portando vocitatam, latam & ſine carina, de qua, quod ſciam, aliud non comperi niſi quod ea Pannones vtantur. Sed videndum ne Iſidorus pro porthmeia portemiam ipſe induxerit.

Rates, vide ſchedia.

Remeculus nauigij genus eſt apud Gellium, niſi quis lenunculum eo loco malit legere, vt alibi monui. A remis nomen habere videri poteſt. Sunt qui Lemniorum inuentum eſſe velint.

Roſtratæ naues Græcè ferè χαλκέμβολοι νῆες, & χαλκήρεις: nã χαλκώματα καὶ ἔμβολοι roſtra nauium appellantur: ſic vero dictæ, quod ferreo armantur roſtro. Iſidorus quidem dictas ait ab eo, quod in fronte roſtra ærea habeant, propter ſcopulos, ne ſcilicet feriantur vel collidantur. Alij alia de cauſa, hoc eſt, propter prælia naualia. Hæ & æratæ dicuntur. Vergilius:

Quot prius æratæ ſteterant in littore puppes.

Cæſar in ij. bell. ciuil. Interim L. Naſidius à Cn. Pompeio cum claſſe nauium xvj. in quibus paucæ erant æratæ, L. Domitio Maſſilienſibúſq; ſubſidio miſſus. Roſtra, ait Plinius, nauibus addidiſſe Piſæus primus dicitur. Roſtra verò appellata liquet ab auium roſtris. Sed & à nauiũ roſtris ex Antiatum bello Romæ locus, vel templum, ante curiam vocitatus fuit, quo in loco plerunq; conciones habebantur, quo de loco Varro, T. Liuius, Pub. Victor, alij. Appianus de bell. ciuil. πρὸ τῶν ἐμβόλων ἐν ἀγορᾷ hunc locum vocauit, hoc eſt, in foro pro roſtris, loquens de Marij Cos. iunioris cæſi capite. Cæterum & à roſtris corona roſtrata appellata eſt, cuius Plinius meminit. M. Agrippam ea corona ornatũ deuicto Sext. Pompeio, Magni Pompei filio, ait Seruius Honoratus ſuper his Vergilij verſibus:

Parte alia ventis & dis Agrippa ſecundis
Arduus agmen agens, cui belli inſigne ſuperbum
Tempora nauali fulgent roſtrata corona.

id quod etiam in nomiſmatibus antiquis ipſius Agrippæ conſpicitur. Eadem & naualis dicitur, vt copioſè antè diximus.

Salaminia Athenienſium nauis, de qua vide cap. viij. & item in paralo.

Samæna nauis genus biremis, hoc eſt, δίκροτον, à Polycrate Samiorum tyranno primò inuentũ, vt Lyſimachus in ij. νόστων ſcriptum reliquit, figmentũ verò & opus fuit Duridis. Samænæ forma rotunda & cõcaua in alui fermè effigiẽ, quo

facilius

facilius ire & celerius flecti poſſet: nomen ei à Samo, vbi primū eſt inuenta, vt ſcribit Plutarchus. Meminit & Athenæus, qui eas Samias naues vocat, & appellatas à patria, non vt quidam eo loci corrigunt, Samænas. Samænæ enim & Samiæ eodem nomine dicebantur, vt ex eo carmine patet:

ναῦς δ' ἦς ὠκυπόρος σαμία ὑὸς εἶδος ἔχουσα. hoc eſt,

Nauis erat velox Samia hæc ſuis ædificata Forma.

quòd ſcilicet hæc anteriorem partem ſuis formam haberet. Scribit Suidas, aliquos & Samænam nomiſma quopiam eſſe voluiſſe, niſi νόσημα potius pro νόμισμα apud eum legendum: vnde & prouerbium factū de timentibus calamitates minus curabiles, quo pacto Samios Athenienſes affecerunt, & Athenienſes Samij, qui ſtigmatibus & notis eos inuſſerunt, ex qua re et literati Samij dicti ſunt. Sunt qui prouerbium deducant à tormenti ac ſupplicij genere, quod Same appellaretur, ex quo & illud, τὰ σαμίων ἀπέπτυσας, hoc eſt, quæ Samiorū ſunt deſpuis: vel vt rectius alij ſcribunt, ὑπώπτευσας, id eſt, ſuſpicaris. Sed in præſentia de his ſatis, cætera prouerbiorum ſcriptor exequitur.

Scaphæ, teſte Nonio, nauiculæ ſunt quæ maiores naues conſequuntur. Idem & ſtatuunt Ireconſ. nec in vno modo loco. Iabolenus: Si nauem, inquit, cum inſtrumēto emiſti, præſtari tibi debuit ſcapha nauis. Paulus imò contra: Etenim ſcapha nauis, non eſt inſtrumentum nauis, nam in mediocritate, non genere ab ea differt. Inſtrumentum autem cuiuſque rei neceſſe eſt alterius generis eſſe, atq; ea quæq; ſit: quod Pomponio libro vij. epiſtolarum placuit. Cæſar in cōmentar. Quod cum animaduertiſſet Cęſar, ſcaphas longarum nauium, item ſpeculatoria nauigia militibus compleri iuſſit. Sanè crebra eſt apud autores ſcapharum mentio: nunc vulgò pro ſcapha noſtri nautæ ſcyphum appellant, ſic quidem & ab eruditis putatur. Sed certè & ſcyphus nomen eſt nauigij, id quod Aur. Macrobius vir multæ eruditionis apertiſſimè oſtendit lib. Sat. v. Sunt & qui ſcaphas liburnis aſſociari dicant, exploratoriáſque vocari, vt eſt apud Vegetium. Sunt & qui ab Illyricis inuentas tradant. Sanè venter nauis ſcapha dicitur, vt alibi diximus. Porrò & illud ſciendum, apud Athenienſes olim morem fuiſſe, vt hoſpites externíq; in Panathenæis, maxima eorum celebritate, quo tempore populares ludi agebantur, in eorum pompa incederent ſcapham inſigne geſtantes, quo ab ingenuis ciuibus diſcernebantur, atque ideo hoſpites ipſi & inquilini ſcaphephori vocabantur. Huius conſuetudinis meminere Suidas & Ammonius, item Theophraſtus in x. de legibus, Dinarchus in oratione pro Agaſicleo, & Demetrius in iij. nomotheſiæ, & poſt hos Valerius Harpocration. Ab hac vtique conſuetudine etiam factum eſt prouerbium, Scapha magis elinguis, hoc eſt, ἀστομώτερος σκάφης, quod de iis dici conſueuit, qui propter ignobilitatē conticeſcunt. Porrò attendendum etiam eſt ſcapharum ſupplicium atrociſſimum fuiſſe apud barbaros, cum duæ ſcaphæ inuerſæ conſtituebātur, intus noxio impoſito, manibus, pedibus, & capite excluſis, atq; ita necabantur: quod genus locupletiſſimè in vita Artoxerxis Plutarchus deſcribit. Sanè & ſcaphæ ſunt ad piſcandū nauiculæ. A ſcapha ſcaphinū deducit vaſis genus. A ſcapha ſcaphiten formauit Demetrius Phalereus, quo vocabulo ſcaphæ moderatorem intelligimus. Scaphium etiā aliquando pro nauigio paruo ſumitur, & pro vaſe ruſtico, & pro inſtrumento quopiam ad effodiendum, quo etiam athletæ exercebātur, παρὰ τὸ σκάπτειν dictum. ſed & prò tonſuræ quodam genere. Scaphos etiam genere maris à Polluce in primo prolatum eſt: ſed & neutro, vt illud Bianoris poetæ, τὸ σκάφος οὐ βυθός. Idem Lucilius in Græcis epigrammat. πλοῖον τὸ σκάφος ἐστὶ μύλωνος. Sunt qui cùm neutro genere profertur, dicant, pro quocunque nauigij nomine accipi ſolere, quod fieri interdum non eo inficias. A ſcapha etiam ſcaphidion deducitur.

Schedia genus nauigij inconditum, hoc eſt, trabibus tantùm inter ſe connexis: vnde & mala poemata ſchedia appellantur, vt ſcribit Feſtus. σχεδία & Sui-

das ita appellat, vnde apparet Græcum eſſe vocabulum: nam & Lucianus in dialogo, in quo Alexander, Annibal, Minos & Scipio introducuntur, ea dictione vſus eſt. Item Strabo. Herodotus verò videtur accepiſſe pro ponte quo Darius Boſporum iunxit. Vlpianus Iureconſ. Nauem, inquit, accipere debemus ſiue marina, ſiue in aliquo ſtagno nauiget, ſiue ſchedia ſit. Sed & Seruius grammaticus lib. j. rates ait hoc vocabulo ſignificari, de quibus Plinius his verbis: Antè, inquit, ratibus nauigabatur inuentis in mari rubro inter inſulas ab Erythra rege. Diodorus etiam Siculus, ante nauem Argo conſtructam, ratibus & paruis quibuſdam actuariis nauigare ſolitos antiquos ſcribit: quare apud poetas videmus id vocabulum permanſiſſe, vt frequentius rates pro nauibus vſurpent. Ratem ſcirpeam vocat Plautus in Aulul. qua qui nare diſcunt pueri vtuntur. A rate ratiarij dicuntur, vt eſt apud Iuriſconſultos. Varro tamen de lingua Latina libro vj. Ratis, inquit, nauis longa propter remos; quod ij cum per aquam ſublati, ſub dextra & ſiniſtra duas partes efficere videntur rates: vnde hoc translatũ, illic vbi plures mali aut aſſeres. Rates etiam duplices dixit Cæſar in j. bell. ciuil. Rates duplices quoquo verſus pedum xxx. è regione molis collocabat. Sanè, vt ad priora redeamus, ab eadem ſchediorum origine, Latinorum quidam ſchedam, & ſcedam, & ſchedion, pro prima ſcriptione vel compoſitione nonnunquam vſurpauere: vnde & autoſchedion. Dicunt & ſchedicon, pro poemate incondito & parum limato, Auſonius & Apuleius: & Græcis verba σχεδιάζω, & αὐτοσχεδιάζω.

Stlatum nauis genus latum magis quàm altum, vt Pomp. Feſtus ſcribit, vnde & nomen habere creditur. Antiqui enim dictionibus ab l litera incipientibus aliquando ſt præponebant, vt Priſcianus, Feſtus, alij obſeruant: vt, ſtlitem, ſtlocum, ſtlatum, pro eo quod eſt, litem, locum, latum. Stlatam vero nauem Sardi inueniſſe dicuntur.

Synedria nauis genus eſſe apud Vlpianum Iuriſconſ. videtur, quæ ſpaciandi cauſa facta ſit, & in qua ſint ſedilia. Certè Suidas ſynedriam cathedram interpretatur. Vlpiani verba de exercit. actione leguntur, quo loco putat Budæus reponendum ſchedia, Alciatus mecum nihil mutat.

Strongylon genus nauis rotundæ ad onera ferenda aptum: eius frequens Græcis mentio, Herodoto, Arriano: à noſtris aliquando onerariæ dictæ στρογγύλην ναῦς, & στρόγγυλον πλοῖον. De his latius cap. vij. locuti ſumus.

Tabellariæ naues dicuntur, quæ aduentum claſſis prenunciant, id quod manifeſtè colligitur ex xj. epiſtolarum lib. Annei Senecæ. Subitò, inquit, nobis hodie Alexandrinæ naues apparuerunt, quæ præmitti ſolent, & nunciare ſecuturæ claſſis aduentum, tabellarias vocant. hæc Seneca.

Thalamegæ naues ſunt, ad belli aliarúmque rerum pompam. Hę, vt Appianus ſcribit, tum proras tum puppes habent auro exornatas, in quibus Imperatores vehi conſueuere. Vſus & hac dictione apud noſtros Suetonius Tranquillus in Cæſare, qui ait ipſum Cęſarem cũ Cleopatra thalamego Aethiopia tenus Aegyptum penetraſſe. Athenęus quoque lib. Dipnoſophiſtôn v. Ptolemæi Philopatoris thalamegum fluuiatilem deſcribit, cuius & ſuprà meminimus, fuiſſe longitudinis ſtadij dimidij, latitudine cubitorum xxx. Vidimus ipſi thalamego propè ſimilem Venetiis, quem Ducis bucentaurum vocant, à centauro puto naui Vergiliana. Fuit & eiuſcemodi quæ patrum noſtrorũ memoria à Venetis Pandora dicebatur. Fuerunt & antiquis naues quæ thalamiphori dicerentur, his, quas modo retulimus, non abſimiles, quas, vt puto, Anneus Sene. lib. vij. de beneficiis, cubiculatas vocaſſe viſus eſt. Maximus quoque Tyrius nauem regis cuiuſdam ſupra Phœnicem deſcribit, quę harum nulli ad luxũ ceſſiſſe videt, cuius ſi formã deſideras, primũ et xxx. eius ſermonẽ euolue. Legimus et Heraclium Imperatorem ex Aphrica redeuntem nauibus caſtellatis vſum: putarim ſemitarium ſcriptorẽ intellexiſſe, quaſi caſtris cõſtructis nauibus. Valturius autor eſt.

Theoris nauis dicebatur, quam ex voto Theſei cum in Cretam proficiſceretur, quotannis Athenienſes in Delum ad ſacra facienda Apollini mittebāt, ad oraculum ſcitandum, de re ſacra facienda, de patria, de peregrinatione, de ſacris certaminibus, cęteriſq; celebritatibus: & qui mittebant tum Deliaſtæ, tū theori dicebantur. nec interea temporis quo nauis miſſa eſſet, de noxio ſupplicium ſumebatur: qua de naui ſic in Phædone Plato: Hæc eſt illa nauis, vt aiunt Athenienſes, in qua Theſeus olim bis ſeptem illos ſecum tulit in Cretam, ſeruauítq; illos, & ipſe ſeruatus eſt. Vouerat autem, vt fertur, Apollini, ſi ſeruarētur, quotannis in Delum theorim mittere: quam quidem & nunc & ſemper ex illo tēpore ſingulis ad deum mittūt annis. Cum igit theoriæ principium agit, ex lege interim luſtrant vrbem, neminémq; eo tempore publicè necant, donec ad Delum perueniat nauis, rurſuſq; Athenas reuertatur ex Delo. Id verò nonnunquam longo peragitur tempore, quando eos impediunt venti. Initiū quidem theoriæ eſt, poſtquā Apollinis ſacerdos nauis illius coronauerit puppim. Id autem, vt modo dicebat, pridie quàm iudicaretur Socrates, factum erat: quam ob cauſam longum tempus Socrates fuit in carcere, inter iudiciū & necem. Hęc Plato. Eſt verò theoria ſacrificium illud ac celebritas, vt ait Thomas magiſtri, qua nauis in Delum mittenda, à theoro, id eſt, ſacerdote coronabatur. Theoriam ſpectaculum vertit Marſilius, ineptius alij ſpeculationem. Theoras & Suidas ſacerdotes eſſe ait, qui ad ea ſacra in Delum mittebantur, & ſimul qui res ſacras cuſtodiebant, curámq; gerebant: ὤρην enim priſci curam ſolicitudinémq; dicebant. Verum de theoris & theoria, plura idem colligit Thomas, qui & illud ait καταχρηστικῶς theorida Charontis nauem appellaſſe Aeſchylum poetam in fabula, ἐν τοῖς ἐπὶ Θήβαις. Vocabatur & theoris nauis paralus, vt diximus.

Trieris nauis, vt Ethicus Hiſter ait, magna, ex tribus nauibus fabricata, ferróque plurimum affixa & copulata, vt ipſius Ethici vtar verbis: ſed verius eſt, quam nos triremem dicimus. Nam quos Græci μονήρεις, διήρεις, τριήρεις, τετρήρεις, πεντήρεις, ἑξήρεις, ἑπτήρεις, ὀκτήρεις, ἐννήρεις, δεκήρεις, ἑνδεκήρεις, τρισκαιδεκήρεις, πεντεκαιδεκήρεις, εἰκοσήρεις, τριακοντήρεις, & reliqua nauium genera à remorum ordinibus appellata, noſtri vniremes, biremes, triremes, quadriremes, quinqueremes, & vt Hirtius, pentiremes, ſex remigum nauis, ſeptiremis, octo remigum nauis, nouem remigum, decem, vndecim, XIII. XV. XX. XXX. remigum, &c. Sed & Græcis ſæpe nominibus vſi ſunt Latini, vt Liuius in iiij. decade, & alibi, hexeres, hepteres, & aliis quoque nominibus. Sanè & οἰήρεις apud Theophilum, Suidam, & Phauorinum legi cum daſea accentu, & vnica ι litera, & interpretantur naues quæ vno remigum ordine ſint: ſcribúntque Syllam cum contra Mithridatem in Dardano Troiadis regione veniſſet, naues vniremes hoc eſt, heneres ducentas habuiſſe: quod idem tradit in Sylla Plutarchus, ſed eas Mithridatis, non Syllæ fuiſſe ait. Sed enim vir doctus ψιλῇ accentu ἐνήρεις interpretari maluit, naues inſtructas ac paratas, idque ſuper aliquot Plutarchi loca aduocat. Sed vt ego propoſitam nauium rationem proſequar, T. Liuius ſexdecim etiam verſuum naues commemorat in iiij. decade: Quin, inquit, & regiam vnam nauem inhabilis propè magnitudinis, quam xvj. verſus remorum agebant. Pollux xv. verſuum Ptolemæi naues celebrat, hoc eſt, πεντεκαιδεκήρεις. Item nauis Antigoni, quæ τριάρμενος à tribus velis nuncupata eſt. Sanè & triremis Græcè vocatur τρίκροτος, ſicut & biremis δίκροτος. tametſi quidam ab inſtrumento quopiam, quod in prora & puppe affigi tradunt, dicroton dictam velint, vel à duobus gubernaculis, vt iam dixi. Porrò & triremes à Græcis ἀδηφάγους vocant, quod perfectam, plenámque exigant mercedem: idque nominis inuenitur in Lyſiæ oratione, quæ inſcripta eſt, ὑπὲρ δοκεῖτου μαρτυρεία. Alij exiſtimant eas ſic vocari, in quibus immenſæ expenſæ abſumuntur, quemadmodum & lucernam adephagum Alcæus appellat. Alij ἀδηφάγους voraces edacéſque nuncupant, quo nomine vocatus eſt Hercules, vt in

Hercule docuimus. Quidam duplici δδ, hoc ipſum nomen ſcribunt. Iſidorus triremem ait etiam vocari Durconem. Valla contra Raudenſem Duraconem vocaſſe videtur. vtcunque, τὰ δοῦρα à Græcis ligna dicuntur, vnde & durateus, & durius Troiæ ligneus equus dictus eſt. Fuerunt & duplæ triremes, hoc eſt, διπλασίαι τριήρεις, vt eſt apud Xenophontem in iiij. Hellenicôn. Demum quod de diere diximus, præter Suidam & Phauorinum, qui à duobus remigum ordinibus ipſam vocatam fatentur, Apollodorus quoq; duas ſtegas habentem nauem eſſe prodidit. At Euripides in Phœniſſ. pro domo accepit, vt Thomas & Theophilus fatentur. Triremis à quibus inuenta, & quare vulgari vernaculóque ſermone galea nuncupetur, vt puto, abunde in ſuperioribus diximus.

Tabrica nauis, quod ſit trabibus confixa, dicta eſt, vt ait Feſtus. Pacuuius: Labitur tabrica in alueos. Trabarias has vocat Iſidorus: ait enim eas eſſe naues amnicas, hoc eſt, fluuiatiles, quod ſcilicet ex trabibus cauantur. eaſdem & littorales & caudicas ait appellari. quin etiam & trabes ipſæ pro nauibus deſumũtur, vt illud eſt Ennij in annalibus:

Labitur vncta trabes remis roſtrata per altum.

Eſt & id vulgatiſſimum de Argo:

Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus
Cæſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes.

Horatius: —*Attalicis conditionibus*
Nunquam dimoueas, vt trabe Cypria
Myrtoum pauidus nauta ſecet mare. Vergil.
Vela damus, vaſtumque caua trabe currimus æquor.

Triampis genus eſt nauigij barbaricum, vt obſeruant Grammatici apud Nicandrum, & Lycophronem. Nicander enim in Theriacis ait, τράμπις ὁλκαίης ἀκάτῳ ἴσος. hoc eſt, Trampis longæ acato ſimilis. quo loco, vt ait interpres, poeta abuſiue pro quolibet nauis genere poſuit. Lycophron vero in Alexandro:

τράμπις σ' ὀχήσει, καὶ Φερέκλειοι πόδες. id eſt,
Trampis vehet teq; & Pherecleï pedes.

Eius nauis meminit & Suidas. Iſaacius quidem ſuper hoc Lycophronis ſenario: Naues, inquit, Alexandri à Phereclo fabricatas ait. De Phereclo verò qui Paridis naues conſtruxit, & Homer. in Iliade meminit rhapſodia quinta:

μηριόνης δὲ φέρεκλον ἐνήρατο τέκτονος υἱὸν ἁρμονίδεω. hoc eſt,
Artificis natum Harmonidæ occiditq; Phereclum Meriones.

Coluthos quoq; poeta Panopolitanus ex Aegypto, in raptu Helenæ ita de Phereclo cecinit:

——ἀρχεκάκοιο περιφροσύνῃσι φερέκλου,
ὅς ποτε μαργαίνοντι χαριζόμενος βασιλῆϊ,
νῆας ἀλεξάνδρῳ δρυτόμῳ κεκτήνατο χαλκῷ.

hoc eſt, etſi duriuſculè inconditéq;, aurdendum tamen:

——*Cauſa fuit qui prima mali arte Pherecli,*
Olim qui inſano cum regi gratificatus,
Struxit Alexandro naues ſyluaſq; cecidit.

De eodem ita in heroidibus poeta Naſo:

Hac duce Sichæo dubias à littore feci
Puppe Pherecleä per freta longa vias.

Nec deſunt qui putent promontorium Phalacre Idæ montis Troię appellatum, vt Iſaacius ait, quod arboribus à Phereclo ſpoliatum fuerit in conſtruendis Alexandri nauibus. Non me fugit alios aliter ſenſiſſe. In hæc aliquando diuerti, vt te varia lectione à faſtidita leuarem. Ad cætera quæ reſtant attende.

Tiphys curſoria, nauigij nomen eſt apud vnum, quod ſciam, Sidonium Apollinarem, à Tiphy, vt puto, illo Argûs nauis gubernatore adeò noto & perito, vt

to, vt in prouerbium iam vulgatum id nomen ceſſerit, Alter Tiphys. Sidonij verba hæc ſunt lib. epiſtolarũ primo: Tiphym, inquit, curſoriam, ſic nauigio nomen eſt, aſcendi. Sed quiſq; ſibi huiuſcemodi nauigiorum nomina facile confingere poteſt, quæ noſtra annotatione parum digna videntur. Nam non modo Veneti & Genuenſes, ſed & reges ac principes ſibi nauium nomina hoc etiam tempore confingunt.

Vagiones nauiculas maritimas miro artificio fabrefactas, Ethicus Hiſter deſcribit, eáſq; ex tabellis tenuibus leuigatis dolatíſq;, ac æreis laminibus circundatas ait, & circunſutas: dictas vagiones, quaſi vagantes: eáſq; in bello Troiano fuiſſe in flumine Simeonte, idẽ eſt autor. Libet verò in huius capitis calce quædam nauigiorum addere nomina, quorum vix aliud apud ſcriptores inuenias, quàm mera ipſa vocabula. Inter hæc ergo reponimus, naxiurges, cnidiurges, cantharus pro naui, ſilphas, cydali, ampheres, ancyromagus, quem Iſidorus dictum ait, pro eo quod celeritate ſua, anchoris & inſtrumentis reliquis nauiũ vehendis ſit aptus. Fuit & nauis mimortauia, & aliæ, de quibus ſparſim, prout occaſio tulit, toto hoc volumine meminimus: & aliæ etiamnum fortaſſe, quæ, nos dum dormitamus, præteriere.

Eorum qui in nauibus verſantur vocabula. CAPVT XIX.

SVpereſt, vt eorum qui in nauibus verſantur, nomina adſcribamus: quin & ordo ſic expoſcere videtur, vt conſtructis & iam paratis nauibus, in eas iam nautas imponamus, quos, vt Vlpiani verbis vtar, accipere debemus pro eis qui nauem exercent: quamvis nautæ etiam appellentur omnes, qui nauis nauigandæ cauſa in naui ſunt, quos Anacharſis Scytha philoſophus tãtum abeſſe à morte dicere ſolitus erat, quot digitorum nauis eſſet craſſitudo: cuius ſententiæ & Satyricus noſter alluſit. Idem Anacharſis rogatus aliquando, quænam foret nauis ſecurior: ea, inquit, quæ in portum venerit. Bias quoque nauigantes nec inter viuentes, nec inter vita functos numerandos cenſebat. Sed his & talibus miſſis ſententiis, illud in primis ſcire oportet, in re nautica, vt cęteris in rebus, ordines eſſe, vt per gradus quoſdam ad ſummum gubernandæ nauis officium perueniamus: nam, vt rectè ſcribit Nazian. non ab initio gubernatorem nautæ, nec ſubitò faciunt, ſed quem primum per omnia nautica officia exercuerint, expertíque fuerint. Remigem primum videre volunt: deinde in prora conſtitutum, ventos noſcere, ſaxa & ſcopulos probè euitare aſſueſcunt: poſtremò in omnibus exercitatum muneribus in puppi collocant, clauúmque in manu tradunt, gubernatorémque conſtituunt. Hæc ille. De gubernatore igitur primum agamus. Gubernator, hoc eſt, κυβερνήτης, eſt qui nauem regit atque gubernat. Ridiculi ſunt, qui gubernatorem dictum exiſtimant quaſi cohibernatorem. A gubernatore totius vitæ noſtræ rationem Maximus Tyrius philoſophus quodam ſermone deflexit. Non vides, inquit, vt vnus gubernator nauigationem moderetur, vt animus corpus? vt nauis gubernatoris imperio pareat, vt animo corpus? vt venti nauem impellant, quemadmodum virtutes fortuna? qui ſi tempeſtas exoritur, manente naui incolumíque gubernatore, ſalutis nunquam amittitur ſpes, ſiue nauis ipſa recto feratur curſu, ſiue arte tempeſtatem deuitet, dum tamen à gubernatore regatur. At ſi gubernatorem ipſum abſtuleris, inutilis nauis efficietur, etiam ſi firmitatem propriam ſeruat: & inutilis erit ventorum afflatus, etiam ſi ſecundus ac proſper fuerit: propterea & in mari, & in naui, & in nauigatione, precioſiſſimus eſt gubernator. Tum ille paulò poſt ſubiungit: Sic in vitæ noſtræ curriculo animus ſupremum ſibi vendicat honorem; quemadmodum in naui gubernator. Nobilis eſt illa etiam M. Tullij de gubernatore ſententia in Catone: Similes ſunt, inquit, vt ſi qui gubernatorem in nauigando agere nihil dicant, cum alij malos ſcandant, a-

lij per foros curſitent,alij ſentinam exhauriant,ille autem clauum tenens ſedeat in puppi.Idem in Philippicis:Et ſummi,inquit,gubernatores in magnis tempeſtatibus admoneri ſolent.A' gubernatore Iabolenus Flaccus archigubernium deduxit lib.Digeſtorum xxxvi.pro eo qui ſit gubernatorum princeps, vel claſſis præfectus:ita enim ſcribit ad ſenatuſconſultum Trebellianum: Saturnius,ait;archigubernius ex claſſe Britannica teſtamento fiduciarium reliquit hæredem, Val.Maximum trierarchum.Legimus apud Stobæum, Cercitas fuiſſe Scythiæ populos,qui,ſi apud eos nauis gubernator forte aberraſſet, nec nauigationis curſum rectum tenuiſſet,ignominia notare,& ſputis impetere eum ſolerent.Sed de gubernatore ſatis,iam ad alios qui in naui ſunt, ſermo dirigatur. Nauarchus eſt in naui princeps.Eſt & nauis dominus,is qui ipſius nauigij poſſeſſor eſt,vt in l.i.de exercit.act.Siue,inquit,dominus nauis,ſiue à domino nauē per auerſionem conduxit.Vbi obiter notandum,auerſione,vel per auerſionem dici,cum periculum venditor à ſe in emptorem auertit.Eodem modo Modeſtinus dixit,res auerſione empta.de contrah.empt.Sequitur porro nauclerus,qui nauem regit,id eſt nauicularius.Tertullianus Florens de Marcione põtico nauclero & hæreſiarcha: Quamobrem, ait,pontice nauclere,ſi nunquam furtiuas merces vel illicitas in acatos tuas recepiſti.Sunt & trierarchi,qui triremib. præſunt,qua voce & Latini vtuntur,vt Cic.in Verr.Cor.Tacitus, & Iabolenus Iuriſc.Eſt & pentecontarchus,qui pentecontoro præeſt,vt diximus.Sunt & nauſtologi & nauſtodicæ,qui in nauibus rationibus & iudicijs præſunt.Sunt & ſcribæ quos epiſtoleos græci vocant.quin & apoſtoles,hoc eſt ἀποςολῆς, magiſtratus fuere rei nauticæ iuriſdictionem habentes, qui trierarchis iura dabant.Demoſthenes pro Cteſiphonte,& Philochorus.Apoſtoli quidem ſunt claſſium apparatus expeditionéſq; maritimæ, vt ex primo Philipp. Demoſthenis didicimus.repetunt Harpocration & Suidas.Nihil hic agendum de varijs huius vocis ſignificatib. Latini quidem alio modo nauales ſcribas intelligunt quàm Grę ci.Naualem enim ſcribam,teſte Feſto,eum dicebant,qui in naue apparebat, interq; aliud genus ſcribarũ minimę dignitatis habebatur,quod periculis quoque eius miniſterium eſſet obiectum.Plaut.Non ego te noui naualis ſcriba in colũbari impudens &c.vt ſuprà in nauium partibus retulimus.Sunt etiam qui in naui thalaſſometram,hoc eſt,maris menſorem conſtituant, qualis ſcilicet qui hodie tabulę nauticæ,vel pyxidi ſedulus aſſiſtit:nunquam tamen ſe in Hexahemero thalaſſometram audiuiſſe ait Ambroſius.Geometram,inquit,audiuimus,thalaſſometram nunquam audiuimus.Sunt & celeuſtæ,id eſt,iuſſores,quos Latini hortatores vocant,vt Plautus & Lactantius.Sunt vero qui voce,vel ſibilo remiges hortantur:vnde & celeuma & celeuſma ipſa vocis modulatio,cuius Pædianus,Diomedes,Seruius,alijq; meminere:ex quo & pes in poetica dictus proceleuſmaticus.Celeuma vero ſeu celeuſma clamor eſt nauticus, cùm vno aliquid iubente omnes pariter reſpondent,quaſi ſibi inuicem iubentes, ἀπὸ τοῦ κελεύειν, quod eſt iubere.In nauibus quidem claſſiarijs celeuma interdum aſſa voce, vel tibia canebatur,ita vt remiges pro modulorum & harmoniæ ratione vel concitarent vel inhiberent remos. Pędianus quidem cani remigibus celeuſma per ſymphoniacos ſeruos ſolitum olim fuiſſe,& per aſſam vocem,id eſt,ore prolatã, &,vt in Argo naui,interdum per citharam.Martialis:

Quorum per vada tarda nauigantes
Lentis ſ[i]gitis ad celeuma remos.

At noſtri nautę fermè voce,vel parua fiſtula hortantur & celeuma canunt. De celeuſtis ab his,quę diximus,diuerſa Suidas tradere videtur.Celeuſtas enim trierarchis & proretis pręeſſe affirmat,& epibatis, maximámque in naui vtilitatem afferre:& cętera quę ſubdit. De celeuſte meminit & Pollux.At certè hos hortatores remigum priſci Portiſculos vocabant,vt antè docuimus.Seneca lib. epiſtolarum vij.pauſarum in re nautica appellat,eum qui dat remigib. modos,

hoc eſt,

hoc eſt, qui eis voce quadam clamando pauſam imperat, vt videlicet celeuſtes ad remigandum hortatur. Eſt & in naui proreta, hoc eſt πρωράτης, qui & πρωρεὺς dicitur, qui proræ inſiſtit, cuius officium Suidas eſſe ait, vt remigantibus imperet. Sunt & nauicularij, qui & nauiculatores appellantur, qui naues meritorias agunt. Sunt & magiſtri, & ductores, & rectores, quorum omnium crebra mentio, & poetis in primis. Sunt & qui remigant remiges, qui & ſocij nauales dici videnẽ à Liuio, tametſi alij de euocatis præſidiis in claſſibus intelligere malunt. Remigum verò apud Grecos à remis ipſis varia ſunt deducta vocabula, vt eſt in primis apud Pollucem, ἐρέτης, τριηρέτης, ἐπίκωπος, ἐρέττων, αὐτερέτης, nam & ſic vocat Thucydides remiges. Dicuntur & πρόκωποι, qua voce Lucianus & Pollux vtuntur. Remigantium autem tres ordines Suidas & Ariſtophanis interpres conſtituunt. Qui enim ſubtus & in inferiore nauis parte ſunt, thalamitæ, & thalamaces, & thalamij nuncupanẽ: qui in medio loco, zygitæ: qui vero in ſuperiore loco, thranitæ. Horum Thucydides, Ariſtophanes, Appianus, Pollux, alij meminere. Sed horum omnium minorem exigebāt mercedem Thalamitæ, quòd breuioribus remis nauem impellerent: ſicuti Thranitę maiorem, quod longioribus vterentur, & ideo magis etiam laborarent, de quorum certa mercede variè proditum videmus, nam & hoc tempore non ſunt ſtatæ mercedes. Sed enim iidem ipſi Ariſtophanis interpretes id quoq; tradunt, thranitas ad portam, zygitas in media naui, thalamitas ad puppim remigare. Sunt & nauium nauphylaces, à cuſtodia denominati, & à lateribus tœcharchi. Sunt & qui naues trahūt, quos Græca voce Martialis, Firmicus, & Apollinaris, helcyarios vocant, ab helcyo, quod genus eſt funis, cuius vel Apuleius in ix. meminit. Helcyo, inquit, ſparteo dimoto. Hoc noſtrate vulgus nauticum, vt alibi diximus helcyanam vocat, quo fune naues ad amnium ripas & maris littora cum ab hominibus ipſis, tum ſæpe à iumentis trahuntur. Helcyarios Budæus à nobis diuerſe interpretatus eſt. Helcyarij, inquit, qui in naui onera funibus moliuntur, vel qui naues deducunt ſubducúntve, ad officia inuicem adhortātes, vt vno connixu pariter conſpirantes admoliri vniuerſis viribus poſſint, quod ſingulis nequeunt, vt fieri interdum vid").replace("","") demus. Sunt & epibatæ quorum frequens eſt mentio, non Grecis modo, quorum eſt vox, ſed & Latinis, nauales milites & propugnatores claſſiarij, vt Herodotus, Xenophon, Demoſthenes, Ariſtophanes, alij, oſtendunt, & grammatici exponunt, vt Harpocration, Pollux & Suidas. Vitruuius in ij. Artemiſiam in eo portu abſtruſam claſſem cælatis remigibus, & epibatis comparatis, reliquos autem ciues in muro eſſe iuſſit. Sunt & qui epibatas & naumachiarios eoſdem putent. De naumachiariis quidem Suetonius in Claudio meminit. Epibatas Iſidorus Hiſpalenſis aliter interpretatur: Epibata, inquit, Græco ſermone appellatur, qui Latinè dicit̃ ſuperueniens: hic nihil habet negocij, ſed naulo dato in alias terras tranſire diſponit: id quod & Grecorum quidam aſtruunt, quos inter Thomas magiſtri, qui & illud addit, quod ab Atticis epibatæ dicūtur qui armati in pugnam parati ſunt, quo modo vſos autores quos paulò antè citaui. παραβάται verò ij dicti ſunt, qui ex curru pugnabāt, vt apud Homer. At nautæ in bello στάτιδες dicti ſunt, vt Phauorinus obſeruat. Sanè ab eo quod epibatæ vectores appellantur, quidam & vectoria ipſa nauigia ἐπιβάδες, ſeu ἐπιβατίδες nuncupari tradunt, quæ & epibatæ & embatæ etiam dicantur, qui ſuper hoc malè Plinium citant, cum Vlpiani ſint verba ex xiiij. lib. ff. quæ nos in emphractis adduximus. Vocantur & Naubatæ ij qui ſuperflui ſunt, & in nauibus vehuntur, vt ſequēti capite dicemus: qui & à Thucydide πλώϊμοι, quod & Pollux & Suidas probant. Iidem & πλωτῆρες dicuntur, id eſt, nauigatores. Muſæus tamē πλωτῆρα natatorem Leandrum dicere videtur. Eſt & in naui qui πορθμεὺς, vocatur, quem noſtrorum quidam portitorem dixere, vt Seruius in vj. Aeneidos. Alij non portitorem, ſed tranſfretatorem interpretantur, vel traiectorem, at ij quàm rectè, ipſi viderint, certe quem Vergilius portitorem dixit, & Propertius cum cecinit,

Vota

Vota mouent ſuperos, vbi portitor æra recepit,
Obſerat vmbroſos lurida porta rogos.

Iuuenalis porthmea vocauit:

Sæuumq́ꝫ nouitius horret Porthmea.

Sed & portitor dicitur græcè ναῦλος, vnde & portorium ναῦλον & πόρθμιον, & nauis ipſa τὸ πορθμεῖον, vt pridem notaui. Alij tamen aliter, vt in Homeri Odyſſea notant grammatici. Sunt & in naui qui meſonautæ nuncupantur, vt Vlpianus in xiiij. ff. tit. vt nautæ, caupones, ſtabularij recepta reſtituant. Quo loco Hermolaus & Budæus ſic in naui meſonautam interpretantur, vilis mancipij nomen, vt mediaſtinus domi, qui viliſſima quæque miniſteria obit. Addit Vlpianus eodem loco diætarios, quos & alij diæcureos vocant. Vlpiani ſunt verba: Et ſunt quidam in nauibus, qui cuſtodiæ gratia nauibus præponũtur, vt etiam diætarij. quo loco verba græca deſiderantur, quæ nec Budæus nec Alciatus addidere, neſcio an alius ad hanc diem: ego aliquando ναυφύλακας, nunc nihil ſtatuo. Diætarios aliqui exponunt miniſtros in diæta deſeruientes. Alciatus diætureos legit, ἀπὸ τῆς διαίτας καὶ οὖρος, id eſt, à diætæ cuſtode. Sunt & à lintre lintrarij, quorum idem Vlpianus meminit. Sunt & theori & paralij à nauibus dicti, de quibus in ſuperioribus actum eſt: paralios quidem & paralos legimus. Fuerunt & apud Mileſios qui vocati ſunt ſempernautæ, hoc eſt, ἀειναῦται, ciues & ſenatores, qui de rebus publicis conſulerent: id nanq; facturi naues conſcendebant, vt eſt pluribus à Plutarcho proditum.

Nauis vocabulum vnde, & quæ ab eo tum græcè, tum latinè breuiter declinentur: de portu, & nonnullis dicendi figuris.

CAP. XX. & nouiſſimum.

Poſtea vero quàm mihi ſatis ſuperq; videor de ijs quæ ad naues pertinent, & earum appellationibus, in medium pro ingenij mediocritate attuliſſe, nunc demum nauis quoque vocabulum, & quid ſignificet, & quæ ab eo deducta deriuataq; tum græcè, tum latinè, ſi fuero, quambreuiſſimè potero, rimatus, nõ par uum operæprecium feciſſe videbor, quando & hoc non parum ad rei cognitionem facere ſcriptorum plerique omnes exiſtimauere, idque ipſi in commentationum ſuarum ſtatim initio, quod ego in calce non abſque ratione facere diſtuli, naturam videlicet imitatus, quæ res primo in lucem producere, tum demum eis nomina imponere videtur. Vtcunque, & inter docendi modos & hũc apud philoſophos repoſitum eſſe quis ignorat. Sunt ergo plurimi qui nauis vocabulum grecum eſſe arbitrantur: ab illis enim ναῦς παρὰ τὸ νάω νῶ, quod eſt fluo. Sed illud ſciendum, ab ipſis in recto caſu non vno modo proferri, ναῦς enim ναὸς in generandi caſu, vel νηῦς νηὸς, & interdum νεῦς νέως vſurpant pro linguarum ratione. Ex noſtris aliqui nauem non à græcis, ſed à No verbo, quod eſt, nato, deducunt: vel à nauo, quòd rectorem nauum nauis expoſcat, hoc eſt, ſtrenuum & celerẽ. Sed Pomp. Feſtus nauum à naue potius dictum exiſtimat, vnde nauo verbum, & nauitas, nauia, & alia, quæ hodie ex antiqua conſuetudine g literam ſeruant. ex quibus compoſita, ignauia, ignauus, gnauè & gnauiter. Igitur nauis vocabulum vtcunque ſit vel græcum & latinum, præter eius notionem propriam etiam ad alia transfertur, atq; in primis ad ea quæ fortunæ quaſi nutu reguntur. Vnde illud, Sumus in eadem naui. &, vento nauis agitur. Item, nauis eſt in portu, vel in vado: cum res eſt in tuto, ſicuti etiam cum conſilia non ſuccedunt è voto. M. Tullius ad Atticum: Prorſus diſſolutum offendi nauigium, vel potius diſſipatũ. Sed & rimoſam vel vetuſtam nauem dicimus, cùm minus idoneum quempiam ad aliquid obeundum ſignificamus. Sic & è naui exire, cum è periculo nos ſubtrahimus. Sæpe & nauis ad rempub. transfertur, quo modo Cic. & Demoſthenes. Sed & Clemens Roman. pont. in epiſt. ad Iac. fratrem domini, & item Anacletus,

electus, Chriſtianam rempub. naui inſtructæ compararunt. Nauis item vocabulum pro vaſe capitur, vt, nauis vinaria, quæ nunc à vernaculis Aemiliæ & Venetiæ, nauacia vocatur. A naue nauigium deducitur, quod modo pro naue ponitur, modo pro nauigatione, vt illud Iuriſconſulti de verb. oblig. Idque creditum eſſe in omnes nauigij dies. Sunt & qui nauigium locum nauigabilem putent, alij nauis ductionem. A nauigio nauigiolum. Lentulus in epiſtolis Cic. Nos vix ipſi ſingulis nauigiolis reciperemur. qua forma & Græci πλοιάριον dicunt, Cicero alijque nauiculam. Sed enim Græci nonnullam inter naues & nauigia differentiam faciunt, ita tradentibus Ammonio & Didymo: αἱ νῆες τῶν πλοίων διαφέρει, τὰ μὲν γάρ ἐστι στρογγύλα, αἱ δὲ κωπήρεις καὶ στρατιωτίδες. hoc eſt, naues à nauigijs differunt, hæc quidem rotunda, illę autem remigabiles & militares. citant Ariſtotelem de bellorum διηγήμασι. A naue nauta deducitur, qui & nauita & nauicularius: vnde & nauicularia ipſa nauigandi ars, & nauiculator & nauiger qui nauem regit. Item nauicula & nauicella, & verba nauigo & nauiculor. Hinc & nauſtibulum vas, & nauia in vindemijs, & nauticus adiectiuum: vt, clamor nauticus, & panis nauticus, hoc eſt, ναυτικὸς ἄρτος, & cætera quę ad nauem pertinent, vt exuuię nauticæ apud Ciceronem, & nauticarum rerum ſcientia, apud eundem, & funis nauticus. Item & vſura nautica, quę duplex eſt: Vna quæ in alteram tantum nauigationem apud veteres ſtatuebatur, & græcè heteroplus vocabatur. Altera ita cõtrahebatur, vt non aliter deberetur, nec ipſa nec ſors eius, quàm nauis cum mercibus ſoſpes ad domicilium vſque rediſſet, & appellabatur amphoteroplus. De his mentio fit à Modeſtino cap. de nautico fœnore, & à Demoſthene aduerſus Phormionem, & à Polluce in viij. Has Paulus maritimas vſuras appellat. Traxere & has in ſuum de aſſe Budæus, & in parœmias Eraſmus. Deducitur & à naui naufragium, naufragus, nauifragus, & verbum naufragor, & nauſea vomẽdi appetitus, & nauſeo verbum, & nauſeolus. Item nautea pro aqua ſentinæ, vel, vt alij dicunt, coriariorum: ſed & nautea quoq; herba eſt. Hinc & nauſcit, vt quidam tradunt, verbum, quod de grano fabæ dicitur, cum aperitur vt naſcatur, quòd ferè ſit naui ſimilis. hinc & nautilus piſcis. Item Romæ Nauticorum familia, & Nauius, & Nautius nomina propria, & Naugerius noſtræ ætatis vir citra inuidiam doctiſſ. A naue etiam naualis adiectiuum, vt naualis corona, de qua actum eſt. Hinc & nauale, locus vbi naues fabricantur, νεώριον græcè dicitur, & ἐπίνειον, & ναυλοχίας, & ναύσταθμος, nonnihil licet inter ſe differant. Significat & ναύσταθμος aliquando claſſem, eſt & promontorium in Africa Straboni & Melæ. Eſt etiam nauale νεώσοικος, hoc eſt, tectum ſub quo aſſeruantur naues. Sed nauale quomodo conſtruendum ſit, & quale, præclarè docet Vitruuius in fine .V. voluminis. A nauali, naualis porticus dicta eſt, quòd naualibus eſſet vicina: hinc & naualis tuba. Martial. in primo:

Et freta nauali ſollicitare tuba.

Hinc & nauales ſocij, Liuio. Nauale bellum, naualis triumphus, Plinio. Naualis gloria, & nauale crimen, Ciceroni in Verr. A græca quidem voce, nauclerius & nauclerìacus, Plauto. Item nautes & nautia, id eſt, nauſea, & verbum ναυτιάω, qđ eſt nauſeo, & nautilia ars ipſa nauigandi, & naulon pręmium, ſeu portorium potius, vt dictum eſt: & ναυαγέω naufragor, & ναυηγὸς naufragus, & ναυάγιον naufragium. Item nauarchus, & naucrator, nauis rector & dux: & nauarchis eius nauis, id eſt, prætoria: & naumachia, naualis pugna: & naumachus, & naumachiarius, pugnator: & ναυμαχέω verbum, & naumachiarius pons Romæ: & ναύμαχα numero plurium, haſtæ & conti quibus in nauali pugna vti conſueuimus, vt apud Homer. interpretes obſeruant: & verbum ναυτίλλομαι, nauigo: & ναυβάτης, nauta, hoc eſt, qui naue vehitur, item qui in nauibus ſuperflui ſunt, vt eſt apud Vlp. in fine xiij. Pandect. Et quidem, ſi quis, inquit, ſit ex ijs quos vulgò ναυβάτας dicũt. Eſt & ναυστολία nauigatio, & verbum ναυστολέω ναυστολῶ, quod eſt nauigo, & naues orno, & claſſem paro: & ναυπηγὸς nauis artifex: & verbum ναυπηγέω, & ναυπηγο-

μός, & ναυπηγισμά, quod nauibus conſtruendis aptum eſt: etſi hi nauium artifices à Græcis recentioribus dicti ſunt καλαφάται, quâ voce omnis fermè Venetia paſſim nunc vtitur, calaface vocando. Eo certe calaphate cognomine iam nonnihil declinante imperio Conſtantinopolitano, Michael Imperator cognominatus eſt, quod parentes ipſius apud Paphlagonas naues conſtruxiſſent, vt Græci eorum temporum ſcribunt hiſtorici. Eſt & nauſtologus vel nautologus apud Clementem Romanum pontificem, rationum vel calculi in naui magiſter. Ναυσίποδες vero inſulani dicuntur, quod ex nauibus pedes habere videantur. Item ναυτόδικαι nauium iudices, & magiſtratus hoc nomine fuit Athenis: hinc & nauphylaces & nauphracton, vt antè ſcripſimus. Sunt etiam nomina propria pleraque græca à nauibus deducta, Nauſicaa, Nauſiſtrata, Nauſicydes, Nauplius, Nauſithous, Nauatus hæreticus, quem Nouatum noſtrorum plerique vocant: item Nauſicrates poeta, & Nautiorum familia, & Naucrati, qui principes dicebantur, vt eſt apud Herodotum. Notat & Suidas, licet in vulgatis codicibus Naucratij legatur. Meminit & Ariſtoteles in repub. Athenienſium, & Harpocration. Sũt item vrbium & locorum nomina pene innumerabilia, vt Naupactos, Naucratis, & Naupliæ aliquot, & Nauſiporus fluuius, quòd nauibus ad traijciendum facilis ſit, & Nauportum, vbi Argo nauis traue cta eſt prope Tergeſte in ſinu Adriatico. Sunt & prouerbia à nauibus non parum multa, quæ tum nos ſparſim toto libro attigimus, tum eorum pleraque ſunt copioſe & elegãter ab Eraſmo collecta.

Sed noſtra iam perfecta nauigatione, quum ex alto in portum inuehamur, aliqua de portu ipſo afferre, déque nonnullis dicendi figuris, non à propoſito alienum duxi. Portus igitur locus eſt concluſus, in quo ſe tutò naues recipiunt, hyemántque: à portando dictus, quod & in eo importentur exportentúrque merces. Portus eſt vel naturalis, vel artificio, vel manu factus: ille græce λιμὴν, hic ὅρμος & κώθων dictus. Eſt & ſtatio, vbi ad tempus ſtant naues, vt ait Seruius, & quam plagiam vocamus, de qua poeta: Statio male fida carinis. Sed de cothone, quia id minus notum, nonnulla hic ſubiungam. Feſtus: Cothones, inquit, appellantur portus in mari interiores arte & manu facti. Seruius in I. Aeneid. ſuper ea Poetæ verba,

Hic portus alij effodiunt:

portus, ait, effodiunt, cothona faciunt. Cothones ſunt, inquit, portus in mari nõ naturales, ſed arte & manu facti. Eſt autem & maſculini & neutri generis. Hæc ille. Vtitur autem hac dictione Appianus in Libyco, vt cum ait: Appetente vere Scipio Byrſam aggredi & portum, qui cothon dicitur, expugnare inſtituit. Idem nec ſemel, infrà meminit. Strabo quoque in fine ferè XVII. libri quum de Carthagine agit, Cothona inſulam paruam dicere videtur: ait enim, ὑπόκειται δὲ τῇ ἀκροπόλει οἵ τε λιμένες, καὶ ὁ κώθων νησίον περιφερὲς εὐρίπῳ περιεχόμενος. hoc eſt, ſubiacent arci, & portus & cothon parua inſula in orbem ducta, euripo comprehenſa. Et paulò pòſt: καὶ τοῦ στόματος τοῦ κώθωνος φρουρουμένου διώρυξαν ἄλλο στόμα. hoc eſt, oſtio Cothonis cuſtodito, effoderunt aliud oſtium. Cothonis & Diod. Siculus meminit, cum de Carmutha alio portu ageret: Portus, inquit, in medio inſulam cõtinet, aquis abundantem, hortisqúe accommodam, Carthaginenſium quidem portui quẽ Cothona dicunt, perſimilis eſſe videtur. De portubus autem ita diligenter Vitruuius in quinto: De opportunitate quidem portuum non eſt prętermittendum, ſed quibus rationibus tueantur naues in his tempeſtatibus, explicandum. Hi autẽ naturaliter ſi ſint poſiti, habeántque ἀκρωτήρια, ſiue promontoria procurrentia, ex quibus introrſus curuaturæ, ſiue verſuræ ex loci natura fuerint conformatæ, maximas vtilitates videntur habere: circùm enim porticus ſiue naualia ſunt facienda, ſiue ex porticibus aditus ad emporia, turréſque ex vtraque parte collocandæ, ex quibus catenæ traduci per machinas poſſint. Sin autem non naturalem locum neque idoneum ad tuendas ab tempeſtatibus naues habuerint, ita videtur eſſe faciendum, vti ſi nullum flumẽ in his locis impedierit, ſed erit ex vna parte ſtatio,

tunc

tunc ex altera parte ſtructuris ſiue aggeribus expediantur progreſſus, & ita cõformandę portuum concluſiones. Hactenus Vitruuius. Portus verò laudes, ſeu vituperationes ſi cupis, Iulius Pollux in primo exequitur: & perinde iam nos pauca de dicendi modis ac figuris, vt polliciti ſumus, reddamus. In primis, inhibere remos dicimus, & nauim, vt apud Ciceronem, Quintilianũ, Liuium, alios. Vergilium ex nauigantium ratione illud appoſitè in VI. dixiſſe videmus, quanquam id parum norent interpretes:

Obuertunt pelago proras.

Sunt & illa, tenere, ſubire, petere portum, oſtia. Item, nauem ædificare, conſtituere, inſtituere, Cæſari, Plinio. Deducere è naualibus, educere è portu, ſubducere nauem, & ad terram detrahere, inſtruere nauem armamentis, comparare nauẽ, ſumere, conducere, vnde illud: nauis conducta, quoad peruentũ ſit eò quò ſumpta eſt. Nauis non domini eſt, ſed nauigantium. Se in nauim incitare, nauim conſcendere, ingredi, è naui egredi, deſilire, ſe proijcere. Sunt & aliæ figuræ plurimæ, in quibus alij iam elaborarunt: græcè verò diligentiſſimè collectæ ſunt ab Iulio Polluce in primo, atq; adeò ab hoc labore ſuperſedendum mihi viſum eſt. Habes Dux maxime, quæ de tota re nautica mihi dicenda viſa ſunt, imò pleraq; etiam quæ videri poſſint à me curioſe, ne dicam anxiè, conquiſita. Sed id certè mihi præſtandum fuit, vt ne ſi qui poſt me idem fortaſſe conabuntur, vlla nauigationis ratio requirenda eſſet, ſed orationis tantum cultus adhibendus, quem vt ego minus præſtare meapte natura potui, ita illum etiam ſæpe neglexi, vt, qđ volebam, planius rem patefacerem, nihilq; præterirem. Noſtra tamen hæc qualiacunq; ſint, ſi cum ijs conferantur quæ ab alijs adhuc prodita ſunt, non à te modò, qui tuos ſemper ornaſti, ſed à candido lectore ſpero ſtudij ac diligentiæ commendationem habitura.

LILIVS GREGORIVS GYRALDVS, IOANNI FRANCISCO PICO MIRANDVLAE PRINCIPI S. P. D.

EX quo tu me, PICE optime, ex vrbana tempeſtate naufragum & omni ex parte quaſſatũ, rerumq; omnium inopem, in hoc florentiſſimo tuo oppido Mirandula quaſi in portum collegiſti, vbi, vt alter Alcinous iactatum Vlyſſem, me vltra merita fouiſti, ſæpiúsq; inter loquendũ à me petijſti, an quicquam inter naufragij tabulas reliqui ſuperfuiſſet, quod ſi non publice & paſſim omnibus exponi, priuatim ſaltem & ſeorſum ab amicis præſertim intimis conſpici poſſet: & inter alia me rogaſti de ſepulchrorum & ſepeliendi ratione, quod tu ſcilicet iam ſupergreſſus ſeptenarij & nouenarij anni ancipitem climactera, ſepulchrum tibi mediteris. Quare cum inuolucrum neſcio quo fato mecum enataſſet, illud his diebus quibus tu apud Clementem VII. Pont. Max. & Carolum V. Auguſtum Cæſarem Bononiæ abfuiſti, tanquam magno interpolaui, non quidem vt illud venale haberem, ſed ea tantum ratione vt aliquam tibi ſi non gratiam referrem (quî enim id poſſem?) at ſaltem illius ſignificationem præ me ferrem. Vale. ex arce tua Mirandulana, menſe Aprili, M.D.XXXIII. cuius anni menſe Octobri infelix princeps & vita & oppido à fratris filio per nocturnas inſidias priuatus eſt, & ego miſer omni fortuna exutus, vix viuus euaſi.

LILII GREGORII GYRALDI FERRARIENSIS, DE SEPVLCHRIS, ET VARIO SEPELIENDI RITV, AD CAROLVM Milthzieñ. Germanum.

SVNT plerique, CAROLE, qui nullis ſumptibus, nullis quantumuis immodicis expenſis parcunt, vt vel ędes ſibi magnificas, vel illuſtria monumenta conſtruant, non illa quidem perpetuò duratura, vt quę omni tum fortunę tum temporis iniurię ſint expoſita, qui tamen haud immeritò nonnullam alicuius tēporis gloriam conſequuntur: ex ijs enim eorum quędam animi magnitudo conſpicitur. Tu vero cum didiceris nulla eſſe monumenta perenniora ijs quę animo & ingenio pariuntur, omni ope & ſtudio niteris vt tibi tale cō pares monumentum, quod duret æternùm. Nam cum ſis nobiliſſ. familia genitus, in qua cum plureis tum literarum omnis generis, tum armorum ſtudijs excellentes floruere, non ſolum in iſta veſtra tota, vt eſt latiſſima, Germania cogniti, ſed ob eorum domi foriſq; egregia facinora per omnem ferè Europam celebrati, quibus ne tu degener eſſe viderere, in Italiam commigraſti, luculenta tibi optimarum artium virtutúmq; omniū monumenta paraturus, atq; in primis ſanctiſſ. tum pontificijs tum ciuilibus legib. ſtrenuè operam impendis, quarū auſpicio vides iuſtiſſimè cuncta regi, cædes tolli, ius & æquū coli, mores cuſtodiri, ciuitates deniq; & reſp. florere. Sed interea & humaniorū ſtudiorū non aſpernaris elegantiam, nec minus etiā amplecti videris eius facultatis profeſſores, quos & tua liberalitate munificentiáq; demereris, amantiſſimóſq; tui efficis, vt qui illius ſententiam optime teneas, nullum præclarius nec perennius eſſe monumētum aſſerentis, quàm bonarū literarū. Nam per Deum immortalem, quid Simādio, quid Meridi, quid Artemiſiæ, quid alijs demum penè innumerabilibus, ingentes moles verius quàm ſepulchra ſtruxiſſe profuiſſet, quarum nunc vix nomina reſtant, niſi literarijs monumentis potius quàm cæmentitijs & marmoreis ſtructa fuiſſent: necdum earum in pręſentia alia manet imago, niſi quam fideliſſimo literarum ſtylo ſcriptorum bonorum manus formauere. Errat CAROLE, errat profectò quicunq; vel Bryaxin, vel Phidiam, vel Polycletum, vel Lyſippū, aliúmve quemuis ex eiuſmodi celebratis artificibus, aliquid ex marmore, alióve quouis metallo ſeu materia effinxiſſe putat, quod elegātius perfectiúsq; fuerit, quàm quæ vel ab Herodoto, vel Diodoro, vel Plinio alijsúe ſcriptorib. expreſſa ſunt. Qua ex re, recte, vt opinor, ille qui interrogatus quo vellet artifice potius, quóve metallo effingi: malle ſe, ait, excellentis ſcriptoris laudib. deſcribi, quàm vllo quantumvis precioſo metallo ab optimo quoq; artifice effingi: illius enim ſcripta, quàm mundus ipſe, tandiu duratura. Sed quorſum, fortaſſe rogas, hęc tā alte repetita? Non aliam certe ob cauſam, niſi vt, quod vulgò dicitur, te ſponte currentem impellerem, & ad bonas artes capeſſendas animarem, ſimúlq; vt aliqua ex parte tuis in me meritis hoc libello ſub tuo nomine edito, gratiam referrem. Nam ſi quo minus alia re poſſum, hoc ſaltem efficiam, vt ne ergą te penitus ingratus fuiſſe videar, tuæq́ue vel beneuolentiæ vel liberalitati minus reſpōdere. Nunc de libello pauca præfabor, quem de vaſis ſepulchralibus, varióq; gentium ſepeliendi ritu, inſcripſimus. Nam cū de vaſis ingens opus multis digeſtū voluminib. in manu habeam, in quo vaſa ipſa, quantum in me eſt, ſuis reddo officijs, in hoc de ſepulchralib. egi. Vas etenim, vt primo eius operis volumine definiui, eſt quicquid quippiā intra ſe continet, vel quod ad eū vſum comparatū eſt.

Vnde

Vnde ſicut ſacris,medicinæ,coquinæ,rei nauticæ,alijsque rebus propria & peculiaria vel cōmunia vaſa adſcripta oſtendimus,ita huic iure de ſepulchralib.vaſis nomen indidimus. Verum quoniam ſepulchrorum variæ ſunt ſpecies,varij quoq; ſepeliendi mores,quapropter in hoc ſcripturo mihi de ſepulchris, viſum eſt paulò altius rem repetere,deq; vario ſepeliendi ritu multiplicíq; inſtituto, tibi,& ſi per te alij fortè legerint,non,vt puto,ingrata nec inutilia colligere: quæ vt aliud nihil faciant,nos certe mortis memores efficient,mortaléſq; eſſe docebunt,nihílq; in hac mortalitate diu duraturum.Ea vero nunc demum ratiōe hoc quicquid eſt libelli exſcriptum ad te miſimus,vt,ſi editiōne, an potius ſepultura,dignus tibi viſus fuerit,meritam ſortiatur conditionem. Vale.

PLutonem,quem tum Ditem,tum Sumanum Latini,Sabini Soranum vocauere,ſepulchrorum,funerum,& exequiarum inuentorem antiqui crediderunt,cùm harum rerum nulla,vt ferunt,apud gentes antea in vſu fuiſſet: atq; hac ipſa cauſa vulgò creditū fuit,vt inferis deus & vita functis imperaret. Libitinam quoq; Romanos deam ſepulchrorum prǽſidem coluiſſe accepimus,in cuius tēplo quæ ad ſepulturas neceſſaria eſſent venderetur,eandémq; cum Proſerpina, ſeu potius Venere,deam eſſe arbitrati ſunt. Cuius non abſimilis fuit quam Epitymbiam Venerē Delphici vocauere. Sed & Vbidinam eandē ferè cum Libitina Græci quidam fecere. A Libitina certe libitinarij apud Latinos dicti,qui à Græcis νεκροθάπται,& νεκροφόροι dicuntur,vt eſt apud Vlpianum de inſtitoria. dicuntur & veſpillones. Fuit vero vſqueadeo antiquis ſepulchrorum cura,vt non aliunde templorum & ſacrarum ædium originē deductam, diligentiſſimi ſcriptores tradant,Euſebius & Lactantius. Qua de re & Clemens Alexandreus in adhortatione quapiam ad Græcos,ſi ita recte προτρεπτικῶν interpretamur,ſic ſcriptum reliquit: Superſtitio,inquit,templa condere perſuaſit: quæ enim prius hominum ſepulchra fuerunt magnificentius condita,templorum appellatione vocata ſunt. Nam apud Lariſſeam ciuitatem,in arce,in templo Palladis, Acriſij ſepulchrum fuit,quod nunc ſacrarij loco celebratur. In arce quoq; Athenienſi, vt eſt ab Antiocho in nono hiſtoriarum ſcriptum,Cecropis ſepulchrum fuit. In tēplo vero Palladis,quam Poliada Græci appellant,iacet Erichthonius. Iſmarus autem Eumolpi atq; Dairæ filius,in Eleuſine vnà cum Celei natabus ſepultus. & reliqua,quæ multa Clemens colligit,& ab eo Euſebius,quæ in Latinis codicibus non habentur. Sed vt templa,ita & ſimulachra atq; idola,à ſepulturis originem traxiſſe,ſunt qui videri velint,quos inter Diophantes Lacedæmonius, q̄ antiquitatum libros XIII. ſcripſit. is Syrophanē ait Aegyptium hominem locupletiſſimum filio ſuperſtitem,eius deſiderio ſimulachrum domi conſtituiſſe, ad quod familiares confugerent,cum domini iracundiam furorémq; euitare vellent: quo modo familiares à domino veniam conſecuti,ſimulachrum ipſum floribus & coronis ornare ſoliti erant,& odoramenta aliáq; eiuſmodi adolere,quæ ſunt poſtea ad ſepulchra tranſlata. Si quis tñ in vniuerſum ſepeliēdi cauſam indagare voluerit,multo erit illi maxime elaborandū(alia enim alijs gentibus cauſa extitiſſe videri poteſt)vt ex ijs quæ infrà narrabimus facile perſpici poterit. Si tamen accuratius res ipſa perpendat,duplicem in primis eam eſſe videbimus,vt ſcilicet poſteri ſibi quoq; moriendū eſſe admoneantur,& ſimul omnib. illuc tendentibus,rectè ac ſanctè viuendū eſſe: quibus reb. ad bene beatéq; viuendū naturæ quodammodo iure impellimur. Vnde & eadē(vt opinor)ratiōe diuus Plato ſuæ philoſophiæ ſcopū finémq; in mortis conſideratione eſſe ſtatuit. Anneus tñ Seneca,non defunctorum,ſed viuorum cauſa ſepulturam inuentā eſſe voluit, vt ſcilicet hominū cadauera viſu & odore fœda,à viuentium medio amouerent: id quod ego factū crediderim,poſteaquam iā cœtus hominū vrbes ac ciuitates cōſtituere cœpiſſet. Sed vtcunq;,his altius fortè repetitis omiſſis,iā ſepulchrorū varias formas,variáſq; figuras & lineamenta breuib. circunſcribam,quæ tum à

me conſpectis monumentis & ſepulchris,tũ ex probatiſſimis autorib. collegi. Nam cũ in primis ſepulchrũ omne duab.rebus conſtet,forma,& inſcriptione,antiqui maxime ſtuduerunt vt ad cõmenſum & ſymmetriã vtrunq; conſtituerent, vt videlicet monumentum inſcriptioni,& inſcriptio monumento quadam congruente ratione reſponderet.Sed de horũ altero nos architectorum præcepta inſtituent,de altero antiquitatũ exempla nos inſtruẽt,& quæ tot extant eulogia & collecta & edita vulgò.

Epitaphiorum lex.

Tituli enim qui Epitaphia dicuntur, autore Platone, quatuor verſiculorum numerum excedere nõ debent,vt tranſiens viator facile perlegat.Verũ hoc ab eo dictum quidẽ præclare,ſed ſuæ ſecundũ inſtituta ciuitatis.Nam aliter factitatũ non ſolum à Græcis ſuis,ſed & à Latinis noſtris barbarisq; videmus.Inoleuit etiam pleriſq; antiquorum vſus,vt ſoluta frequentius oratione quàm verſu Epitaphia ſepulturis inſcriberent:cum è cõtrario Græci, & ij quidem antiquiſſimi,non niſi verſu ſepulchris inſcriptiones adhiberẽt,quæ & quod elego plerunque carmine fierent,ἐλεγεῖα à Grecis ſæpe vocata reperies. Epitaphia vero ipſi legimus Græcis literis, Latinis, Hetruſcis,Aegyptijs,Hebræis,& barbaris cæteris.Sepulchri igitur formã alij,& ij quidem quorũ corpora non cremabantur,non maiorem apud antiquos,quàm vt corpus caperet,faciebant:quod & à pleriſq; hoc quoq; tempore ſeruari videmus.Antiqui verò id in vaſis,interdum ſtantis forma,interdũ columellæ,nonnunquã arculæ vel plutei ſpecie conficiebant:nõnulli in tabellæ ſcriptoriæ planitiẽ effingebãt,alij amplius quiddã & maius,vbi & titulos & rerũ geſtarũ monumenta inſcalpebant. quidã in ſcrinij marmorei,nonnulli in lectuli ſpeciem ſepulchra ſtruxere:quidã & gradus his addidere,alij ſacella proxime erexere. Fuerunt & qui colũnas ingentes,aut pyramides,vel obeliſcos,proceróſue coloſſos erigerent. Verum in columnarũ genere illæ præcipue celebratæ,quæ ad pedes plus minus centũ ductæ ſunt,quæ circùm vndiq; ſignis aſperæ,& rerum hiſtorijs circumueſtitæ, intrà autem gradus habent ad cochleam,quibus ad ſummum earum vſq; aſcendi poteſt,quales adhuc Romæ cernunt̃.Fuerunt & qui cryptas ſubterraneas,quas Græci hypogęa,Latini cõditoria nuncupant,ſepulchris diſponerẽt, cuiuſmodi me vidiſſe cum alíubi,tùm Romæ & Baijs ſuccurrit. Sunt & eiuſmodi quædam Chriſtianorũ hypogæa prope templa,vt Veronę:& adhuc toto ferè in Latio cõſpiciuntur buſtuaria familiarum & domeſticorum tellure ſuffoſſa,diſtinctis paruo per parietes interuallo buſtulis,quibus crematorum reliquiæ condebantur: ſtántq; breues tituli,piſtoribus,coquis,tonſoribus, aliptis, & cæteris eiuſmodi ex familia.Sed & effigies tum gypſo & polline marmoreo ac calce fictas, tum marmore ſcalptas,tum diuerſo metalli genere formatas,in ſolatium & memoriam antiqui exprimere conſueuerunt,quarum mentio frequẽs apud celebratos autores,M.Tullium,Plinium,Lactantium,Statium,Martialem,item hiſtoricos: quam conſuetudinem & noſtra demum hac tempeſtate ab aliquibus nouari iã planè vidimus.Nunc ex qua materia ſepulchra confici ſoleant,res ipſa & locus, vt oſtendã,expoſcere videntur.Nã veluti varia fuit & diuerſa ſepeliendi ratio apud nationes,& vario ſubinde tempore,ita varia quoq; fuit & diuerſa, ex qua monumenta conficerentur,materia.De ſepulchris igitur nos ita ſtatuimus,vt alia animata dicamus,alia inanima Animata rurſus in ea quæ ratione pollent, & quæ rationis expertia ſunt,partimur.Nam alijs homines ipſi ſepulchra fuere, vt eorum penes quos mos fuit & mortuos vorare,& humana carne veſci, vnde & illis vocabula Androphagi,& Anthropophagi:vel eorum qui potu defunctorum cineres hauriunt.Alijs ſepulchra fuere animalia bruta & rationis expertia, vt qui ſuorum cadauera canibus,vel vulturibus,cæteriſq; feris exponerent. Inanima vero ſepulchra appellamus,quæ ex diuerſa ſunt confecta materia.Alijs item elementa ipſa ſunt ſepulchra,vt eorum qui terra conduntur, qui aqua ſummerguntur,qui igne cremantur,qui per aera ſuſpenſi, arboribus vel patibulis ſuffiguntur.Ac de his quidem omnibus eſt à nobis copioſius agendum,cùm de

ſin-

ſingulis nationibus inſtituta trademus. Ex omni præterea metallo ſepulchra & loculos factos partim legimus, partim ipſi vidimus: ex auro videlicet, argento, ære, orichalco, ferro, plumbo, ſtanno, electro, magnete: plurimum vero ex marmore, eóque diuerſi generis. Item ex coctilibus fictilibúsque vaſis, tegulis, plinthis, ex argilla, cretáue, ſed & ex ligno, ligneiſque arcellis, vitreis etiamnum vaſculis, & cryſtallinis, alijsque eius operis. His ita de forma & materia ſepulchrorum à nobis breuiter expoſitis, illud iure ſubdemus, ſepulchrorum iura ſemper ſacra habita, non modo Græcis ipſis & Romanis, ſed & Iudæis & barbaris quoque nationibus. Nam (vt alias nunc mittam) vide quanto ſtudio ac diligẽtia apud Moſen Abrahamus ille vir ſanctiſſimus, vxori, ſibique ac poſteris ſuis ſepulchrum pararit. Scythæ quoque qui immaniores cæteris habentur, cum Darius Hyſtaſpis eos bello laceſſeret, eisque à Perſis obijceretur quod prælium detrectarent, inter alia quæ reſponderunt, ſunt (dixere) paterna noſtra ſepulchra, quæ cum inueneritis, agite, tentate illa labefactare, tunc certe intelligetis, ſimus vobiſcum nos pro paternis ſepulchris pugnaturi nec ne: interea niſi nos ratio traxerit, prælium non conſeremus. Ex quibus facile cognoſcere poſſumus, quo cultu ac reuerentia apud barbaros Scythas eſſent ſepulchra, ſi nulla alia ratione ad prælium trahi poterant. Sed quò paterni ſepulchri ſumma eſſet religio, præter id quod de Scythis diximus, Thamyridis quoque fabula aſtruit, quæ & in prouerbium vſque ceſſit, in eos qui furore & inſania corripiuntur, qui in patrios cineres minxerũt, cuius & noſter Horatius in Poetica meminit. Scribit M. Cicero, quod ſepulchrorum ſanctitas in ipſo ſolo eſt, quod nulla vi moueri, neque deleri poteſt, atque vt cætera extinguuntur, ſic ſepulchra ſanctiora fiunt vetuſtate. Terra, inquit Plinius, nos à reliqua natura abdicatos tum maxime vt mater operit, nullo magis ſacramento, quàm quo nos quoque ſacros facit. Scribit & Plutarchus in Numa, ſacros vocari vita functos, quorum videlicet ſacra ſint ſepulchra. Noſtra quoque Chriſtianorum lege, ſua ſepulchris ineſt religio: & idcirco etiam violatoribus ſua propoſita ſunt ſupplicia. Vetus eiuſmodi extat Romanorum lex: Vbi corpus demortui hominis condas, ſacer eſto. noſtri vero id Põtificis autoritati ſubeſſe voluerunt. Illud quoque Romanorum legibus cauebatur, ne quis veſtibulum aditúmve ad ſepulchrum vſucaperet, néve buſtum violaret. Perſtat & Græca ſententiola, quæ & in prouerbium ceſſit, ne moue non mouenda, hoc eſt, ἀκίνητα μὴ κίνει. Extant & hac de re cum Imperatorum ac Pontificum noſtrorum leges, tum diuinitus à M. Tullio tradita inſtituta. Quinetiam & τυμβωρύχοι (ſic enim ſepulchrorum effoſſores ac violatores Iuriſperiti græca voce nuncupant) ſeueris pœnis plectuntur. Scribit Vlpianus, ſepulchri violati actionem infamiam irrogare. At vero Paulus, reos ſepulchrorum violatorum, ſi corpora ipſa extraxerint, vel oſſa eruerint, humilioris quidem fortunæ ſummo affici ſupplicio, honeſtiores in inſulam deportari, aut relegari, aut in metallum damnari. Hanc tamen ſepulchrorum religionem contra hoſtes haud valere, Caius Iureconſultus arbitratus eſt, cum ita prodat: Sepulchra, inquit, hoſtium religioſa nobis non ſunt, ideoque lapides inde ſublatos, in quemlibet vſum conuertere poſſumus, nec ſepulchri violati competit actio. Porrò & ſepulchra venditare apud antiquos ignominiæ & probro dabatur, adeò vt nomen apud Hebręos immutatum ijs qui id feciſſent: vt Ephroni contigit, qui ea cauſa Ephran appellatus eſt, ſignante (inquit Hieronymus) ſcriptura, non eum fuiſſe conſummatę perfectęque virtutis qui potuerit memorias vendere mortuorum. Subdit idem: Sciant igitur qui ſepulchra venditant, & non coguntur vt accipiant precium, ſed à nolentibus quoque extorquent, immutari nomen ſuum, & perire quiddam de merito eorum, cum etiam ille reprehendatur occulte qui inuitus acceperit. hęc ille. Nec hoc loco illud omittẽdum, quod etiam ſi fundus in quo ſepulchra ſunt, venditione alienetur, ad ea venditori ius adeundi ſupereſſe: quod his fermè verbis Pomponius aſſerit: Dominis, inquit, fundorũ in quib. ſepulchra fecerint, etiam

poſt venditos fundos adeundorũ ſepulchrorum ius eſſe. Sed cum ſepulchrorũ iura ſacra ſemper habita oſtenderimus, nunc illud pariter non ignorandũ, antiquiſſimi fuiſſe inſtituti, vt intra vrbẽ, & domi quoq; defunctorũ cadauera cõderent: vnde & remanſit lariũ & penatũ religio, qui ea de cauſa domi à gentib. colerent. Verum ea mox conſuetudo, vt fœda ac tetra, antiquata et in totũ ſublata, adeò vt etiã XII. tabul. legibus vetitũ ſit, id quod & ſenatuſconſulto Duillio cõſule approbatũ eſt: ex qua re in vſu loquendi verba illa venere, educere, & efferre. Veſtales tñ & Imperatores Romani huic legi & S. C. ſubijci noluerũt. Plutarchus Fabritijs & Valerijs conceſſum ait, vt in foro ſepelirentur: eorum tñ poſteri tametſi id ſibi liceret, ſuppoſita tantum face, in foro cadauer efferebant. Eius prætereà qui triumphaſſet, vbi extra crematus fuiſſet, oſſa & cineres in vrbem deferri & cõponi, decretis permiſſum fuiſſe, Pyrrhõ Lyparæus tradit. M. Cicero eadẽ penè quæ Plutarch. ſcribit in lib. de legib. Appianus vero ſophiſtes & nobilis hiſtoricus, inter cauſas quas enumerat, cur patritij agrarias leges cõtemnerent, & hãc affert, quod indignarent, impiúmq; ducerent, ſuorũ parentũ monumenta in aliena iura tranſire, atq; id pietatis & religionis cauſa. Plato etiã in illis ſuis legib. agros & in primis ſteriles ſepulturis deſtinauit. Sed quod extra vrbẽ antiq̃ mortuos ſepelierint, præter ea q̃ attulimus, & quod adhuc monumenta penè innumerabilia huiuſmodi cõſpicimus, inſcriptiones quoq; ſepulchrorũ & epitaphia id manifeſte cõprobant: nã ferè omnia quæ hactenus cõſpexi Latina, has, vel his ſimiles notas habẽt, IN AGR. P. quæ quot agri pedes ſepulchrũ occuparet ſignificabãt. Eſt apud Vlpianũ Iureconſul. id obſeruatũ, D. Adrianum pœnam aureorũ XL. ſtatuiſſe in eos q in ciuitate ſepulchrũ feciſſent, quos fiſco inferri voluit. Eandẽ quoq; pœnã in magiſtratus ſtatuit q id paſſi forent: quin & locũ publicari mandauit, indéq; cadauer transferri. Sepeliebant aũt Romani ſecus maximè militares & publicas vias, inter quas in primis Flaminia & Latina celebrant, vt apud Athenienſes Ceramicum, apud Corinthios Sinopæi Diogenis ſepulchrũ, apud Syracuſas Archimedis: & hæc in agris quidẽ, vt mittã plurima quæ apud autores & legunt, & adhuc ſecus ipſas vias cernunt. Quibus vero de cauſis extra ciuitates cadauera ſepelirentur, inter alias potiſſimum has afferri video, vt ſcilicet libera vrbs tetro cadauerum odore minus peſtilenti aere afficeretur, & vt illac tranſeuntes viatores ad laudes accenderentur, monerentúrq; ad præclara facinora obeunda, néve ſi ita accideret, paterentur hoſtes in ſuorũ maiorum monumenta graſſari, & perinde alacriori etiam animo à mœnibus vrbis propellerent. Addit his Cicero, ne rogi fortaſſis aliquando igne vrbs conflagraret, aut incenderetur. Nũc Chriſtiani noſtri, (pro maiorum noſtrorum ſancta inſtituta deperdita) non intra vrbem modo defunctorum corpora condunt, verũ &, ſi deo placet, in templis, ipſiſque delubris & ſacellis, in quibus diuorũ cineres & reliquiæ tantum ſeruari & venerari maiorum noſtrorum religio fuit, nefariorum & ſceleſtiſſimorum hominum, vtinam & non etiam impiorum, fœdiſſima cadauera condunt: quod fieri præter maiorum leges & inſtituta, cũ Pico ſæpius & Manardo, & nunc tecum quoq; CAROLE vehementiſſime doleo. Ad huius enim rei miniſterium, quæ græco vocabulo à dormitione & quiete dicuntur κοιμητήρια, à maioribus noſtris conſtituta fuerunt: quo modo etiam Lacedæmonij, qui ex Lycurgi lege ſuos in vrbe ſecus Deorum templa mortuos ſepelire conſueuerunt. Saitæ tamen Aegyptij ſuos tantum reges, quos vt deos venerabantur, intra templorum ſepta condere ſoliti fuerunt, id quod & ab alijs factitatum autores prodiderunt, & nos nonnihil infra. Legi & apud Athenæum, nobile illud ſcortum Laidem in Veneris templo apud Peneum fluuium ſepultam fuiſſe. Sed hac de re ſatis. Non alienum à propoſito opere me facturum reor, ſi tibi hoc loco repetam, qua ſit ratione factum, vt ex tam paruis initijs, tam magna ſumpſerit incrementa ſepeliendi mortalium cura. Nam cum primum domi, vt retro diximus, ſine vlla pompa defunctorum cor-

pora

pora conderentur,idq; poſtea per leges eſſet abrogatum,ne tetro ſcilicet cadauerum nidore viuentes infeſtarentur,ad tantā demum magnificentię pompam, ne luxum dicam,deuentum eſt.Sedenim cum id maxime curandum eſſet, quod & Plato ſcribit,hominem ita habendum vt neq; mortuus neq; viuus hominum cœtui ac ſocietati eſſet incommodo,cœperunt ergo in agris primum,loca in q. bus ſepulturæ fierent excogitare,inibiq; ad ſepulturæ indicium,lapidem,ſeu tegulam,nonnunquam & ceſpitem,tumulúmq; erigere,aliquando cippum & teſtas glebáſq; aggerere,interdum arborem ſerere,quod & diuo Platoni in legib. placuit, & nunc aliquando Turcis,ne videlicet feræ animaliáve bruta ſepultorum oſſa effoderent.At vero redeuntes poſteri ad agros,vere iam florente, chariſſimorum iacentium cum reminiſcerentur,pro tempore floribus & ſertis, cæteris qúe eiuſmodi reliquis ſuorum memoriam celebrabant:ex qua re annua, & tot alia mortuorum ſacra adinuenta,de quibus ita cecinit ingenioſiſſimus poeta Naſo:

Tegula porrectis ſatis eſt velata coronis,
Et ſparſæ fruges,paruáq; mica ſalis.
Inq; mero mollita Ceres,violæq; ſolutæ,
Hæc habeat media teſta reperta via.
Nec maiora veto,ſed & his placabilis vmbra eſt.
Adde preces poſitis & pia verba focis.

Sed cum nonnulli eſſent qui ſuorum vel propinquorum,vel amicorū minus deſiderium ferre poſſent,tertium,ſeptimum,nonum,& quidam trigeſimū & quadrageſimum,non ſine quadam numerorum religione,dies defunctorum manibus & memoriæ ſtatuerunt:quorum dierum non modo apud gentes mentio,& ſumma obſeruationis cura,ſed & in præſens à noſtris ij magna diligentia cuſtodiuntur.Hinc ab antiquis Græcis ſacra illa,Necyſia,Ennata,Enagiſmata,Cteriſmata,Tarchymata,hinc Triacas,& Triacontades dies legimus inſtitutas:hinc à Latinis iuſta,exequiæ,inferiæ,parentationes,nouendialia,denicalia,februa, feralia,& cætera huiuſcemodi:quæ omnia tum lacte & vino, tum ſertis & florib. tum reliquis alijs rebus,quæ,vt ait Ouid.ab antiquis celebrabantur. Afferebantur & interdum epulæ dapéſq; ad ſepulturam, vbi quoq; antiqui epulabantur. Vnde ſunt apud autores ferales cœnæ,ſilicernia,& funerum fercula:quem morem vix dum Chriſtiana lex compeſcuit.Extant certè D. Ambroſij & aliorum poſt eum contra hanc conſuetudinem orationes & decreta:in cuius quidem vicem(adeò difficillime potuit aboleri)in quibuſdam adhuc regionib.in parentationibus perſeuerat,vt domi amici & cognati conuocentur,peractiſqúe ad ſepulchrum iuſtis & funeralibus,domi conuiuia,& quidem lautiſſima agitant, in quibus & demortui laudes & viuētiū ſolatia à ſacerdote,vel pro eo ab alio,poſt epulas funebri oratione referuntur.Sed prēter antiquorū conuiuia,etiam ludos funebres in funeribus,& quidem magnificentiſſimos excogitarunt, quos celebri apparatu non modo actitaſſe Romanos legimus,ſed ijs longe prius Grēcos, vt vel Homero in Patrocli funere teſte,cæteriſqúe poetis,didicimus. Proceſſit vero & in tantum excreuit apud gētes immodica ſepulchrorum cura, vt aliquæ nationes etiam mortuorum monumenta impenſius ſtudioſiúſq; curarēt, quàm viuorum domicilia:eos in primis falli exiſtimantes,qui breuioris & momentaneæ vitæ ędificia magnifica conſtruerent, ſepulchra vero in quibus æternum, vel certe diutiſſimè quieſcendum ſit,negligerent. atq; inter hos maxime fuere Aegyptij,quorū moles immanes(ſic eñ verius quàm ſepulchra dixerim)à ſcriptorib.celebrant̃.Rectius aūt ac ſapientius illi mihi feciſſe vident̃,qui in ſepulchrorū ſumptib.& eorū luxu,ne immodica erogaret̃ pecunia,modū p leges poſuerūt.Pittacus quidē vnus,vt pleriſq; viſū eſt,e ſeptē Græciæ ſapientib. apud ſuos lege cauit,ne in conſtruēdo tumulo,quàm treis columellas plus expēderet,

cum

cum antiquiores etiam aliqui gleba tantum contenti & ceſpite, corpora obtegerent: ibi enim fortunarum diſpendium fieri non debet, quo incommutabili naturæ lege omnes peruenire compellimur. Et propterea à quibuſdam legibus interdictum accepimus, ne maiore opere ac impenſa monumentum conderet, quàm quod triduo decem homines conficere poſſent. Plato quidem decentiſſima monumenta parentibus, temperatiſſima tamen, fieri præcepit. Idem alio loco Philoſophus de ſepulchrorum inſtitutione plura præcepit, & Platonem ſecutus M. Tullius, quæ tibi breuitatis cauſa prætereo. Sed quoniam omnibus per te ſcribendo prodeſſe cupimus, hac cauſa nec illa omittam, quæ ad vocabulorum & vocum proprietates hac in re pertinere videbuntur, vt qui in varijs legendis autoribus occupantur, planè intelligant quid quiſque ſenſerit. Cadauer igitur propriè defuncti corpus à cadendo dicitur, quod Græci νεκρὸν vocauere: tametſi latine quidam mortuale, interdum morticinium verterunt, vt Hieronymus, & ſacræ ſcripturæ interpretes. Transfertur tamen & ad inania quæ ſunt, vt vrbium, ædium, & ſtatuarum cadauera appellentur: id quod & Græci quoque, vt cum de Corinthijs fractis ſignis, νεκροκορινθίους dixerunt. Sepultos quoquo modo conditos, humatos vero humo iniecta contectos dici accepimus: quem morem ius pontificale confirmabat. Nam priuſquam gleba inijceretur, locus vbi corpus crematum eſſet nihil religionis habebat: iniecta vero vbi tumulo gleba fuiſſet, & humatum & gleba vocabatur, ac tum denique multa religioſa iura complectebatur. Hanc rem & Vergilium in VI. attigiſſe ſunt qui affirmant, cum ait de Palinuro: Aut tu mihi terram inijce. Item Horatium in eo: Quanquam feſtinas, non eſt mora lõga: licebit Iniecto ter puluere curras. Sed & ſepultos dicimus & tumulatos, & conditos, & funeratos legimus: item ſitos: vnde ſiticines vocabulum deflexum exiſtimatur: de quo hæc ferè Gellius & Marcellus ex collectaneis Attei Capitonis. Siticines, inquiunt, appellatos legimus, qui apud ſitos, hoc eſt, vita functos canere ſoliti eſſent. Amplius addit Gellius, ſiticines proprium habuiſſe tubæ genus quo canerent, à cæterorum tubicinum proprietate differens, quos ſiciniſtas (ait) vulgus dicit. Qui rectius locuti ſunt, ſicinniſtas, litera n gemina dixerunt. Sicinnum enim genus veteris ſaltationis fuit, quæ & ſicinnis dicitur, de qua in dialogis noſtris de Poetis commodius ex Polluce, Athenæo, Suida, Ammonio, alijsque meminimus. Nec illud ignores velim, funus propriè dici cadauer iam ardens vel incenſum: exequiæ dum portatur: reliquiæ iam crematum & buſtum: conditum vero iam ſepultum. Sed iam vaſa ipſa, hoc eſt, ſepulchrorum nomina quibus frequenter autores vſi ſunt, & cuius cauſa libellum concinnauimus, adſcribemus. Sepulchrum ergo à ſepeliendo dictum, vt inuolucrum ab inuoluendo: verum vſu aſpirationem ſumpſit: vnde & ſepulchretum Catullus formauit, pro loco vbi multa ſepulchra ſunt: ſicuti à Græcis Polyandrion dicitur, quod nos Chriſtiani cœmeterion vocamus. De Polyandrio apud nos D. Hieronymus, & alij quidam eius ordinis ſcriptores. Dicimus & tumulum, à terra in cumulum erecta: & ſarcophagum, à ſaxi carnem exedentis genere. Tumba quoque nonnunquam vocatur ſepulchrum: vnde & tymbion, & hemitymbion, pro parua ſepultura. Cicero tamen tymbon buſtum interpretatur: vnde & maleficæ mulieres quæ in ſepulchris verſantur, tymbades nuncupatæ. Pro ſepulchro etiam interdum arca, vrna, & cippus capitur: Item monumẽtum, quod & Græci μνημεῖον. Vocatur & olla & ſolium, præcipuè Plinio, Curtio, & Suetonio. Vſi ſunt & veteres puticulo pro vetuſto ſepulturæ genere. Petronius Arbiter alijque nonnulli conditorium ſepulchri genus faciunt, id ſcilicet quod Græci hypogæum, quòd ſubterraneum eſſet, vocauere. Cõditiuum videtur à Seneca quadam epiſtola dici. Mauſoleum præterea, ab eo quod in Caria fuit regis Mauſoli ab Artemiſia regina conditum, ſæpe vocatum legimus. Noſtri etiam Chriſtiani conchylia quandoque appellauerunt. Itẽ ciboria, de quib. ex Græcis & Latinis alio loco plura. Sunt item quæ Græci ἠρία,

quæ

quæ ideo ſic vocata in Theocritum grammatici tradunt, quod mortuis iniiciatur terra quæ ἔρα dicitur. Alij ἤρια nuncupant quæ noſtri ſuggrundaria, infantium ſepulchra, eorum videlicet qui quadrageſimum diem necdum expleſſent. Rutilius Geminus & Placiades autores. Sunt qui ſuggrundia, & ſuggrundaria vocent, quorum M. Varro meminit, ſed non pro ſepulchri ſpecie. Coragiũ Fulgentius pro virginali ſepulchro vel funere interpretatus eſt, cuius rei cauſa à quibuſdam accuſatur, parum animaduertentibus, hoc ſine afflatu ſcribi, illud choragium cum afflatu. Meminit & Feſtus Pomp. Sunt & illa apud Iureconſultos ſepulchrorum genera, quæ gentilia & familiaria dicuntur, hoc eſt, quę toti familię & genti comparata ſunt. Sunt item hæreditaria, quæ hæredes ſequuntur. Lectuli vero & lecti (ſic enim vtroq; modo vocati ſunt) quibus cadauera ad ſepulchrũ deferuntur, tum feretrum etiam, tum capulus, tum ſandapila, tum demum & loculus. Videtur & locus expoſcere, vt eorum quoq; qui funera curant nomina breuiter annotemus. Sunt vero in primis libitinarij, vt ſuprà meminimus, ſic à Libitina dea nuncupati, qui græcè dicuntur, teſte Vlpiano, νεκροθάπται, & interdũ ταφεῖς & νεκροφόροι. Sunt & pollinctores ſic vocati, quod pollincere apud veteres funus curare ſignificaret, quo verbo vſus eſt Plautus. Sunt & veſpillones ea ratione dicti, quod veſperi in primis ſepelirentur vita functi. Sunt & ſandapilarij à ſandapila feretro nuncupati. Erant & deſignatores, de quibus alibi facta mentio. Sed enim nec hoc eſt prætermittendum, euerriatorem vocari eum, teſte Feſto Pompeio, qui accepta hæreditate, iure iuſta facere defuncto debet: qui ſi nõ fecerit, ſeu quid in ea re turbauerit, ſuo capite luat. Id nomen ductum à verrendo. Nam exuerræ ſunt purgatio quædam domus ex qua mortuus ad ſepulturam ferendus eſt, quæ fit per euerriatorem, certo genere ſcoparum adhibito, ab extra verrendo dictarum. His ita expoſitis, iam varios ſepeliendi ritus moréſque adferam, ſi tamen illud te prius admonuero, eos quondam publico ferè hominum conſenſu ſepulturæ honore carere, qui ſibi manus iniecissent, quiquè, vt eſt Pythagoræ ſententia, iniuſſu Imperatoris ex ſtatione & præſidio deceſſiſſent, hoc eſt, qui ſe interemiſſent. Digniſſimum enim eſſe ait Egeſippus, eos qui Dei patris imperium non expectarent, priuari quodam quaſi matris gremio terræ ſepulchro. Alij tamen his dextram à cætero corpore abſcindebant, ea ratione, ne membrum quod veſano quodam furore in corpus ſæuierat ſuum, cum eo pariter ſepeliretur. Eadem à Ioſepho traduntur. Hoc idem ſupplicium in patricidas & matricidas ſacrilegos antiqui irrogabant, vt ijdem Egeſippus & Ioſephus ſunt teſtes: quos tamen patricidas Romani in culeum, cum ſimia, gallo & vipera inſutos, in mare vel flumen proijcere ſolebant: & meritò, vt indigni qui aliquo vitali fruerentur elemento, qui eos à quibus vitã accepiſſent, ingratiſſimi violaſſent, perdidiſſent. Sed ipſos iam ſepeliẽdi ritus proſequamur, atq; à Romano populo, vt cæterarum gentium principe exordium ſumamus, tametſi apud eos non vna, nec ſemper eadem fuerit conſuetudo, nec ab omnib. obſeruata, quod vel ex his quæ ſcribit Plinius facile cognoſcas. Ipſum, inquit, cremare apud Romanos non fuit veteris inſtituti: terra condebantur, atq; poſtquam longinquis bellis obrutos erui cognouerunt, tunc inſtitutum. Et tamen multifarie priſcos ſeruauere ritus, ſicut in Cornelia domo nemo ante Syllam dictatorem traditur eſſe crematus, idq; eum voluiſſe, veritum talionem, eruto ſcilicet C. Marij cadauere. Sed & Numæ Pompilij corpus in arca lapidea conditum legimus, quod multa poſt ſecula à Cn. Terentio in Ianiculo effoſſum, ſcriptores monumentis prodidere: qua de re ex diuerſis autoribus multa Plinius & Plutarchus, vt Lactantium & cæteros mittam. Manſit vero apud Romanos cremandi conſuetudo, vt à noſtris quibuſdam obſeruatum eſt, vſque ad Antoninorum Imperatorum tempora, quibus à pleriſque deſitum eſt corpora cremare, & rurſus terræ condere cœptum eſt. Romani igitur vbi animam ægrotus exhalare cœpiſſet, qui proximiores erant, ſi domi moriebatur, ſpiri-

tum

tum ore excipiebant, morientiſq; oculos claudebant, quos oculos ſcribit Plinius rurſus in rogo patefacere, Quiritum magno ritu ſacrum fuiſſe: ita more condito, vt neque ab homine ſupremum eos ſpectari fas ſit, & cœlo non oſtendi ne fas. Lege tamen Mania cauebatur, vt autor eſt Varro & Marcellus, ne filij parentibus luci claro oculos ſugillarent: minus enim licebat vt filij parentum oculos in obitu ſugillarent: quo loco Nonius ſugillare, pro occludere exponit. Scribit Plutarchus eos vulgò infelices vocari, quorum oculos propter abſentiã non potuerunt parentes obtegere. Poſtquam ergo moriens exhalauerat animam, cadauer ij quos libitinarios & pollinctores appellatos diximus, lauabant vngebantque, & ſi cremandum foret, pyra lignis alijsque rebus ſtruebatur pro hominis conditione. non enim eadem omnibus, nobili, ignobili, patritio & plebeio. Defuncti corpus albis veſtibus induebatur, vt Plutarchus ſcribit: tum in pyra veſtes, vnguenta, aromata, & id genus cætera diſponebantur: inde funerationem, quam appellabant, faciebant, hoc eſt, funeris pompa ducebatur. Filij operto capite parentes ſequebantur, vt autor eſt Plutarchus. Idem hoc tempore cuſtoditur à neceſſarijs & familiaribus in Italia, variè tamen. Filiæ vero nudis & paſſis crinibus ſequebantur: cuius rei cauſas inquirit idem ille Plutarchus, inter quas commemorat, quod illa lugentibus accommodata ſunt, quæ minus ſunt vſitata. Nam cum mos eſſet vt magis mulieres operto capite in publicum prodirent, & contrà viri aperto, contraria in luctu factitari ſolere ait. Apud Græcos ſi quid aduerſi accidiſſet, mulieres totondiſſe, viros comas aluiſſe, conſueuiſſe. Alias inſuper cauſas attulit, quas breuitatis cauſa miſſas facio. Fuit vero antiquis mulieribus eiulandi mos, & comas genaſque lacerandi, id quod & hodie quo tibi hæc ſcribimus, in Sabinis & toto ferè Latio, & ſupra Latium, perſeuerat: quod tamen Romanis mulieribus duodecim tabularum legibus fuerat interdictum. Verba legis hæc ſunt: Mulieres genas ne radunto, mulier faciem ne carpito, mulieres leſſum funeris ergò ne habento. Eſt autem leſſum, vt Lælius & M. Cicero interpretantur, lugubris eiulatio, quam rem Sextus Aelius & L. Attilius, alioqui doctiſſimi, haud ſanè perceperunt. Sed miſſis his difficultatibus, cœptum ſequamur inſtitutum. Cum digitus defuncto incidebatur, ad quem ſeruatum iuſta fierent, reliquo corpore combuſto (quod factum, teſte Pompeio Feſto, membrum abſcidi mortuo dicebatur) mox cadauer curatum ad pyram ſandapilarij & veſpillones efferebant. Quo in loco, is qui neceſſitudine defuncto maiore iunctus erat, auerſus rogo facem ardentem inferebat: vnde & conſuetudo illa manſit, vti faces & funalia funus antecedant & ſubſequantur. Antiquiores nobiles nunquam ferè ſoli comburebantur: apud exteras nationes dicò, id quod ex poetis in primis collegimus, Vergilio, Statio, & alijs. Sed & Homerus in Patrocli funere famulos, equos, caneſque crematos cecinit. Apud barbaros vero etiam vxores & ſeruos, vt retro planius oſtendemus. Illud obſeruatum eſt quoque, vt maioris ætatis homines ad tubam efferrentur, quod & ad hanc diem ciues Romani cuſtodiunt: minores vero natu ad tibias. Fuit enim opinio, vt ſcribit Macrobius, mortuos ad ſepulturam cum cantu proſequi, quoniam animæ ipſæ poſt corporis vincula ad originem dulcedinis muſicæ, id eſt, ad cœlum ipſum redire creditum eſt antiquis. Sunt qui ideo factum putent, quod anima ipſa à pleriſque harmonia exiſtimata eſt, quod in primis credidit Herophilus, & eum ſecuti. Mox vbi vſtulatum cadauer fuiſſet, buſtum dicebatur, cinereſque & oſſa cado colligebantur, amicis & cognatis circunſtantibus: tum defunctus funebri laudatione à propinquo laudabatur, quod cum ex alijs ſcriptoribus, tum ex Suetonio præcipuè & Cornelio Tacito didicimus. Perfectis his, præfica nouiſſimum verbum illud alta voce pronunciabat, ILICET, quod eſt quaſi ire licet. Tum cineres & oſſa ſepulchro inferebantur, ante quod aram fieri ſolitam, Maurus Honoratus ſcribit. Poſtquam vero omnia completa fuerant, extremum vale alta voce pronunciaba-

ciabatur hoc pacto, Vale,vale,vale,nos te ordine quo natura permiſerit ſequemur. Sed meo quidem iudicio melius nullus nec elegantius omnia ferè quæ diximus executus eſt, quàm ſuo carmine Vergilius in ſexto Aeneidos, cum de Miſeni funere ita cecinit:

Nec minus interea Miſenum in littore Teucri
Flebant, & cineri ingrato ſuprema ferebant.
Principio pinguem telis & robore ſecto,
Ingentem ſtruxere pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupreſſos
Conſtituunt, decorantq; ſuper fulgentibus armis.
Pars calidos latices, & ahena vndantia flammis
Expediunt, corpuſq; lauant frigentis & vngunt.
Fit gemitus, tum membra toro defleta reponunt,
Purpureáſq; ſuper veſtes velamina nota
Coniiciunt. pars ingenti ſubiere feretro,
Triſte miniſterium, & ſubiectam more parentum
Auerſi tenuere facem: congeſta cremantur
Thurea dona, dapes, fuſo crateres oliuo.
Poſtquam collapſi cineres, & flamma quieuit,
Relliquias vino, & bibulam lauere fauillam,
Oſſaq; lecta cado texit Chorineus aheno.
Idem ter ſocios pura circunluit vnda,
Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ,
Luſtrauitq; viros, dixitq; nouiſſima uerba.
At pius Aeneas ingenti mole ſepulchrum
Impoſuit, ſuáq; arma viro, remumq; tubamq;,
Monte ſub aerio, qui nunc Miſenus ab illo
Dicitur, æternumq; tenet per ſecula nomen.

Atque hactenus quidem Vergilius. Sed nunc videamus quamdiu fas eſſet lugere defunctos. Scribit Plutarchus, Numam Pompilium apud Romanos pro ætatibus temporibúſque defuncti, lugendi modum ſtatuiſſe. Puerum non lugeri trimo minorem, neque etiam natu grandiorem, neque etiam plus menſe qui vixiſſet vſque ad annos decem: & reliqua quæ de Græco exemplari caſtigato petenda ſunt, cum Latinum mendoſiſſimum ſit. Mulieribus quidem viduis decem menſes, hoc eſt, per annum lugere maritum fas fuit: tantus enim à Romulo annus inſtitutus fuerat. Vnde in Faſtis poeta Ouidius.

Per totidem menſes à funere coniugis vxor
Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.

cum de anno decemmeſtri ageret. Idem Plutarchus à Numa inſtitutum ait, vt quæ ante decem menſes à mariti morte mulier nuberet, prægnantem vaccam immolaret. Leguntur & in Iuſtiniani Auguſti Codice adhuc illa verba: Si qua ex fœminis perdito marito, intra anni ſpatiũ alteri feſtinarit nubere, probro notetur. Scribit Anneus Seneca, annum fœminis ad lugendum maiores conſtituiſſe, non vt tandiu lugerent, ſed ne diutius. Viris nullum legitimum tempus fuiſſe, quia nullum honeſtum. Hæc ille. Aliquos tamen in repub. viros excellentes annuo matronarum luctu ornatos, legimus in hiſtorijs, vt Iunium Brutum & Valerium Publicolam. Idem ex vſu noſtris mulieribus in mariti funere permittitur. Sed mali adeò mores ætatem noſtram inuaſere, vt quæ quintumdecimum diem, vel vigeſimum non expectauerint ad ſecundas nuptias, ego ipſe viderim. Sed mores hos longe funere peiores, ſatyricis perſtringendos mittamus. Atenim vt honeſtum humanúmque putamus mortuos lugere, ita

Stoicos quoſdam inhumanos non ſatis probamus, qui maximum flendi ius in diem vnum duntaxat ſtatuunt, idque poetæ Græci teſtimonio comprobatum volunt, qui Nioben infelicem illam matrem poſt tot filiorum necem de cibo cogitaſſe inducit: quibus & ego alios poſſem poetas & Græcos & Latinos adducere qui eam nimio lachrymarum fletu in ſaxum diriguiſſe cecinerunt, perpetuis quaſi lachrymarum guttis manans. Sed nos hæc fabuloſa mittamus. Ludos quoq; funebres & Græci et Romani inſtituerũt, vt ſuprà meminimus, quos incœptari tuba vel ex hoc Vergilij carmine cognoſcimus: Et tuba commiſſos medio canit aggere ludos. Qui verò ludis præerant, deſignatores vocabantur: quo nomine & qui funera curant nonnunquam dicti ſunt. Funebrium autem ludorum principium à Græcis incœpiſſe, manifeſte oſtendit Homerus, à quo ſuos funebres ludos Vergilius & Statius deſumpſere. Ea vero funera quibus ludi adhibebantur, ſimpludearia dicta ſunt, vt ex Ticinio antiquiſſimo poeta colligitur. Indictiua autem ea dicebantur quibus non modo ludi adhibebantur, ſed & deſignatores, atque ideo ampliſſima putabantur. Dicta vero eo nomine, quod per præcones indicerentur, vt Feſtus ſubinnuit: tametſi eo loci perperàm quidam inductiua ſuppoſuit. Lectos præterea & lectiſternia in Romanorum exequiis deferri ac conſtrui ſolita à potentioribus legimus, vt in Marcelli pompa ſexcenta, in Syllæ ſex millia, quod pro fortunæ qualitate ſcribit factum Seruius grammaticus. Sed & nonnunquam imagines & ſigna in funeribus præferebantur, vt Lactantius ſeu Lutatius grammaticus obſeruat in Papiniana Thebaide, in miraculum videlicet ſpectantium. Idem etiam innuit Horatius cum ait, Atque imagines ducunt triumphales. Statius quoque, Exin magnanimum ſeries antiqua parentum Inuehitur. vt hiſtoricos hoc loco, Suetonium & alios miſſos faciam. Solebant cum primis reges ac principes vrbium antiquitus, quod & noſtris temporibus fieri vidimus pontificibus maximis, tumulari condique cum gemmis aliiſque opibus. vnde exit illud Satyrici Perſij: O, ſi Ebullet patrui præclarum funus. Tametſi paſſim alio modo exponi à grammaticis ſoleat. Certe ego in vrbis direptione cum alia ſepulchra pleraq; effodi vidi, tum Iulij ſecundi ſepulchrum, ex quo inter cætera Cæſariani milites anulum ſuſtulerunt, in cuius pala ſapphirus erat incluſus ingentis precij, quem Auguſtinus Triuultius Card. multis aureis redemit. Vidimus præterea & arma & ocreas vetuſtis in monumentis repertas. Sed & hiſtoriæ de ſepulchris agunt in quibus theſauri inuenti ſunt. Redeo nunc ad ſepulturas. Erat & earum genus illud, quam noſtri imaginariam & inanem, Græci cenotaphion vocant, cùm mortuo iuſta abſente cadauere perſoluerentur. Cenotaphium Trãquillus Suetonius honorarium tumulum appellaſſe viſus eſt, cum de Druſo agit. Cæterum, inquit, exercitus honorarium ei tumulum excitauit, circa quem deinceps ſtatuto die quotannis miles decurreret, Galliarúmque ciuitates publice ſupplicarent. Funus imaginarium in Pertinace Capitolinus vocat. Funus, inquit, imaginarium ei & cenſorium ductum eſt. Legitima verò ſepultura vocabatur, cum defuncti corpus adeſſet. Erat & aliud ſepulturæ genus, quod per pulueris vel terræ vel glebæ iniectionem celebrabatur, cuius Maro & Horatius, aliique meminere, atque in hos in primis grammatici. Id verò ſecundum pontificalem ritum, & circa cadauer, & circa abſentis corpus ſolennibus quibuſdam ſacris fieri conſueuerat, quod & M. Cicero in legibus affirmat, & nonnihil ego ſuprà retuli. At ſi fortè defunctus domi non extinctus erat cui exequiæ celebrandæ fuerant, domum referebatur, vbi dies ſeptem ſeruatus, octauo incendebatur, nono ſepeliebatur, vnde & nouendiales pulueres vocat Horatius. Sed & ludi funerales, nouendiales aliquãdo dicti ſunt, & ſacra ipſa nouendialia. Quare nos noſtro quodam hendecaſyllabo, rudes & inertes ſemper ſepulturis & cadaueribus quaſi vultures inhiantes, ſacerdotes nouendiales, vulturios, iocoſe certe, ſi minus recte, appellauimus: ita enim ad Alexandrum Rangon. noſtri

Hercu-

Herculis fratrem, cũ nephriti ego & renum doloribus vrgerer, nec orationi dicendæ propterea intereſſe poſſem, cecini:

At vobis male ſit mali dolores,
Bonis qui bona ſemper inuidetis,
Quin vrgete popas rudes inertes,
Iſtos vulturios nouendiales.

Ad hæc & denicales feriæ ab antiquis celebrabantur, cum hominis mortui cauſa familia purgabatur, παρὰ τῶν νεκρῶν nuncupatæ, vt putat Sext. Pompeius, quãquam & non fortaſſis inerudite, ſi à denarij numero deriuentur. Poſt nonum enim diem quo tumulo cineres condebant, decimo purgabantur. De his & Columella & Feſtus Pompeius meminerunt. Sed & M. Tullius in libris de legibus, qui tametſi locus parum ſyncere legitur, vt eſt locupletius obſeruatum in noſtris annotatis. Februa quoq; à Romanis menſe Februario Diti patri celebrabantur, de quibus, vt alios mittam, copioſe & ornate agunt Ouidius Faſtorum libro ſecũdo, & Feſtus Pompeius. Videtur & hoc loco operæprecium tibi referre Cæſarũ & Imperatorem conſecrationem quam ἀποθέωσιν Græci vocant, idq; Herodiani præcipue verbis, vt ſunt à Politiano in Latinũ conuerſa. Mos eſt, inquit, Romanis conſecrare Imperatores, qui ſuperſtitibus filijs vel ſucceſſoribus moriuntur: quiq; ſunt eo honore affecti, relati dicuntur inter diuos. Eſt autem tota vrbe quaſi luctus quidam feſtæ celebritati promiſcuus: quippe functum vita corpus ritu hominum ſumptuoſo funere ſepeliunt. Sed ceream imaginem defuncto quam ſimillimam effingunt, eámq; in regiæ veſtibulo proponunt ſupra eburneum lectum maximum atq; ſublimem, veſtibus inſtratum aureis. & quidem imago illa ad ægroti ſpeciem pallida recumbit: circa lectum vero vtrinq; magnam partem diei ſedent, à læua quidem ſenatus omnis veſtibus atris amictus, à dextra vero matronæ quas virorum aut parentum dignitas honorabiles claráſq; reddit. Harum nulla vel aurum geſtans, vel monilibus ornata conſpicitur, ſed veſtibus albis exilibus indutæ, mœrentium ſpeciem præbent. Hæc itaque per ſeptem dies continuos faciunt, medicis ad lectum quotidie accedentibus, inſpectúmq; velut ægrum, deterius ſe habere ſubinde pronunciantibus. dein vbi iam viſus obiiſſe diem, lectum humeris attollunt equeſtris ſenatoriíque ordinis nobiliſſimi ac lectiſſimi iuuenes, ac per viam ſacram in vetus forum deferunt, vbi magiſtratus Romani deponere imperium conſuerunt. Vtrinque autem gradus quidam ſunt ad ſcalarum ſimilitudinem extructi, in quibus altera ex parte puerorum chorus eſt, è nobiliſſimis atque patritijs, altera fœminarum illuſtrium hymnos in defunctum pæanaſq; canentium, verendo ac lamentabili carmine emodulatos: quibus peractis, tollunt iterum lectum, atq; extra vrbem perferunt in Martium campum, vbi quamlatiſſime campus patet. Suggeſtus quidam ſpecie quadrangula lateribus æquis aſſurgit, nulla preterquam lignorum ingentium materia compactus in tabernaculi formam: id quidem interius totum eſt aridis fomitibus oppletum, extra autem intextis auro ſtragulis atque eboreis ſignis, variíſq; picturis exornatum: infra vero alterum minus quidem poſitum eſt, ſed forma & ornatu perſimile portis ianuiſq; patentibus: tertium item & quartum ſemper ſuperiore contractius, ac deinceps alia, donec ad extremum, quod eſt omnium breuiſſimum, perueniatur. Poſſis eius ædificij formam comparare turribus ijs quæ portibus imminentes, noctu igne prælato naues in tutas ſtationes dirigũt, pharos vulgò appellant. Igitur lecto in ſecundum tabernaculum ſublato, aromata & ſuffimenta omnis generis, fructus, herbas, ſuccóſque omnes odoratos conquirunt, atque aceruatim effundunt: quippe neque gens eſt, neque ciuitas, neque qui honore vllo aut dignitate præcellat, quin certatim pro ſe quiſque ſuprema illa munera principis honori deferant. Vbi verò ingens aromatum aceruus aggeſtus eſt, ac locus omnis expletus, tum circa ædificium illud adequitant vniuerſi

equeſtris ordinis certa quadam lege,ac recurſu motúque pyrrhichico numeróque in orbem decurrentes.Currus item circumagũtur,inſeſſi purpuratis rectoribus,qui perſonas ferant ducum omnium Romanorum,principúmq; illuſtriũ: quæ vbi celebrata ſunt,facem capit Imperij ſucceſſor,eámq; tabernaculo admouet, tum cæteri omnes vndiq; ignem ſubijciunt,cunctáque illico fomitibus illis aridis odoramentíſque referta igne valido corripiuntur, mox ab extremo minimóque tabernaculo tanquã faſtigio quodam ſimul cum ſubiecto igni aquila dimittitur, quæ in cœlum creditur ipſam principis animam deferre: ac iam ex illo vnà cum cæteris numinibus Imperator colitur. Atq; hæc ita quidem ex verbis Herodiani.Illud verò hoc loco tibi animaduertendum,quòd tabernaculum illud extremum recte faſtigium nuncupatum eſt: nam & hoc apud autores, & in nomiſmatis quibuſdam ſe obſeruaſſe ait vir antiquitatum ſtudioſus, amicus meus. Et quidem eſt penes me argenteum nomiſma dono mihi datum à B. Diuitio Bibiennate,D.Mariæ in porticu Card.in quo inſculptum eiuſmodi eſt tabernaculum cum inſcriptione, CONSECRATIO. Poſt hanc autem apotheoſin ſacerdotes & ſodales, ipſis in diuorum numerum relatis Cæſaribus de ipſorum nominibus nũcupatos attribuebant,de quibus crebra eſt mentio apud ſcriptores. Alijs longe diuerſa à Chriſtianis fiunt, cum à Romano pontifice maximo,in diuorum ſanctorúmq; numero quiſpiã refertur.Nuper à Leone X.pont. max.magna celebritate & religione, cerimoniiſq; omnis generis cum in maiorum & minorum pontificum,tum cæterorum promiſcua hominum frequentia celebrari comſpexi,cum in diuorum numerum D.Franciſcum Paludem,virum inſigni pietate ac religione, retulit. Idem poſtea iterum conſpexi, Adriano VI. pont.max.in ordinem diuorum Antonium Florentinũ præſulem, & Beronem Germanũ referente.Sed de his iam ſatis. Nunc Romanis funeribus Aegyptiorum iure ſubiũxerim,vt poſt rerum dominos, vetuſtiſſimæ gentis inſtituta ſubtexam: atque in primis de eorum regum ſepultura agam, quæ multo apparatu celebrabatur, vt Diodorus ſcribit. Cum enim ,inquit,regum Aegyptiorum aliquis è vita deceſſit, illum omnes communi luctu deflent, veſtes diſcindunt, templa clauduntur, iuſtitium indicitur, feſtiuitates non celebrantur, luto caput fœdant, totos duos & ſeptuaginta dies linteo ac ſindone ſubtus mammas cinguntur, CC.aut CCC. permixti ſexus bis interdiu vrbem luſtrãt, luctum leſſumq; nouantes, regiſq; virtutes ad numeros commemorant: cibis coctis, vino,omni denique menſæ apparatu abſtinent, non lauacris, non balneis, non vnguentis, non ſtragulatis lectis,nec venere deniq; vtuntur: ſed per eos continuos dies mœrore & luctu afficiuntur. Interea quæ ad pompam faciunt,comparant. Poſtremo vero die cadauer in arca repoſitum, ante ſepulchri aditum collocant, libellúmque de rebus à rege geſtis breuem recitant, tum ſi qui ſunt qui velint, regem vituperant. His autem omnibus præſentes ſunt ſacerdotes, qui ſingula cenſent: adeſt & populus, qui regum laudibus applaudit, vitijs reclamat. Quare factum eſt,vt Aegyptiorũ regum aliqui indigni exiſtimati ſint vt ſepulturæ honore honeſtarentur. Atque ita quidem Aegyptiorum regum exequiæ celebrabantur. Priuatorum vero & popularium ſic. Cum quiſpiam fato functus eſt, propinqui & amici luto caput deturpant, ciuitatémque deflentes circumeunt, interim neque lauantur, nec niſi vile quippiam edunt bibúntque, neque ſplendidis vtuntur veſtibus. Sepulchrorum apud ipſos tria habentur genera, ſumptuoſum, mediocre, humile. In primo argenti talentum, in altero minas XX. in vltimo quid minimum exponunt. Qui funera curant, eorum impenſam domeſticis afferũt, petentes quanti velint funus apparari, atque ita inter ſe componunt. Primus igitur deſignator, quem Grammaticum illi appellant, humi cadauere depoſito, circa illius ilia deſcribit quantum à ſiniſtra parte incidendum ſit: dein qui ſcindit, lapide Aethiopicô, quantum lateris deſignatum eſt à Grammatico, aperit, ſtatímque currens profugit, quem tum

aſtantes lapidibus & execrationibus inſequuntur: mox qui ſalitores nuncupantur, cadauer in templo delatum, per, quæ facta eſt, ſciſſuram expurgant, omnibus eductis inteſtinis & interaneis, præter cor & renes, quæ ab alio quopiam vino phœniceo lauantur, odoramentisqúe liniuntur, mox reliquum corpus cedro vnguentisqúe dies amplius triginta perungunt ij quibus hæc cura eſt, myrrhâque ac cinnamomo, alijsqúe rebus odoriferis perliniunt, quibus rebus cadauera à corruptione conſeruantur. Vbi deſignatores ita corpus curarunt, vt integrum cum ſupercilijs, palpebris, cæteriſq; membris in dormientis modum quieſcere videatur, tum illud ipſius cognatis tradunt. Multi vero Aegyptiorum, maiorum ſuorum corpora domi multo ſumptu ſic expurgata condiunt, & eorum etiam imaginibus valde oblectantur. Alij autem antequam ſepulturæ mandent, cum iudicibus ad hanc rem deſtinatis diem indicunt exequiarum. Mortuum enim Acheruſiam paludem, quam & Styga quidam nuncupant, tranſiturum exiſtimant, quam prope Memphim eſſe autores prodiderunt. Hanc rem ex Seneca aliter Seruius recitat: ait enim circa Syenem locum eſſe, quem Aegyptij phylas vocant, apud quem palus eſt Styx, quod triſtitiam tranſeuntibus gignat, limoſa & papyris referta: vltra quam breuis eſt inſula quæ Abatos appellata eſt, quod ſit inacceſſa, cuius & poeta Lucanus meminit: Hic Abatos quam noſtra vocat veneranda vetuſtas. Lectum eſt etiam quod vicini populi ſuorum cadauera ad alteram regionem transferunt. Sed ſi quis forte in fluuio pereat, nec eius corpus inueniatur, poſt centum annos ei perſoluuntur officia: atque hinc illud propterea dictum eſt à Vergilio: Centum errant annos. Tranſmiſſa vero palude, adſtant iudices amplius quadraginta in hemicyclo præparato, trahiturq; nauis, quæ ab illis ϐάρις dicta eſt, à Græcis ἐπίϐαθρα, ad hoc opus ab illis comparata, quibus eą cura imminet. Eam vero nauim, nauta qui ab ipſis Charon nuncupatur, regere dicitur, cui pro naulo danacen ſoluere conſueuerunt (id oboli ſeu pecuniæ genus eſt, à danais, hoc eſt, vita functis, vel quod δανά arida dicuntur, appellatum, adeò vt inde prouerbium emanarit, Danace, quod dicitur de vltimis bonis, alijs vel conſumptis vel amiſſis.) Sanè Græci ſcriptores Melittutan maſſam quampiam melle conditam ſeu offam eſſe tradunt, quæ cum danace vel obolo vita functis dabatur in portitoris mercedem. alij tamen offam Cerbero offerri prodidere. Sed ad Aegyptiorum inſtituta redeo, quæ primum ab Orpheo, & mox à Vergilio, de Charonte & inferis tradita ſunt, id quod & ante me antiqui Grammatici obſeruauere. Igitur vltra ripam antequam in arcam corpus condatur, deducta in palude naui, volenti cuicunque mortuum accuſare conceditur. Si quis ab iudicibus fuerit, vt malus, reprobatus, ſepultura caret: & qui itidem iniuſte damnaſſe conuincitur, graui pœna punitur. Poſt hæc cognati compoſito luctu & lachrymis demortui hominis laudes recenſent, non eo vtiq; modo quo Græci & Latini conſueuerunt, qui genus, familiam, opeſq; celebrant: ſed defuncti ipſius à pueritia facta, mores, doctrinam, iuſtitiam, continentiam, pietatem, religionem, cæteraſq; virtutes perſtringunt, deoſq; maneis inuocant, precanturq; vt inter pios illum reponant. quibus tota adſtantium concio læta quadam voce reſpondet. Tum demũ cadauer à domeſticis & familiaribus ſepelitur in proprijs ſepulchris. Sed quibus ea deſunt, domi apud firmiorem parietem arca ſuſpenditur. Qui vero ob aliquam ignominiæ cauſam ſepultura priuantur, domi quidem ſine arca ſeruantur: quorum ſi ignominiam & delicta poſteri eluent, magnifice, vt alij, tumulantur. Fuit & illa apud Aegyptios conſuetudo, vt creditoribus in pignus darent parentum corpora, quæ qui non redemiſſet, perpetua infamiæ nota inurebatur. Lucianus tamen & Sextus Empericus hoc tantum de Aegyptiorum ſepulturis tradunt, eos inteſtina educere, dein corpora ſalire. Chryſippus & Cicero cōdire & domi ſeruare. Plutarchus in Sympoſio, cadauera aperire, apricoq; aliquo loco ſoli exponere, inteſtina in flumen iacere, reliquum purgatum corpus aſſeruare.

Strabo vero, ab aliis quidem cadauera in flumen præcipitari, ab aliis vero vitro circundata domi ſeruari, ab alijs in vaſis fictilibus, alueoliſque quibuſdam circum templa defodi & condi. Herodotus, & Herodotum ſecuti, ſcribunt in hunc propemodum: Vbi vita functus homo eſt, ferro incuruo inflexóque ad hoc parato cerebrum per nares mortuo educi, locum medicamentis expleri, inteſtiniſque purgari, & lapide, vt diximus, Aethiopico ilia diſcindi, odoramentis compleri, mox conſuto ilij vulnere, nitro ſaliri, LXX. dies quod vltra liceret, lugeri (quare Moſes cum de Iacobi morte agit, qui in Aegypto deceſſit, illum, ait, Ioſephi filij iuſſu ibi tum præpotentis, more Aegyptio quadraginta diebus cõditum, defletúmq; ſeptuaginta fuiſſe) inde cadauer linteamine inuolutum, gummíque illitum, in ligneam hominis effigiem ad hoc paratam componi. Alterum dehinc ſubdit idem Herodotus mediocrium ſepulturæ genus, tum & tertium, ſed quæ nihil ferè differant, niſi ſumptu, vt etiam ante diximus. Demum vero ſubdit: Vxores tamen inſignium virorum non ſtatim vita functas tradunt condiendas, ac ne eas quidem fœminas quæ conſpicuæ valde & maioris momenti fuere, ſed triduo atque quatriduo exanimes cuſtodiunt, ea ſcilicet cauſa, ne cum ipſis mortuis ſalinarij concumbant. Quippe aliquando aiunt quendam ex ipſis coeuntem cum recenti formoſæ mulieris cadauere deprehenſum, rémque à ſocio indicatam. Id quoque obſeruant Aegyptij, vt cum quis Aegyptius vel hoſpes compertus ſit mortuus, ſiue flumine ſummerſus, ſiue à crocodilo raptus, ei ciuitati vbi repertus, vel ad quam deiectus ſit, neceſſarium eſſe illum condire, & honeſtiſſimo funere in ſacris monumentis ſepelire, quæ nulli, niſi Nili ſacerdotibus, fas ſit attingere: eos enim ſupra homines neſcio quid exiſtimant. Cur vero Aegyptij, vt plerique omnes, ſuorum cadauera nõ cremarent, hanc Herodotus rationem affert: Aegyptij, inquit, perſuaſum habent ignem animatã quandam eſſe belluam, quæ, quæcunque nanciſcitur, deuorat atque conſumit: at cum eſt expleta, ipſam & quæ ab ea vorata ſunt, vnà emori: & propterea nec cremare, nec belluis offerre corpora, vt aliæ pleræque nationes, Aegyptij ſtatuerunt, ſed ea condire ac ſalire ne etiam à vermibus conſumi poſſent. Atque hactenus de Aegyptiorum funeribus dictum. Eundem ritum ab Aſſyrijs ſeruari quidam tradunt: verum illi potius cæra & melle mortuos condiunt, aſſeruántque conditos. Reges ſuos in paludibus relinquunt. Sed & quæ Scytharum & Gerrhorum præcipue inſtituta legimus, hoc adſcribamus loco, atque regum in primis, quorum ab alijs eſt diuerſus ſepeliendi modus. Nanque, vt Herodotus ſcribit, rex vbi deceſſit, ingentem & quadratam ſcrobem effodiunt, dein regis corpus exenterant, cæráque illud vndique circunlinunt, aluum optime expurgant, & ſilere contrito, thymiamate, apij ſemine, & aniſi complent, reſutúmque cadauer ad alias gentes plauſtro deferunt, quod illæ excipientes aurem recidunt, crinem circuntondent, brachia circumcidunt, frontem naſúmque ſauciant, manum ſiniſtram ſagittis traiiciunt, poſtmodum cadauer ad aliam rurſus gentem cui imperitent carpento deuehunt, atque inde referunt eò vnde prius diſceſſerant, omnibus regem comitantibus ad id deſtinatis. Simulac vero luſtratæ ſunt omnes nationes quibus rex viuens imperabat, apud illas quæ in extremis habitant reponunt, cadauérque ſuper torum in loculo componentes, haſtas hinc & hinc defigunt, & deſuper ligna diſponunt, & pallio contegunt. In altera vero loculi parte aliquam ex regijs concubinis iugulatam ſepeliunt, atque vnà pocillatorem, coquum, equiſonem miniſtrum, & qui regis erat à nunciis, equóſque, & aliarum rerum omnium primitias, tum ijs etiam phialas aureas, aliáque huiuſcemodi. Hanc tamen Seruius Grammaticus Indorum eſſe conſuetudinem exiſtimauit. His autem quæ iam retulimus, circa regis inferias expeditis, humum certatim omnes inijciunt, quàm maximum tumulum ſtruere parantes. At vbi annuum exactum eſt ſpatium, itidem rurſus agunt, quinquagintáque ex ſeruis inge-

nuis ſtrangulatos mactant,totidémque equos,quos eductis inteſtinis palea replent, eóſque tum quinquaginta iuuenes tum equos tignis traiicientes, dirum ſpectaculum ſepulchro regio circumponunt.Atque hæ quidem Scytharum regum inferiæ. Priuatorum vero & reliquorum ad hunc modum fieri ſolent. Defunctorum corpora condiunt,eáque plauſtris impoſita proximi ad amicos circumferunt: qui cadauer ſuſcipientes, epulum ijs qui illud ſequuntur exhibent: & in hunc modum quadraginta diebus priuatorum hominum comitatus circumagitur, poſthæc humatur, ſi prius tamen cadauer hoc modo expurgauerint. Caput cerebro euacuant, abluúntque: circa corpus tria ligna ſtatuunt hinc inde procumbentia: circum hæc lanea pilea obtendunt quam maxime poſſunt conſtipantes, & in ſcapham inter ligna pileáque poſitam, lapides igne candentes iniiciunt, ſuper quos ſemen cannabis, quæ apud illos precioſiſſima naſcitur, imponunt, vnde vapor exhalat omni Græcorum ſuffimento odoratior: quo ſtupentes odore Scythæ eiulant fléntque, id quod eſt apud eos lauacri loco. Neque enim corpora lauant, ſed eorum vxores aquam infundentes, cupreſſo, cedro, aut thuris ligno, ad ſcabrum aliquod ſaxum corpus atterunt, mox cum intumuerit, illud medicamentis quibuſdam perlinunt, & ſimul faciem, quæ poſtero die, amotis medicamentis, conſpicua ſplendidáque apparet. Alios eſſe Scythas legimus, qui inter epulas defunctorum corpora deuorant, quod Lucianus & Tertullianus ſcribunt. Sed quoniam ampliſſima latiſſimáque eſt Scytharum regio, ſunt ex ijs aliqui, quibus ferè perpetuæ ſunt niues, qui parentum cadauera inter niues & glaciem truncis affixa arborum ſuſpendunt, arbitrati flagitium & ſcelus eſſe ea terræ mandare. Scribit Stobæus, Tauros gentem Scythicam, qui & Taurici dicti ſunt, cum regibus extinctis gratiſſimos eorum amicos ſepelire. Si vero amicus aliquis regi interierit, pro illius merito regem, aut totam, aut partem auris abſcindere. Apud eundem Stobæum legimus, Sindos id moris habuiſſe, vt tot piſces in ſepulchrum coniicerent, quot hoſtes qui ſepeliretur interfeciſſe conſtaret. Aethiopas diuerſos eſſe, autores qui de orbis ſitu ſcripſerunt, manifeſte oſtendunt. Atlanticos tamen in Africa in primis celebràtos inuenio, quorum ſepeliendi inſtituta Scythicis ſubiungere non ab ordine alienum mihi viſum eſt, ſi prius tamen de regum morte in medium attulero. Scribit Diodorus, ſacerdotes qui circa Meroen inſulam deorum cultui aſſiſtentes inſeruiunt, maximam præcipuámque autoritatem habere, eámque in primis, vt cum opportunum eis viſum ſit & expedire, regibus ſignificare vt ſponte mortem oppetant, quibus dicto audientes reges, nullatenus abnuentes, voluntariò eam ſubeunt: aliquóſque apud illos eſſe, qui cum rege libenter occumbant. Nec deeſſe, qui ſi forte rex aliqua ſui corporis parte debilis ſit, vt regem imitentur, ea ſe parte mutilant, priuántque: adeò verum eſt quod à lepido poeta canitur, Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus. quod & à philoſopho multò ante ſcriptum fuerat. Priuatorum vero Aethiopum, quemadmodum diuerſam eorum regionem, ita varia quoque ſepeliendi inſtitutio. Alij quidem defunctos in fluminibus abijciunt, id elementum optimum ſepulchrum arbitrantes. Sextus quidem Empericus hos Ichthyophagos nuncupatos ait, hoc eſt, vt quidam verterunt, Piſcedulos; idque ea ratione ab ipſis fieri prodit, vt à piſcibus cadauera vorentur, quòd piſcibus ij victitent. Alij ſunt Aethiopes, qui vitreis vaſis concluſos mortuos ſuos conſeruant, vt nepotibus & poſteris eorum ſint notæ effigies, & idcirco eorum ſæpe ſint memores. Herodotus tamen rem ita explicat: Poſteaquam, inquit, Aethiopes, qui macrobij vocantur, mortuum areſeceruht, totum gypſo inducunt, picturáque exornant, & eius quoad fieri poteſt effigiem repræſentant: dein ſepulchrum ei è vitro quod apud illos abundat & paſſim effoditur, circumdant, in cuius medio defunctus interlucet, nihilque fœditatis, vel tetri odoris exhibet, ſed omnia

penè viuo aſſimilis. Sepulchrum hoc ipſum propinqui per annum intra ædes ſeruant, omniúmq; illi rerum primitias offerunt: anno vero exacto efferunt, extráque vrbem ſtatuunt. At eorum alij fictilibus vrnis condientes, circa templorum ſepta ſepeliunt, & per hoc maximum habent iuſiurandum. Quidam & Satis hoc attribuunt, vti retro diximus.

Indorum quoque multiplex variáq; ſepeliendi conſuetudo. Quidam parentes priuſquam annis aut morbo aliquo in maciem ſeniúmque eant, velut deorum hoſtias mactant, eorúmque viſceribus epulari fas & maxime pium eſt: at vbi ſenectus aut morbus inceſſit, procul à cæteris abeunt, mortémq; in ſolitudine nihil anxij ſolicitive expectant. His prudentiores, quibus ſapientiæ ſtudium contingit, mortis tempus non expectant, ſed ſemet ignibus ingerendo, eam læti ac hilares accerſunt. Scribit Egeſippus eos primum proteſtari quod diſcedere velint, nec ideo vllum obſtrepere. Deinde vbi apparatus mortis proceſſit, eos lætos inſilire ardentem pyram, & adſtantibus valedicere: dolere quidem mulieres quaſi ſubſidio deſtitutas, & paruulos liberos quod derelinquantur. Alios vero cæteros benedicere, nec inuidere quod meliores ipſi ad ſplendidiora loca, & ad puriora conſortia feſtinẽt. Hoc idem & ſuo carmine Lucanus teſtatur: Quiq; ſuas ſtruxêre pyras, viuiq; calentes Conſcendêre rogos. Hunc, inſuper & alium alias nationes moriendi morem habere legimus, vt dicemus. Padæos gentem Indicam, ſcribit Herodotus, ægrotantes interimere, ac epulari, mulieréſque mulieribus idem officij præſtare, etiam ſi negent ægrotare: qua cauſa, inquit, pauci apud eos ad ſenectutem peruenire dicuntur: & ſi perueniant, mactati itidem comeduntur. Plinius apud Indos linum gigni prodit, quod Latini viuum, Græci asbeſtinon ex argumento naturæ vocant, quod ignibus non abſumitur. Ex eo factas Plinius ſe vidiſſe mappas ait, & ego ab aliis hoc tempore audiui. ex eo funebres confici ſolebant tunicæ, quæ regum fauillam corporis cremati ab reliquo ſepararent cinere. Maurus verò Honoratus in commentarijs Vergilianis Indorum conſuetudinem ſcribit fuiſſe, vt quoties eorum reges moriantur, cum his dilecti equi, ſerui, & vna de vxoribus quæ regi charior fuiſſet, incenderetur: inter quas de hac ipſa re magna erat contentio. Solinus, aliíque nonnulli, non modo regum vxores hoc facere, ſed & priuatorum prodiderunt. Solini verba adſcribam. Apud Indos, inquit, quibus ad viuendi rationem propenſior cura eſt, multæ vxores in eiuſdem viri coeunt matrimonium: & cum maritus homo eſſe deſierit, apud grauiſſimos iudices ſuam quæque de meritis agunt cauſam: & quæ officioſior cæteris ſententia vicerit iudicantium, hoc palmæ refert præmium, vt arbitratu ſuo aſcendat rogum coniugis, & vmbris eius ſemetipſam det inferias: cæteræ nota viuunt. Lucianus vero Indos μυέλῳ, hoc eſt, medulla circunlini. Alij Indis qui macrobij cognominati ſunt, hoc ipſum attribuunt. In vulgatis Luciani codicibus male, vt puto, ὑάλῳ pro μυέλῳ legitur. Diuerſa ab his Sextus Pyrrhonius. Indorum enim, ait, aliqui vulturibus cadauera lancinanda exponunt. Aliqui Taxillis hoc attribuunt, vt Hieronymus ſcribit, & ante Hieronymum Ariſtobulus, vt eſt apud Strabonem, qui Taxilam vrbem locupletiſſimam & inſignem Indiæ ſcribit: quin eius regem Taxillum, quòd rectè ſe erga Alexandrum geſſerat, ab eo honoribus, ad inuidiam reliquorum, accumulatum. Alij hoc quod diximus de vulturibus, Iberas factitaſſe prodiderũt. Sed mirum hoc, cum Procopius hac ſolum cauſa à Perſis bello prouocatos ſcribat, quod Chriſtianorum ritu defunctorum corpora ſepelirent: verum hoc potuit diuerſis temporibus contigiſſe. Indicam inſuper gentem Calaciæ ſcribit Herodotus, quæ parentibus veſcatur: vnde, inquit, interrogatos à Dario quantum pecuniarum peterent vt patres igne cremarent, illos reſpondiſſe iube rex meliora ominari. Sunt & apud Indos ſapientes Brachmanæ, qui mirabiliter mortem contemnunt, quod cum ab aliis, tum à Strabone traditur, ſéque ad eius contemptum

mire exercebant. Idem Megaſthenes prodidit. Notiſſima eſt de Calano hiſtoria, qui ſe vltro incendio obtulit, cum iam mori decreuiſſet. Nicolaus Damaſcenus & philoſophus & hiſtoricus, ſcribit à ſe viſum Zarmanochegan Indum, qui ſatis fortunatus Athenis ſe cremauit, quod abunde vixiſſet: in cuius tumulo ita inſcriptum fuit, Ζαρμανοχήγας Ἰνδὸς ἀπὸ Βαργόσης κατὰ τὰ πάτρια Ἰνδῶν ἔθη, ἑαυτὸν ἀπαθανατίσας κεῖται. hoc eſt, Zarmanochegas Indus ex Bargo, iuxta patrios Indorum mores ſeipſum immortalem faciens hic iacet. Atque de Indis hucuſque. Iam vero Græcorum ſepeliendi morem afferamus, quos Lucianus ait cadauera combuſſiſſe, quod & manifeſtius ex poetis colligimus, atque in primis Homero, qui in Patrocli funere rem clariſſime executus eſt: in cæteris ea ferè quæ noſtri. Cæterum qui pro patria occubuiſſent, longe honeſtiore exequiarum honore afficiebantur. quã rem luculentiſſime deſcribit Thucydides, & propterea eius fermè verbis hic tibi adſcribam. Facto, inquit, triduo ante exequiarum diem tabernaculo, mortuorum oſſa proponebantur, & ſuorum quiſque reliquijs, ſi quid libuiſſet imponebat. cum efferebantur, ſingularum tribuum ſingulas arcas, ſuæ cuiuſque tribus oſſa continentes, vehiculo deportabãt. Vnus præterea totus inanis conſtratus ſimul deferebatur, eorum quorum oſſa non extarent, vel inter cæſorum corpora reperti non fuiſſent. Educebant vero funus voluntarij quique promiſcuò vel ciues vel hoſpites, cum interea fœminæ aliqua defunctis neceſſitudine coniunctæ lachrymantes deflerent: oſſa ſepulchro publico compoſita inferebantur, quod Athenis quidem iuxta Calliſti monumentum fuerat in ſuburbanis, quo in loco ſemper qui in pugna occiderant ſepeliri conſueuere, præter eos qui in Marathone occiderant, quorum ſingularem fuiſſe virtutem exiſtimantes, eodem in loco monumentum erexerunt: poſtea vero quàm ſepulturæ traditi omnes fuiſſent, vir eloquentia præſtans ex numero ſeligebatur, qui in defunctorum laudes luculentam haberet orationem. Extant ad hunc diem orationes elegantiſſimæ hac de re, Lyſiæ, Demoſthenis, & Periclis, ſeu Thucydidis, quas nunc me vidiſſe recordor. Athenienſes quidem adeo ſepulturæ eorum qui in bello occubuiſſent curam habuere, vt ſi quis ducum bello peremptos ſepulchro honeſtare neglexiſſet, capitis pœna puniretur. quare & ſummos duces, quia cæſos nauali pugna in mare deiecerant, graui ſupplicio affecere. Quin & cùm occiſorum pro patria cadauera minus aſſequi poſſent, diſperſa eorum oſſa & diſſipata, diligenter exquirere & humo mandare curæ fuit, cæteráque facere quæ ſuperius modo commemorauimus. Vnde de Nicia egregio Athenienſium imperatore traditur, quod omnem exercitũ ſubſiſtere iuſſit, vt duos tantum peremptos milites ſepulturæ mandaret. Cimon quoque Miltiadis filius ſe captiuum exhibere non dubitauit, vt pater ſepulturæ traderetur. Sed hæc publica. Priuatum vero morẽ fuiſſe tradit M. Tullius Athenienſibus à Cecrope inſtitutum, hoc eſt, terra humandi: quod cum proximi fecerant, obductáque terra erat, frugibus obſerebatur, vt ſinus & gremium quaſi matris mortuo tribueretur, ſolum autem frugibus expiatũ, vt viuis redderetur. Verum cum apud eos increbuiſſet funerum ac ſepulchrorũ magnificentia vſque ad luxum, Demetrius Phalereus eam minuit lege, & ante lucẽ voluit cadauera efferri, ſepulchriſque nouis modũ finiuit. Nam ſuper terræ tumulum noluit quid ſtatui, niſi columellam tribus cubitis non altiorẽ, aut labellum: quin et certũ his magiſtratũ pręfecit. Illud pręterea humãdis defunctis ab Athenienſibus obſeruatũ, vt orientem verſus cadauera vertere ſolerent, contrà vero ad occidentem Megarenſes & Phœnices. Nec parua incuria omiſerim Lacedęmoniorũ regum funera, quæ à parciſſima licet ciuitate, multo tamen & magnifico apparatu celebrari ſolebant, id quod in primis oſtendit Herodotus. Nam equites, inquit, per vniuerſam Laconum regionem regis interitum pronunciabant, fœminæ per vrbem ollas pulſitabant. Interea dum hæc ſic fierent, ex ſingulis domibus mas & fœmina ſeſe præ luctu & lachrymis fœdabant: quod ſi facere renuiſſent,

grauibus

grauibus pœnis mulctabantur. Regijs exequijs ex omni Lacedæmoniorũ regione neceſſarios quoſq; & vicinos adeſſe oportebat, qui ſimulac ad regis funus coniuncti conueniſſent, promiſcuò ſibi viciſſim frontes pulſabant cum gemitu ac vlulatu, optimum quenq; vltimum fuiſſe regem vociferantes. Si quis verò eorum bello periiſſet, eius ſimulachrum effingebant, totóque ſplendide ac magnifice ſtrato componebant, pérque decem dies continuos qui regio funeri dicabantur, iuſtitiũ indicebatur, & ſilebant fora, nec interim magiſtratuum conſeſſus vllus erat, verùm aſſiduus luctus. Atque hæ Spartiatarum regum inferiæ. Ciuiles vero exequias Lycurgum ita inſtituiſſe accepimus, vt nihil cum mortuo ſepeliretur, puniceo tantum amictu velatum, & oleæ fronde, cadauer terræ obduceretur. Eiuſdem quoq; lege ſancitum, vt in vrbe & ſecus deorum templa ſepulchra conſtruerent, vt Plutarchus docet, à quibus, vt diximus, Chriſtiani ipſi noſtrum inſtitutum ſumpſiſſe videri poſſumus. Lugendi verò tempus ad vndecimum diem eis præfinitum fuit, duodecimo Cereri rem ſacram faciebant, luctúmque ſoluebant. Argiui ex Græcis omnibus, in funeribus albis veſtibus, ablutis aqua, teſte Socrate, ſoli induebantur, in quibus & ſacrum illud erat quod ἔγκνισμα illi vocabant, in quo & carnes coctas exhibebant, vt Plutarchus refert. Præterea circumlitos mortuos condire ſolitos, ſcribit M. Cicero, vt quam maxime corpora diuturna permanerent. Hoc & Aſſyrijs, vt paulò ante diximus, attribuitur. Strabo etiam, Sola, inquit, ſepeliunt corpora Perſæ cæra oblinentes, magos vero inſepultos auibus edendos dimittunt. D. Hieronymus Perſas ait non prius cadauera humare, quàm aut ab alite, aut à cane traherentur. Idem & Procopius. Idem & Agathius in ſecundo hiſtoriarum, cum de ſepultura ageret Mermeroes Perſarum regis viri ſtrenuiſſimi, Tunc, inquit, in deſtinatum locum ſolum nudúmq; cadauer regis mortui reliquerunt, canibus ſimul & auibus eiuſmodique cæteris carniuoris obſcœniſque animantibus vorandum: quandoquidem, inquit, hunc Perſæ ſeruant ſepeliendi ritum, vt nudata à canibus & feris oſſa, per campos diſperſa maneant: neq; enim aut vrna condere, aut terra obruere defunctorum corpora fas eſt Perſis. Hæc fermè ille. Lucianus tamen Perſas ſepeliri tradit. Quod autem Perſæ ſuorũ cadauera non cremarent vt Græci, in promptu cauſa eſt, quod deũ ipſi ignem arbitrantur, eúmq; colũt, & propterea nefas illis videtur deum hominũ cadauera depaſci. At vero Curtius in lugubri veſte Perſarũ cõiuges & liberos in funere tonderi prodidit. non homines modo, ſed & iumenta quoq;, teſtis eſt Herodotus in vltimo, cũ de nece agit Maſiſtij, viri apud Perſas ſpectatiſſimi. Suetonius etiam Tranquillus cum Germanici interitum deſcribit, Quin & barbaros, ait, quoſdam regulos ferunt barbam poſuiſſe, & vxorum capita raſiſſe, ad indicium maximi luctus. Sed poſtquã incidimus in tonſuræ mentionem, ſcribit Plutarchus Græcos, ſi quid eis aduerſi accidiſſet, viros capillos aluiſſe, fœminas totondiſſe, vt ſuprà quoq; meminimus. Scribit Herodotus Argiuos capita totondiſſe cum ſuperati à Lacedæmonijs fuiſſent in agri Thyrei contentione, ac ſi in maximo luctu conſtituti fuiſſent: vnde, ait, legem tulerũt ne quis comam aleret, donec Thyreas recuperaſſent. Stobæus ex Nicolao Damaſceno philoſopho & hiſtorico apud Græcos doctiſſimus morem recitat fuiſſe, quod ſi quis apud Indos maximũ aliquod peccatũ admiſiſſet, à rege tonderi iubebatur, tanquam apud eam gentem tonderi maxima ſit ignominia ac dedecus. Sed de capillorũ tonſura ſi minus fortè accurate, copioſe tamen ſcripſimus ſuper illud Moſis, Non in rotundum caput attondebitis. quare iam nunc in viam redeo. Scribit Sextus Empericus, Perſarũ morem eſſe vita functos in cruce tollere, nitro ſalire, & poſtmodũ corio contegere. Perſarum Magos ac ſapientes ſcribit Cicero ſuorum corpora non humare, niſi ſint antea à feris laniata. Parthi eadẽ fermè quæ Perſæ inſtituta ſeruauere, hoc eſt, defunctorum cadauera canibus auibúſq; lanianda proponere, nudáque pòſt oſſa terræ condere. Hyperborei ad Arctos morem hunc cuſtodiunt:

Mors

Mors illis, inquit Plinius, non niſi ſatietate vitæ, epulatis delibutiſq; ſenibus luxu, ex quadam rupe in mare ſalientium. hoc genus ſepulturæ beatiſſimum. Eadem ſcribit Mela Pomponius: Hæc lex in Co inſula ad Helleſpontũ poſita fuiſſe proditur, vt ſexagenarij aconito vitam finire cogerentur, ne videlicet deſides fortium virorum cibaria abſumerent. Troglodytarum ſepultura fuiſſe penè ridicula videri poteſt. Nam vt eſt à Diodoro proditum, paliuri ramuſculis corpus obligabant, ceruicémq; cruribus annectebant, inde cadauer ipſum in eminentiori loco depoſitum, ſaxis & lapidibus obruebant, dein ſupra ſaxorum cumulum, nullo de ſuorum morte affecti dolore, capræ cornu deponentes cum riſu abibant. Sextus Pyrrhonius eadẽ ferè omnia, niſi quod de paliuri ramo non meminit. In inſulis quæ Baleares à noſtris, à Græcis Gymnaſiæ vocantur, illud quidem moris fuit, vt eius qui eſſe deſiit, lignis quibuſdam corpus membratim in fruſtra conciderent, & mox conciſum in vas componerent, tum demum ſaxorum et lapidum aceruo accumularent, id quod Diodorus Siculus ſcriptum reliquit. At Naſamones, Africana gens, ſedentes vita functos ſepeliebant, idq; maxime obſeruabant, vt cum quis animam efflare cœpiſſet, ſedentem conſtituerent, ne ſupinus occumberet: quod ſcribit Herodotus. Silius vero Italicus, Naſamonas in mare ſua cadauera, & in pelagus proieciſſe cecinit. Panebi populi Libyæ cum eorum rex moriebatur, reliquum quidem corpus eius ſepeliebant, vt Stobæus tradit, caput vero abſciſſum & inauratum, in templo ſuſpendebant ac conſecrabant. Nabathæi atque Arabes, necnon Sabæi defunctorum corpora ſtercoribus ſimilia putabant, atque ideo regum ſuorum & ducum cadauera in ſterquiliniis cœno fimóque obtegebant, dein terra condebant. Maſſagetæ vero Scythica gens, eos miſerrimos ac infeliciſſimos putabant, qui infirmitate ac morbo decubantes morerentur, taléſque feris beſtiiſq; vorandos proiiciebant. Vnde cum parentes & propinqui in ſenium vergerent, iugulabant, eóſque in fruſta conciſos, & ouium ac pecudum carne permixtos, in menſa appoſitos abſumebant: ſatius rati à ſe illos, quàm à vermibus conſumi. Idem fermè ſcribit Herodotus in primo. Septimius vero Tertullianus in libris aduerſus Marcionem, inſtitutum hoc Ponticis gentibus adſcribit. Parentum, inquit, cadauera cum pecudibus cæſa conuiuio conuorant: qui non ita deceſſerint, maledicta mors eſt. Colchos mortuos non ſepeliſſe ſcribit Stobæus, verum ex arboribus ſuſpendiſſe, quod genus ſepulturæ aereum fuit. Derbices gens Scythica Hycarnis proximi, eos qui ſeptuageſimum annum exceſſiſſent iugulabãt, & in conuiuijs appoſitos, neceſſarios & propinquos ad epulas conuocabant. abſtinebant vero à vetularum carnibus, eas tantum præfocatas condebant. Atqui ſi ante id temporis ſpatium aliquis fato ceſſiſſet, non eſſe, ſed terra condere ſolebant. Caſpij, parentibus vbi ſeptuageſimũ annum inſtare vident, occludunt, illóſq; rectè admodum obſeruant, vt fame intereant. Alij tradunt, vbi ad id ætatis peruenerint, inter ſyluas in lectulo deſtitui, finẽ rei obſeruãtibus & proſpicientibus ſuis. Quod ſi forte ſuprà volantes aues vnguibus & roſtro iacentes diſcerpſerint, ſummum eos felicitatis gradũ aſſecutos arbitrantur. Si verò à canibus & feris dilaniẽt, eos quidem beatos ac felices exiſtimãt, ſed nõ æquè vt ij qui à volucribus diſcerpti ſint. At ſi nec ab his neq; ab illis, eos perinde ac infeliciſſimos lugent. Eruli, qui Danubij accolę ſunt, eã teſte Procopio conſuetudinem in ſepeliendis ſuis habent, vt ſenibus quidem & morbo male habentibus, fas non eſſe exiſtimarent diutius vitam producere. Verũ vbi aliquis ita eſſet affectus, propinquos rogare cogebãt, vt ſe quantocyus ex humanis delerent: tum verò proximi & cognati ingentem pyram lignis ſtruere, & ſuper eam tanquam faſtigiũ quoddam, hominẽ morti deſtinatũ collocare. Ad hęc aliquis nulla ei neceſſitudine coniũctus, pugione illũ cõficere, cognati ignẽ rogo inijcere, crematí oſſa legere, terra condere, legibus obligãt. At vero defuncti vxor, ſi nõ multo pòſt iuxta viri ſepulchrũ laqueo vitã finiiſſet, perpetuæ ignomi-

ignominiæ nota inurebatur. Bactriani & Hyrcani ſuos ætate confectos canibus obijcere conſueuere: quos quidem canes propterea publice alebãt, ſuæque linguæ vocabulo ſepulchrales vocabant, quod immane facinus Nicanor apud Bactrianos Alexandri præfectus cum emendare tentaſſet, penè, vt ſcribit Hieron. regnum amiſit. De Hyrcanis quidem in hunc propè modũ Cicero: In Hyrcania, inquit, plebs publicos alit canes, optimates vero domeſticos, atq; pro ſua quiſq; facultate canes parat à quibus lanietur, optimámque eam cenſent eſſe ſepulturam. Idem Sextus Empericus aſſerit. Sunt qui & canes ipſos ſepulchrales ideo nuncupent. At D. Hieronymus non à canibus ſolum lacerari tradit, ſed & volucribus ſemiuiuos lancinari, atque vt canit Lucretius, Viua vident viuo ſepeliri viſcera buſto. Tibareni qui Scythiæ populi ſunt, quos ſenes dilexerunt, patibulis affigunt, id quod & Perſas facere ait Sextus. Eſſedones Scythię & ipſi populi, parentum ſuorum funera cantibus læti proſequi dicuntur, conuocatiſque propinquorum cœtibus, cadauera ipſa dentibus laniant, pecorúmque viſceribus mixta, vt de Maſſagetis retulimus, conuiuijs inter epulas apponunt. Oſſe autem capitis quod cranium vocamus, & caluariam, poculi loco habent, quod & auro circumornant, vt Solinus autor eſt & Mela. Alij Celtis hoc attribuunt, quod modo de capitis oſſe dixi. Aliter ab Herodoto traditur: ait enim, defuncti caput denudatum purgatúmq; inaurant, eóq; pro ſimulachro vtuntur, agentes illi quotannis maiores & hoſtias & cęrimonias. Albanos montis Caucaſi incolas defunctorum curam nullam habuiſſe ſunt qui tradant, eóſq; cum opibus & pecunijs reliquiſque eorum rebus precioſis quibuſcunq;, parentes ſepelire iam olim conſueuerant, ne ſcilicet diuitiæ poſt obitum relictæ defunctorum memoriam deſideriúmq; afferrent. autor Strabo. vnde & parum diuites fuiſſe à ſcriptoribus produntur. Lotophagi Libyæ populi ſuorum cadauera in pelagus iacere conſueuere, ea ſuaſi opinione, minimum intereſſe humóne an humore corpora diſſoluantur. Pæonas Laertius in ſtagna ſuos iam vita functos projicere ſcriptum reliquit. Suos & Ichthyophagi, vt dictum eſt. Phryges igni cremare, vt Græci, conſueuere, mox ſepelire. Alia ſacerdotum cõſuetudo, quos decem cubitis erectos ſublimes cõſtituunt ſuper lapidum ſtruem, nec vt cæteros defodiunt. quod idem ſcribit Stobæus. Apud Lycios non morem duntaxat, ſed legem etiam fuiſſe accepimus, vt non niſi veſte muliebri lugerent: idque ob eam rem factum, vt cultus deformitate commoti, ſe maturius à mœrore abducerent, cũ luctum intelligerent effœminatum eſſe & mollem, & à viri grauitate dignitatéq; maximè alienum. Thracum varia ſunt inſtituta, vt variæ quoq; eorum gentes. Trauſi enim qui inter eos connumerantur, vbi in lucem infantes editi ſunt, lugent: vbi quis naturæ conceſſit, læti atque hilares per iocum lætitiámque humare ſoliti fuerunt, arbitrati eos ex tot vitæ incommodis liberatos. Stobæus & Cauſianis hoc attribuit. Certe & Heſiodus qui & ipſe Thrax fuit, natales hominum lugens, vt ille ait, gaudet in funere. Getæ & ipſi Thraces, Gothi à pleriſque exiſtimati, vt Hieronymus & Oroſius ſcribunt, idem faciunt, à Zamolxi edocti. Fuit vero, vt ſcribit Herodotus, Zamolxis homo Pythagoræ quondam diſcipulus, qui in patriam reuerſus, cum animaduerteret Thraces male viuere & inſcitè, eorum ipſe edoctus Ionicum viuendi genus & mores, ipſis dedit & leges, docuitque & perſuaſit popularibus eas ſeruantibus, non obitum eos ad ſeſe in eum locum ituros, vbi ſuperſtites omnium bonorum compotes eſſent futuri. per hoc diuinitatis opinionem conſecutus, è Thracum ſe conſpectu abduxit atque euanuit, maximo ſui deſiderio poſt ſe relicto. Ad hunc mittere conſueuere cum naui quinque remigum, nuncium quempiam ex ſe ipſis ſorte delectum, præcipientes ea quibus ipſi tum indigerent, eúmque ita mittentes: eorum quibuſdam negotium dabatur, vt tria iacula tenerent, aliiſq; comprehenſis, eius qui ad Zamolxin mitteretur, manibus pedibúſque hominem agitantes, in ſublime iactarent ad iacula, qui ſi in præſens extin-

extingueretur, propitium ſibi deum arbitrabantur: ſin minus, ipſum nuncium inſimulabant, adſeuerantes malum illum eſſe virum. Hoc inſimulato, alium mittebant, dantes adhuc viuenti mandata. Sed præter hæc pleraque alia de Zamolxi à Strabone traduntur, déque eius cultu, vt cæteros tum Græcos tum Latinos in præſentia ſcriptores prætercam. Creſtones & ipſi Thraciæ populi his ſuperiores, id ſepeliendi moris habent, vt quæ vxor magis à viro dilecta ſit, ea mactata cum viro ſepeliatur. Sed optimatum qui apud Thraces ſunt, Herodotus hanc ſepeliendi conſuetudinem eſſe prodidit. Triduo, inquit, cadauer proferunt, mactatiſque quotidie victimis comeſſantur, mox deflent, tum defuncti corpus crematum terræ mandant, congeſtóque deſuper tumulo certamina proponunt, ſed ſingulorum tantum hominum, quæ μονομαχίαι dicuntur. Sed de Thracibus in vniuerſum plura Pomponius & Solinus, qui vt ſunt breuitatis ſtudioſi, ita loquuntur: Vna, inquiunt, gens Thraces habitant, alijs aliјſq; præditi & nominibus & moribus. Quidam feri ſunt & ad mortem paratiſſimi, Getæ vtique. Id varia opinio perficit. Alij redituras putant animas obeuntium. Alij etſi non redeant, non extingui tamen, ſed ad beatiora tranſire. Alij emori quidem, ſed id melius eſſe quàm viuere. Itaque lugentur apud quoſdam puerperia, natique deflentur, funera contrà feſta ſunt, & veluti ſacra cantu luſuque celebrantur. Ne fœminis quidem ſegnis eſt animus, ſuper mortuorum virorum corpora interfici ſimulq; ſepeliri votum eximium habent: & quia plures ſimul ſingulis nuptæ ſunt, cuius id ſit decus, apud iudicaturos magno certamine affectant: moribus datur, eſtque maximè lætum, cum in hoc contenditur, vincere. Mœrent alij vocibus, & cum acerbiſſimis planctibus efferunt: at quibus conſolari eas animus eſt, arma opéſque ad rogos deferunt, paratique, vt dictitant, cum fato, ſi detur in manus, vel paciſci vel decernere, vbi nec pugnæ nec pecuniæ locus ſit, manéntque domi non procis nupturæ. Atque hæc quidem ex Mela magis quàm Solino. Macedonibus nullum tam ſolenne munus fuiſſe proditum eſt, quàm ſuos ſepelire. Gallorum in ſepeliendis cremandíſque cadaueribus ritus his propè verbis à C. Cæſare ſexto belli Gallici commentario refertur, Funera ſunt, inquit, pro cultu Gallorum magnifica & ſumptuoſa, omniaq; quæ viuis cordi fuiſſe arbitrātur, in ignem inferunt, etiam animalia, ac paulò ſupra hanc memoriam (hoc eſt, ipſius Cæſaris) ſerui & clientes, quos ab iis dilectos eſſe conſtabat, iuſtis funeribus confectis vnà cremabantur. & hæc quidem Cæſar. Mirum vero eſt quod de iiſdem tradit Pomponius: Aeternas, ait, Druidas apud eos animas aſſerere, vitámque eſſe alteram ad manes. Itaq; cum mortuos cremant ac defodiunt, acta viuentibus olim negotiorum ratio, etiam & exactio crediti, defertur ad inferos, erantq; qui ſe in rogos ſuorum velut vnà victuri libenter immitterent. At vero Maſſilienſes inter Gallos olim eruditiſſimi, vtpote à Græcis oriundi, eodem die quo funus eſſat elatum, domeſtico ſacrificio adhibito, neceſſariorum ac cognatorum conuiuio celebrato luctum finire conſueuere. Germanorum vero funera ita deſcribit Cornelius Tacitus, vt eorum nulla eſſet ambitio: id ſolum obſeruarent, vt clarorum virorum corpora certis lignis cremarentur, ſtruem rogi nec veſtibus nec odoribus cumularent: ſua cuique arma, quorundam igni & equus adijciebatur, ſepulchrum ceſpes erigebat, monumentorum arduum et peroperoſum honorem & grauem defunctis aſpernabantur, lamenta & lachrymas cito, dolorem & triſtitiam tarde ponebant: fœminis lugere honeſtum. Vtriq; vero, hoc eſt, Germani & Galli hac tempeſtate, vt Chriſtiani, Chriſtianorum exequiis & ceremoniis mortuos ſepeliunt. Iudęorum conſuetudinem eſſe corpora condere, quàm cremare, more Aegyptio, idem Tacitus autor eſt, quod & in Iudæorum ſacris libris manifeſtius conſpicitur: quem morem & hodie ab iis qui diſperſi ac palantes, nullis certis ſedibus vagantur, ſeruari videmus. Condiri verò odoramentis & aromatibus, candidiſquę inuolui linteaminibus, cum eorum,

rum euangelica doctrina docet. Magnos autem adeò ſumptus aliquando in ſuis ſepeliendis feciſſe ſcribit Ioſephus, vt plerique ea cauſa ad inopiam redigerentur. Illud addit diuus Hieronymus: Flentes, inquit, vſque hodie Iudæi, nudis pedibus in cinere volutati, ſacco induti, ex ſuperſtitione phariſæorum prius cibum lentis accipiunt, ſignantes quali edulio primogenita perdiderunt. Et merito, ait Hieronymus, quia reſurrectionem CHRISTI non credentes, Antichriſti parantur aduentui. Hoc quidem ille, qui & alio loco, libro ſcilicet in Hieremiam tertio: Mos, inquit, hic fuit apud veteres, & vſque hodie in quibuſdam permanet Iudæorum, vt in luctibus incidant lacertos, & caluitium faciant. quod & Iob feciſſe legimus. Manifeſtius hoc propheta ipſe: Non ſepelientur, ait, neque plangentur, & non ſe incident, & neque caluitium fiat pro eis, & non frangent inter eos lugenti panem ad conſolandum ſuper mortuum, & non dabunt ei potum calicis ad conſolandum ſuper patre ſuo & matre, & domum conuiuij non ingredieris, vt ſedeas cum eis & comedas & bibas. Quæ prophetæ verba morem oſtendunt, hæc facta fuiſſe in funeribus. Sepeliri vero in agris, & obſtrui ſepulchrorum oſtia ſaxis & lapidum molibus, antiquis mos fuit. Nunc quidem vt plurimum exilia ſunt, cippo tantum & gleba terrę contenti, vel tegula fictilive plintho, vel ſi qui magis, marmoreo lapide. Illud vtique Iudæi religioſe antiquitus obſeruarunt, vt nec hoſtem quidem inſepultum dimitterent, nedum qui patibulo fuiſſet affixus. Turcarum quoque funera his addere par viſum eſt. Solent igitur qui inter Turcas optimates ſunt, ſua ſibi ſepulchra conſtruere ijs potiſſimum in locis, vbi ſolitarium ſit ſolum, & nullo tempore cultum, in viridarijs ſcilicet & in ſpecubus: tametſi apud eos etiam ſint cœmeteria, vbi populares paſſim & vulgares terra, vt noſtri, obruuntur. Potentiorum, inquam, & optimatum funera eorum ſacerdotes, quos patrio illi vocabulo Thalaſſamanos vocant, pro hominis fortuna & conditione multi comitantur, identidem hoc carmen concinentes, Deus eſt deus & verus deus, & Magman dei nuncius. Efferunt vero Turcæ cadauera in caput, vt Hebræi quoque, non in pedes, vt nos. Conſequuntur funus neceſſarij ac propinqui, & poſt hos hinnientes equi, hamis quibuſdam naribus affixis: & cum his humi tracta inſignia & vexilla ducunt, & haſtas fractas, & eiuſmodi cætera. Nonnunquam & equos inuerſis ephippijs conſtratos. At vero Turcarum reges alij templa & xenodochia ſibi pro ſepulchris conſtruunt, quibus & prouentus annuos & redditus opulentos adſcribunt, ad inopum & pauperum ſubſidia. Solent id quoq; pleriq; eorum principes efficere, vt circum ſepulchra platanos cæteráſq; arbores virentes ferant, ſimul & violas & halantiũ florum omne genus, addunt & his marmoreos titulos ſuis perſcriptos literis. At vero Turcarum ſepulchra obtecta ſunt quædam, quædam detecta, hoc eſt, ſub diuo, vt apud nos quoque. Primatum quidem ſepulchra quotidie ferè nouis ſtragulis ac pallijs obteguntur. Adduntur & his diademata, quæ vulgò Turbãt vocantur, varijsq; omnia floribus inſpargunt. Luctus vero funerum Turcæ finiunt tertio plerunque die, nonnunquam octauo, conuocatis ad epulas & conuiuia amicis & propinquis, vbi & ſermones habentur tempori & rei congrui. Non ideo tamen fœminæ, matres ſcilicet & vxores, ſororéſque, ac eiuſmodi reliquæ à luctu ceſſant, quin frequentius ſepulchrum adeunt, ſuámque ſortem deflent, eiulatum noſtratium haud parum imitantes. Atque hactenus quidem paucioribus tibi quàm potui Turcarum funera ſum executus. Nunc ſummatim noſtra Chriſtianorum inſtituta tibi attingam, quòd ea notiſſima ſunt. Defunctorum nos corpora, vt antiquitus Romani, lauamus, & vt cuiuſque vitæ conditio, proprio habitu, hoc eſt, vt pontifex pontificio, rex regio ornatu, vel vt ſibi quiſque teſtamento legato iuſſiſſet, induimus, & humanæ redemptionis inſigni præeunte cruce, præcedentibus omnis ordinis ſacerdotibus, vl-

timo loco ſubſequentibus neceſſarijs & propinquis,pullatis atratíſque, cadauere ſandapila medio loco conſtituto,ad templa & cœmeteria deferimus, vbi de more peractis iuſtis, vel terra condimus,quod vulgare & plebeium eſt, vel marmoreis ſepulchris,quod ciuilius,vel porphyreticis labris,vel aheneis,quod principum eſt & potentiorum:nonnulli etiam balſamo,alij ſale & melle condiunt,& in templorum fornicibus arculis picatis cæratíſve ſuſpendunt, obtectis ſericeis aureíſve tegumentis, cum tamen illud à noſtris maximè proprium exiſtimetur, terram terræ reddere,quæ(vt canit Lucretius)quoniam omniparens eadem rerum eſt commune ſepulchrum. Sed & apud Xenophontem Cyrus id ſepulturæ genus commendat,quod & antiquiſſimum fuiſſe M.Tullius declarat.

Hactenus quidem,quantum memoria complecti potui,de varijs gentium ſepeliendi inſtitutis diſſerui,quibus,vt puto,longe facilius Silij Italici carmina intelliguntur,quæ ſunt in XIII.Punicorum,quo nullus, vt mihi quidem videtur, varios ſepeliendi ritus breuius complexus eſt,vt eo loci facile iures, oratorij partes eum quàm poetæ potius obiuiſſe.Ita enim Scipionem cum Appij vmbra loquentem inducit:

—Nanq;,inquit,*iſta per omnes*
Diſcrimen ſeruat populos,variatq; iacentum
Exequias,tumuli & cinerum ſententia diſcors.
Tellure,vt perhibent,is mos antiquus Ibera,
Exanima obſcœnus conſumit corpora vultur,
Regia cum lucem poſuerunt membra.probatum eſt
Hyrcanis adhibere canes,Aegyptia tellus
Claudit odorato poſt funus ſtantia ſaxo
Corpora,et à menſis exanguem haud ſeparat vmbram;
Exhauſto inſtituit Pontus vacuare cerebro
Ora virûm,& longum myrrhata reponit in æuum.
Quid qui recluſa nudos Garamantes harena
Infodiunt?quid qui ſæuo ſepelire profundo
Exanimes mandant libycis Naſamones in oris?
At Celtæ vacui capitis circundare gaudent
Oſſa(nefas)auro,& menſis ea pocula ſeruant.
Cecropidæ ob patriam mauortis ſorte peremptos,
Decreuere ſimul communibus vrere flammis.
At gente in Scythica ſuffixa cadauera truncis,
Lenta dies ſepelit putri liquentia tabo.

Hæc Silius.Sed iam ſepulchrorum miracula,quæ toto terrarum orbe clariſſima habita ſunt,libello modum imponant. Etenim ſuperius gentes memorauimus,quarum in conſtruendis monumentis ingens fuit ambitio, atque in primis Aegypti,cuius reges & pyramides primi,& obeliſcos, & irremeabiles ſtruxere labyrinthos. Nam & Hecatæus, qui tempore Lagi Thebas profectus eſt, vt fidelius Aegypti hiſtorias conſcriberet, & poſt eum alij tradunt,Aegyptiorum regum vetuſtiſſima ſepulchra talia fuiſſe,vt eis nulla alia comparari poſſint. Aegyptij vero ſacerdotes,quadraginta ſeptem regia monumenta commemorant, quæ miraculoſiſſima fuerint: ad Lagi tamen Ptolemæi tempora decem & ſeptẽ duntaxat ſuperfuiſſe dicuntur.Celebrant item ea in quæ Iouis cõcubinas Aegyptij conditas aſſerebant.Verum illud multo maxime celebratur,quod Simandij regis fuiſſe perhibetur, cuius in præſentia formam tibi perſcribam. Eius ſepulchri circuitus decem ſtadiorum fuit,cuius aditus porta, quæ duorum fermè iu-

gerum latitudine, altitudine quadragintaquinque cubitorum fuit, varijs conſtructa marmorib9. quamprimum ingreſſis offerebať periſtylus quaquauerſum quatuor iugerum, in quo pro columnis animalia ſex & decem cubitorũ ad morem antiquum inſculpta fuerant. Tota vero ſuperioris tecti ſtructura ex duorum paſſuum lapidibus, ſtellis diſpoſitis colore cæruleo, erat adornata. Dein alter erat aditus & priori porta non abſimilis, verum ſculpturis multo copioſior: in cuius ingreſſu tres erant ſtatuæ ingentes poſitæ, Memnonis (vt aiunt) opus: quarum vna coloſſi inſtar erat altiſſimi, hinc et hinc puſillas duas filias, vt videbatur, habens, mirabili tum naturæ, tum artis ingenio. Titulus in eo talis, Rex regum Simandius ſum. Si quis qualiſve fuerim, & vbi iaceam noſſe velit, meorum aliquid operum exuperet. Erat & ſignum aliud matris viginti cubitorum, in cuius capitis vertice tria regia ornamenta cũ eſſent, id (puto) innuebant, quod filia, vxor, & regis mater fuiſſet. Poſt hæc & alter periſtylus erat longe ſuperiore pulchrior, in quo Bactriana ipſius regis pugna erat efficta. In medio periſtyli duo erant ingentes ſtatuæ ex vnico marmoris fruſto cõfectæ, ad quas ex periſtylo tres aditus patebant: tum ædes erant ſuſpenſæ columnis, & in ea ligneę ſtatuę innumerabiles, hinc iudices & inde principes videbantur. De hinc ambulatorium, & regis ſignum deis immortalibus ex ſibi allatis tributis dona offerentis, quotq; annuatim millia ex tributo rex acciperet. Poſt hæc etiam fuit bibliotheca cum huiuſcemodi inſcriptione, Animi medicamentum. Et poſt ipſam bibliothecæ inſcriptionẽ, omnium deorum Aegypti imagines, & regis munera offerentis. Domus hæc ſequebatur, in qua Iouis & Iunonis lectiſternia viginti, & ſtatuę regis ipſius, vbi rex erat ſepultus. Circum hanc domũ erant habitacula varijs depicta animalibus, quæ verſus ſepulchrum aſcendere videbantur. Circuibat monumentum aureus circulus vnius cubiti craſſitudine, ambitu vero & circuitu trecentorum ſexagintaquinq;, in quo dies anni, & aſtrorum curſus inſcriptus erat, quem circulum vſque ad Cambyſis tempora permanſiſſe teſtis eſt Diodorus Siculus. Et tale quidem Simandij regis monumentum fuiſſe legimus. Meridis vero regis ſepulchrum Labirynthus fuit omnium maximus qui traduntur in Aegypto: de illo cum varie à ſcriptoribus ſcribatur, eorum opiniones non eſt quod hoc loco referam. Pyramidum quoque amplitudinem portentoſam, ſepulchrorum cauſa conſtruxit, vt Diodorus & Herodotus aliique affirmant, tametſi Plinius præter hanc & alias afferat. Sunt qui id operis Aegyptios ab Aethiopibus mutuatos exiſtiment, apud quos primum erectæ fuerunt. Sed enim pyramidum aliæ quidem trium laterum, aliæ quatuor fuiſſe, manifeſte ex autoribus colligimus. Illa autem inter reliquas celebrata eſt, quæ Amaſidis regis fuiſſe creditur. Item ea quam ſibi Chemis rex poſuit, quem Cheopen, ni fallor, vocat Herodotus. Fuit & illa quæ Rhodopidis meretriculæ fuiſſe traditur, illius inquã Rhodopidis quam Charaxus Sapphus frater perditè amauit: quam rem periniquo animo Sapphò tuliſſe, liquidò ex eius carminibus patet. Falluntur nonnulli, qui putauerunt Mycerini hanc fuiſſe pyramida, cum alia quidem illa fuerit: de quo & illud paſſim ferebatur, quod is fato functam filiam in boue lignea condidiſſet, & apud ſe, illius vt deſiderium leniret, in aula regia aſſeruabat, iuſſitque vt qui myſterijs & ſacris præeſſent, illi quotidie parentarent. Vidimus & ipſi Romæ, ſi non tantas, ſimiles tamen, vt quæ C. Ceſtij fuit. Fuerunt & obeliſci aliqui eadem ſepulchrorum cauſa erecti (vt Aegyptios taceamus) duo illi qui erant in monumento Auguſti Romę, ab Ammiano celebrantur, quorum alterius hoc tempore ingentia fruſta & crepidines repertæ ſunt. Stat & adhuc qui in Vaticano à Claudio Cæſare poſitus fuit. Mauſoleum vero in Caria ab Artemiſia regina in Mauſoli viri & fratris memoriam conſtructum, & inter ſeptem orbis miracula repoſitum fuit: vnde & apud Græcos de re magnifica prouerbium καρικὸν τάφον

τάφος: Sed & Porſenæ regi Labyrinthus apud Hetruriæ ciuitatem Cluſium, ſepulturæ loco ab eo rege poſitus fuit, in quo & pyramides addidit, vt ex Varronis autoritate Plin. recitat. Huius quidē Labyrinthi & hodię veſtigia cernuntur. Quid? nonne notum eſt & vrbes nōnullas conditas pro ſepulchris? vt Antinoi ciuitas ab Adriano conſtructa in dilecti adoleſcentis memoriam & monumentum. Quid? nonne Bucephalam ab Alexandro de equi ſui nomine? Sed & flumina ſepulchri loco nonnullis fuiſſe legimus, vt eſt de Tiberino apud Romanos: nota eſt hiſtoria. vt apud Medos Hydaſpes, de quo in Poetis agemus. Item fluuius Pythopolites, à ſepulchro Pythei regis, de quo Plutarchus agit. Maria etiam ſepulchri loco fuere, vt Icarium, Aegæum, Helleſpontus, Erythræum à ſummerſis ſepultiſque regibus nuncupata. Verum hoc de Erythra adnotaui, quod in Tyrina fuit non longe à Carmania ſepultus, cum huiuſmodi ipſcriptione: Hic tumulus pelago late dominantis Erythræ. Græcum vt legi hic appoſui, ſi minus, vt ego latine retuli, tibi placeret: ἐνθάδε τάφος ἁλὸς παμμεδέοντος ἐρύθρου. Celebratur & apud barbaros Nini regis ſepulchrum. Nam vt ſcribit Diodorus, ſepultus fuit Ninus in regia, molis ingentis condito à ſe monumento, nouem ſtadiorum altitudine. Cteſias Gnidius non nouem, ſed decem prodidit: ex quo loco facile vrbs tota ſpectari poterat. Vnde poeta Ouidius de Pyramo & Thysbe, qui mutuo amore concordes Babylone fugiebant, ita cecinit: Conueniunt ad buſta Nini. quem locum admodum ieiune expoſuiſſe videntur interpretes. Laudatur item Zarinæ ſepulchrum quæ Sacarum regina fuit. Erat vero pyramis trilatera, quæ in ſummitate & altiore faſtigio coloſſum aureum habuiſſe fertur. Helenes Iudæę memorabile monumentum fuiſſe cum Ioſephus & Egeſippus indigenæ, tum Græcus Pauſanias prodiderunt. Nitocris etiam Aſſyriorum reginæ ſepulchrum ea ratione celebratur, quod poſteros eluſit, theſauros ſub eo mentita, quo multo poſt Darius eſt deceptus: in eo enim multo labore effoſſo, has literas inſcriptas reperit: Niſi pecunia eſſes inexplebilis, & turpis lucri cupidus, non defunctorum vrnas aperuiſſes. Sed pluribus hoc Herodotus. Artachæi Xerxis præfecti memorabile quoq; fuit monumentū, quod ab vniuerſo illo Xerxis exercitu tellure congeſta cōſtructum fuit. Sed & Sardanapali ſepulchrum epitaphiumq; celebratum eſt. Nec minus & Cyri regis, quod non ad Aegyptiorum regum luxum, rex potentiſſimus ſibi parauit, ſed ad plebeiam ferè mediocritatem: quod cum Alexander recludi mandaſſet nihil in eo præter clypeum putrem, & arcus duos Scythicos & acinacem reperit. Q. Curtius regem miratum ait. Vberius tamen ab Arriano laudatur, eiuſq; Cyri epitaphiū. Commendatū quoq; Auguſti Cęſaris monumentum, quod Romæ lapide quadrato conſtructum legimus, & arbore opertum perpetuò virenti, in cuius monumenti ſummitate Auguſti ipſius ſtatua erat poſita, cuius reliquiæ molis nō procul à Tyberi extabant ſuperioribꝰ annis: hodie qui marmora effodiunt, funditus penè diruere. Manet adhuc Adriani moles, quam bellis Gothorum penè diſiectam, ſtatuiſq; ac ſignis nudatam ſcribit Procopius, demum à Romanis pontificibus, poſtquam vrbem Romam adepti ſunt, inſtauratam, muris propugnaculiſq; & foſſis munitam quà nō Tyberi alluitur, in arcis munitiſſimę formam redactam nunc conſpicimus. Nunc tibi mitto Iouis ſepulchrum, quod fabuloſum multis eſt carminibus decātatum, vt cum alij tum Picus noſter in ſuis commentarijs luculenter oſtendit. Mitto & Thaphoſirin vrbem in Aegypto, in qua ſepultum Oſirin nomen indicat. Mitto & Serapidis ſepulchrum quod Ruffinus, Alcmenæ quod Plutarchus, Iſidis quod Diodorus, commemorant. Mitto & Mahometis, vel vt rectius vocatur Magmedis, Turcarum prophetæ, quod ex Magnetis fornice & chalybe aere ſuſpenſo vulgus fabulatur. Mitto & alia penè innumerabilia, diuorum, pontificum, Cæſarum, regum. Sed non ſine piaculo illud præterierim, quod omnes ſummo cultu ſummaq; reuerentia,

ſi minus corpore,animis ſaltem purgatis adire debemus,quod eſt in Iudææ vrbe Hieroſolyma, CHRISTI Dei & Seruatoris noſtri, cuius ô poſſeſſores eſſemus, qui eius nomine,vtinam non immeritò,Chriſtiani nuncupamur.

Hactenus tibi de ſepulturis & vario ſepeliendi ritu CAROLE diſſerui: ſcio plurima me fugiſſe, multa tamen de induſtria præteriui: quæ tamen non aſcripſiſſe,minoris ſint momenti. Quod ſi ſtudium hoc noſtrum aliqua ex parte tibi non aſpernabile viſum fuerit,multum mihi collatum arbitrabor, præcipuè cùm te tuapte natura & inſtituto ad bonas artes ſemper propenſioris animi fuiſſe intelligam, teq́; ab auunculo tuo viro integerrimo ac probatiſſimo, non declinare conſpiciam. Supereſt vero mi Carole,vt quoniam mortale nobis contigit corpus,animus vero immortalis,enitàmur vt animi memoriam poſt mortem relinquamus immortalem, dúmque ſepulturas haſce legimus, earum iacturam facilem eſſe putemus:quin illud potius agamus quod Pericles ait, vt exuti mortalitate,ſine ſepulchro,ſine etiam titulo,ſi ita contingat, noſtri memoriam magis apud Deum immortalem in cœlo,bonorum omnium operum remuneratorem, quàm in ſepulchris & marmoratis eorum inſcriptionibus conſeruari putemus, mortiſque ipſius memores ſemper dum viuimus ſimus. Nam nec aliam ob cauſam,vt à principio diximus,ſummum in philoſophia finem Platonem in aſſidua mortis cogitatione poſuiſſe videmus,niſi quòd per eam & vitia fugimus, & ad virtutes accendimur, quibus rebus in ſupremi & tremendi tempore iudicij,vnà cum corporibus non iam mortalibus ſurrecturi, donati illuſtri ſempiternóque domicilio, cum Deo glorioſiſſimo optimoq́; æternum beato æuo perfruemur.

DE SEPVLCHRIS ET VARIO ſepeliendi ritu libelli

FINIS.

INDEX VERBORVM RERVM ET SENTENTIARVM IN HIS OPERIBVS MEMORABILIVM.

Prior numerus paginam, poſterior lineam denotat.

A

ABAD Aßyrioru͂ Deus 62,3
Abaris vates 220,2
Ab ben veruah baccados, nomen Dei, duodecim literarum 3,40
Abraxas ſeu Abraſax deus 70,21
Acabalis nympha 175
Acacion 605,46
Acamarchis nympha 173,42
Acatus nauigij genus 616,46
Acheron inferorum fluuius 279,3
Acroſtolion quid 594,40
Acroſtichis Alphabetaria icoſipentaſticha in laudem Apollinis. 242,26 alia in laudem Liberi 279,51
Actei trib. pl. in Craßu͂ diræ 205,8
Actæon, Ariſtæi F. 66,12
Adad Dei ſimulachrum 62,6
Adargatis dea Aßyriorum 62,4 eius ſimulachrum 16,10
ἄδιλφος vnde dictus 217,20
Adeona & Abeona dea 50,27
Adonia celebritas 397,10
Adonidis ſacra. 396,4
Adonis, qui & Adon 395,30 Chamus ab Hebræis vocat⁹ 395,44 de Adonide Veneris & Proſerpinæ certamen 396,50
Ador, Adorcum 492,36
Adorationis principium vnde peteretur 501,52
Adoraturi faciem quo conuertant. 301,22
Adramus Deus 62,47
Adraſtea Nemeſis 448,33
Adria vrbs à mari abſorpta 160,16
Aeacus 208,17
Aega Nympha. 173,33
Aegæon Deus marinus 165.11
Aegeria dea 49,35.176,2
Aegiuchus Iupiter vnde dictus 88,1 & ſequent.
Aegle nympha 173,37
Aegyon vrbs 20,23
Aegyptiorum cærimoniæ ſua placandi numina 513,17 ſuperſtitio 71, per totum de Deis opinio 6,12
Aenus mons 105,44
AEOLVS 181,35 Hippotades 181,36 qua ratione ventorum poteſtatem habere creditus 181,48
Aeoli filij 182,28
Aeoliæ inſulæ 182,13
de Aeolo variæ opiniones 181,48, & ſeq.
Aeraria Saturno cur dicata 131,17 & ſeq.
Aeſculanus Deus 37,14
AESCVLAPIVS 243,1 αἰγλαὴρ 248,51 ἀγλαόπτυς 248,38 Agnitas 248,43 Argagetas 247,47. Colatos 248,41 Ceronides 247,1 Cotylæus 248,47 Demænetus 247,28 Epidaurius 247,28 ἠπιοδότης 248,35 Gortynius 248,29 Καύσιος 247,25 Pæon 248,33 Pergamenus 247,51 Phœbigena 246,47 Salutifer 248,52 Triccæus 247,20 medicinā ab Apide Aegyptio edoctus, in reliquum orbem intulit 246,8 quid in medicina præſtiterit 243,4. vbi cultus 246,24 vnde dictus 243,20
Aeſculapij tres numero 243,14
Aeſculapij natales 244,8 interitus 243,12.244,40.246,16 ſimulachra 245,10
Aeſculapio cur baculus attribuatur 245,24 Epidaurus ſacra 344,16 quæ victima mactari ſolita 518,45
Aeternitas dea, & eius effigies, pagin. 57,46
Aethiopum de dijs & eorum cultu opinio 6,22
Agada ſeu ſagda lapillus 577,20 eius in retinendis & ſiſtendis nauibus miraculoſa vis 578,20
Adgeſtis fabula 133,46
Agea pars nauis 592,44
Agenoria dea 50,2
Ageſilaus Pluto 187,52
Aglaia, vna Charitum 404,25
Agne nympha 174,40
Agnodice medicinæ arcana diuulgat 243,45
Agonia, Agonalia ſacrificia 474,15.504,14
Agyiei dei 231,49
ἀγυιά, ἀγυιεὺς 231,32
Aiax Herculi familiaris 552,34
Aius Locutius, deus 46,36.56,41 templum ei qua occaſione, & quando extructum ib. 50. & 57,3
αἶσα pro Parca 200,36
ἄκατος nauigij genus 616,38
Alabandus deus 64,32. vnde dictus ib. 34
Albunea dea 69,15
Alceſtidis fabula 561,13
Alcmæontis opinio de deo 10,51
Alecto 202,19 vnde appellata 16,33
Aletides ſacrificia 480,34
Alexandri M. naues 583,1
Alexia vrbs 556,21
Alicarnaßus 218,29
ἀλευρομάντις Apollo 240,5
ἀλῶα feſtiuitas 478,36
Alueus, genus nauigij 617,26
Altor Deus 42,4
Am particula in compoſitione quid valeat 468,27
Amalthea 7,30.173,17 Iouis nutrix 92,28.173,20
Amaltheæ Cornu 562,5
Amanus mons 60,19
Amathus, Amathuſia Venus 376,40.377,3.
Amburbium, Amburbale ſacrum. 467,49
Amicitia dea 52,17
Amicitiæ effigies, & eius interpretatio 52,20
Amimones à Neptuno compreßæ fabula 151,8
Ammionius fons 153,16
Ammon Corniger 103,12
Ammon Iupiter 102,40
Amor, vide Cupido.
Amphiaraus vates 65,25. eius oracula ib. 28
Amphilochus pro Deo cultus 65,4
ἀμφιλύκη νὺξ 215,21
ἀμφιμήτρια, nauiu͂ ornamēta 611,37
Amphinome nympha 173,44

Amphirrhoë nympha 173,44
Amphitrite dea quæ, & vnde dicta 160,39 *vxor Neptuni* 152,36
Amphitritæ nomine duæ diuerſæ nymphæ 167,8
Amphithoe nympha 173,43
Amyclæ oppidum 232,26
Amycus R. *à Polluce cæſtis victus* 177,21
Anaitis Venus 62,43
Amygdala 133,32
ἀνάκεια celebritas 179,46.479,11.586,52
Anathema 468,44
ἀνακαλυπτήρια, ἀνακαλυπτήριν 478,30
Anaxagoræ Clazomenij *de deo opinio* 9,21
Anaximandri Mileſij de deo opinio 8,45
Anaximenis de deo opinio 8,50
Anchora quid 598,25 *à quibus inuenta* 598,48
Anchora ſacra ibid. 40
Anchurus quidam ſe pro patria deuouet 87,38
Anculi & Anculæ deæ 25,6
Ancyle, Ancylia 460,19
Angeronalia ſacra 55,30.472,47
Angeronia dea. 55,19 *vnde dicta* 16,23
Anigrus Fl. 170,70. *de eius ſalubritate memorabile quoddã* 170,10
Animales dei qui 423,48
Animales hoſtiæ quæ 491,20
Animalia in ſacrificijs adhibita quæ 491,46
de Animalibus an Deo *litandum.* 488,50
Anna Perenna *dea* 57,33
Annonis Carthaginenſis ambitio. 60,6
Antemna quid 597,38
Antemon, veli genus 604,20
Anteros Cupido 394,36. *& de eo variæ ſententiæ* ibid. *per tot.*
Anteuerta dea 48,22
Anthelij dei 229,34
Antheſphorea feſtiuitas 478,20
Anthiſteria celebritas 478,10
Antinous puer inter deos relatus. 70,9.
Antithei qui 25,9
Antiſthenis de deo opinio 9,38
αὔτλος. αὐτλία 596,4
M. *Antonius Athenienſium adulationem vt eluſerit* 542,46
Antonius Muſa 342,41
Antra inferis deis dicata, aræ ſuperis. 456,1
Anubis 71,36
Anubis, Mercurius 297,16
Anubidis hiſtoria 297,52
Aparnis vrbs 280,45
Apaturia feſtum 265,23.388,3.478,50
Apaturia celebritas & eius origo 388,3
Apelles calumniam vt depinxerit. 36,1
Apellis dictum de Fortuna 439,48
Apex quid 458,30
ἀρτιός, ἀφιτοί 237,2
ἀφροδίτη, vide Veneris *epitheta.*
Aphrodite vnde appellata 129,20
ἀφροδίτης ἱερὰς *ſacellum* 373,25
Apis Bos Aegypt. 192,34 *eius ſacra, & oracula. ibid.* 40, *& ſeq.*
Apis Epaphus. 193,15
Apis R. *mortuus pro Serapide habitus* 191,16
Apidis numen à Cambyſe *violatum* 193,34
Aplaſtria, nauiũ ornamenta 611,22
ἀποθώμια *ſacra* 482,16
Apollinares ludi 473,40
Apollo vnde dictus 211,50 *vbi reſponſa det* 232,12 *quæ victima placabatur* 518,30
APOLLO *Abæus vnde appellatus* 234,6 *Acrephius.* 235,27 *Actius & Actiacus* 230,23 *Aegleus* 240,20 ἀἰγονίτης 215,1 *Agyieus* 231,31 ἀκερσεκόμας 235,18. ἀκερσεκόμης 255,9 ἀλεξίκακος 212,41 ἀλφρομαντις. 240,5. *Amazonius* 239,25 *Amyclæus* 232,25 ἄναξ 228,43 *Aperca* 241,33 *Aphetor* 237,15 *Arcitenens* 238,20 *Argyrotoxus* 238,10 *Aſtypalæus* 241,8 *Auricomus* 238,23 *Bel ſiue Beles* 227.51 βοηδρόμιος 233,37 *Carneus* 234 24 *Caßius* 241,6 χρυσάωρ 238 28 *Cillæus* 240,34 *Cirrhæus* 240,44 *Clarius* 229,5 *Cæliſpex* 216,28 *Comæus* 235,45 *Corinthius* 241,23 *Coryphæus* 233,3 *Cous* 236,42 *Cumæus vel Cumanus* 235,8 *Cynnius* 232,46 *Cynthius* 222,45 *Daphnæus* 232,48 δεικατηφόρος 239,15 *Delius* 214,10 *Delphicus* 217,31 *Delphinius* 216,48 *Deradiotes* 229,46 *Didymæus* 222,52 *Dircæus vel Dicæus* 230,1 *Διωᾶτα* 240,29 ἑκατηβελέτης, & ἑκαβόλος 228,3 ἑκδάσιος 588,14 ἔνθρυπτος 239 6 ἥλιος 240,50 ἡμεροδρόμος 227,48 ἔνχυρος 241,5 ἔνθρυπτος 240,34 Enholmos 237 24 ἐπιδεκτήριος 229,22 *Epidelius, & eius hiſtoria* 314,25 Epicurius 216,42.231,22 ἐπιδόπιος 227,35 *Eriſatheus* 241,4 εὐβοσίτης 235,22 Genitor 234,53 *Gergithius* 236,32 Geruntius 234,14 *Grynæus* 237,27 *Haleus* 255,33 *Hecaergus* 228,17 *Hecatonibæus*, 223 31 Heliopolitanus, & *eius ſimulachrũ* 241,34 *Horus* 226 42 *Hyacinthides* 236,38 *Hylata* 233,20 *Hyperboreus* 219 47 *Hyperionides* 227,20 *Hyſius* 231,14 ἴιος 213,3 Intonſus 235,9 *Iſmenius* 218,27 *Ixius* 240,13 κοῤῥῶος 218,51 κύτειος 232,41 *Lariſſeus* 239,19 *Lathræus* 240,15 *Latous* 216,31 *Leſchecorius* 238,33 *Leſchenurius* 238,35 *Libyſtinus, ſeu Libyßinus* 213,40 *Litheſius* 234,12 λοίμιος 212,50 Loxias 215,51 λυκηγενέτης 216,4 *Lycius* 215,9 λυκόκτονος 215,49 λυκορεύς 216,23 *Maleaticus* 227,43 μαλλόεις 227,40 *Manto us* 240,27 *Marmarinus* 240,3 Μεταγείτνιος 233,53 *Myſtes* 234,48 *Murinus, ſeu Myrinus*, 237,29 *Muſagetes* 339,50 *Myricæus* 232,15 *Nepæus* 238,49 *Nonius* 219,2 *Oetoſyrus* 241,28 *Opſophagus* 216,40 *Orcheſtes* 238,39 οὔλιος 213,32 *Pæan* 213,6 *Pagaſæus* 228,35 *Palatinus* 230,7 παρνόπιος 238,1 *Parrhaſius* 231,22 Πατάριος 226,40 *Patareus* 232,1 πατρῷος 219,1 φαεσίμβροτος 227,32 *phaethon* 231,7 *Phœbus* 214,43 *Phanæus* 214,30 *Philalexander* 238,6 *Phlieſius* 225,26 *Phylleus* 239,33 *Phyxius* 238,42 *Plataniſtius* 227,12 *Polius* 239,22 Pornopio 226,22 προόψιος 239,13 προστατήριος 229,42 *Ptous* 218,39 *Pythius* 219,40 *Salganæus* 239,47 *Sciallius* 241,31 *Selinuntius* 239,45 *Smintheus* 225,38 Σωτήρας 241,13 *Spodius* 216,45

Stobæus

Stobæus 239,28 *Styracites* 240,17 *Synhodus* 242,24 *Tegyræus* 233,2 *Telchinius* 234,17 *Telmiſtius* 239,1 *Tharræus* 239,38 *Thearius* 227,15 *Thecmius* 241,21 *Themenites* 236,17 *Theoxenius* 231,8 *Thornax* 239,10 *Thymbræus* 236,46 *Thyrxeus* 229,28 *Thyreus* 229,31 *Tilphoßius* 239,30 *tortor* 227,18 *Tragiꝰ* 240,9 *Tyrbenꝰ* 237,13
Apollini *ſacræ laurus & tripus.* 211,30 *ſacri gryphes & corui* 211,20
Apollinis *præſentia et maieſtas* 213,45 *ſimulachrũ* 212,35 *triplex poteſtas* 211,4
in Apollinis *honorem acroſticha icoſipentaſticha* 242,26
Apollines *quatuor* 210,31
Apollonij et Phauorini *cõmentatorum error notatur* 166,45
Appiades deæ 20,27
Appiani locus corrigitur 95,20
Aptera locus in Creta 541,47
Apuleij locus emendatus & explicatus 597,47
Aqua in ſacris cur adhibita 300,25
Aquila cur Ioui *attributa* 75,1
Aram tangere, mos in ſacris 501,12
Aramanus deus 225,5
Arabiæ dei 59,37
Arceſilai de deo ſententia 11,31
Arculus deus 50,44 (9,14
Archelai Miltonis *de* Deo *opinio*
Archigalli, ſacerdotes Cerer. 135,45
Areopagus iudicij locus Athenis vnde dictus 303,20
Argentinus deus 37,14
Argeſtes ventus 183,28
Argo cæleſte ſydus 886,1
Argus nauis hiſtoria 579,31 *picturæ poeticæ* 588,30
ἀργὸς 291,37
Argyra nympha 174,14
Arion equus 156,32
Ariſtæi hiſtoria 66,10
Ariſtæus cur pro deo cultus 66,10 *mellificij inuentor* 66,1 *paſtor* 541,20
Ariſtomelidas Tyrannus 364,7
Ariſtoph. locus explicatur 603,31
Ariſtotelis opinio de deo varia 10,44 *votum* 105,1
Armiluſtrum 469,19.476,9
Ars dea 57,11
Aruales fratres 459,32
Aſcolia feſta 481,30
Aſcoma, nauis ornamentum 611,43
Aſclepiadæ 243,4
Aſia nympha 174,50
Aſtaroth deus 70,28
Aſtarte dea 59,37.62,40
Aſtarte Venus, quæ & Syria dea. 375,47
Aſtræa dea 27,35
Aſtrologorum prognoſtica vanitatis à Picis *conuicta* 590,20
Aſylum quid 33,24.434,36
ἄσυλοι qui 454,52
ἀσυλία 455,1
Atabyrius mons miraculo inſignis 95,12
Ate dea 59,5
Atergate dea, quæ & Derceto 61,7
Athenæum locus 326,48
Athenienſium adulationem vt eluſerit Antonius 542,46
Atlantides qui, & eorum de dijs opinio 6,42
Atropos 199,29
Atticæ monetæ ſignum 336,26
Attis fabula 133,23.234,12
Atys ſeipſum caſtrat 133,23.134,32 *vnde dictus* 134,6
Auernus lacus 209,15
Auerruncus deus 54,21
Augilarum de deis opinio 6,49
Augures. Augurum collegium. Augurum inſtitutio 459,40
Auguria nautarum 589,43
Augurij locus 459,48
Auguſtini locus emendatur 32,49
Auri penuria tẽpore Crœſi 232,34
Aurora, vnde ſic dicta 249,20
Aurora ἀγγελία 250,26 χρυσόθρονος 250,25 *crocea* 250,17 ἡμέρα 250,37 *Lutea* 250,19 *mater* Mẽnonis 250,5 *Pudoricolor* 250,32 Rhododactylos 250,30 *Roſcida &* Roſea 250,13 *Tithonia* 249,50
Auroræ fabuloſa deſcriptio 244,30
Auſonij locus illuſtratur 50,49.56,34.511,10.619,24 *locus variè lectus* 532,15
Autocabdalos nauis 617,40
Autonoe 66,11
Aulonæ naues 617,36

B

BAbyloniorum *lex execranda* 374,20
Bacchanal, Bacchanalia 256,35
Bacchus idẽ qui Dionyſius 260,19 *Lycurgi inſidias vt deuitarit,* ἀλληγορικῶς *declaratur* 259,50 *vnde dictus* 259,26
Bacchus Acratophorus 272,24 Adaneus 279,40 Aegobulus 275,27 Aeſymnetes 265,30 αἰθιόπαις 372,44 Alyſius et Lyæus 261,30 ἀμφιετὴς 277,37 Anthius 277,14 Aſalaminius 278,41 Bacchepæan 264,25 Bactes 278,27 Baſſareus 274,34 Biformis 272,37 Briſæus 277,50 Bromius 275,15 Bugenes 269,18 Calydonius 273,25 Cephalen. 264,50 Chooptetes 268,10 Colonates 275,38.277,1 Conſitr vuæ 277,28 Corymbifer 266,36 Creßius 265,18 Dimator 263,47 Dionyſius 260,19 Dithyrãbus 263,10 Duſareas 270,29 Edonius 275,31 Eleleus 275,35 Enorchus 268,52 Eraphiotes 269,23 Euan 274,7 Eubulus 273,19 Euius et Euhyas 273,35 Gorgyeus 375,12 Hebon 271,35 Hedereus 278,13 Hyes 267,40 Hygiates 265,44 Iacchus myſticus 268,32 Ignigena 275,45 imberbis & cornutus 260,37.269,48 Iſodætes 275,11 Iyngies 275,17 λαμπτὴρ 272,18 Laphyſtius 275,34 Lebenus 279,51 Lenæus 265,4 Liber pater 261,51 Ligyreus 264,22 λικνίτης 278,44 Limnæus 273,25 Lydius 264,50 Lyſius & Lyſiphobos 264,30 Mænoles 269,16 Mæonius 264,18 Maronæus 268,25 Maſares 275,44 Melanægis 265,20 Meliaſes 264,15 Melpomenes 276,51 Methymnæus 268,12 Μιτρηφόρος 272,30 μίσης 278,30 Morychus 266,6 Nartecophorus 275,1 Nictelius 277,5 Nyſæus 261,40 οἶνος 269,10 Omadius 278,25 Oreos 277,23 Oſiris 270,31 πατρῷος 278,21 περικιόνιος 277,33 Phauſterius 267,8 Phleon 272,52 Phlyus 273,8 Polites & Axites 273,47 Pſila 277,11 Rectus 273,14 Sabazius 266,41 σωτὴρ 265,48 Sycites 266,21 Taurophagus 271,47 θρίαμβος 263,9 Thyoneus 262,43 Vitiſator 277,30 Vrotalt vel Oratal 278,53 Zagræus 275,53
Bacchi *effigies* 277,40 *ſimulachra* 260,37 *varia cognomina* 263,50 *Parentes & natales* 258,39
de Bacchi *origine*, *narratio ridicula, ex* Athenæo 359,83
de Bacchi *de varijs cognominibus,*

epigramma 279,24
Baccho cur Thyrſus tribuatur 259,46 cur cornua atributa 269,48
Bapt. & Alexander Guarini 438, 4. & 24
Barcæ naues 617,43
Baris nauigij genꝰ 584,14.617,49
Barthol. Ferrinus 325,4
Barth. Riccius 452,16
Baſilinda, qui & Regindalia, luſus genus 385,18
Baſſaris veſtis genus 274,40
Beelzebub 45,34.190,9
Bel ſeu Belus Apollo 227,51
Belus Iupiter 108,30. vnde ſic appellatus ibid. 34
Bellona dea 309,10. Enyo 309,20 Threſſa virago 310,37
Bellonæ templum 310,18
Bellonarij ſacerdotes 309,41
Beli hiſtoria & quot eius nominis 108,50. & ſeq. reſponſum Seuero Imp. datum 109,16
Belus idem qui Baal 109,26 Iupiter 108,30 pater Didonis, & eius genealogia 108,43
Bendis dea. Bendidia celebritas 343,31.345,21
Bendis δίλογχος 345,25
Beneficium numem 51,30
Berecynthus vrbs 140,44. vnde dicta ibid.
Berecynthia mater 140,39
Bidental 455,23
Bidentes 467,9
Biennum vrbs 107,5
Boccatij error 166,42
Βοηδρόμιος Apollo 233,37
Βοηδρόμια celebritas 233,40.479,53
Bolina nympha 175,30
Βωμὸς, Bomologi 456,11
Bona dea 138,29.139,3.427,40
Bonæ deæ ſacra maribus adire nefas 139,40
Bonus deus 51,23
Bonus euentus deus 51,15
Bootes 194,25
Brachmanarũ de deo opinio 11,18
Brimò dea 347,44
Brizo dea 301,38
Bromius Bacchus 275,27
Brumalia celebritas 275,20
Βου particula in compoſitione quid faciat 463,50
Bubaſtia, ſacra 366,26
Bubona dea 54,19
Βουφόνια celebritas 477,46
Buſiris ciuitas 293,9
Buſiris rex 555,50
Buſiridis aræ 556,2
Buthyſia 463,48
βυρσοπαγεῖς naues 581,39

C

CAberides nymphæ 169,36
Cabiri dei qui & quomodo culti 21,39
Cabirorum ſacra 22,10
Cabrus deus 62,52
Caca dea 39,7
Cacus ab Hercule interemtꝰ 558,14
Caduceus, Mercurij virga, & eius origo 289,16
C. Cæſaris nauis 580,40
Caia Cæcilia 319,41
C. Caligulæ veſania 494,50
Calliope muſa 540,32 præſtantiſſima Muſarum 540,46
Calliſtho nympha 174,9
Calumniam Apelles vt effinxerit 35,50
Cameræ nauigium 618,3
Camillus 294,48
Camœnæ vnde dictæ 536,3
Candaules rex Lydiæ à Gyge occiſus 96,37
Canes pro deis culti 71,33
Canis à quibus gentibus mactatus 519,33 Symbolũ fidei 28,39
Caniſtri in ſacrificijs vſus 516,12
Canopus ciuitas 159,26
Canopus deus Aegyptiorũ 64,10 Chaldæorum deum vt ſuperauerit ibid. 11
Cantharus, nauigij genus 619,8
Capitis in ſacrificijs aperiendi aut velandi ratio 499,8
Capitolij mõs idẽ q̃ Tarpeius 78,10
Capitolium vnde ſic dictum 77,50 & ſeq. vt conditum 43,33
Caprotina Iuno 119,44
Caprotinæ nonæ 119,44. & ſ. 473,44
Carbaſus, ſum 605,10
Carbaſina vela 605,15
Carcheſion 597,12
Cardea dea 53,44
Cares criſtati 96,51 primi belli officinas inſtituerunt 99,50 vnde appellati 96,51
Carina, carinatum 592,20
Carina nauis 618,20
Carmelus deus & mons 60,15
Carmenta, quæ & Nicoſtrata & Themis 422,43
Carmentalia feſta 474,19
Carna dea 42,19 eius ſacra ibid.
Carnea celebritas 234,24
Carneadis dictum 442,8
Carnei modi 234,28
Carolina inſula 528,4
Carpathos inſula 162,30
Carthaginenſes hoſtijs humanis litare ſoliti 529,10
Caſius mons 97,4
Caſſandræ templum, Virginitatis aſylum 147,20
Caſſotis nympha 173,48
Caſtalius fons. Caſtalides Muſæ 537,40
Caſtalius fons 256,11
Caſtor Lynceum interficit 177,30 ab Ida interimitur ibid. 33 alterna morte à Polluce redimitur ibid. 37
Caſtor Mixarchageua 180,52
Caſtores ſeu Dioſcuri qui appellentur 176,52
Caſtores Ambulij 181,4 Amyclæi fratres 181,21 Anaces & Anachæ 179,40 Apheterij 181,18 Dioſcuri 178,34 ἱπποδρόμους 180,33 Gemini 181,1 Laperſæ 181,7 Oebalij fratres 179,31 Pileati fratres 181,30 Polydeuces & Decaſtores 178,29 Romanis apparuerũt 178,10 Therapnæi fratres 179,25 Tyndaridæ 177,6 Signum tempeſtatis 587,1
Caſtores σωτῆρες 180,6
Caſtori & Polluci cur aſtra nautis apparentia tribuãtur 180,14
Caſtorum celebritas & ludi equeſtres 177,48 effigies ibid. ſidus 587,1
Cataphractæ naues 618,22
Cataplus, nauigij genus 619,2
Catarrhacta 601,4
Cataſcopium nauigium 620,23
Cataſtroma, nauis tegamẽtũ 612,37
Catius deus 50,16
Catonis iocus 54,7
Caudicariæ naues 620,32
Cea inſula deſcribitur 98,17
Cebes philoſophus 419,10
Celeno Harpyia 204,1
Celes nauigium 619,49
Celeuma, clamor nauticus 634,40
Celox nauigium 619,48
Cenchrea vrbs 159,21
Ceneus deus 66,50
Ceraſtæ 201,55
Cerberus Plut. canis 207,47 ab Hercule tractus 560,7 Meduſæũ monſtrũ 286,7 triceps 186,40

Cercopum

Cercopum fabula 163.28
Cercurus nauis 620.9
Cerei Paſchalis conſecratio, ex ignis Veſtalium ceremonia accepta 145.51
CERES 405. 26 *à Neptuno aſtu circumuenta* 411.52 *vnde dicta* 405.26
Ceres Achæa 499.41 *Aethnea* 407.22 *Africana* 415.12 ἀλιτηρία 409.16 *Amæa* 419.26 ἀνησιδώρα 407.49 *Caberia* 408.43 *Catinenſis* 407.16 *Chamyna vel Chanyna* 414.50 *Chthonia* 411.20 *Cidaria* 414.31 *Cyria* 408.23 *Deſerta* 415.24 δέσποινα 408.24 δημήτηρ 405.30 *Eleuſinia* 412.42 *Ennæa* 407.5 ἐπιπολλὰ 409.49 ἐπωπὶς 409.52 *Erinnyis* 411.50 *Eualoſia* 410.1 *Flaua, quæ & Chloe* 407.31 *Hermionenſis* 407.43 καρποφόρος 412.38 *Libyſſa* 415.21 *Luſia* 412.13 *Melæne* 412.20 μηλοφόρος 410.17 *Mileſia* 408.50 *Mycaleſsia* 415.29 *Montana* 414.34 *Myſia* 411.39 *Omoloia* 409.14 *Ompnia* 410.6 *Patrenſis* 415.6 *Pelaſgis* 408.19 πολυφόρβη 408.12 ποτηφόρος δημήτηρ 408.29 *Proſtaſia* 408.15 *Pylagora* 409.6 *Rharias* 408.53 *Spicifera* 409.33 σιτὼ 410.11 *Styritis* 408.48 *Tædifera* 409.20 *Thermeſia* 411.18 *Theſmophora* 410.44 θεσμοθέτης *ſeu legifera* 410.36 ζείδωρος & βιόδωρος 407.51
Cereri quomodo ſacra fieri ſolita 521.10
Cereris genus 406.4 *effigies* 406.28 *ſacrificia* 521.10
Chalcea feſta 398.43
Chalcembolus, Chalcembolũ 596.9
Chalcembolos nauigium 619.18
Chaos vnde dictum 147.38
Chariſtia feſtum 477.4
CHARITES 401.20 *decentes* 403.37 *Eteocleæ* 401.36 *Orchomeniæ ſorores* 403.43 *Prœtides* 403.42
Charites quot numero 401.50
Charitum appellationes 404.25 *dux Mercurius* 403.39 *genus* 401.38 *ſimulachra, eorũq́ interpretatio* 403.20
de Charitibus Epigram. 404.48
Charon, deus infirmus 297.27
Charybdis monſtrum marinũ 165.35 558.20
Chelyſma 595.4
χιλιόμβη 477.38
Chiron Centaurus 510.7 *medicus* 167.34 *cur Philyrides dictus.* ibid. 38
Cheniſcus quid 598.1
Chenoſiris hedera 271.5
Chloe nympha 407.31
Chloris dea 40.39 *eadem quæ Flora* 41.12
Chollones naues 621.10
Chriſtiani in primitiua Eccleſia ſine imaginibus fuerunt 14.30
Chriſtus à gentibus contumelioſè ὀνόχηλος *vocatus* 429.29 *cum Abramo in cubiculo Alexandri Seueri depictus* 425.20 σωτὴρ 104.44 τελεταρχης 464.16
Chriſti crucem in re nautica inueniri 586.21
Chryſaoris vrbs 97.45
Chryſaoreus Carũ conuẽtus 97.43
Chryſios dæmon 429.36
Chryſippi Cilicis de Deo opinio 9.40
Chthonia ſacra 411.28
Chytri feſtum 480.47
Ciceronis de dijs ſententia 13.41 14.49 *locus aliter lectus* 433.21 606.17 *explicatus* 190.3 311.40
Cilicia quæ & diphthera 612.16
Cilla. Cillæus mons. Cillæus Apollo 249.40
Circius ventus 183.6
Ciſſus, κισσὸς 260.32
Cithæron rex 106.30
Cithæron mons 106.28 169.49
Cithæroniades nymphæ 169.49
Clarigatio quid 487.27
Clarius Apollo 229.5 *eius oracula* 229.8
Clarius vrbs 229.5
Claudiæ veſtalis pudicitia miraculo clara 180.20
Claudiani locus illuſtratur 136.28 223.52 244.50
Clauus 593.21
Claui partes 593.46
Cleanthis Aßij de Deo opinio 9.35
Clementia dea 33.25 *eius deſcriptio* 33.31
Cleomedes deus 65.5
Cleopatræ luxurioſa nauis 581.26
Clio Muſa quæ et vnde dicta 538.23
Cloacina dea 53.52
Clodius Bonæ deæ ſacra violat. pagin. 139.6
Clotho, vna Parcarum 199.20
Cocytus fons inferorum 209.13
Cœlius Chalcagninus 210.32 *eius epigramma in Riſum* 51.40 *liber de Deo ſilentij* 56.38
Cœlij Rhodigini error 598.14
Cœlus ſiue οὐρανὸς 128.20
Colias promontorium 380.41
Collina dea 40.5
Columbaria 593.4
Comiſtica nauigia 620.52
Compitalia feſta 473.28
Comus deus 45.5
Communis deus quis 305.10
Concordia dea 30.39 *eius templa* 30.40
Concordiæ effigies 31.47 32.1 *ſymbola* 31.41
Coniſalus deus 62.45
Conſentes dei qui & quot 18.2
Conſualia, quæ & Circenſes et magni ludi 155.21 473.32
Conſus deus 155.22 *idẽ qui Neptunus.* ibid.
Conſi ſacellum Romæ effoſſum recens 156.12
Contus quid 692.4
Corbita, nauigij genus 620.44
Cornelij Taciti locus 373.42
Corone, coronis 613.32
Coronis dea, & eius cultus 64.53
Cornu Amalthea 562.3
Cornua in antenna quid 586.31
Coruus Phœbo ſacer 211.18
Corybãtes miniſtri Cybeles 132.42 *qui, & vnde appellati* 24.10
Corycium antrum, Corycides Muſæ 170.3 437.44
Corymbus Corymbon 612.43
Corymba & aphlaſta quid differant 613.1
Corype ciuitas 233.7
Cothon, Cothones 638.32
Cotyttia ſacra 198.37 et 50. 479.6
Cotytto Proſerpina 198.32
Crenis nympha 174.21
Crephagenætus deus 67.22
Croton vrbs 559.49
Cumba quid 594.4
Cunina dea 46.43 (393.52
Cupidinea, quæ & Theſpia ſacra
Cupedines plures 390.26
Cupidinis deſcriptio 391.3 & ſeq.
de Cupidinis origine, variæ opiniones 390.3 *Platonis inſignis ſententia* 389.44
Cupidinum deſcriptio & interpretatio 396.044

Cupido 389.30 cur puer 391.20 cur alatus 392.48 cur cæcus 349.27 cur facem geſtet. ib.56 cur pharetram plenam ſagittis. ibid.40 cur nudus 42
Cupido vbi cultus 344.10 vnde dictus 389.34
Cupido ἀμφιθαλὴς 393.40 Anteros 394.36 Caunius 393.36 cæcus 394.27 ἔρως 392.22 Geminus 393.7 Harpys 393.17 ἵμερος 392.41 ἱμμάτιος 392.31 πανδαμάτωρ 393.32 Phanes 393.21 Pharetratus 393.27 ψίθυρος 393.25 πτέρως 392.46 ſagittarius 393.1 ſanctus 393.43 ſophiſta à Platone cur appellatus 391.50 Theſpius 395.50 tyrãnus 393.22
Curarum in homines imperiũ 10.38
Curetes dei qui & vnde dicti 22.15
Curetum inuenta 22.51
Curiones ſacerdotes 461.44
Cyane nympha 175.13
Cyaneæ aquæ 229.30
Cybæa, nauis nomen 621.26
Cybele dea 132.22 cur curru inuehatur 132.37 vnde dicta 133.22
Cybele Andirina mater 143.53 Antæa mater 142.12 Aſporina 142.6 Berecynthia mater, & Phrygia 140.39 Cybeca 141.23 Damia 141.6 Enthea 135.19 Dindymene 132.52 vnde ἰσόδρομα 141.32 Lemnius 143.48 Ma 44.9 Magna mater, ſiue Mater deũm 137.1 mater Idæa 139.19 Metragyrtes 141.11 Mygdonia mater 142.3 Paſithea 141.27 Peſinũtia dea 143.24 Phaſiane 143.41 πυργοφόρος 141.36
Cybeles celebritas obſcæna 136.9 et ſeq. ſacerdotes caſtrati 136.40
Cycn⁹ ab Hercule cõfectus 562.46
Cymba quid 621.5
Cymothoe nympha marina, vnde dicta 169.1
Cynetia dea 138.46
Cynoſarges locus Athenis 315.20 547.21
Cynthius Apollo 222.45
Cynthius Io. Bapt. Gyraldus 210.12
Cyrenes vrbis origo 66.8
Cythera inſula, Cytherea Venus 377.27

D

DAEdalea feſta 106.40
Dæmon Simonis Magi, & Socratis 429.20
Dæmones 417.40 Latinis Genij 419.4
Dæmones aßiſtentes, πάρεδροι 429.20 χθόνιοι & ἐπιχθόνιοι 425.34 ὑοβαῖοι 429.23 ὑπὸ γῆν χθόνιοι 429.49 quid, ſecundum Apuleium 421.16
Dæmonium meridianum 430.26
Dæmonis vocabuli ἔτυμον 417.50
Dæmonum origo & genus 417.50 genera 417.28 ſex genera 430.8 variorum exempla & nomina 429.20 & ſeq.
de Dæmonibus variæ variorum opiniones 417 & ſeq.
de Dæmonibus, magorum ſententia 430.16
Daunia dea 65.8
Daulis nympha 174.19
Decij deuotio 485.7
Defunctorum ſacra 509.13
Deæ Appiades 20.27
Deæ Materæ 26.22
Deæ Potniades 21.13
Dei appellatio apud ſingulas nationes 4.46 appellationes apud Hebræos 2.34 appellationes quæ & quales 4.12 deſcriptio 1.24 nec nomen nec ſubſtantia cognoſcibilis 3.7 nomen duodecim literarum 3.43 nomen omnibus ferè nationibus τετραγράμματον 4.43 nomen quadraginta literarũ 3.35 nomina omnia ab effectibus inuenta 3.20 vnitatem non tollit perſonarum trinitas 2.20 3.50
de Dei appellationibus Rhabbeni ſententia 2.53 Item Moſis Aegyptij 3.19 vnius nomẽ ſufficit ad diuinitatem 2.19
Dei Anculi 25.6 aſcriptitij 17.18 ἄζωοι 25.3 Auerrunci, ἀποτρόπαιοι 24.34 ἀζώνοι ſiue Cõmunes 21.1 æuiterni 19.8 Cabiri 21.39 Cõmunes 305.10 Conſentes 17.20 Curetes 22.15 δοῦαι 25.1 diuipotes 20.19 driodones 25.2 emiſſarij, ἀποπομπαῖοι 24.28 ignoti 16.30 indigetes vnde dicti 18.42 καθαροὶ 21.36 maiores & minuti 17.8 marini qui vocentur 161.2 : vide Marini dei: muſcularij 17.10 nouenſiles 19.47 ὁμόχνιοι 24.52 patellarij 19.40 Patœci 21.26 penates 17.24 peregrini 16.50 prodromi 20.47 ſelecti, & vnde dicti 19.16 ſemones qui 19.24 τροφώνιοι 24.51 topici qui 59.39 ζώγονοι 20.43
Dei qui à Romanis in nuptijs inuocabãtur 127.14 qui quibus menſibus præſideãt 17.32 quidam à veteribus culti, ne nocerẽt 49.21
Deis etiam libidinibus et virginum proſtitutionibus litatum 530.1 quibus quæ aues conſecratæ 211.20 quibus quæ ſacrificãda, pag. 497.10
Deo ignoto ara ab Athenienſibus erecta 16.33
de Deo philoſophorum opiniones 8.64
Deorum diuiſio ex varijs eorum regionibus 12.42 euocatio 483.43 & ſeq. euocatio quibus verbis peragi ſolita 484.20 filij à Gentibus qui vocati 7.43 inferorum ſacra 508.35 marinorum effigies 261.5 multitudo apud antiquos 2.1 ſimulachra cur hominis ſpecie efficta 13.48 14.10 tria genera ex Scæuolæ ſententia 13.30
de Deorum cultu Apollinis oraculum 489.38
Deus ἀνώνυμος, καὶ ἀγράμματος 15.50. vnus, non plures 1.24 per modum negandi quomodo definiatur 2.2
Deus, vocabulum vnde deductũ 5.1
Deuotiones apud Romanos 485.7
Delos inſula 214.7
Delphi, vmbilicus orbis 222.25
Delphici oraculi præceptum, Cognoſce teipſum 222.35
Delius Apollo 215.10
Delphicus Apollo 217.31
Delphici Oraculi hiſtoria 217.40
Delphicum templum quoties extructum & reſtauratum 217.50
Delphinium, locus iudicij Athenis 217.5
Delphinius Apollo 216.48
Delphis nauticũ inſtrumẽtũ 600.33
Delubrũ quid & vnde dictũ 455.4
Delus inſula ſub Latonæ partum emerſit 221.45 & huius ratio phyſica 222.1
Demetrij Polyorcetæ naues duæ 580.36
Democriti Abderitæ de deo opinio 8.53 ſententia 26.43
Democritus quid per atomos intelligat 9.15
Demoſthenis dictũ de Athenis 328.1 locus corrigitur 448.28

Derce-

Derceto dea Syrorũ, & de ea fabula 60.31 vnde dicta 61.1
Deucalionis fabula 133.43
Deuerra dea 54.43
Δοὺς vnde dictus 87.7
Dextra fidei ſymbolũ 28.18, 31.53
διαβατήρια ſacrificia 479.14
Diamaſtigoſis 482.20
DIANA 343.10 eadem quæ Hecate, Luna & Proſerpina 344.18 qua victima placabatur 522.51 vnde dicta 343.10
Diana Acrea 351.37 Aethiopia 361 25 Agorea 349.4 ἀγροτέρα 348 41 Alphea 158,38 Amarinthis 362.45 Amaryſia & Amaruſia 362.53 ἀμφίπυρος 362.5 Anaitis 349.12 Angitas 363.52 Aphea 353.36 Aricinna 357.6 Ariſtobula 367.42 Aſtratea 360.50 Aſtyrena 366.10 Auentina 360 18 Bendis 343.29 345.21 Brauronia 352.52 Bubaſtis 366.19 Calliſthe 360.16 Cariatis 354. 44 Cedreatis 361.14 Cercæa 367.24 χησίας 349.38 Chia 365 43 Chitone 364.31 Cnacalyſia 363.38 Cnagia 359.8 Coccoca 365.39 Colonea 365.7 Colænis 364.49 Condyleatis 363.40 Cordace 361.6 Corytallia 362 1 Coryphæa 351.42 367.13 Daphnea 349.33 Delphinia 366. 8 Derrhiatis 349.28 Dictynna 351.50 Didyma 359.31 Ecbateria 349.27 Elæa 366.34 Elaphiæa 358.44 Elaphibolea 358 38 Eluſia 365.40 Elymaitis 362 31 Enhodia 353.25 Ephaſia 354 7 Epiſcopos 351.46 Euclea 360.5 Euporia 349.11 Faſcelis 353.34 356.21 Gazoria 367.35 Hecate 345.36 Hegemone 364. 1 Hemereſia 359.47 Heurippa 361.18 Hymnia 361.22 Hypomelathia 349.10 Icaria 359.26 Ilithyia 350.21 ἰοχέαιρα 362.8 Iphigenia 357.20, ἱππική 367.37 Iſſoria 390.33 κυνηγέτις 362.15 Laphria 353.47 Leucophryne 353.31 Limniatis 364.14 Lucina 349.41 Lycæa 362.26 Lycaotis 364.29 Lye 353.8 Magneſia 367.17 μεγάνδρα 367.28 Munichia 358.4 Mycenæa 357. 3 Nelcis 365.48 Oenoatis 364. 43 Opis ὦπις 365.12 Orthias ſiue Lygodeſmus 352.37 Orthoſia 367.8 παιδοτρόφος 359. 34 Panagæa 366.31 Parthenie 349.13 Pellenea 359,38 Pergæa 362.28 Perſia, ſeu Perſea & Perſica, & de eius ſacris & virginibus memorabile 361.30 Pheræa 349.20 φιλομείραξ 361.4 Phyllis 361.50 Pitho 359.18 πολυθύσαος 359.52 Priapina 366.3 Prothyræa 350.41 Pyronia 361 11 Saronis 353.39 Sarpedonia 367.6 Sciaditis 363.48 Soluizona 363.11 σωτεῖρα 366.43 Stymphalia 364.46 Taurica, Thoantea, Oreſtea &c. 353.21 Tauropolia & Tauropolos 357 40 Titanis 348.34 Triclaria 359.13 Triuia 353.4
Dianætres 343.24
Dianæ effigies 344.3 Epheſiæ templum quoties incenſum et inſtauratum 354.10 & ſeq. numine Mardonij exercitus fraude deletus 366.44 poetica deſcriptio 344.7
Dianaria herba, quæ & Artemiſia 343.15
Diaſares dea 59.37
Dialij 482.11
Dicrota & Dicrotæ nauigium 621.22
Dictum Apellis 430.48 Carneadis 442.8 Catonis 454.6 Demoſthenis de Athenis 328.1 Gorgiæ 299.48 Stratonici 64 37
Dicte 87.10
Dictæum & Dicton 87.16
Dictynna Diana, quæ & Britomartis 351,50
Didymeus Apollo 222.52
Didymei Apollinis reſponſum Licinio datum 223.14
Dies ἱεριγένεια 216.6
Dieſpiter Iupiter vnde dictus 84.4
Διιπολίεια celebritas 210.20 478.3
Dindymene Cybele cur dicta 133.20
Diocletiani nomiſma 105.10
Diodorus Siculus 531.31
Diodori Siculi locus corrigitur 95.23
Diodori Siculi de deis opinio 5.45
Diogenes Babylonius 9.32
Diogenis Apollinatis de deo opinio 9.29
Dionyſius vnde nuncupatus 259.11 261.19
Dionyſio qualis victima mactari ſolita 517.43
Dionyſij plures numero 258.26: vide Bacchus
Dionyſij Areopagitæ de dei nominibus liber 4.37
Dionyſion 266.38
Diphtera 611.45
Diræ apud ſuperos dicũtur, Furiæ apud inferos 205.1
Dirphys mons 124.10
Dis vnde dictus 185.45: vide Pluto.
Diſcordia dea 32.8 eius poetica deſcriptio 32.11
Dithyrambus Bacchus 263.10
Diuinationum varia genera recenſentur 22.37
de Diuinatione, quæ fit conceptione dæmonis per pudẽda Pythiæ, variæ opiniones 220.16
Diuitiæ familiæ origo 561.47
Δωδεκάδες ſacrificia 482.5
Dodona, Dodoneum oraculum 169.44
Dodoneus Iupiter 94.24 eius templum ibid.
Dodonides nymphæ 169.43
Dolichen vrbs 107.14
Dolones inſtrumenta nautica 603. 48 & ſeq.
Domiducus deus 54.48
Δόκανος dioſcurorum forma 178.5
Domitius deus 54.50
Dracones cur Aeſculapio attributi 245.21 vnde dicti 245.40
Drepanum promontorium 129.53
Drimachus deus 65.22
Driodones dei 25.2
Dromones naues 621.32
Dryades et Hamadryades nymphæ vnde appellatæ 167.15
Dryochus 594.18
Dryopes populi 562.36
Duumuiri ſacrorum & eorum officium 461.9

E

EBrietatis effigies 259.20
Echenardis piſciculi in ſiſtendis nauibus mira vis 577.30
Echidna nympha 174.23
Echo 435.13 in Echo Auſonij epigramma 435.14
Ecphantis philoſophi opinio de deo 11.1 47.11
ἐγγαστρίμυθοι 220.16
ἔγκνισμα ſacrificij genus 512.9
Egnatia nympha 176.27
εἱμαρμένη Parca 200.39
εἰσιτήρια feſtum 480.41
Elaphebolia feſta 478.42
Eleleus ἐλελεῦ 275.37
Eleuſis. Eleuſinia Ceres 412.44

Eleuſinia ſacra 413. per tot. 195.40
Eleutherius Iupiter 104.4
Elicius Iupiter vnde dictus 84.45
Eluuius mons 412.20
Elymaitis Diana 362.31
Embolus quid 594.22
Empedoclis Agrigentini opinio de deo 10.13
Ἐμπλοκία celebritas 479.5
Empuſa 347.49 dæmonis nomen 348.7 eadem quæ lamia 348.24 vnde dicta 348.19
ἔναιμος 106.2
Enæſimus Iupiter 101.46
Encænia 480.44
Endymion Latmius 344.44 eius à Luna adamati allegorica expoſitio 344.37
Ennea Ceres 407.5
ἔνορχα 266.3 Enopia ſaltatio 22.36
Enius ſiue Bellonæ ſacra 528.1
Ephesus vrbs. Epheſia Diana 354.7
Ephialtes pro morbo 425.52
Ephialtæ, dæmones 425,50
ἐφόλκαιον 595.3
Ephydrides nymphæ 167.30
Epibatæ in nauibus qui 635.30
Epicuri opinio de deo 11.3
Epidaurus vrbs 247.34
Epimenides Cretenſis Athenas expiat 16.36
Epimetheus 400.12
ἠπιόνη vxor Aeſculapij 243.32
Epiphanij locus reſtituitur 384.50
Epitaphiorum lex ſecundum Platonem 642.7
ἐπωτίδες quid 594.45
Epulones. Epulonum ſeptemuiri 461.17
ἥρα, Iuno vnde dicta 119.3
Erato Muſa 539.17
Erechteus Aegyptius, Atheniēſium Rex 64.4
ἑρμῆς vnde dictus 255.45
ἔρος & ἔρως vt differant 392.22
Erynnies 201.39
Eſus deus 292.38
Eteocles. Eteocleæ Charites 491.36
Euhadnes deus 60.26
Euhemeri error de Deo 2.7
Eunica nympha 173.46
Euryclia vates 220.19
Eurynomus dæmon 429.37
Euryphilus inſania vt liberatus 265.36
Euterpe Muſa 538.32
εὐωχία 268.13
Euxinum mare 567.52
Execrationes apud Rom. 485.38
Expiatio 469.12 cædis 471.43 claſſis 586.19 472.14 puerorū 471.20 peſtis 471.1
Exta quid 504.46 in ſacris quomodo inſpicerentur 505.1 proſecta 505.30 in Extis propitia ſigna quæ 505.21

F

Fabij licentes 457.38
Fabulinus deus 47.33
Falaces deus 58.45
Fama dea 38.8 eius deſcriptio 38.10 templum 38.10
Fana vnde dicta 417.32 452.20 454.15
Farreatio genus ſacrificij 487.42
Faſcinum, idē quod Priapus 283.25
Fatuellus deus 427.10
Fatui vnde dicti 427.12
Fauiſſæ locus 455.31
Faula ſcortum 426.6
Faunalia 474.11
Fauni hiſtoria 427.35 ſacra 526.50
Fauni & Satyri ſemicapri 428.31
Fauni vnde dicti 427.3
Fauor deus ab Apelle vt depictus 52.42
Febris dea 49.16
Februa ſacra apud Rom. 511.44
Februalis Iuno 119.26
Felicitas dea 36.23 eius templum 36.26
Ferentina dea 70.16
Feretrij Iouis ſpolia 80.5
Feriæ latinæ 472.21
Feronia dea 69.23
Feronia vrbs 121.33
Feſti error 609.9 locus aliter lectus 465.34 reſtitutus 151.33
Fides cana 28.37 Romæ vt dea culta 28.2 eius ſacella & ſacra 28.8 ſymbola 28.18. & 39
Fidij ſimulachrum 83.21
Fidius idem qui filius 319.47
Fidius Iupiter idē qui Sanctius 83.15
Flamen Furinalis 50.9
Flamē dialis & eius priuilegia 458.22 & 37
Flamines à quib. inſtituti, et eorū cognomina 458.16 Pont. Maximo ſubiecti 459.2 vnde dicti 458.26
Flamininus, diuerſum nomen à Flaminio 29.43
Flora dea 138.31 40.27 ſcortum (40.32
Floralia ludi 40.36 41.1
Fluuiatiles naues 621.47
Fluuij cur cornigeri 270.22 154.26 qua forma efficti 161.14
Fluuiorum & montium filij qui & cur dicti 7.43
Fœciales ſacerdotes 460.27 bella vt denuntiabant 460.40
Fœcialium munus 460.31
Fœderis apud Rom. feriendi forma 486.6
Fontanalia ſacra 475.51
Fori nauium 592.37
Fornax dea 39.44.492.36
Fornacalia ſacra 70.1 473. 6. 492.33
Fors Fortuna quid 44.30
Fortuna 438.37 Nemeſis, Rhamnuſia & Adraſtia 446.17
Fortuna anatina, & ex ambiguo iocus 450.3 Antias dea 450.3 aurea 441.47 αὐτοματία 443.52 Bona 441.27 Breuis 443.1 cæca 443.20 cōſeruatrix 439.19 dubia 443.5 Equeſtris & eius magnifica ædes Romæ 442.56 εὔελπις 443.12 fortis 445.19 Hius diei 446.8 mala 445.1 Mămoſa 449.53. maſcula 443.15 muliebris 449.23 Nortia 442.24 obſequens 449.42 Præneſtina 441.47 primigenia 445.10 propria 443.7 publica 444.27 Redux 445.50 Seia 444.6 ſtata 451.27 Virgo 443.9 Virilis 444.40 Viſcata 444.32 ὕφαλος 443.32
de Fortuna dictum Apellis 439.48 Martiani locus 44.10 varia dicta 440.22
Fortunæ definitiones variæ 438.43 effigies, & eius interpretatio 439.13 441.34 mentio in S. literis 439.52 mentio prima apud Homerum 439.3 ſtatua 439.13 templa Romæ 443.39 Virilis ſacra 527.48
Fraudis effigies 35.44
Fulgentij locus de Furijs 202.30 locus emendatur 211.15
Furgora dea 50.33
Funes σχοινία 610.12
Funium nauticorū materia 606.28 variæ appellationes 606.39
Furiæ, quæ & Erynnies & Eumenides 201.21 cur apud Inferos eſſe fingātur 202.50 cur ſemper virgines 201.28 Eumenides 203.2
ὀφιοπλόκαμος 202.7

G

Gabinus cinctus 487.36
Galaxia 547.19

Galea, κυνῆ 597,27
Galeancones qui 286,15
Galli Cereris ſacerdotes, vnde dicti 136,37.461,6.
Gallus fluuius 136,37
Gamelia Iuno 115,12
Gamelia ſolennitas 478,24
Gameliō menſis vnde dictus 115,18
Gaulus nauis 622,3
Gellij locus reſtituitur 41,30
Geneta dea 138,41
Genialis dies. Genialis lectꝰ 421,50
Genij manes à Vergil. appellati 402,47
Genio ſacra quomodo fiebant 419,12
Genius qui 419,8 idem qui dæmon 419,4. 421,33
de Genio eius nominis memorabilis hiſtoria 420,31
de Genijs variæ variorum opiniones 419,& ſeq.
Gentilium cæcitas ante lucem Euangelij 385,45 horrenda ſuperſtitio 70,44. & ſeq.
Gentium variarum variæ de deis opiniones 6,12. & deinde
Gerania mōs vnde ſic dictus 170,26
Gerania nauis 221,51
Gergithus. Gergithius Apollo 236,32
Germani & Galli potatores 565,12 vnde Alamanni vocati 59,53
Germanorū dei 59,52 priſcorum de deis opinio 7,20
Geryon tricorpor ab Hercule deuictus 553,17
Gigantes qui 558,50
Glauci effigies 164,31
Glaucus, deus marinus 164,7 diuinitatem quomodo conſecutus ibid.9
Glaucus ab Aeſculapio vitæ reſtitutus 245,27
Golgi vrbs, Golgia Venus 386,14
Gorgiæ Leontini vox in extremo agone 299,48
Gorgones ſorores 170,50. & ſeq.
Gorgonum hiſtoriæ allegorica explicatio 171,3
Grææ Phorci filiæ 171,26 ſtatim anus natæ 163,46
Græcorum exequiæ 657,8
Gratiæ vide Charites
Grynæum oppidum. Grynæus Apollo 237,27.
Gubernatoris nauis dignitas 623,39
Gyges regnum Lydiæ vt adeptus 96,30
Gynecæa dea 138,39.525,3

H

Hades pro Plutone 187,14 vnde dictus ibid.22
Halias nauis 622,14
Hamadryades nymphæ quid, & vnde dictæ 167,15. & ſeq.
Harpaga 601,10
Harpocrates deus 191,92 deus ſilentij 55,50 eius effigies 56,1 deſcriptio ib.20
Harpyiæ ſeu Furiæ 203,50. quot numero 204,3 de Harpyijs variæ narrationes 204,1. & ſeq.
Hebe 322,50 χρυσοςέφανος 324,30 Ganymeda 324,33 καλλιστέφανος 324,24 πολυήρατος 324,30 qualis dea 323,29 vxor Herculis 323,10
Hecate βριμὼ 347,44 Diana & Luna 345,36 Perſeis 345,47 Proſerpina 197,17 Triformis & Tergemina 346,30
Hecates ſimulachrum 347,36 quomodo ei immolaretur 523,37
Hecatombe ſacrificium 477,23
Helcyos quid 608,26
Helena ſignum nauticum 587,14
Helenophoria feſtum 479,30
Helice nympha 173,33
Helicon mons 254,22
Helicon fluuius 536,6
Heliogabalus deus 67,1 idem qui & Lunus 67,20
Hemiolus nauis 622,19
Heraclea ciuitas 568,2
Heraclidis Pontici opinio de deo 11,29
Heraclitus 9,18
Heræus Iupiter vnde & cur dictus 92,40 & ſeq.
Herculeæ columnæ 555,31
HERCVLES 313,15 à Balæna deuoratus euadit 555,47 Amazonas debellat 551,1 Antæum vincit 555,23 aprū Erymanthiū capit viuum 549,50 à ſingulis deis muneribus affectus 551,34 Aſtrologus 319,19 Atlantis onus ſubit 554,10 aurea mala p Atlantem doloſè rapit 554,10 Buſirin ſternit 555,50 Acheloum fluuiū cornu priuat 561,44
Hercules aliquando timuit 564,26 aquilam Promethei interimit 551,37 Augiæ ſtabulum purgat 550,40 Buſirin ſternit 555,50 Cacum interficit 558,10 Centauros ſuperat 548,50 Cerberum canem rapit 560,7 Ceruam æripedem capit 550,8 Colchos ad Vellus aureum nauigans, Hylam puerum amittit 552,6 cum Ioue certat 551,17 Columnas Herculeas erigit 555,31 Cycnum conficit 562,40 Deos quos vulnerauerit 564,2 Diomedem R. equis lacerandum proponit 551,49 erga Neſtorem gratus 314,25 Ergynum Regem interficit 549,41 Euryſtheo cur paruerit 547,10 Euryſtheo parere coactus 548,16 Eurytionem centaurum interimit 550,39 filios interficit 561,25 Galliam & Italiam ab humanis victimis reuocat 557,20.558,4 Geryonem tricorporem vincit 553,12 Gigantes vincit 558,50 Heſperidū poma rapit 554,10 Hippocoonta Sparta expellit 561,37 Hydram conficit 548,52 Ilium expugnat 552,37 in Erythræam vt nauigauerit 553,49 infernū adit 560,52 Iolen rapit 563,28 Leonem Nemæum conficit 548,38 Leonem Theumeſium conficit 548,16 Linū præceptorē interimit 547,47 Mediterraneū mare obſtruit 555,38 Meropes vt vicerit 564,26 Nelei filios occîdit 563,4 Olympicum certamen inſtituit 551,11 Paſiphae taurum abigit 551,8 Phineum Regem interimit 550,30 Philoſophus 845,77 populea corona cur velatus 560,52 pueritiam vt exegerit 547,20 Pyrenen puellam adamat 551,4 quinquaginta virgines vna nocte vitiat 564,7 quos pueros adamauerit 552,22 Spurius 547,20 Stymphalidas aues abigit 550,12 Tempe & Alpes patefacit 556,37 Theſeum ab inferis abducit 539,53 Torridam zonam, Breuia & Syrtes tranſit 553,17 venditus, propter Iphiti cædem 563,22 Zetin & Calerin Boreæ filios ſternit 550,21
Hercules Aegyptius 318,21 Alcides 314,36 Alexicacos 320,43 Amphitryoniades 315,13 Apomyius 558,1

Hercules Briareus 320, 17 βούζυγος 565, 31 Buraicus 315, 22. 569, 23 Ceramynthes 320, 51 Canopeus 226, 18 Canopius 318, 12 Charops 321, 8 Chō 315, 47 Clauiger 321, 22 Cuſtos 319, 21 Cynoſarges 315, 19 Dexter 317, 32 Dorſanes 316, 11 Gaditanus 321, 43 Germius 563, 3 Gylius 316, 31. 56 548, 47 Heros 314, 37 Hippodetes 569, 22 Hippodotes 320, 26 Idæus dactylus 316, 37 Index 317, 27 Inuictus 317, 24 Ipoctonos 318, 6 καλλίνικος 317, 50 λεοντωπιὼν 318, 9 Lacertoſus 318, 33 Lyndius 318, 36 Mā-ticlus 320, 34 Melampygos 318, 53. 567, 3 Melchratus, 321, 26 Melius 316, 48 Monœcus 319, 11 Muſagetes 318, 42. 566, 43 Nemeæus 322, 9 Oetæus 321, 29 Ognion 316, 14 Oliuarius 321, 5 παραστάτης 316, 43 Polyphagus & Addephagus 318, 24. 564, 49 Polyphron 321, 39 Prodicius 316, 23 πρόμαχος 320, 39 Rhinocoluſthes 320, 31 Sanctus Sabina lingua 319, 27 Sandes 321, 3 Sardus 320 29 Saxanus 322, 30 Thaſius 315, 38 Tirynthius 315, 9 Tricoſus 322, 40 φιστοπόφος λέων 321, 15 Triumphalis 319, 16 Tyrius 315, 51 Victor 317, 10
Herculi decimæ dicatæ 556, 39
de malo ſacra cur fiant 554, 32
Poſt mortem diuini honores habiti 566, 40 quomodo ſacra fieri ſolita 520, 23
Herculis à ſacris mulieres arcebantur 558, 50 ara 539, 29 apud varias gētes varia nomina 546, 14 Claua 548, 19 Coloſſus 554, 20 cum Apolline certamen de tripode 563, 52 cum Centauris pugna 550, 3 effigies 317, 17 fatum, vt viri mortui manu caderet 566, 2 filiorum omnium appellationes. 567, 30
Herculis filij: Archemagorus 564, 42 Cteſippus 562, 40 Iolaus 561, 21 Lamus & Cleolaus 563, 31 Laomedon 565, 41 Olynthus 562, 47 Sardus & Heraclidæ 564, 10 Scamander 552, 50 Telephus 550, 50 filij ſeptem, ab eo interfecti 561, 27
Herculis gloria & autoritas 568, 39 Hydræ hiſtorica expoſitio. 549, 20 Infelix interitus 565, 41 Leonina 548, 37 patria 546, 10 ſecuris 96, 34 Simulachrum ex Tyro vt tranſlatum 316, 1 Statura quomodo deprehenſa 566, 47
ab Hercule herbæ & ciuitates denominatæ 567, 48 portus & fontes denominati 568, 16
de Hercule qui ſcripſerint 569, 49 variæ opiniones 314, 8
de Herculis Gaditani templo miraculum 568, 8 de genitura narratio 313, 40 de morte variæ opiniones 566, 2 & ſeq.
Herculem iurare 569, 1
Herculem nullum fuiſſe qui exiſtimarint 545, 30
Herculem videre in ſomnis, quale 557, 10
Herculis nomine plures 313, 30. 545, 20
Hercules Comes Contrarius 302, 10
Herculis Bentiuoli laus 257, 50
Herculis Ferrariæ ducis clementia 33, 28
Here Martea dea 58, 49
Hermæ Mercurij ſtatuæ 290, 44
Hermerotes ſtatuæ ex Mercurio & Cupidine confectæ 312, 13
Hermetis Triſmegiſti ſententia de deo 6, 7. 16, 4
Hermione ciuitas 407, 44
Hermolai Caſtigatio in Plinium nō tatur 220, 28
Herodiani locus explicatur 326, 53
Herodotus hiſtoricus 542, 31
Heroes vnde dicti 18, 21
Heſiodi verſus explicatur 102, 1
Heſperidum mala 554, 20
Heſychij locus corrigitur 100, 21
Hiacynthia, celebritas 481, 48
Hiberiota nauis 622, 27
Hieronis nauis 580, 10
Hilaria feſta 473, 7
Hippagines naues 622, 30
Hippiades quid 20, 39
Hippo & Hippona dea 44, 43
Hippocrene fons Pegaſi vngula apertus 255, 17
Hippolytus ab Aeſculapio vitæ reſtitutus 356, 43
Hippona puella ex equa nata 44, 50
Hiſtodoce, Hiſtopede 594, 10
Holcas nauis 595, 1
Holocauſtoma, Holocauſtō 465, 14
Homeri locus explicatur 15, 5. 24, 23. 581, 48
Hominis quæ membra quibus dijs conſecrata 15, 3. & deinde
Homoloia 98, 53
Honos pro deo Romæ habitus 26, 8. 32, 38
Honoris effigies 33, 8 templum 26, 8 templi dedicatio 33, 1
Horæ deæ 402, 20 an eædem cum Gratijs 403, 1
Horarum nomina 403, 13
Horatij interpres notatur 146, 20
Horatij locus explicatur 50, 48. 121, 44. 133, 3. 150, 10. 385, 9. 431, 22. 451, 3. 470, 22
Horta dea, quæ et Hora vocata 50, 7
Horus Deus 226, 42
Hoſtia quid 464, 33
Hoſtia & victima vt differant 464, 21
Hoſtiæ Aiugæ 466, 44 Ambiguæ 466, 35 Bidentes 467, 1 Cauiares 466, 48 Eximiæ 465, 22 iniuges 467, 33 Lectæ 466, 32 . Præcidaneæ 465, 17 Prodigiæ 466, 51 Succidaneæ 465, 38
Hoſtiarum genera duo 467, 29
Hoſtijs humanis quæ gentes litauerint 529, 4
ab Hoſtijs humanis Germani & Galli per Herculē auocati 557, 20. 558, 4
Hoſtilina dea 40, 20
Hyacinthia. Hyacinthides Apollo 236, 38
Hyades, quæ & Pleiades 172, 7
Hygeia dea 34, 17. 249, 8
Hygeiæ effigies 34, 37 ſymbolum ab Antiocho inſtitutum. 34, 40
Hygini locus fabuloſus, de hominis formatione 15, 38
Hyginus, Auguſti libertus 177, 18
Hylas puer vt perierit 552, 7
Hymenæa ſacra 125, 38
Hymenæi effigies 125, 50
Hymenæi pueri hiſtoria 126, 20
Hymenæus deus 125, 41 vnde dictus 126, 16
Hyperion, Solis pater 143, 1
Hyperion & Hyperioniades Apollo 227, 20
Hypotaura 553, 4

I

Ialemus 541,3
Iambe, Iambus pes 408,40
Iani, ædificiorum genus, & de eo autorum errores 150,1 & ſeq.
in ædificijs quid denotēt 149,50
Ianus deus 147,32. vnde dictus. 16,36
Ianus deus matutinus 151,9 Bifrons 148,34 Conſuuius 150,52 Clauiger 150,20 Cluſius, & Pa culcius 150,21 in ſacrificando princeps 150,3 Iunonius 151,3 Quadrifrons & Quadriceps 149,3 Quirinus pater 151,1 ridiculè pro Noacho aſſumitur 151,18 Vertunus dictus 151,21
Iani effigies 147.50.148,2 interitus 149,14 templum cur tēpore belli aperiatur 150,44
templū quoties clauſum 150,42
Iano primus menſis cur attributus 151,8
ſacra quomodo fierent 525,28
Ida mons vnde dictus 139,27
Idæa mater Romam accita, à Claudia veſtali ſuſcipitur, 141,9
Ideæ matris celebritas 139,52
Idæi dactyli 22.30.23,26
vnde nuncupati 29
quot numero 30
Iehoua & Ioua, appellationes Dei 2,37. & 40
Iehuhe appellatio Dei 2,37.3,21.25
Ignis à Perſis maximè omnium deorum colitur 146,40
Ignis ſacer à quibus gentibus aſſeruatus 146,32 ſacer extinctus, quomodo iterum ſuccenſus 145,51.146,50. Veſtæ ſacer 144,34
Ilicet, Vox ſacrificiorum 508,30
Ilithyia an eadem quæ Diana 351 per tot.
Ilithyia Diana 350,21
Ilithyia Eleutho 351,30
Impudentia dea 38,45
Inceſtus vocabulum vnde deductum 372,45
Indigetes dei vnde dicti 18,42
Indigetari quid 18,46
Indi naues ſuas quomodo præparent 589,40
Indorum naues 583,17
Indorum varia ſepeliendi conſuetudo 656,6
de Inferis dijs variæ opiniones 206,11
Inſtrumentum quid 596,30 ab ornamento quid differat 611,18
Intercido deus 54,24
Inuidia dea 37,39
Inuidiæ poetica deſcriptio 37,45
effigies 37,41
Inuus, pro Pane 434,16
Ioan. Annius qualis ſcriptor 151,16
Io. Manardus 210,8
Ἰκετήρια 110,22
Iphicles Herculis frater 546,52
Iphigenia Diana 357,20
Ipos beſtiola 559,6
Ipoctonus Hercules ibid.
Iris ἀελλόπους 299,14 aurea 299,3 διδύμη 299,10 ἠελώ 299,8 Imbrifer arcus 299,6 Thaumantias dicta 298,45 vnde dicta 298,33
ISIS dea 368,4 Acmis 370,43 eadem cum luna 368,50 Inachis 369,26 linigera 370,3 Patricia 370,53 Pelagia 370,47 ſtella 369,6 Theſmophoros 369,22, Theſmophora 410,46 τιθήνη 369,53 vbi & quibus nominibus colatur 399,40
Iſidis effigies 369,3 geſta 370,29 nauis apud Aegyptios 584,22 Pompa 370,20 ſacra; 369,34
Iſmenides Nymphæ 170,14
Iſmenius Apollo 218,27
Iſmenus Fl. 170,4.218,37
Iſodates dæmon 429,30
Ithome mons 337,37
ἰθύφαλλος 282,25
Iuba R. inter deos relatos 68,30
Iudæorum de Deo opinio ex Taciti ſententia 7,9
Iulopeza nauis genus 622,50
IVNO 119,1 aureis catenis ab Ioue vincta & à cælo ſuſpenſa 113,3 cur Iouis coniunx, cauſa phyſica 113,9 Ioui vt reconciliata, & eius allegorica interpretatio 24,28 nuptiarum præſes 113,47 Veijs Romam qua pompa translata 117,10 vnde dicta 119,2
Iuno Aerea 123,48 αἰγοφάγος 122,8 Alea 123,33 Animonia 124,53 Anthia 125,32 Argiua 122,32 βοῶπις 125,1 Bunæa 124,4 Calendaris 119,18 Candrena 124,23 Caprotina 119,30 Cinxia 116,29 Cithæronia 124,25 Curis 120,4 Cypra 125,8 Dirphya 124,10 Egeria 114,44 ἥρα cur dicta 113,28 Europia 125,4 Februalis 119,26 Feronia & eius phanum 121,8 Fluonia 123,42 Dabina 125,20 Hoplœſmia 123,37 Imbraſia 122,26 Ἰπνοῦτις 124,20 Interduca & domiduca 116,14 Iuga 114,46 Lacinia 120,35 λευκώλενος 123,45 Lucina 114,45 Magna 116,44 Matuta 119,5. Moneta 118,3 Nouella 119,15 Nuptialis 115,12 Parthenos 124,12 Pelaſga 123,1 Pharygæa 124,6 Populona, ſeu Populonia 116,37 Proſymna 123,21 Regina 117,6 ῥυσσιαῶδις 125,28 Samia 122,13 Socigena 116,35 Soſpita 118,36 Telchinia 125,5 Τέλεια 115,24 Tethla 125,3 Tropæa 120,32 Vnxia 116,21 ὑπερχειρία 114,11 Zeuxidia 120,28 Ζυγία 115,1
Iunonis Argiuæ celebritas 123,7 effigies 119,22.115,45.116,11.128,36 ſtatua 123,27
IVPITER vnde ſic dictus 73,1.76,17 Iunonis ſimultatem vt vltus ſit 124,28
Iupiter Abretanus 111,1 Adultus 86,16 Aegiuchus 87,4 Aegyptius & Nilus 89,15 Aeneſius 105,44 Aetnæus 107,29 ἀγήτωρ ſeu Aegeros 98,26 ἀγοραῖος 106,5 αἰγοφάγος 106,10 Alaſtor 112,13 Altius 92,7 Almus vel Alumnus 86,23 Alyſius 89,5 Ambulius 100,43 Ammon 102 40 Ancheſmius 99,49 Anxurus 163,51 Apeſantius 95,27 Ἀφέσιος 95,50 ἀπόμυιος 91,31 ἄφιος 106,53 Arbitrator 86,4 Arboreus 97,34 ἄρειος 92,12 ἀριστεύς 98,6 ἀφύριος 101,29 Aſbameus 110,8 Aſcræus 90,53 ἄσιος 107,3 Aſſabinus 103,39 ἀταβύριος 50,8 Athous 102,4 Bagæus 110,1 Belus 108,30 Capitolinus 77,46 Cappotas 100,47 Caræus 90,43 Caſius 97,3 Catæbates 106,16 Catharſius 110,32 Charmon 107,19 Chryſaoreus 97,39 χθόνιος 97,51 Cithæronius 106,28 Croceates 106,49 Cuſtos 77,32 Cynetheus 110,16 Dapalis 86,34 Dictæus 87,10 Dieſpiter 84,4 Dodoneus 94,24 Dolichæus 107,14 ἐλασίβροντας

γαιὸς 101,3 Elacatæus 109,50
ἐλευθέριος 104,4 Elæus 89,35
Elicius 84,45 Enæſimus 101,
46 ἐπάκριος 110,39 ἐπιδήμιος
111,46 Epidotas 99,51 ἐπικάρ-
πιος 110,43 ἐπιρνύτιος 111,
40 ἐπόπτης & ἐπόψιος,99,44
ἑρμοδίτης 107,35 Euanemus
100,46 εὔπνος 111,35 ἐξακε-
σφόριος 111,33 Expiator 91,24
Feretrius vnde & cur dictus
79,44 Fidius 83,21 Fulmina-
tor, τερψικέραυνος 78,34 Ful-
gur 78,49 Fulgurator 78,53
Ταμόλιος 101,9 Gragus 111,
28 Hecaleſius 101,38 Heca-
tombæus 89,30 Helicodius 99,
14. Hercæus 92,40 Hetæ-
rios 83,41 Hicetæſius 110,21
Homogynus 100,50 Hoploſ-
mius 90,47 Hymettius 99,11
Hypatus 99,27 Hyperdexius
89,28 Icmæus 98,14 Idæus
87,27 Imperator 77,10 Inuen
tor 85,53 Inuictus 77,8 Ἰθωμά-
της 94,42 Κλωσᾶος 105,29
κόκκυξ, & vnde ſic appellatus
115,32 κώμυρος 110,3 Κάνιος
105,21 κοσμήτας 110,34 Κτή-
σιος 91,37 Labradeus 96,30
Lapis 82,8 Laprias 111,5 Λα-
φυστιος 105,23 Latialis 80,32
Licetius 84,17 Lycæus 102,7
Lycoræus 107,40 Mæmactes
92,35 Maius 85,51 Maleæus
107,47 Mandragoras 110,51
Marnas 110,14 Μειλίχιος 111.
43 Meliſſæus 92,26 Meſſa-
peus 106,13 Μητιέτης 111,20
Milichius 88,28 Μοιραγέτης 89,
11 Moloſſus 94,33 Morius
91,16 Nemeetes 109,35 νεφε-
ληγερέτης 111,15 Nicephorius
91,45 Olympius 89,49 O-
marius 108,10 Omnipotens
76,30 ὁμόλωος 98,51 Opitu-
lus & opitulator 86,21 Opti-
mus maximus 76,34 ὅριος
108,1 ὅρκιος 82.41 ὕριος 77,
20.111,24 Palæſtes 92,20 Pan
hellenius 100,24 Panomphæus
99,31 Parnethius 99,13 Pa-
ter 75,50 Phaeton 111,3 Phi-
lius 83,38 φράτριος 88,53
Phyſicus 90,29 φύξιος 98,28
Piſtius 83,4 Piſtor 81,47
Pluſius 89,26 Pluuius 84,33
πολιεὺς 100,3 Prædator 86,8
Rex 76,22 Salaminius 110,37
Saotes 99,19 Sardeſsius 97,37
Scotinas 100,38 Scyllius 107,
32 Σωσίπολις 105,14 σωτὴρ
104,42 σπλαγχνότομος 101,7
Στάμνιος 110,4 Stator vnde
dictus 81,12 & 21 Sthenius
88,47 Στράτιος 91,4 Ταμυ-
ναῖος 107,21 Tarannis 110,46
Tarantæus 98,1 Tarſos 89,21
Τιλᾶος 101,16 Temilius 107,5
Tigillus 86,30 Tomarius &
Tmarius 108,22 Tonãs, βρόντα-
ιος 79,9 τροφώνιος 99,37
Triphylius 97,13 Tropæuchus
95,1 Trophonius 96,12 Vel-
ſurus 111,7 Victor 76,48 Vi-
mineus 85,32 ὑψιμέδων 111,26
Vltor 86,44 ὕψιστος 98,46
Xenius ſeu hoſpitalis 93,37
Iouem eliciendi artem Numa vt e-
doctus 84,50
Iouem lapidem iurare 82,9
in Iouem Orphei hymni 73,20
Ioues tres, ſecundum Cic. 73,5 tre-
centi ſecundum alios 2,1.73,10
Ioui cur aquila attributa 75,1
Iouis appellationes apud Græcos
87,2 cum Leda congreſſus, itẽ
cum Nemeſi 178,46 inſolen-
tia 95,18 pictura 74,30 to-
nantis templum 79,20
Iouis & terræ filij qui dicantur
153,25
Iurandi apud Carthaginenſes for-
ma 82,10
Iuriſiurandi in fœdere Rom. & Car
thaginenſium forma 82,19
Iuſtitia pro dea culta 27,27
Iuſtitiæ effigies 27,40
Iuturna fons 175,42
Iuturna nympha 49,38.173,34
Iuuenalis interpres res reprehẽdi-
tur 198,44
Iuuenalis locus explicatur 31,34.
44,48.159,50.198,38.235,
20.424,40.470,1.481,24.
495,28.535,44
Iuuenta dea 324,7

K

K litera quid in prænominibus
denotet 29,46
καλαφαταί, nauium artifices 638,2
κάλως, κάλος, pro fune nautico
606,43
καταιβάτης 106,22
κάμιλος funis nauticus, non κάμη-
λος 607,27
καταιβάτης & καταβάτης 106,20
κύριος vnde dicti 289,7

L

LA particula Græca in compo-
ſitione quid faciat 553,34
Λᾶ ciuitas 181,7
Labradeus Iupiter vnde dictus.
96,40
Lacheſis 199,20
Lacinium promontorium & tem-
plum 120,36
Lactantij locus corrigitur 271,20
Lactantius grammaticus notatur
95,48
Lactucina dea 40,13
Ladalboth deus 70,21
Laidis interitus & Epitaphium
378,24.284,8
Lamia piſcis genus 431,16
Lamia Demetrij 431,29
Lamia vnde dicta 431,11
Lamiæ 430,30
Lamiæ animalia quo aſtu homines
capiant 430,50 eadem quæ &
mormolyciæ & empuſæ 430,
30 etiam in ſ. literis notæ 413,6
Lamiarum forma 430,40
Lamiæ fabula 430,34
Lampadum dies 481,6
λαοῖς ἄφεσις, vox ſacrificiorum.
508,31
Laonome 547,3
Lapis Lydius 268,26
Lar familiaris 207,13.423,3
Lara nympha 423,46
Lararia 425,16
Larentia meretrix 41,13.569,38
Lares dei qui 423,33
Lares præſtites 424,31
Larinus. Larinum epos 553,32
Lariſſa oppidum 105,25
Larium mater Mania 423,44
numerus & appellationes.
425,28
λάρος auis 565,2
Larua 207,5
Laſtaurus 553,35
Laſus poeta 407,44
Lateranus deus 50,37
Latialis Iupiter humano ſanguine
cultus 80,35
Latiar 472,28
Latinæ feriæ 89,50.472,28
Latona 368,1 vbi culta 368,30

Latonæ

Latonæ partus 368,10
Lauerna dea furum 50,45
Laurentalia, celebritas 41,14. 474,3
Laurus Muſis cur dicata 535.38
Lautia quid 94.14
λιχέρνα *ſacrificium* 122,51
Lectiſternia quid 482,48
Legere, verbum ſacrorum 492,2
Leges Rhodiæ de re nautica 615,12
Lema quid 130,34
Lembus nauigij genus 623,1
Lemuria ſacra 207,13 *vnde dicta* 512,29
Lemures 207,1. & 10
Lenas inſtrumentum nauis 597,1
Lenæ Bacchæ 265,15
Leocorion 440,23
Leos filias proprias pro ſalute patriæ mactat 404,11
λέσχη 238,38
Lethe fluuius inferorum 209,27
Leuana dea 46.45
Leucippi de rerum principijs ſententia 10,11
Leucothea, quæ & Ino 165,4
Lex Athenis de lupis occidẽdis 215,50 *Babyloniorum execranda* 374,20 *Platonis de terminis* 94,14 *de ſorore ducenda in vxorem* 271,20
λίβανος, δενδρολίβανος 463,48
Libantes dæmon 430,4
Libare et Litare vt differant 503.13
Libatio quibus verbis fieri ſolita 495,35
Libentina dea 48,4
Liber Bacchus vnde dictus 262,1
Liber Panhellenius 100,36
Libera dea 262,20
Libertas dea 36,45
Libertatis templum 36,49 *indicium pileus* 37,5
Libethra, Libethrides Muſæ 537,20
Libethrius mons 255,48
Liburnæ naues 623,27
Licetius, Iupiter vnde dictus 84,17
Licinij interitus Apollinis oraculo præſignificatus 223,14
Lilij Gyraldi aduerſa fortuna 127,40 & *deind. ſententia de Deo* 1,24
Limentinus deus liminibus præſes 53,44
Limniace nympha 166,51
Lini poetæ interitus 547,47
Lintres naues 628,46
Literarum hæreſes 452,2
Litare quid 503,14
Liuij locus emendatus 19,28. 50,24. 54,2 *variè lectus* 485,32
λογγῶνες, λογγάσια 599,31
Lollia familia 284,30
Longæ naues quæ 624,13
Lotus nympha 175,3
Lucanus illuſtratur 93,8. 97,9. 103,30. 110,48. 127,18. 136,20. 203,27. 208,46. 292,35. 329,44. 356,52. 442,14. 458,30. 461,33. 503,23. 505,26. 582,28
Lucas Ripa 531,10
Luci vnde ſic dicti 454,28
Lucina Iuno vnde dicta 114,15 *eius effigies* ibid. 32
Lucina Diana 349,41 & *ſeq.*
Lucri dei 37,36
Lucus vnde dictus 454,26
Lud. Bonactiolus 210,8
Ludi Apollinares 213,51 *compitalitij* 424,9 *Florales qui* 40,43 *magni ſeu Romani qui & Circenſes* 155,19 *Terentini* 511,4
Lugatinus deus 54,45
Luna Bendis 345,21 *fœminei generis* 345,1 *Hecate* 345,36 *qua victima placabatur* 523,22
Luna Solis filia 345,17 *vnde dicta* 344,24
Lunæ cum Endymione conſuetudinis allegorica expoſitio 344,37
Lunæ ælurus ſeu felis ſacer 344,50 *mulus attributus* 344,47
Lunus deus 346,7
Lupercal 475,2
Lupercalia feſta 474,31
Luperci 475,29
Lupus Apollini ſacer 216,2 *cur Marti dicatus* 304,5
Luſtralia ſacra 469,29
Luſtratio agrorum 468,37
Luſtratio per Oſcilla 470,27
Luſtria feſta 476,3
Lycabas ſeu Lycobas, pro anno 216,10
Lycaon Rex 102,10 *de eius fabula variæ ſententiæ* ibid.
Lycæum 215,37
Lycæus Iupiter, & de eo variæ opiniones 102,10
Lyceas mons 102,[illegible]
λύκη *quid* 215,9
Lycius Apollo 215,9
Lycij Apollonis oraculum celebre 215,42
Lycoræa vicus 107,40
Lymphatici qui 426,14
Λύσιοι *dei* 24,30 & *deinde*

M

M. *Litera quod nomen denotet* 29,45
Ma Rhea 144,9
Macaria Herculis filia pro Athenienſi repub. morti deuota 36,40
Macrobij locus reſtituitur 597,4
Magalia ſeu Mapalia Numidarum 578,36
Magnetis vſus in nauigando 572,14
Magna mater, & Mater deûm 137,1 *dicta* χαλκόκροτος 137,28 *metragyrtes* 141,13
Magna mater, eadem quæ tellus, & Maia 137,46 *eadem quæ Bona dea, & Ops* ibid. 51
Magnæ matris picturæ allegorica interpretatio 137,21 *templum non manibus ſed precibus aperiebatur* 127,18
in Matris magnæ ædem vinum inferri nefas 138,19
de Magna matre variæ opiniones 138,2 *vide plura in Cybele.*
Maiuma celebritas 476,51
μακιὸν *dei nomen* 4,12
Malca promontorium 107,47
Malum, Mali partes 596,48
Mammon quid 195,15
Manalis lapis 206,15
Maneros agricola 542,13
Manes qui propriè vocẽtur 206,10
de Manibus variæ variorum ſententiæ 206, *per tot.*
Mania dea, & eius ſacra 424,11
Mania quid 206,19
Manilij locus de dijs præſidibus menſium 17,37
Mannus Germanorum deus 59,52
Manus ferreæ quid 600,52
Manturna dea 54,52
Marica dea 59,34 & 44. 69,26
Marini dei qui vocentur 161,2
Marini Dei αἰγιάλιοι 161,10
Maris violentia tres inſignes olim vrbes abſorptæ 160,16
Marplacidæ naues 624,19
MARS 303,5 *à Diomede vulneratus* 303,38 *vnde dictus* 303,10
Mars αἱμοχαρὴς 308,11 *Aphnæus* 307,19 *Bellipotens* 307,51 βρισάρματος 308,21 βροτολοιγὸς 308,27 *Cæcus* 306,32 χαλκάσπις 308,16 *Communis deus* 305,9 *Corythaix* 308,2 *Enyalius deus* 306,42
Mars Gradiuus & Quirinus 305,

44 Gynæcothean 307,33 Heſus 307,40 Mamers 306,9 Marmeſſus 306,39 Odryſius & Geticus 307,45 ὕλιος 308,4.213,38
Mars Pater 305,38 ῥινοτόρος 308,40 Saliſubſulus 306,25 Sylueſtris deus 306,17 Theritas 307,26 θοῦρος 306,35 Tyrannus 307,13 Vltor & Biſultor 307,1
Marti lupus ſacer 304,5 qualis victima mactari ſolita 519,23
Martis effigies 304,1 equi 304,38 cultus 303,47 ſacrificia 304,34
de Martis patria, variæ opiniones 303,28
Martianus qualis autor 192,28
Martiani ſententia de varijs deorum regionibus 12,42
Maſtaura, vrbs 144,9
Maſchala quid 594,48
Mataxa quid 609,44
Matris deûm ſacerdotes et ſacra turpia 136,3
Materæ deæ quæ 20,22
Matralia feſta 472,36
Mater Idæa 139,19
Matris Ideæ templum deſcribitur 139,33
Matura dea 54,52
Matutæ, quæ & Leucothea, ſacra 55,2
Matutæ templum Veijs ab incendio miraculosè ſeruatum 55,10
Medicinæ repertores 243,4 & 40
Medioximus, idē quod dæmō 421,12
Meditrina dea 49,6
Meduſa Gorgonum vna 170,53
Megæra Dea Auerni 202,19
Megaleſia feſta 472,40
μέγαρα 456,5
Meliacum nauigium 624,26
Meliæ nymphæ 169,15
Melinoe nympha 175,17
Meliſſa Iouis nutrix 92,28
Meliſſæ nymphæ 166,2
Meliſſeus rex 7,28
Meliſſi opinio de deo 10,9
Mellona dea 39,42
μῆλον, vocabulum ambiguū 554,31
Melpomene Muſa 538,52
Menandri locus de pecunia 37,23
Mens dea 48,30 à Romanis conſecrata 27,6
de Mente variæ variorum opiniones 27,14
Mephitis dea 57,20
MERCVRIVS 285,12 vnde dictus 285,21
Mercurius Acaceſius 290,5 ἄγγελος θεῶν 289,31 ἀγώνιος 293,28 ἀγοραῖος 293,5 Ales, & Alipes 296,10 Alychmius 296,38 ἀμύητος 291,27 Anubis 267,16 ἀργειφόντης 291,33 Atlātiades 296,18
Mercurius Cadmus 295,2 Caducifer 288,49 Camillus 294,19 χαριδότης 296,20 χρυσόρραπις ἑρμῆς 289,40 χθόνιος 293,42 Cyllenius 288,26 Cyllius 288,38 Cynoſurius 296,35 & 52 διάκτορος 294,27
Mercurius ἡγεμόνιος 295,25 ἐμπολαῖος 295,28 Ennius 296,43 Epactius 296,45 ἐπιθαλαμίτης 296,44 ἐπιτέρμιος 296,46 ἐριούνιος 295,9 furandi deus 287,2
Mercurius Γαλιάγκων 296,29 Hodius 295,18 Harpedophorus 292,13 κερδῷος 295,34 κῆρυξ θεῶν 289,4 κοινὸς ἑρμῆς 287,18 κριοφόρος 294,7
Mercurius Maleuolus 290,28 μυλοασός 395,7 Nomius 295,42 Nonacriates 294,24 παιδοκόρος 296,49 παράμμων 296,3 Perſeus 297,3 φαιδρὸς καὶ λευκὸς 296,31 Poſygius 294,35 πρόμαχος 294,15 Pronaus 294,22 προπυλαῖος 294,19 ψιθυριστὴς 296,26
Mercurius σφηνοπώγων 296,7 Strophæus 292,15 ταμίας τῶν ψυχῶν 293,35 τετράγωνος 290,30 Thot. 292,23 τρικέφαλος 291,13 τρισμέγιστος 298,14 Trophonius 297,7
Mercurij quinq; 285,37
Mercurij imago 286,23 inuenta 286,23 pictura 287,23 ſtella στίλβων 290,20
Mercurio quæ victima mactari ſolita 519,7 talaria & petaſus cur attributus 291,39
Merope, vna Pleiadum, cur cæteris obſcurior 172,27
Metagetnia feſta 479,50
μῆτις dea pro Minerua 327,16
μητριάζειν 141,12
MINERVA 325,42 vnde dicta 326,9 ἀθηνᾶ vnde dicta 325,43 eadem quæ Luna 326,14
Minerua Achea 334,40 ἀκλῶν 340,27 Aethyia 335,32 Agraule 340,48 ἀκρία 339,16 ἀλαλκομενὰς 338,8 Alcides 338,27 Alea 333,25 Alipheræa 336,44 ἀλκιμάχα 342,26 ἀνεμῶτις 339,10 Apaturias 334,51 Aracinthis 341,21 arcium præfecta 342,50 ἀρεία 330,53 Armipotens 342,44 Ἀρσινόθυμος 340,32 Aſia 339,31 Aſſeſia 341,28 ἄστυρις 341,21 ἀτρυτώνη 339,24 Auxiliaris 342,10 Axioppœna 339,53
Minerua Budea 333,52
Minerua Cæſia 331,35 Capanea 333,5 Capta 338,37 Catuleana 338,31 Chalciœcus 332,1 Χαλινῖτις 334,23 Ciſſea 341,44 Colocaſia 339,20 Coreſia 340,42 Coryphaſia 332,38 Cranea 340,38 Craſtia 335,22 Cydonia 339,13 Cyriſtis 340,5
Minerua Elea 333,34 Endarthyia 335,42 ἐπιπυργῖτις 339,22 ἐργάνη 335,47 εὔπηχυς 342,37
Minerua γιγαντοφόντις 336,8 Glaucopis 331,19 Gorgon 341,35 Hellotis 332,12 Hippia 331,9 Hippolaitis 339,34 Hygeia 335,3
Minerua Ilias 335,11
Min. Ithomia 337,33
Minerua Itonia & Itonias 336,50
Min. κηροφαγένη 332,22 λαοσσόος 341,40 Laphrya 335,25 ληΐτις 340,22 Lemnia 341,1 Littorea 342,48 Lyndia 332,51
Min. μαγαρσία 342,21 μονογενὴς 341,32 Muſica 338,35 μυγισία 342,24
Min. Narcæa 340,29 Neduſia 339,41 Nerine 339,6
Min. Oleria 339,8 Onca 341,8 Ophthalmitis 333,8 ὀξυδερκὴς 333,18
Minerua Pallas vnde dicta 328,24 Pallenis 334,14 Panacheis 334,12 παραπεπληγμένη 342,31 Paria 339,51 Parthenos 329,26 Pilætis 335,28 Pæonia 339,28 Polias 336,20 Poliuchos 331,44 Promachorma 339,36 προναία 342,13
Min. Sais 341,51 σάλπιγξ 336,1 Scillutia 341,49 Scirias 334,29 Sicyonia 342,7 Singa 335,20 σωτεῖρα 340,11 σταθμία 342,29 Sthenias 331,13 στρατεία 330,46 Sunias 340,17
Minerua Telchinia 333,44 θαλλοφόρος 338,5 ταυροβόλος 341,46 Tritogenia 330,27 Tritonia vel Tritonis 329,35 Victoria 336,10 Zoſtria 337,49

de Minerua variæ opiniones 327,3
Mineruæ effigies 327,36 inuenta 326,16 ſacra 522,40
Mineruæ cur olea attributa 328,11 noctua conſecrata 327,52
Mineruæ quatuor 372,24
Minerual, Mineruale 326,40
Minos 208,17
Mintha nympha 175,11
Minuſculæ Idus 472,49
Minutius deus 49,49
Minutius Felix 7,53
Miſericordia dea 33,16. 38,36 eius templa, aſyla 33,24
μίθρας καὶ μίθρος, Perſis Sol 223,35
Mithræ ſacra, & antrum 224,10 & ſeq.
Mithræ ſacris initiandi mos 224 50
Mixobarbarum dictio explicata 279,11
Mnemoſyne mater Muſarum 252,13
Mnemoſyne fons 252,20
Mnuziris lapis miraculoſus 430,1
Modi Carnei 234,29
Modium in naui 594,6
μοῖρα καὶ αἶσα, pro Parcis 199,10
Molorchus inſtrumentum nauticum 600,41
Molorchus rex 548,32
Moloſſus Iupiter 94,33
Moloſſus pes vnde dictus 94,38
Momus deus 44,27
Monomachia Xanthi & Melanthi 388,10
Monophagorum celebritas 481,15
Monoxylon nauigij genus 624,36
μορμολύκειον, μορμὼ 429,46
Morta pro Parca 200,1
Mors à Lacedæmonijs culta 47,40 dea apud veteres 48,40 φύξιος appellata ab Apollonio 98,44
Mortis vnà cum ſomno & Nocte deſcriptio 58,30
Mos veterum, teſſeras hoſpitibus dandi 94,12
Moſi cur cornua tribuantur 270,8
Moſis Aegyptij de nomine dei quadraginta literarum ſententia 3,47
Mulieres cur ab Herculis ſacris arcerentur 139,14
Munychia ſacra 358,4. 480,4
Murcea dea 375,39
Murcia dea deſidiæ 49,44
Muſa cognomen aliquot virorum doctorum 542,42
MVSAE 250,44 cur Apollinis comites 252,22 cur in montibus verſari dicantur 533,27 cur palma coronentur, & lauro 535,36 & deind. cur puellæ fingantur 535,10 cur ter trinæ 532,8 quomodo virgines, cum fuerint nuptæ 254,9 quot numero 251, per tot. tres cur exiſtimatæ 532,26 vnde dictæ 533,40. 534,50
Muſæ Aganippeæ 255,28. 536,53 alatæ 541,38 Aganippides 255,16 Aonides 254,45 Ardalides 257,3. 538,3
Muſæ Camœnæ 254,18. 536,2 Caſtalides 256,11. 537,30 χρυσάμπυκες 256,5 Citheriades 254,53. 536,28 Corycides 256,26. 537,44 Heliconiades 254,21. 536,43
Muſæ Iliſſides 255,32 Ligiæ 256,39 Libethrides 255,45. 537,16 Mæonides 257,9
Muſæ nymphæ nuncupatæ 253,47 535,50 Olympiades 256,41. 538,3 Parnaſſides 254,53. 536,18 Pateides 256,37. 537,53 Pegaſides 255,16 Pierides 255,2. 536,29 Pimpleades 537,26 Pimpliæ 256,1 Theſpiades 255,36. 522,36 Virgines 254,4
Muſarum αἰνωγμέναι θῆραι καὶ ἄφθονοι 545,40 choreæ interpretatio 533,19 chorus 535,20 duæ generationes 531,41 duo genera 250,50 dux Apollo 534,5 inuenta 251,26. 253,10
Muſarum nomina & appellationes 538,23 numerus nouenarius 532,39 & 53 nutrix 255,38 ordo & appellationes 252,32 origo 534,10
Muſarum volucres apes 541,17
de Muſarum origine Varronis ſententia 531,50
Muſis Gratiæ cur iunctæ 543,20
Muſis ſacra & ludi celebrati 542,29
de Muſis Diodori Siculi narratio 531,31
cum Muſis Hercules cur cultus 543,3
Muſæum 284,43
Muſculum nauigium 624,21
Muſica hydraulica 255,24
Muſtaceum 311,45
Mygdonia mater 142,3
Myiagrus deus 45,11
Myrica planta 232,17
Myſteria vnde dicta 498,12
Myoparo nauigium 624,40 vnde dictum & à quibus inuentum 624,40

N

NAblon, decachordum Pſalterion 534,40
Nænia dea funerum 48,31
Naiades nymphæ quæ & vnde dictæ 169,3
Napeæ 167,10
Naſcio dea 47,34
Nauem exarmare, Iuriſconſultis quid 601,24
Naues actuariæ 617,17 Cataphractæ 618,22 Chelenophagi 583,28
Naues Indicæ quomodo conficiantur 589,37
Naues papyraceæ 382,15 plicatiles 581,46
Naues quantum ponderis ſuſtinere poſſint, obſeruatio 579,18 quomodo coronarentur 613,16 quo tempore anni conficiendæ 37
Naues teſtaceæ 582,11 turritæ 583,48 vitiles 581,29
Nauibus arbores aptiſſimæ quæ 574,30
Nauibus cur ficus minus idonea 575,24
ναῦλος, ναύλιον, πόρθμιον 636,5
Nauigia monoxyla 583,34
Nauigiorum appellationes, alphabetario ordine digeſtæ 616,45
Nauibus à quibus rebus indita nomina 615,25
Nauigandi ars à quibus inuenta 571,14
Nauigationis commoda vel incommoda 572,45 pericula 573,17
Nauis contra incendium quomodo munienda 576,21
Nauis etymon 636,38
Nauis fabricandæ exempla vnde deſumta 573,42
Nauium armamenta quæ, à quibus, inuenta 572,2 & ſeq.
Nauium celeriter paratarum exempla 576,16
Nauium duo genera 573,48
Nauium fabrica à quo inuenta 571,22
Nauium inſignis amplitudinis e-

xempla 580,3
Nauium inſtrumenta & armamenta 596,22 *inſtrumenta ab ornamentis quid differant* 611,18
Nauium materia Cupreſſus 574,30 *Pinus ibid.*33 *Picea ibid.*39 *Abies ibid.*44 *Robur ibid.*51
Nauium membra & partes 591,10
Nauium onerariæ & curſoriæ proportio 573,52
Nauium ornamenta apluſtria 611,20 *picturæ* 589,3 *pontes* 500,18
Nauium tutelæ ſuis deis attributæ 586,36
Nauium vſus 573,37
Nauis Delia *Athenienſium* 584,46
Nauis δίπρωρος, δίπρυμνος 592,2
Nauplij animalis hiſtoria 577,20
Nauſum nauigium 625,4
Nautarum & qui in nauibus verſantur, appellationes 633,20
Nautarum pericula 633,23
Nautarum ſacrificia 528,22
Nautica vſura 637,19
Nauticæ rei quædam miracula 578,50
de Nautis Anacharſidis & Biantis dicta 633,24
Nautili piſcis hiſtoria 576,44
Neceßitas dea 51,31
Neda nympha 174,40
ναῦς & πλοῖα *quomodo differant* 637,10
Nemea regio 169,36
Nemæi ludi 314,32.548,29
Nemeſis quæ dea 446,18
Nemeſis Adraſtea 448,32 *Rhamnuſia* 447,6.449,8
Nemeſis Virgo & Victrix 448,10
Nemeſis vis Fortunæ 448,14
Nemeſeos ſimulachrum 446,24
in Nemeſin epigramma 447,21
Nemeſtrinus deus 40,26
Nephrendis νεφροί 493,48
NEPTVNVS 152,17 *vnde dictus* 152,17
Neptunus Aegeus 159,17 ἁλικτύπων 159,15 *Aſphalius* 157,14 βασιλεύς 154,3
Neptunus Canobus 159,25 *Cenchreus* 159,20 *Conſus* 155,20 *Damæus* 159,33 *Domatites* 158,37
Neptunus Elytius 155,16 *Erechteus* 159,30 ἐνοσίχθων & ἐνοσίγαιος 159,40 Epoptes 159,12
ἐρίκτυπος 160,24 εὐρυβίας 160,11 γαιήοχος & θεμελιοῦχος 159,51 Geneſius 160,8 *Heliconius* 158,8 Hippocronius 157,11
Neptunus ἵππιος & ἵππιος 156,21 *Iſthmius* 157,29 κυανοχαίτης 154,26.159,37 *Mycetas* 154,19 *Niſyreus* 158,14 νυμφαγέτης 160,3
Neptunus omnium prodigiorum parens 153,20 *Orius* 108,1 *Pelageus* 160,7 *Petræus* 157,47 *Phytalmius* 158,25 *Ponti rex* 155,4 *Portunus* 158,40 *Proſclyſtius* 154,40
Neptunus Samius 157,37 *ſecundus Iupiter* 153,53 Σωτήρ 158,32 *Tænarius* 154,44 *Tenedius* 155,11 *tridentifer* 154,8
Neptuni amores fabuloſi 153,1 *coniux Amphitrite* 152,36 *effigies* 153,33 *filij qui vocati ſint* 8,9.153.24 *tridentum* 153,30
de Neptuni templo mirum 156,32.159,32
Neptuno qualis victima mactari ſolita 517,6
Nereides Nymphæ 167,36
Nereidum nomina & numerus 167,40
Nereus deus marinus 161,30
Neriene, Martis coniux 308,42
Neſtea celebritas 481,42
Nicolaus & Benedictus Vincentius 185,1 & 30
Niſiræus Neptunus 158,14
Niſyros inſula 158,15
Niſyros contigua Co inſulæ, quomodo ab ea auulſa 158,20
Nixi dei 48,12
Nodotus deus 40,10
Nomen dei ἀγράμματον 16,53
Nomen τετραγράμματον *ſeu quatuor literarum quod* 3,25
Nomina duodecim & quadraginta literarum quæ 316 & 31. & *ſeq.*
Nomina ἑπταγράμματα *abominanda* 290,27
Nomiſma Adriani Cæſar. 153,47.369,16 *Adriani & Traiani Impp.* 419,32 *Numeriani* 383,40 *Veſpaſiani* 153,47
Nonæ Caprotinæ 120,1
Nortia & Nurſia deæ 442,25
Nouenarius numerus perfectus 532,53
Nouenſiles dei qui & quot 19,47.20,5
Nocti ſacra facta ab antiquis 58,5
Nuncius Tradutius 405,10
Nundina dea 49,12
Numa artem eliciendi Iouem vt edoctus 84,51
Numeria dea 50,31
Nympha quid 165,40
Nymphæ vocabuli varia ſignificata 165,42
Nymphæ à fluminum nominibus appellari ſolitæ, 167,8
Nymphæ poetis quid 167,7 *quot numero* 176,42
Nymphæ Amniſiades 170,29 *Anigrides* 170,7 *Caberides* 169,36 *calliſtephani* 173,1 *Commitiæ* 173,12 *Cythæroniades* 169,49 *Corycides, quæ & Coryciæ* 170,3
Nymphæ Dodonides 169,43 *Dryades & Hamadryades* 167,15 ἐννεσιάδες 173,6 *Ephydrides* 167,30 ἐπίγειοι 166,29 *Faciles* 166,52
Nymphæ Glyphiæ 172,53 *Goniades* 173,4 *Heliades ſeu Phaetontiades* 170,39 *Hereſides* 170,46 *Hyades ſeu Pleiades, & Vergiliæ* 172,7 *Ionides* 170,31 *Iſmenides* 170,14
Nymphæ Lelegeides 172,51 *Lemoniades* 166,36 *Libyſſatides* 172,52 *Limnades* 166,42 *Luſiades* 170,35 *Lydiæ* 253,51 *Meliæ* 169,15 *Mycaleſides* 172,43
Nymphæ Naiades 169,3 *Napææ* 167,11 *Nereides & earum nomina* 167,36 *Nyſeides* 172,36 *Oceanitides* 167,15 *Oreades* 166,30
Nymphæ Phruxonides 173,10 *Potamides* 169,12 *Proſelenides* 172,41 *Pterides* 170,37 *Pyrſanides* 173,8 *Sithnides* 170,19 *Themiſtiadæ* 170,48 *Thurides* 173,3 *Thyſiades* 172,32 *Vraniæ* 166,55
Nyſa mons 172,36
Nyſa vrbs 261,47
Nyſus Thebarum rex à Libero regno vt ſpoliatus 254,40

O

Occaſio dea 34,46
Occaſionis effigies 35,5
in Occaſionis effigiem, Poſidippi

ſidippi & Auſonij epigrammata 35,5
Occator deus 39,35
Oceanitides nymphæ & earum nomina 168,17
Oceanus deus 161,35 eius cognomina ibid.38
Ocyalus nauis 625,31
Oenomaus 63,18
Ogenus deus peruetuſtus 46,3
Ogoas, nomen dei 65,50
οἰνιστήρια feſtum 480,25
οἶσα, funis nauticus 610,30
Olympica celebritas inſtituta 551,11
Olympus Iupiter 89,49 vnde dictus 90,6 eius templum Athenis ibid. 17
Olympus mons 538,4
Olynthus Herculis filius 562,47
Omarion vrbs 108,10
ὁμοχίται dei qui 24,53
ὅμολος 99,3
ὠμοφάγια feſta 481,36
Omphale Herculis filia 563,39
Omophagia feſta 481,35
Onerariæ naues 625,7
Onirocriſis 221,13
Onoſcelia puella ex aſina nata 45,1
ᾠὸν, ὑπηνέμιον 179,22
Opalia 142,22.47,45
Opheltes 109,34
Ophioneus dæmon 429,22
Opinari hominum, dei ſcire 16,11
Opinionis effigies 26,36
Opis & Vpis pro Diana 365,19
Ops Conſiua 142,27
Ops dea 142,18
Ops eadem quæ Rhea 142,32 Saturni coniunx 365,20 vnde dicta 41,34
Ora, Oram ſoluere 609,17
Oraculum ambiguum, quo Siphnici decepti 589,6
Orbona dea cur à Romanis culta 49,41
Orcus pro Plutone 41,288
Orci nuptiæ & Cereris ſacrificium quid differant 522,4
Orcini liberti 288,50
Oreades nymphæ 166,16 & 277,24
Oreſtes quod ſimulachrum ex Taurica attulerit 352,42
Orgeones qui 462,6
Orgia ſacra 414,9 & 464,2 vnde dicta ibid.8 & 5.30
Ormenus 23,10
Ormiſdatis deus 225,9
Oromagdan deus 225,12
Ornea ſacra 284,7
Ornithias ventus 186,6
Orpheus nec Ariſtoteli nec Ciceroni ſatis notus 73,44
Orphei genus 541,1
Orphei in Iouem hymni 73,20
Orphei interitus 397,2.541,11
Orphne nympha 175,5
Oſcilla quid 470,27
Oſchophoria celebritas 479,30
Oſiris quis 271,16,& 40
Oſiridis nomina 271,45 interitus 271,26
Oſsilago dea 48,127
ὀθόνη, ὀθόνια 603,38
Ouidij locus illuſtratur 19,42. 20,30.23,6 & 45. 56,22. 58,3. 69,1.150,11. 193,12. 231,1. 360,29. 372,4. 383,3. 396,18. 461,50. 471,12. 474,1. 475,38. 665,20

P

PAEan Apollo 213, 6 ἰὴ παιὰν ibid.13 ἰὲ παιὰν ibid.14 παιανίαν 312,23
Pacton, ſcaphæ genus 625,43
Palæmon deus marinus 159,4
Palæſtæ locus Epiri 203,25
Palæſtinæ deæ, pro Furijs 203,21
Palæſtra Mercurij filia 286,42
Pales dea 42,5 vt celebraretur 525,46
Palici dei 69,36 vnde dicti ib.48
Palilia feſta quæ & Parilia 525,45. 42,13
Palladium iudicij locus Athenis 329,13
Palladium Mineruæ ſimulachrum Troianis fatale 328,46
Pallas vnde dicta 328,24: vide plura in Minerua
Palmytius deus 64,31
Pamilia, celebritas 271,30 ſacrificia 464,20
PAN 433,5 à Silio poeta deſcribitur 434,32 idem qui Inuus 433,48. 434,16 vnde dictus 434,8. 435,30
Pan ἄγριος θεὸς 435,34 ἀλιπλαγκτὸς 436,38 Arcadius 436,13 Bicarceus 435,39 Capripes 436,23 Ephialtes 435, 41 κεροβάτης 436,11 Lampeus 436,36 Literius 435,45 Lupercus 436,8 Lycæus 436,1
Pan Mænalius 436,30 Mendes 435,50 Nomius 436,43 σινόεις 436,40 συεικτὴς 436,47
de Pane fabuloſa narratio 437,16
Pani deo quibus hoſtiis immolatum 526,26
Panis appellationes 434,16 fiſtula à Theocrito deſcripta 435,5 interitus 437,44 parentes 435,30 ſimulachrum 434,12
Panicus terror 437,23
Panara vrbs 97,31
Panathenæa celebritas 482,25
Panchæa regio 97,31
Panda dea quæ & vnde ſic dicta 50,40
πάνδημον, πάνδημος Venus 374,30
Pandia feſta 478,6
Pandion heros 335,34
Pandoræ fabuloſa expoſitio 399,40
Panhellenia ſacra 482,33
Paphus, Paphia Venus 387,7
Parabatæ in naue qui 635,41
Paralos nauis 585,1.625,52
Parca αἶσα 200,36 εἱμαρμένη 200,39 Opis 201,4 πεπρωμένη 201,6
Parcæ Lanificæ 201,8 librariæ deorum 199,16 vnde dictæ 199,11. & ibid.47
Parcarum effigies 200,6 nomina tria 201,40
Parentationis ratio apud Platæenſes 512,20
Parexereſia 595,52
Parilia, Palilia 472,33
Parmenidis Eleatis de deo opinio 9,52
Parnaſſus mons 254,30.536,20
Parthenion herba 329,30
Partunda dea 46,23
Paſchillus Romæ 150,40
Paſithea nympha 404, 8 vna ex Gratijs 403,52
Paſtophori ſacerdotes 462,20
Patalena dea 40,16
Patara oppidum 232,8
Pater Patratus apud Roman. qui 460,27
Pattaici dei 21,26
Pauentia dea 47,38
Pauor & Pallor, dei, & vbi culti 53,26
Paupertas dea 57,11
Paupertas Erynnis 204,29
Pauſaniæ interpres reprehenditur 360,8

Pauſaniæ locus emendatur 315,34
locus variè lectus 447,13
Pax pro dea culta 30,11
Pacis ſacrificium 528,13 ſimulachrum 30,30
Pacis templum Romæ 30,20 incendio conſumtum 30,28
Pecunia dea 37,8
πηδάλιον 593,37
πυγομαχοῦτις, πυγομαντία 220,43
πίλαιος 488,20
Pelaſgus inſula 123,4
Pellonia dea 50,1
Penates dei qui 422,11
Penatium ſimulachra 423,8
de Penatibus deis variæ opiniones 422 per tot.
Penetralia quid 421,16
Pentecontерus nauis 626,19
Pergamenus deus 247,51
περιφαλλία celebritas 282,19
Perſarum de deis opinio 7,3
Perſarum religio, ſacra & cærimoniæ 514,7
Perſeus 170,53 Meduſam vt vicerit 171,15
Perſeus Mercurius 297,3
Perſij locus illuſtratur 24,39. 274,43. 278,11. 424,24. 471,21. 586,43
Pertica in naui, quæ & portiſculus 599,39
Pes & propes funis nauticus 607,5
Peſinus Pagus, & Peſinuntia dea 143,26
Peſtis per vniuerſum orbem graſſata temp. Marci Ant. Seueri, vnde enata 235,48
Petaſus Mercurij 597,35
Petra 156,7
Petronij Arbitri fragmenta 32,12. 41
Phæbas, ſacerdos Apollinis Pythij 220,5
Phallæ ſtatuæ 282,14
Phallus Priapus 282,10
Pharus quid & vnde dicta 614,11
Pharus Aegyptia quæ & vnde dicta 614,24
Phaſelus nauis 626,36
Pherecydis opinio de deo 9,16
Philoctetis ſagittæ 565,52
Philoſophorum de deo opiniones 8,34
Philyra nympha 176,31
Phlegethon fl. 209,34
Phlegra. Phlegræus mons 558,46
Phœbus Apollo, vnde dictus 214,43
Phœnicius color, ſeu purpureus, vnde inuentus 557,44
Phœnicum theologia 6,32
Phormion 612,27
Phorcus ſeu Phorcys, deus marinus 163,44 qua occaſione in deum marinum translatus 163,50
φράτριος ζεὺς 88,53
Phrygum theologia 6,49
Phryx Sabazius 266,50
Phurnuti codex mendoſus 387,38 463,48 locus emendatur 374,52
Phylacides naues 626,48
Phytalmius Neptunus 158,25
Pici opus de vanitate Aſtrologorum 590,14
Picumnus deus 54,39
Picus Saturni F. deus 54,11 cur in picum Martium conuerſus fingatur ibid. 14
Pierus mons 255,2
Pietas pro dea culta 29,27
Pietas quid 30,6
Pietatis erga parentes inſigne exemplum 29,30
Pileus indicium libertatis 37,5
Pilumnus deus 54,26
πίμπλεια, πίπλεια 537,26
Pimplia fons 256,1
Pinarij vnde dicti 459,20
Pinarius 459,10. 556,30
Pindari locus illuſtratur 603,30
Piraticæ naues 626,52
Piſces in duodecim ſigna vt relati 61,40
à piſcibus cur Syri abſtineant 61,30 62,20
de Piſcibus ſacra quæ fierent 494,36
Plauti commentatoris error 376,7
Plauti locus explicatur 58,41. 451,13. 465,51. 471,27. 599,36 & 50. 600,8
Pitho dea 44,10
Pitho Diana 359,18
Platonis de vero deo opinio 10,30 de Mente & anima mundi opinio 27,15
Pleiades, quæ & Vergiliæ 172,7
Plinij locus reſtituitur 29,40. 91,9. 444,12. 589,25
Plinij ridicula ſententia de deo & prouidentia 12,1
Plinij Panegyriſtæ pia de deo ſententia 12,13
Plutarchi error 267,17
Plutarchi locus emendatur 56,14. 138,28. 443,40
PLVTO 185,30 idem qui Dis, & ἅδης 185,43
Pluto ἅδης 187,13 Ageſilaus 187,52 Aidoneus 187,30 ἀϊδωνεὺς 188,11 Axiocerſes 188,8
Pluto Beelzebub Hebræis 190,9
Pluto Chtonius Iupiter 188,31 Climenos 188,18 Clytopolos 186,11 Dagetas 188,6 εὔβουλος 188,13
Pluto Februus 189,48 ἰσοδαίτης 188,34 Iupiter Stygius 190,1 Leptynis 188,29
Pluto Orcus 188,39 Poſtulio 189,40 Quietalis 189,51 Soranus 189,27 Summanus 189,3 Vedius & Veiouis 190,6
Plutoni cupreſſus ſacrata 186,17 quæ animalia mactari ſolita 517,27
Plutonis effigies 186,18 equi 186,4
Plutus 193,50 diuerſus à Plutone 194,1 Iaſius 195,15 Mammon 195,20
Pluti effigies 194,31 origo 194,9
de Pluto variæ ſententiæ 194,30 & ſeq.
Plynteria feſta 480,19
Pœna dea 51,30
Poetarum de deo opinio 12,20
Polieus Iupiter 100,3 eius ſacrificium ibid.
Polybij locus emendatur 108,18
Polymnia Muſa 539,35
Polyphemus Argonauta 552,26
Pomona dea 41,28
Pomponius Muſa 542,44
Pontifex Max. 457,49
Pontifex vnde dictus 458,3
Pontificum inſtitutio & numerus 457,44
Pontones naues 627,39
Populifugia 472,50
Populonia dea 50,33
Porphyrius Tyrius Philoſophus 6,35
Porrima vel Proſa 432,47
Portiſculus 634,52
Portunus deus 164,38 idem qui Neptunus 158,40 vnde dictus ibid.
Portunus Palæmon à Verg. vocatus 164,53

Portus

Portus quid 638,20
Portus duplex 638,26
ποσειδῶν, Neptunus vnde dictus 152,19
Poſtuerta dea 48,20
Potina dea 47,11
Potitij ſacerdotes Herculis 459,17
Potitiorum familia extincta 556,37
Potitius 459,10. 556,30
Potniades deæ 21,13
Præneſtina Fortuna, Præneſtinæ ſortes 441,51
Praxidice dæmon 45,40
Praxiergidæ orgia 45,52
Praxitelis opus, Venus depicta 380,20
Preces deæ, Homero λιταὶ 53,5
earum effigies ibid.16
Preces Ciceronis ad Iouem Statorem 81,10
Prema dea 46,22
Priamus ſtatuam Iouis trioculi vbi habuerit 99,38
Priapeium carmen declaratur 101,40
PRIAPVS 280,23 Bonus dæmon. 282,6
Priapus Faſcinum 283,25 Lampſacus & Lampſacenus deus 284,9 Muto 283,47 Orneates 284,5 Pammylus deus 284,14 Phallus 282,10 Protogonos 280,31 Typho 283,14
Priapi effigies 281,37
de Priapi natiuitate fabula 280,36
Priapus vrbs 281,12
Principum noſtrorum cura prepoſtera 257,40
Probi grammatici codex emendatur 66,24
Prodicus Ceus Sophiſta 316,24
eius de deo opinio 9,27
προίμβολις, τὸ προίμβολον 594,20
Profanum quid 454,13
προγάμεια quæ ſacra dicantur 101,24
Promethei aquila 551,37
Promethei fabula 400,12
Prometheus vt Iouem in victimis feſellerit 464,48
Propertij locus illuſtratur 152,1 & 42. 155,2. 261,11. 424,27. 475,37
Proplus nauigij genus 628,4
Prora vnde dicta 591,30
Proreta πρωρεὺς 591,33. 635,2
Proſa vel Prorſa dea 48,17
Proſecta exta 505,50
PROSERPINA dea 40,8 ab Ioue vt decepta ſpecie ſerpentis 196,26 quo loco rapta 197,42 vnde dicta 196,4
Proſerpina Axiocerſa 198,8 Areſta 197,15 Cotytto 198,32 Cyzicorum dea 197,37
Proſerpina δάειρα & δαῖρα 198,24 Deois 197,23 Δίοποινα 198,10 ἱερὰ 198,23 Hecate 197,17
Proſerpina Iuno Stygia & Auerna 197,18 κόρη 197,10 Libera 197,28 Locrenſis 197,50 Pherepapha 196,20 πρωτογόνη 198,21 θήρα 196,10
de Proſerpina variæ ſententiæ 196,10
Proſerpinæ à Plutone raptæ ſignificatio 195,45 raptus ad hiſtoriam refertur 187,36 ſacra 522,30
Proſerpinæ & eius fabulæ allegorica interpretatio 195,30
Proſper Paſethus 371,10
Proſumia nauis 628,14
Protagoras Abderites 2,8 eius opinio de deo 10,25
προτέλεια quæ ſacra dicantur 101,23
Proteruia dea 54,5
Protheus allegoricè materiā informem deſignat 162,4
Protheus Carpathius 162,32 deus marinus 161,45 in varias formas mutabilis ibid.50
Protei hiſtoria allegoricè explicatur 162,8
Protome in animalibus quid 596,17
προτρυγητῆρες Iani filiæ 149,15
PROVERBIA, quæ in hoc opere vel citantur vel explicantur:
A remo ad tribunal 602,36
ἀγνώτερος πηδαλίου 593,38
ἀκίνητα κινεῖν 643,33
Alius Hercules Corinthius quàm Conopius 563,48
ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς 553,52
Amæa ad Aceſiam 197,16. 410,27
ἀμουσότερος λειβηθρίων 255,53
ἀφ᾽ ἑστίας ἀρχόμενος 524,52
ἀφεὶς τὴν ὕπαρχαν, τὰ πόρρω διώκει 607,19
ἀφροδίτῃ ὗν τέθυκεν, Veneri ſuem immolauit 523,50
Ardens tunica 565,48
Augiæ caula 550,41
ἄττικοὶ τὰ ἐλευσίνια 413,19
ἄζυλος πλοῦτος: et ὁ τυφλὸς πλοῦτος 394,52
βαδίζειν οὐρανὸν ἐμπεπλεγμένον 117,53
χάρις χάριν τίκτει 401,53
χυτρεοῦς θεὸς 21,32
Cornu Amaltheæ 154,28
δευτέρα σαμβύκης παθεῖν 366,41
Deos adoraturi ſedeant 489,20
δεύτερος πλοῦς 590,4
δευτέρων ἀμεινόνων 466,19
Dum clauum rectum teneam 593,26
ἢ πλοῖον ἢ κυνῆ, id eſt aut nauigium aut galea 597,28
εἰκὼ τῷ ἡρακλεῖ: &, Hercules & ſimia 565,5
ἔμβαρός εἰμι 358,18
ἐπὶ ῥιπὸς διαπλεῦσαι 583,10
ἐπὶ πείρας σχοινίου 607,47
ἐπιθεῖναι τὴν κορώνην, ἢ τὴν κορωνίδα 613,36
Fortuna Euripus 441,6 443,36
ἁρπαγὰ κοτυττίοις 198,33
ὁ κισσὸς μετ᾽ ἀνθεστήρια 478,15
Hercules hoſpitatur 565,6
Herculeus nodus 568,27
Herculis columnas attigit 555,37
Herculi clauam eripit 548,20
Hoc age 489,20
Ialemo frigidior 541,6
In patrios cineres mingere 643,20
Inter cæſa & porrecta 507,5
Inter ſacrum & ſaxum 463,5
Ite foras Cares, non amplius Antheſteria 478,13
ἴθι εἰς κυνόσαργες 315,27
καρικὸν θάφος 664,52
κέλευε σὺ σιδήρῳ 23,14
κοινὸς ἑρμῆς 287,18
Laureolam in muſtaceo quærere 311,40
Lernæa hydra: &, Hydræ caput reſecare 549,3
Lydia ſacra 520,47
Maſchalam tollis 594,52
Melius Hercules 554.38
Nauis ficulnea 575.24
Ne quidem contra duos Hercules 549,17
Nec in naui cadens lignum attin-

git 574,39
Non contis nec remulo ſed velificatione plena 574,39
Noui Simonem, & Simon me 23,23
πάντα κάλων κινεῖν, ſiue πάντα κάλων σείειν. Omnem mouere funem 606,48
Periculum in prora ſelis 595,35
Pigmæi, vel, Thiodamas agreſtis Herculem prouocat 565,25
Herculem vituperat 570,2
Remis veliſq; 606,38
Rudentes & remos pro armis permutarunt 606,40
Salaminia nauis 585,5
Sunt multi feruligeri, pauci Bacchi 275,6
Συὼ ἀθλῶ 335,52
Tænarium malum 154,49
ταῖς χάρισι σπένδειν 401,48
τετράωτον ἄκει 211,44
τὴν πρύμνην κινεῖν, Mouere puppim 591,43
Triceps Geryone 553,27
τυφλὸς πλοῦτος 194,46
Ventum in puppi habere 592,1
Prouidentia pro dea habita 27,1
Prymneſia 595,44
Pſaphon deitatis opinionem vt acquiſiuerit 60,2
Pſyche à Cupidine adamata 390,22
Pſychomantes 220,37
Ptolemæi Philopatoris nauis, & eius inſignis amplitudo 580,1 erga Apellem liberalitas 36,30
Ptolemais vrbs, quæ & Ace 549,40
Pudicitia dea 33,42 alia patritia, alia plebeia 33,48
Pudor deus 38,36
Pudoris effigies 39,4
Puppis, πρύμνη 591,33
Puta dea 39,38
Pyanepſia celebritas 479,40
Pyrene ab Hercule deamata 553,5
Pyrethi Pyrethum 514,39
Pyrethia Pyrethi 146,44
Pyromantia 220,39
πυρφόροι ſacerdotes 462,17
Pyrrichia ſaltatio à quibus inducta 22,36 & deind.
Pythagoræ de deo opinio 9,5.
ἰχθυομαντεία 56,36
Pythia ludi 221,18
Pythia vates, Phœbas dicta 220,4
Pythiam, an credibile, à deo repleri, ſententia Plutarchi 220,16
Pythicus idem qui Delphicus deus 221,30
Pythius Apollo 219,40
Python ſerpens ab Apolline confectus 219,3.221,33
Pythones 220,16

Q

Q. Litera nulla Sabinis 120,8
Quies dea Romanis culta 49,40
Quinarius numerus cur Mercurio tributus 288,23
Quinquatria 123,20.472,48
Quirinalia 473,9 cur ſtultorum feriæ dicta 493,3
Quirinus deus Romanorum, & eius hiſtoria 68,17 vnde dictus 68,20

R

Rei nauticæ ſcriptores 570,30
Regifugium feſtum 473,11
Religionis appellationes 5,27 primi autores 7,24 vocabulum vnde deductum 5,18
Remi partes apud Græcos 602,18
Remi appellationes græcæ 602,26
Remi quid & variæ vocabuli ſignificationes 601,34
Remeculus nauigium 628,25
Remulcare, Remulcus 608,40
Reſponſum Serapidis de ſ. Trinitate 190,20
Rex ſacrorum Romæ 458,5
Rhabbeni Hebræi doctoris ſentẽtia de Dei appellatione 2,53
Rhadamanthus 208,17 Gnoſius ib. 25
Rhamnus 446,47.449,17
Rhamnuſia 446,17
Rhamnuſia vnde dicta 449,8
Rharius campus 416,12
Rhea eadem quæ Ops 132,4
Rheæ cur cymbala adhibita 132,10
Rheæ ſacrificia 524,34 vide Cybele
Rhips quid 583,1
Rhodij ab Aegypti regina callidè illuſi 615,1
Rhopalos 548,25
Ridiculus deus 59,1
Riſus à Lacedæmonijs cultus 47,40
Riſus ſimulachrum Lacedæmone 51,33
Robigalia 474,21
Robigus, agricolarum deus 18,5
Roma in cuius dei tutela fuerit, ignotum alijs 484,10
Romani olim pluſquàm centum & ſeptuaginta annis ſine imaginibus Deorum 14,30 et 71,7 quid de dijs vrbium captarum facere ſoliti 20,11
Romani vti bellum indicere ſoliti 311,20
Romanorum religio ac cerimoniæ 515,7 inde
Romanis quis velandi capitis in ſacris, author 497,4
Romulus Amaſæus 107,25
Roſtra 578,43
Roſtrum nauis 592,4
Roſtrata corona 592,8
Roſtratæ naues 628,29
Rubigo an aliud quàm robigo 42,38
Rubigus deus 42,27
Rubigi dei ſacra 527,23
Rudens 606,43
Rumina dea 46,51
Ruminæ deæ ſacra 527,30
Runcina dea 40,23
Ruſina dea 39,40
Ruſor deus 42,5
ῥύμα, ῥυμουλκεῖν 608,36

S

Sαβάζειν quid 266,42
Sabazia ſacra 266,52
Sabbatum vnde deriuetur 267,20
σαβὸς 267,13
Sabis deus 103,45
Sacerdos quid, ſecundum Platonem 457,32
Sacerdotes quomodo ſe ad ſacrificia præpararent 497,3
Sacerdotum appellationes græcæ 457,37 veſtis ſacra 497,51
Sacra βέβηλα, ἀβέβηλα 498,38
Sacra defunctorum 509,13 luſtralia 469,29
Sacra quorum deorum quibus frondibus celebrari ſolita 456,20
Sacra Solitaurilia 468,8
S. Scripturæ locus exodi cap. 14 declaratus 4,20
Sacrarium, Sacellum 455,19
Sacrificandum qua de cauſa Theologi cenſeant 488,31
Sacrificare quid 462,49
Sacrificij quatuor partes 503,7
à ſacrificijs qui arcerentur 498,42

Sacrifi-

Sacrificia ſingulis deis ſalutaria 464,19
Sacrificia ſolennia 463,19 ſtata 463,16
Sacrificiorum gentilium vanitas ab Arnobio ridetur 505,43
Sacrificiorum præparatio 488,2 varia vocabula explicantur 462,42
Sacrificium quid 462,48
Sacrorum adminiſtratio apud Roman. 463,24
Sacrorum apud gentes cærimoniæ 497,8
Sacrorum Duumviri 461,9
Sacrorum Rex 458,5
Sacrum Amburuale 468,19 nouendiale 467,51
Sacrum pro ſacrificio 463,5
Sagaritis nympha 175,22
Salacia Neptuni vxor 160,27. 159,2 vnde dicta 160,32
Salaminia nauis 585,162.8,50
Salij ſacerdotes 460,5
Salmacis nympha 174,29
Salmacis fontis vnda infamis 174,31
Saltationes in ſacris vſitatæ 460,10
Saluiatus Card. 451,40
Salus dea 34,17
Salutis effigies 34,26 templum 34,20
Samæna nauis 628,51
Samothracum dei 422,24
Samus inſula domicilium Iunonis 222,11
Sanchuniathon Berytius 6,34
Sangarius fluuius 175,27
Sangus Sabinorum deus, qui & Sancus & Sanctus 67,28 & dein.
Sanitatis ſymbolum 34,38
Saotes Iupiter 99,18 quare ita nuncupatus ibid.21
Saron, deus marinus 164,1
Sarritor deus 39,35
Sator deus 39,36 idem qui Saturnus 130,37
Saturnalia feſta 128,40. 130,50
in Saturnalibus cur cærei mitterentur 129,13
Saturnus à Ioue regno pulſus 128,43 à Saxonibus vt depictus 128,47 vnde dictus 129,5 vnde κρόνος dictus 128,52
Saturnus ἀγκυλομήτης 131,31 Vitiſator 131,44
Saturni effigies 130,40 genus 128,17 hiſtoria 128,34 hiſtoria allegoricè explicatur 129,27 ſacrificia 524,5
Saturno ærarium cur dicatum 131,17 cur falx attributa 129,47 epitheta ab Orpheo tributa quæ 131,36
Satyra poema. Satyrici poetæ 426,41
Satyrarum forma 426,36
Satyri vnde appellati 129,7 ijdẽ qui Sileni 426,27 vnde dicti 426,17
de Satyris hiſtoria 426,32 variæ variorum ſententiæ 426,30
Scalmus 595,20
Scamander filius Herculis 552,46
Scaphæ naues 629,17
Schœnus σχοῖνος 610,17
σχῖνος ibid.38
Schedia naues 629,52
Scipio Naſica, vir optimus iudicatus 140,26
Scira celebritas 480,14
Sciraphion, locus Athenis 334,36
Scirus vates 334,30
Scyllæ deſcriptio phyſica 165,26
Scythæ Enarees cur dicti 374,17
Scytharum regum inferiæ 564,33
Securi dei 39,21
Segecia dea 39,25
Seia dea, quæ & Segetia 39,25
σιλλωνιάζεσθαι. σιλλωσκύπτης 343,40
σελίδιον, σελιδώματα 595,18
Selma 595,19
Semidei qui 18,16
Semmammemphoras Dei nomen 3,13.22,31
Semones dei qui, & vnde dicti 19,24
Senecæ morientis verba 104,40
Sentina quid 593,40
Septemuiri Epulonum 461,16
Septenarij numeri vis 533,18
Septimontium feſtum 476,45
Sepulchra animalia & animata quæ 642,43
Sepulchra nonnũquam nauibus inſculpta 585,41
Sepulchrorum formæ 642,14
Sepulchrorum materia 642,41
Sepulchrorum priuilegia 643,7
Serapeum templum 192,1
Serapis Aegyptiorum deus 190,5 idem cum Plutone exiſtimatus 190,14 prius Apis dictus 191,16 vnde appellatus 191,26
Serapidis effigies 191,4 origo 190,36.192,4 reſponſum de ſ. Trinitate 190,20
Seruij grammatici error 329,3
Sigæum promontorium 552,46
Sileni Nyſigeni 429,13 σαυᾶδαι & σαῦδοι 429,18
Sileni capti dictum de hominibus 429,1
Sileni ſymbolica effigies 428,41
Silenus cuſtos Bacchi 429,15
Silicernium, cœna deorum 511,51
Sillij locus illuſtratur 121,51.356,15. 510,40 reſtituitur 125,12
Simonidis Cei inſignis de deo ſententia 12,25
Simonis magi dæmon 429,20
Simpuuium, Simpullum 495,26
Simulachra à quib. primũ in tẽpla introducta 456,51 ex quibus lignis confici ſolita 457,22
Sinopion 112,4
Sirenes, quæ & Acheloides 171,28 earum nomina & fatum 171,36 & 39
Sirenes à Muſis cantu victæ 172,1 Muſarum comites 541,41
Smintheus, Apollo vnde cognominatus 225,41
Socinus Bentius 417,10
Sol Mithras Perſis 224,10 & ſeq. vnde dictus 212,4
Soles quatuor numerantur à poetis 212,14
Solis effectus præcipuè duo 213,1 effigies 271,10 equi & eorum nomina, nominũq; ratio 241,46 242,1 genus & fabula 143,4
σολοῦς vrbs 559,36
Sõni ſedes 301,27 tres filij 300,45
Somnij interpretatio 566,10
Somniorum differentia 301,5
Somnus deus 299,18 ferreus, pro morte 301,52 irriguus 301,49 Mortis frater 299,39
Soractes mons 189,31
Σωσίπολις dæmon 63,41 eius ſacra 64,1
Σωτῆρες dei 34,20
σπάρτα Homero quid ſignificent 581,48
σπάρτον, τὰ σπάρτα 609,31
Spes, pro dea Romæ culta 28,44
Spei effigies 29,4 templum 28,46 templum incendio deſtructum 29,10
de Spe, ridiculum commentum Heſiodi 28,50
Speuſippi opinio de deo 10,49

Spinen-

Spinenſis deus 40,25
Spira quid 607,48
σπονδαῖα 495,49
Stata mater 58,51
Statij locus illuſtratur 99,7. 123,3. 125,24. 179, 28 & 32. 193,14. 218,6.223,47.286,48. 500,20. 372,3.505,29. 511,10. 585,30
Statilinus deus 47,28
Stator, Iupiter vnde dictus 81,12
Stega pars nauis 592,38
Stephanus emendatur 122,30
Stercutius deus 39,35.54.39
Stoicorum de deo opinio 11,20
στόλος quid 594,35
Stratagema 265,20
Stratonicus citharœdus 64,37
Stratonis de deo opinio 9,37
Strongylon nauis 630,31
Strophe. Strophea 607,40
Stymphalides aues 550,16
Styx palus inferorum 208,33 *iuramenti religione nobilis* 208,40
de Stygis aqua memorabile 208,52
Suada dea 44,10 *eius ſacra. ibid.*
Subigus deus 46,20
Suem quæ gentes immolauerint 441,10
Sues quando immolati 493,37
Suetonij locus caſtigatur 236,20
Suidæ locus explicatur 148,16
Suionum, Germaniæ *populorum, naues* 583,30
Sulpicia 375,26
Summanus deus 189,3
Supparum, veli genus 604,50
Supplicationes apud Roman. *quid* 482, 42
Supplicium quid propriè dicatur 483,14
Syderum obſeruatio in nauigando vnde cœperit 572,6
Syluanus deus 427,45 *infantibus terribilis, quib. cerimonijs auertebatur* 428,13 *vnde dictus* 428,7
Syri cur à piſcibus abſtineant 61, 30.62, 20
Syria dea quæ & Aſtarte Venus 376,7

T

Tabellariæ naues 630,34
Tacita dea 55,19 à Numa *cur conſecrata* ibid. 42
Taciti locus notatur 442,49
Tænarus promontorium 154,44
Tages deus 68,37
Tamyna vrbs 107,2
Tanais, dea Armeniorum 63,35
Tarantum vrbs 98,1
Taraxippus deus 63,3 *& de eo variæ opiniones* 63,10
Tegyra ciuitas 233,29
Telchines qui 23,3.234,19 Alaſtores vnde dicti 23,10
Telephus Herculis filius 550,50
Teleſphorus deus 67,24
τελεταρχαι 464,15
τέλη, τελετή, τελεία 464,10
Tellumo deus 41,34
Telluri deæ vt ſacrificaretur 526,13
Tellus eadem quæ Mater magna, & Ops, & Proſerpina, & Veſta 137,21.142,39
Themidis filiæ 431,42 deſcriptio 432,2 oracula 432,27
Tempe Theſſala 157,49
Tempeſtatis ædes Romæ 57,53
Tempeſtatum ſigna in mari 587,1 & ſeq.
Templa fana vnde dicta 452,20. 454,15
Templa inaugurare, templa profana reddere 455,36
Templa quid 452,47 *vbi & à quibus primùm conſtructa* 452,9
Templis quæ gentes caruerint 452,4
Templorum *variæ appellationes* 454,15 *variæ formæ* 453,12
Templum vnde dictum 453,47
Templi partes 453,5
Tenedi Neptuni templum ſplendidum 155,12
Tenes deus 64,41
Tenus inſula 155,11
Terenti locus Romæ. Terentini ludi 510,50
Termeſſus fl. 537,1
Terminalia feſta 43,1.527,4
Termino qualis hoſtia litata 43,6
Termino deo ſacra vt facta 526,4
Terminus deus & eius ſacra 42,44
Terminus nemini cedens 43,20
Terpſichore Muſa 559,5
Terra dea 41,34
Terræ deæ effigies 41,40
Terræ filij qui nuncupati 8,5
Teſca quid 453,11
Thalamegæ naues 630,38
Thalaſsio rex nuptialis 127,8
Thalaſſus & Thalaſsio deus nuptiarum 126,48
Thaletis de deo ſententia ad Crœſum 12.30 de deo opinio 8,34
Thalia Muſa 538,40
θαλεῖα Muſa, θαλία vna Charitum 404,28
Thargelia feſtum 480,6
Theænia ſacrificia 480,29
Theagenes deus 65,5
Theagenes Herculis F. 567,38
Themis dea 431,40 σύνδικος 433, 8 ἰχναία 433,13
Themis nympha 173,17
Themis pro Carmenta 432,36
θεμιστεύειν 433,41
Themiſtis dea 433,19
Theocriti verſus exponitur 166,43
Theodori ἀθέου opinio de deo 10,19
Theodorus Cyrenaicus 2,89
χθόνια ſacrificia 480,29
Theologiæ contemtus 1,5 diuiſio ex Varronis ſententia 13,30
Theophania celebritas 482,9
Theoris nauis Lemniorum 385,16
Theoris nauis Theſei 631,1
Theoxenia celebritas 478,45
Theſei cum Hercule conſuetudo 560,5
θεσμοφόρεια 464,20
Theſpia, quæ & Cupidinea ſacra 393,52
Thetis nympha mater Achillis 174,1
Thetys vxor Oceani 161,41
Theutates deus Mercurius à Gallis cultus 292,38
Thiſoa nympha 174,40
θοῖναι, θαλίαι, μίθαι, vocabula ſacrificiorum 496,4
Thot, idem qui Mercurius 292,23
Thraſeas philoſophus à Nerone interemtus 104,37
Thucydidis locus emendatur 88,33
Thulæ incolarum ſacrificia 528,37
Thymbræus Apollo 236,46
Thymomantes 220,37
θυσία quid 463,39
Tibiæ inuentrix Minerua 326,26
Tibulli loco illuſtratur 193,10
Timor, deus à Lacedæmonijs cultus 47,39
Tiphys nauis 632,52
Tiſiphone 202,19
Titea dea, mater Titanum 142,45
Tithorea nympha 176,38
Titij ſodales 461,28
Titula ſeu Tutela ancilla, Romæ ſeruatrix 119,34
Tonſillæ quid 599,21.601,50
Topici dei qui nuncupati 59,30

τόξον

τρίζον τὸ, ambiguum 549,4
Trabariæ naues quæ 632,11
Traiani Cæſaris nauis 581,1
Tranſenna 608,1
Tranſtra nauium 592,50
Triampis nauis 632,24
Triembolum 594,28
Trieris nauis magna, qualis 631,26
Trieterica feſta 480,32
Trigla piſcis 346,50
τριμβία celebritas 481,51
Trinitatis myſteriū expreſſum 4,10
Triopius Apollo 218,14
Triptolemus vſum frumenti à Cerere edoctus 416,20
de Triptolemo variæ opiniones 415,44
Tripus ſaltationis genus 211,38
Triſmegiſtus Mercurius cur appellatus 298,18
Trochleæ in naui quid 598,17
Trophonij Iouis oraculum 96,12
Tubiluſtria feſta 476,3
Tuiſco deus Germanorum 59,50
Tutanus deus 39.13
Tutuli ſacerdotes 461,37
Tutullina dea 39,11
Typhon, nauigantiū terror 587,39
Typhonicus ventus Euroaquilo 568,7

V

Vacuna dea 50,29
Vagitanus deus 46,30
Vale, vox maledictionis interdum 510,10
Valerius Flaccus illuſtratur 136,25. 142,7. 585,53
Valla caſtigatur 21,30
Vallæ lapſus in verſione Herodoti 567,12. 582,45
Variarum gentium peculiares dei 59,40
Varronis locus de deorum generibus 16,20 ſententia de deo 11,33
Vas futile in ſacris 300,36
Vaticanus deus 46,3
Veiouis ſeu Veiupiter vnde dictus 85,4
Veiouis ſimulachrum 85,46
Vela contrahere, legere, dare, pandere, ducere, ſubducere 606,6
de Velis Plinij exclamatio 605,37
Vellabrum 578,45
Velorum colores 605,48
Velorum inuentio 603,2
Velorum materia 603,33
Velorum triplex forma 603,15
Velorum ratio & vis 603,15
Velorum variæ appellationes apud Græcos 605,27
VENVS 371,20 à Phidia quomodo depicta 372,10 ἀφροδίτη vnde dicta 371,39 artis meretriciæ inuentrix 386,39 quæ animalia & quas frutices auerſetur 373,1 & ſeq. vnde dicta 371,20
Venus Acræa 387,42 ἄδικος 389,4 Aeneis 389,19 ἀλιάς, vel Alytta 374,19 Amathuſia 376,40 ἀμβολογήρα 388,47 Anadyomene 388,40 Anaitis 376,18 ἀνόσια καὶ ἀνδροφόνος 378,10 Apaturias 387,50 ἀποστροφία 375,4 Architis 382,22 Argynnis 383,10 Armata 378,48 Aurea 386,49
Venus Barbata & maſcula 379,29 Baſilis 385,14 Byblia 382,14
Venus Calua 386,45 Cataſcopia 381,46 Cluacina 388,33 Cypris 386,33 Cytheræa & Cythoris 277,23 Dexicreon 384,23 Dione 377,12
Venus Elephantina 382,18 ἐλικῶπις 381 Elimæa 385,23 ἐπίστροφος 385,22 Epitragia 378,1 Erycina 382,33 ἑταίρα 385,52 εὐδώπολις 381,7
Venus Genitrix 379,52 Gnidia & eius deſcriptio 380,6 Hortenſis 381,12 Hoſpita 389,10 Idalia ſeu Acidalia 386,9 καλλίπυγος: & eius cognominis ridicula hiſtoria 378,35 κωλιάς 380,41
Venus λαμβωνός 384,45 Libitina 385,1 Mechanite 388,50 Melanis & Melænis 383,50 Melinæa 388,30 Migenitis 382,7 Momemphita 389,17 Morpho 381,50 Murtia & Myrtia, 375,35 Nrphte 384,47 Nicophoros 381,38
Venus πανδήμος 374,30 Paphia 387,7 Paſtophoros 378,7 Pelagia 386,28 Philomedea 377,41 πόρνη ſeu meretrix 385,30 Praxis 381,7 Pythonica 377,17
Venus Schœnis 377,7 Scotia 388,43 Sicyonia 380,32 Syconſis 385,48 Symmachia 382,11 Syria 387,1 Verticordia 375,12 Victrix 383,33 Vrania 373,32 Zerynthia 384,34
Veneri quæ arbores ſacræ 372,48 quomodo immolaretur 523,45
in Venerem armatam epigramma 379,13
Veneris allegorica deſcriptio 373,20 comites 372,40 nomen recens 371,28
Veneris nomine tres 371,30
Veneris Paphiæ templum & ſacra 387,7 phanum in Saxonia 372,32 ſimulachra 371,46 ſtella Phoſphorus 389,1
Venti Aſtræi filij 183,20 apud antiquos tantum tres 183,25 pro deis habiti 182,50
Ventorum ratio à quibus inuenta 572,5
Vergilij Diræ ſeu execrationes 485,48
Vergilij locus aliter lectus, 602,2. reſtituitur 498,4 illuſtratur 15,10. 21,10 & 20. 43,32. 47,13. 59,31. 66,40. 86,14. 93,38. 303,51. 112,9. 117,3 & 50. 120,35. 121,30. 125,20. 134,48. 139,26. 145,18. 147,33. 156,48. 162,34. 163,20. 189,30. 203,10. 206,40. 230,40. 268,35. 277,8. 274,28. 379,30. 395,3. 414,17. 420,47. 427,51. 459,23. 461,42. 463,20. 404,6. 466,8 & 27. 496,38. 470,25. 474,52. 491,34. 483,6. 485,1. 491,7. 492,1. 495,22. 499,42. 503,21. 508,44. 586,41. 596,50. 602,7. 603,1. 607,6. 611,4. 612,10
Vergilius contra criticos quoſdam defenditur 579,44
Veritas pro dea habita 26,30 Saturni filia 26,39 temporis filia 26,44
Veritatis effigies 26,32
Vertumnalia feſta 152,8
Vertumnus idem qui Ianus 151,21
Veſpaſianus imper. vbi vaſa templi Hieroſolymitani repoſuerit 30,17
Veſtes amathinæ ſeu Damaſcenæ 277,17
Veſta βουλαία 147,3
Veſta pro igne 143,34
Veſta quæ dea 144,25 vnde dicta 144,25
de Veſta variæ opiniones 146,3
Veſtales virgines 145,23
Veſtalium virginum inceſtus conuictarum ſupplicium 145,40
Veſtæ ædes Romæ 147,8

effigies

effigies 145,31. 147,7 genus 146,3
Veſtæ ignis extinctus quomodo inſtaurari ſolitus 145.51
Veſtæ ſacrificium 524,44 virgo ſacerdos 145,4
Victima quid 464.34
Victima & hoſtia quomodo differãt 464,24
de Victima cæſa quid fieri ſolitum 506 per tot.& ſeq.
Victimæ animales à quibus primæ immolatæ 464,38
Victimæ antiquis vſitatæ 491,38
Victoria ἄπτερος Athenis 315,1.336,10 Cœligena 312,96 dea 310,42 ἱπποδρομική 312,3 Naphthe 313,10 παρθένος Mineruæ 310,51 Palmaris 312,12 Vacuna 312,26 Vitula 312,17
Victoriæ ædes 311,5 effigies 311,32
de Victoriæ ſtatua verſa, memorabile 311,30
Vinalia feſta 476,17
Vinum in quibus ſacris adhibebatur 495,2
Violentia dea 51,31
Virbius deus 343,44
Virginenſis dea 64,15
Viriplaca dea 53,38
Virtus ad animum & ad corpus refertur 26,28 cur alata 26,5 quid, & vnde dicta 25,28
Virtus vt dea Romæ culta 25,19
Virtutis delubra 26,2 effigies 26,19
Virtutis & honoris templa cur cõtigua 26,3
Vitex, quæ & ἄγνος 411,8
Vitulari quid 312,23
Viturnus deus 46,24
Voltunna ſeu Vulturna dea 152,3
Volumnus deus 50,19
Volutina dea 50,25
Votũ nuptiale apud Gẽtiles 119,48
Vrania Muſa 540,10
Vranus 128,22 vnde dictus ibid. 24 vbi cultus ibid. 32
Vrbis condendæ ritus apud Roman. 487
Vulcanalia feſta 398,50
Vulcani plures 397,33
Vulcanus 397,10 ex Iunone ſola ortus 397,44 in Lemnum vt ceciderit 398,31
Vulcanus Aethnæus 399,3 ἀμφιγυήεις 399,33 χωλὸς 399,26 Ignipotens 399,12 κυλλοποδίων 399,27 Lemnius deus 398,10 Mulciber 398,41 Phtas 399,19
Vulcanus vnde dictus 397,12
Vulcani vxor an Venus 398,1
Vulcano qualis victima immolabatur 519,20 vna Charitum nupta 404,38
de Vulcano variæ opiniones 397,22
Vulnerum alligatio à quo inuenta 242 ibid.
Vulturum augurium 566,24
ὑπηκαύστρια 482,18
ὕφαλος quid 443,32
Vulturnus ventus 185,40
Vxores vnde dictæ 116,26

X

Xanthus Bœotius ſingulari certamine à Melantho victus 265,21
Xenia vnde dicta 94,12
Xenocratis Chalcedonij opinio de dijs 10,27
Xenophanis Colophonij opinio de Deo 9,49
Xenophontis verſio emẽdata 144,52 eiuſdem de Deo opinio 10,41
Xerxes oraculum Didymæum expertus 223,11

Y

Ytiáxi effigies & ſymbolum 34,28 inde ὑπερδουλεία quid Theologis 5,36
ὕφαλος 443,31
ὕπνος: lege Somnus
ὑπόληψις calumniæ ſocia 36,9
ὑποφῆται 90,39

Z

Zamolxis deus à Getis cultus 66,24
Zancle vrbs 130,2
ζαυάνας 62,39
ζέα & ζειάσαι 408,3
Zenõis opinio de Deo 9,42 dogma de tẽplis non ædificandis 451,53
Zephyrus Deus 45,8
Zerinthion 347,20
ζεὺς, vnde dictus Iupiter 87,3
ζῆν vnde dictus Iupiter 73,2
ζιμὶ Dei nomen apud populos nuper repertos 4,51
Zoana 106,40
ζωγόνοι dij qui 20,44
Zoroaſtris dij tres 225,3
ζώσασθαι 338,52
Zython decoctio 259,12

FINIS.

ERRATA QVAE INTER RECOGNOSCENDVM NOBIS OCCVRRERVNT, ITA beneuolus lector corriget.

Pag. 20, lin. 44 lege ζωόγονοι. 31,38 Valla. 33,50 iracundia. 34 11 quidam. 34 in triplici triangulo pro ειγυα lege αγυια. 41,10 color. 45,19 daret. 53 34 Medea. 66,6 Apollo. 67,30 Sangi. 67 42 Sancti. 91,5 στρατηγός. 98 1 Tarento. 106 13 Meſſapeus. 133 32 Amygdala. 151,23 ſcribit. 153,7 Amimone. 156 38 fuerãt con. 209,13 Cocytus. 222 14 πυλοκλόνος. 226 40 πασιχάρις. 242,43. dele: Corinthius, item quos. ead. l. Therbeeo. 256,11. Caſtalio. 291,48 φονεύειν. 317,23 Victori. 322,40 nec. 377,53 id eſt. 387,1 à Poggio. ibid. 22 (vt. 392,27 id eſt. 395,32 Plauto. 413,9 Thrax. 427 20. Sacra. 456,23 ſed &. 467 24 rite bidẽtes. 491,31 baccha-483,7 item. ibid. 8 pauperes. 549.17 lionidæ. 552,29 Philoſtratum. 553,30 larino. 554,23 hortos. 55,8 24 autem. 595 35 apud Zenobium eſt prouerbium: Periculum in prora.

00079422

Digitized with financial assistance from the
Government of Maharashtra
on 18 July, 2018